UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Sectio Prima. De Vacatione, & amissione beneficiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-74494

Visual Library

FORI BENEFICIALIS
PARS TERTIA.

De vacatione, amissione, alteratione, suppressione, extinctione beneficiorum.

SECTIO PRIMA.

DE VACATIONE ET AMISSIONE BENEFICIORVM.

CAPUT PRIMUM.

DE VACATIONE PER MORTEM NATVRALEM. ET CIVILEM.

PARAGRAPHVS I.

De vacatione beneficii in genere.

Quæstio 1. *Quid sit vacare beneficium?*

RESpondeo: de hoc in genere vix rectè aliquid dici, meliúsque statui de eo ex sequentibus; unde

Quæstio 2. *Quotuplex sit vacatio beneficii?*

1. RESpondeo triplex; nempe de facto tantùm, de jure tantùm, de facto & de jure simul. Barbos. *juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 71.* Gonz. *ad reg. 1. gl. 15. §. 8. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 16. q. 2.* Vacare de facto tantùm, seu vacare tantùm quòad possessionem dicitur beneficium, ubi quis titulum Canonicum beneficii, & jus in eo habet, possessionem tamen illius nullus habet, seu ea vacua est: dum v.g. Collatarius post factam sibi collationem à se acceptatam de beneficio carente & Domino alio, & possessore, necdum illius possessionem apprehendit. Gonz. *l. c. n. 6.* Item dum verus Dominus beneficii retinens titulum, possessionem habitam amittit; quia eâ dejicitur vi, vel per metum injustè incussum renuntiat beneficio, nemine ejus possessionem occupante. Gonz. *loc. cit.* Azor. *loc. c.* Pirhing *ad tit. de conces. præb. n. 17.* Item dum is, qui non habet justum titulum, aut jus in beneficio, sed solùm possessionē aut detentionē, vel decedit, alio interim existente, qui habet verum jus in illo beneficio. Gonz. *loc. cit. n. 7.* citans Paris. *de resign. l. 1. q. 15. n. 13.* Rebuff. *cons. 38. n. 1. & seq.* & sic vacare poterit de facto per obitum unius, & de jure per obitum alterius. Gonz. *num. 8.* ac denique juxta Gonz. *n. 5.* & Barb. *cit. n. 71.* dum quis longo tempore est absens à beneficio suo, & nulla habetur de eo notitia, seu ignoratur, ubi sit, dicitur vacare beneficium de facto; quia (posito, quòd nullum vicarium reliquerit) nemo est, qui illi beneficio inserviat; & tamen talis absens, ut Barb. citans Abb. *in c. tua. de Clericis non residen.* non amisit per hoc titulum; nisi fortè post Canonicam citationem, & monitionem in contumaciam eo privatus fuerit. De cetero exemplum hujus vacationis de facto tantùm, quod adducunt Pirh. Azor, & alii de eo, qui collatum sibi beneficium necdum acceptavit, non subsistit; quia ut dictum aliàs, & dicetur paulò pòst iterum, per collationem non acceptatam jus nullum in beneficio acquiritur, adeoq; tale beneficium vacare adhuc potest de jure.

2. Vacare de jure tantùm, seu quòad titulum tantùm dicitur beneficium, dum quis possidet beneficium absque eo, quòd is, aut alius quispiam titulum ejus, aut jus in eo habeat, v. g. dum quis absque Canonico titulo de facto se intrudit in beneficio, in quo nemo alius jus habet. Gonz. *loc. cit. n. 4.* Item dum quis cum colorato titulo beneficii per obitum vacantis possessionem capit. Barb. *loc. cit.* Item dum quis per assecutionem secundi beneficii alicujus incompatibilis ex juris dispositione perdit eo ipso primum, seu censetur eo privatus, absque eo, quòd prioris possessionem dimittat, seu desinat illud occupare, ac talis possessio plus facti

quàm juris habeat. Gonz. *loc. cit. n.* 4. juxta textum *c. Cum nostris. de conces. præb.* & gl. & Auctores communiter. *ibid.* Barb. *loc. cit.* Item dum quis ob delictum sine ulla alia monitione, citatione, aut sententiâ privationis per hominem seu judicem latâ ex juris dispositione privatur beneficio, absque eo, quòd privatus de sinat illud de facto occupare. Pirh. Barb. *loc. cit.* sive in genere, dum talis detentor, seu pergens illud occupare authoritate Canonis alicujus seu juris, ita eo privatus est, ut sine monitione, citatione ullâvè aliâ sententiâ illud ob Ordinario conferri possit, censetur vacare beneficium solùm de jure. Azor. *loc. cit.*

3. Vacare de jure & de facto dicitur beneficium, dum neque jus seu titulus beneficii, neque possessio apud aliquem est. Pirh. *loc. cit.* v. g. dum vacat beneficium per mortem naturalem, vel resignationem (nimirum dum resignans de facto etiam illud à se abdicat, seu non manet in possessione seu detentione illius, & nemo etiam alius est in colorata ejus possessione) illius, qui verũ titulum & possessionem illius habebat. Gonz. *loc. cit. num.* 3. citans Mand. *ad reg.* 30. *q.* 7. *n.* 4. Gregor. Tholosan. *de benef. c.* 28. *n.* 1. Rebuff. *in pr. tit. requisitâ ad bonam collationem. n.* 56. Item dum legitimus beneficii dominus ob incompatibilitatem vel delictum ex juris dispositione, aut per sententiam eo privatus, possessionem quoque dimittit.

4. Illud hic observandum ex Mand. *cons.* 4. *n.* 20. *in fine, apud* Gonz. *loc. cit. n.* 11. & Chok. *ad regul.* 8. *n.* 9. quòd vacatio de jure & de facto sit verior naturaliter, porentior, & plenior vacatio. Et ex Pavino *de post. cap. sede vac. prælud.* 7. *num.* 17. apud eundem Gonz. *num.* 12. quòd proprie vacare non dicatur beneficium, nisi dum à nemine detinetur nec jure, nec de facto; & hinc verba cujuslibet dispositionis sint intelligenda propriè de hac vacatione, & in hoc potiore ejus significato. Mand. Pavin. Chok. *loc cit.*

Quæstio 3. Quot modis vacent beneficia?

REspondeo: si spectemus ipsum intrinsecum actum vacationis, modi vacationis non plures, quàm duo sunt; nimirum naturalis, quem operatur natura ipsa per mortem personæ, quâ plenum erat beneficium. Et civilem, quo nimirum persona manens in vivis se à beneficio separat, & illud vacuum dimittit; priorq; modus dicitur *decessus*, posterior *cessus*. Lott. *l.* 3. *q.* 9. *num.* 2. *decedere* namque cùm ex proprietate etiam sermonis in subjecta materiâ significet mori, seu vitâ defũgi, ut Lott. *n.* 3. ex variis locis juris civilis ostendit, dum utimur hac voce *decessus* in hac materia beneficiali, mortem naturalem propriè significamus. Lott. n. 5. citans Paris. *l.* 5. *q.* 5. *n.* 23. *Cedere* autem, cùm mortem exprimat, ac separationem personæ à beneficio, quo de pleno efficitur vacans. Lott. *num.* 7. sub hoc nomine veniunt renuntiare, resignare, cedere beneficium, sive actus sit spontaneus, sive coactus. Lott. *n.* 8. & 9. quamvis enim invitus quis pellatur à beneficio, dum illo per judicem privatur, nihilominus adhuc non malè dicitur cedere beneficio; cùm factum judicis reputetur factum passi sententiam, juxta *l. si ob causam. c. de Eviction.* & Tiraq; *de retract. consanguin.* §. 1. *gl.* 14. *num.* 13. Lott. *n.* 11. atque ita, ut Lott. *n.* 10. huic posteriori modo vacationis, nempe per cessum, subjiciuntur, seu subalternantur omnes illi modi vacandi, tam ipso jure, quàm per sententiam, de quibus Gonz. latè *gl.* 15. *à n.* 9.

Quæstio 4. Quænam vacatio, seu quisnam vacationis modus veniat, nomine vacationis simpliciter prolato?

1. REspondeo primò: venire & comprehendi omnes vacandi modos, hoc est, tam vacationem per mortem civilem, quàm per naturalem, tam per resignationem, quàm per privationem. Garc. *par.* 11. *c.* 1. *à n.* 3. citans gl. *in c. si propter. de rescript. v. vacabunt.* & gl. *in c. quia sæpe. de præb. in* 6. *v. vacat.* Franc. *in c. susceptum. de rescript. in* 6. *n.* 3. Staphil. *de lit. gratia. tit. de variis modis vacationis. n.* 6. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 3. Mand. *ad reg.* 19. *q.* 17. *n.* 2. Paris. *l.* 11. *q.* 14. *n.* 24. Tond. *in quæstionibus benef. p.* 3. *c.* 80. *n.* 15. ex Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 100. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 74. proceditq; idipsum in materia pœnali. Barb. *ibid.* Garc. *l. c. n.* 4. ex Franco. sic etiamsi *in regula* 8. *Cancel.* apposita non essent verba generalia *quocunque modo*, comprehenduntur omnes modi vacationis (exceptis vacationibus in curiâ, & per resignationem) seu reservantur Papæ beneficia in mensibus papalibus vacantia, quocunque demum modo vacent. Gonz. *gl.* 15. *n.* 1. & 2. citans Æn. de Falcon. *de resign. q.* 1. *principali. n.* 2. sic si alicui detur exspectantia de beneficio vacante seu potius vacaturo, per vacationem simpliciter comprehenditur omnis modus vacandi. Garc. *l. c. n.* 6. sic si in supplicatione seu impetratione mentio fiat de vacatione simpliciter, nullo expresso vacandi modo, comprehenditur omnis casus seu modus vacandi. Barb. *l. c. n.* 75. Pirh. *ad tit. de conces. præb. n.* 28. Garc. *l. c. num.* 5. citans Rebuff. *in c. nulla. de conces. præb. præmisso.* 6. Mandos. *ad Lap. Alleg.* 6. *n.* 5. Mohed. *decis.* 10. *de præb.* Multóque magis hæc procedunt stante universitate verborum, seu ubi apposita esset in reservatione aliqua, aut in supplica clausula illa generalis: *quocunque modo vacet.* Gonz. *loc. cit.* Tond. *l. c. n.* 16. & 18. Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 64.

2. Respondeo secundo: nomine vacationis *in reg.* 8. venire tam vacationem de jure & facto simul, quàm vacationem de jure tantùm, & vacationem de facto tantùm. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *à n.* 45. & *maximè n.* 72. de quo vide dicenda *paulò post.*

3. Respondeo tertiò: in dubio vacationis appellatione intelligitur vacatio tam de jure quàm de facto, seu vacatio omnimoda. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 9. *arg. c. cum in nostris. de conces. præb.* unde etiam

4. Respondeo quartò: dum Papæ facienti gratiam narratur vacatio, is supponit beneficium vacare omnimodè, ac proinde terminum hunc indistinctè accipit pro vacatione omnimodâ, id est, tam de jure, quàm de facto. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 21. citans Host. *in c. cum nostris. n.* 1. & 5. *de conces. præb.* quia Papa nemini præjudicare intendit neque in possessione. Gonz. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. cap. cum nostris. n.* 4. Imol. *n.* 7. Butrio *n.* 6. nisi tamen fiat mentio de possessione alterius; tunc enim non aliter videtur intelligere vacationem beneficii, quàm de jure tantùm, neglectâ eâ possessione, & quæ consequitur, plenitudo de facto. Lott. *l. c. n.* 2.

5. Porrò in materia ambitiosa, qualis est impetratio beneficiorum, appellatione vacationes venire veram & non fictam, & qualificatam (qualis v. g. vacatio ficta est vacatio per obitum in regula de infirmis) ait Paris. *l.* 12. *q.* 10. *n.* 5. Et hinc im-

perra-

petratione per cessum vel de cessum non comprehendi vacationem per mortem civilem, v. g. per privationem, ait *n.* 26.

Quæstio 5. An, & qualiter expresso uno modo vacationis non veniant alii?

1. REspondeo: expresso uno modo vacationis, ut per obitum, non venit alius, ut per resignationem. Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 132. Chok. *ad reg.* 62. *n.* 2. Pirh. *ad lit. de Concess. præb. n.* 28. citans Laym. *in c. susceptum. de rescrip. in* 6. *n.* 2. (ubi etiam dicit, hanc doctrinam locum habere in gratia motu proprio principis concessâ, & in rescriptis aut concessionibus aliorum Ordinariorum) Garc. *p.* 11. *c.* 1. *n.* 8. citans præter quàmplurimos alios Mand. *reg.* 30. *q.* 7. *n.* 22. qui cum Franco dicit, id procedere, esto, in aliis modis vacationis sit fortior ratio (quamvis idem Garc. *loc. cit. n.* 77. asserat sibi probabilissimum videri, quod observat Dominicus *cons.* 52. *n.* 119. &, qui eum sequuntur, Ferret. *cons.* 304. nimirum in ordinario non procedere *cit. c. susceptum*; sed in uno modo expresso contineri alium, eò quòd in Ordinario, in quo non datur subreptio juxta Clement. 2. *de Offic. Ordinar.* & juxta quod docuerat ipse Garc. *p.* 8. *c.* 3. *n.* 3. modus vacationis expressus non videatur causa taxationis; sicut nec in Papa, quando providet motu proprio: pro quo postremo citat Franc. etsi contrarium sit, nempe procedat *c. susceptum.* in executore seu Commissario Papæ; sicut etiam in legato, utpote in quibus cadit subreptio:) C. Luca *de benef. d.* 36. *num.* 20. Lott. *l.* 3. *q.* 7. *à n.* 54. juxta *cap. susceptum*; cujus dispositionem hac singulari ratione niti, ait Lott. *nu.* 5. quia expressio modi vacationis respectu certi beneficii, & unius personæ propter implicitam negationem alterius modi, habet vim restrictivam ad illum ipsum modum expressum; proindeque non possit capi vacatio ex diverso modo, quin detur contradictio in objecto: nam si quis narret beneficium vacare per obitum Titii, constet autem, alium priùs resignâsse beneficium, impossibile est sustinere gratiam tanquam de vacante per obitum Titii; aitque sic eleganter docuisse Abb. *in c. significante. de rescrip. num.* 6. *&* 7. sic itaque qui obtinuit provisionem de certo beneficio tanquam vacante per obitum certæ personæ, illud non potest capere per resignationem illius personæ. Lott. *cit. n.* 54. similiter si mandetur alicui conferre beneficium vacans per adeptionem incompatibilis alterius, non potest ei conferri, quod vacat per matrimonium contractum. Pirh. *loc. cit.*

2. Porrò limitatur responsio variè à variis. Primò à Felin. *in c. in nostro. de rescrip.* Selva, Abb. &c. apud Garc. *l. c. num.* 84. ut procedat in materia odiosâ (qualis est impetratio beneficiorum) non verò procedat in materia non odiosa; sed in ea veniant omnes vacationes; licet exprimatur tantùm vacatio per mortem: quam tamen limitationem sublimitat seu distinguit Garc. *l. c. à n.* 84. hoc modo; quòd in literis ad beneficia, quæ ambitiosa reputantur, expresso uno modo vacationis non venit alter: item aliàs, etiam in dispositione hominis, dum verbum *vacatio* profertur ab homine, expresso uno modo non venit alter; etiamsi materia non sit ambitiosa, seu odiosa, sed favorabilis: pro quo citat Franc. Gigas. &c. nisi fortè fieret expressio, seu mentio de morte in casu, ubi eundem effectum operaretur mors civilis, quem naturalis: æquiparantur enim tunc, si materia sit favorabilis, mors civilis & naturalis; adeóque tunc expresso modo vacationis per mortem naturalem, veniret & vacatio per mortem civilem. Garc. *n.* 86. In dispositione verò juris, dum exprimitur certus modus, ut per mortem, etiam in materia odiosa veniant alii modi, dum militat in iis, ac in modo expresso, eadem ratio; secus si non militat eadem ratio.

3. Secundò limitatur à Felin. & Selva apud Garc. *l. c. n.* 10. quòd dum communis opinio est, quòd vacet beneficium uno modo, nempe illo, qui solus expressus est, excusetur impetrans (dum is est unicus non habens competitorem, qui impetravit idem beneficium, etsi posteriùs ex alio capite; quique se opponat ante completũ negotium, hoc est, ante adeptam possessionem) & impetratio non vitietur; etsi beneficium non vacet illo modo, qui expressus est. Verùm hanc limitationem Garc. *n.* 11. ait intelligendam, dum vacatio exprimitur ex persona illius, qui communiter reputabatur verus beneficiatus: de cetero communem opinionem non excusare impetrantem, si reverâ beneficium non vacarit modo expresso.

4. Tertiò limitatur ab eisdem Felin. Selv. & Mand. *ad reg.* 30. *q.* 7. *n.* 22. Menoch. *de arbit. l.* 2. *cas.* 201. *n.* 105. apud Garc. *l. c. n.* 15. ut procedat, nisi aliud appareat de intentione mandantis seu concedentis Papæ; de qua intentione Papæ constare volunt Mandos. & Menoch. ex verisimili conjectura; ut si talis sit impetrans, cui concessisset Papa etiam vacans alio modo, quàm expresso. Verùm id sibi displicere, ait Garc. *n.* 18. eò quòd vel sic dispositio *c. susceptum*, ferrè nunquam haberet locum; quoniam cui Papa concedit gratiam de beneficio vacante per unum modum, maximè difficiliorem, concederet ferè semper, etiam dum exprimeretur vacans per alium modum; cùm non sit major ratio in uno, quàm in alio: proinde ait Garc. *n.* 19. de hac intentione tunc constare, quando id ex aliquibus verbis literarum colligeretur; ut si scriberet motu proprio; ac præcipuè, si apponeret clausulam illam, sive alio quovis modo; hujus enim clausulæ præcipua vis est declarare intentionem Papæ non restringi ad unum illum vacandi modum expressum, sed extendi quoque ad quemcunque alium; ac ita salvari gratiã ab obreptione inducta per expressionem certi modi vacationis. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 61. *&* 62. Et hinc invectus est stylus ampliandi gratiam per adjectã dictam clausulam, seu adijci illa solet in impetratione beneficiorum. Lott. *ibid.* Chok. *loc. cit.* Barb. *juris Eccl. c.* 14. *n.* 77. Atque ita, dum in supplicatione expressus modus vacationis, & dum apponeretur dicta clausa *præmisso, sive quovis alio modo vacet*, comprehenditur omnis modus vacandi, sive directus sive indirectus, etiam accessorius. Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 134. Barb. *l. c. n.* 77. Chok. *ad reg.* 62. *n.* 20. citans C. Paris. *cons.* 33. *n.* 20. *l.* 3. Gemin. Casiador. &c. Capit proinde dicta clausula etiam vacationem per privationem. Garc. *loc. cit. num.* 32. citans Moh. *decis.* 2. *de sequest.* Paris. &c. unde etiam resignatarius in virtute dictæ clausulæ potest capere beneficium tum vacans per obitum alterius, quamvis resignans nullum jus in eo haberet. Garc. *n.* 33. citans Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 64. *&* 120. Mand. *de signat. grat. tit. de resign.* Mohed. *decis.* 5. *de præb. &c.* plura de hac clausula *quæst. seq.* illud circa illam hic observandum, quòd in provisionibus inferiorum collatorum

latorum non facilè admitti soleat dicta clausula, cadens in provisionibus Apostolicis. C. Luca. *de benef. d. 37. n. 21.* quamvis contrarium teneat Garc. *p. 11. c. 1. n. 75.* dicens verius esse, Episcopos & alios collatores posse in suis provisionibus uti dictâ clausulâ *quovis modo*, ut omnis modus, quo possunt conferre, contineatur; cùm non inveniatur prohibitum, citatque pro hoc Franc. *in c. suceptum. n. 10.* Cosmam. *in pragm. sanct. tit. de causis. v. alio quovis modo.* Puteum. *decis. 181. l. 3.* Rebuff. *in addition. recent. n. 16. &c.* idemque ait habere Lap. *alleg. 78. n. 14. de patronis.* addit etiam Garc. *num. 76.* verius esse, quòd collatores Papâ inferiores possint conferre, vacationis modo non expresso, & habere modum vacationis per expresso; citat pro hoc Rebuffum *in concordatis. tit. forma mandati. v. innodatus. de Electoribus. & conf. 73.* vide, quæ hanc in rem dicuntur ab eodem Garc. *n. 77. & 78.*

Quæstio 6. An, & qualiter elidatur vis dictæ clausulæ : seu præmisso, seu alio quovis modo vacet ?

1. REspondeo primò: hæc clausula, etsi, ut dictum, comprehendat omnimodum vacandi ex persona expressa; non tamen comprehendit modum ullum vacandi ex alia persona non expressâ, nisi addatur : *aut ex alterius cujuscunque persona vacet.* Chok. *l. c.* Garc. *l. c. n. 22.* citans Mand. *ad reg. 19. q. 17. n. 4. & conf. 4. n. 17.* Nav. *in c. si quando, de rescrip. excep. 2. n. 3.* Menoch. *ubi suprà n. 107. & 122.* Paris. *de resig. l. 8. q. 7. n. 65.* addit tamen Garc. *n. 23.* contrarium, nempe quòd dicta clausula propter verbum *vacet* comprehendat quoque modum vacandi ex alterius persona non expressa, & pro hoc citat Mohed. *decis. 2. de Offic. deleg. n. 2.* Paris. *ubi antè n. 126.* Idem sentire videtur Lott. *l. c. n. 66.*

2. Secundò: dictâ clausulâ comprehenditur solùm modus omnis vacandi de præsenti, non autem de futuro. Garc. *n. 25.* citans Mand. *cit. q. 17. n. 13.* Caputaq. *decis. 256. p. 2.* Paris. *ubi ante, n. 133.* contra Sarnens. *ad reg. de infirmis. q. 34.*

3. Tertiò: si datus fuit dispositivè certus modus vacandi, vi dictæ clusulæ non venit alius, sed ea restringenda ad istum modum, ita ut ad validitatem gratiæ in alio modo vacationis non suffragetur, & impetrans non possit capere ex aliis modis vacantia. Barb. *l. c. n. 79.* Lott. *l. c. n. 65.* citantes Cæsar. de Grass. *decis. 14. de præb. n. 8.* Garc. *l. c. n. 34.* juxta decis. Rotæ *in Caliagur. Thesauraria. 11. Januarii. 1578.*

4. Quartò vis illius clausulæ manet elisa ex contraria forma literarum, dum in illis Papa restringit gratiam ad unum aliquem certum modum vacandi. Lott. *loc. cit. n. 64.* contra Simonet. *de reserv. q. 61. n. 4.* adeò, ut hac in re nihil attentiùs consideretur, quàm forma ipsa literarū in restringenda vel amplianda hujusmodi clausula: quia sicut in impetrationibus certo modo consuevit restringi, seu elidi per dispositionem, ita in aliis consuevit ampliari, non solùm respectu modi, sed etiam personæ, & effectûs resultantis ex vacatione expressa Lott. *n. 66.* operatúrque ampliatio hæc in tota sua activitate, nisi vitium intrinsecum habeat; quia videlicet per dolum vel fraudem fuit extorta contra intentionē Papæ, quod tunc arguitur, ubi modus expressus omni modo est falsus; quippe hoc casu, ne prorsus dolus impetranti patrocinetur, tota gratia corruit. Lott. *n. 67.* siquidem hujus clausulæ usus non fuit excogitatus ad fovendā malitiam & fraudem, sed ad excusandā simplicitatem, & probabilem credulitatem ex communi reputatione, quando non potest dici prorsus falsum id, quod narratum fuit, si aliquo primordio veritatis nitatur. Lott. *n. 68. & 69.* citans Barb. *in Collect. ad c. susceptum. n. 14.* & Riccium *in Collect. 355. ad finem definit. 4. n. 9.* Hinc jam non licet proviso, dum arctatur justificare gratiam, vi hujusmodi clausulæ recurrere ad quemcunque vult vacationis modum; sed tunc demum, ubi justificavit saltem de facto modum narratum; quia ubi vacatio narrata non apparet justificata, saltem de facto, gratia est obreptitia, ac proinde frustra tunc recurritur ad clausulas ei insertas, quæ cum ipsa corruunt. Lott. *n. 70. & 71.* Garc. *loc. cit. n. 36.* ubi etiam, quòd ista duo bene stent simul, quòd beneficium vacet alio modo quàm narrato, & tamen vacatio narrata possit justificari, saltē de facto; quia ille, ex cujus persona vacatio narratur, habebat possessionem seu jus aliquod in beneficio; præmissâ autem hujusmodi justificatione de facto intrat effectus dictæ clausulæ, nec attenditur contradictio, ita ut, qui fuit provisus tanquam de vacante per resignationem, non impediatur capere vacans per obitum ejusdem personæ, & è contra. Lott. *n. 72.* citans Rotam *decis. 341. num. 2. l. 3. p. 3 diverf. & decis. 309. n. 2. in recent.* & Mohed. *decis. 2. n. 1. de Offic. deleg.*

5. Denique dicta clausula simpliciter concepta, seu nullâ factâ mentione alicujus reservationis, non capit modum vacandi, ex quo resultat reservatio, & præcipuè reservatio major, nempe per obitum in curia. Lott. *l. c. n. 76.* citans Rebuff. *in pr. in forma signaturæ. v. affectum. versu. 1.* Simonet. *de reserv. q. 14.* Mand. *ad reg. 19. q. 17. & 8.* Æn. de Falcon. *de reserv. q. n. 4. effectu 4. contra* Sarnens. *ad reg. de infirmis. q. 34. in principio.* Paris. *l. 8. q. 7. n. 131. & 132.* adeóque ut & ipse modus vacationis comprehendatur ex stylo curiæ, adijcitur & adijci necesse est hanc similémve clausulam: *seu quovis alio modo, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa, resultet.* vel: *non obstante quâcunque reservatione, etiam clausâ in corpore juris.* Lott. *n. 77.* Barb. *ad c. susceptum. n. 8. & 9.* ubi tamen illud observandum, quòd ubi resultat reservatio ratione mensis, non possit capi vacatio per obitum, nisi facta sit expressa mentio de mense, propter regulam mensium Lott. *l. c. n. 70.* citans Puteum. *decis. 3. super reg. mensium.* & Rotam *decis. 309. n. 3. p. 2. recent.* quòd si autem facta fuit mentio reservationis per dictam clausulam, *seu quovis alio modo*, absq; eo, quòd adijciantur cetera, venit omnis reservatio, seu vacatio omnis, qualiscunque demum ex ea resultet reservatio, præterquam vacatio apud Sedem seu in curia; eò quòd hæc specialem requirat mentionem. Garc. *loc. cit. num. 27. & 28.* citans Franc. *in c. 2. de præb. in 6.* Simonet. *cit. q. 4. n. 15. & q. 73. n. 1.* Gonz. *gl. 13. à n. 35.* contra Mand. qui vult venire etiam tunc vacationes apud Sedem: & Barb. *loc. cit. n. 77.* ubi remittens ad seipsum *tr. de clausulis. clausul. 162.* simpliciter ait, quòd per dictam clausulam: *vel quovis alio modo*: veniat quoque vacatio apud Sedem, & per resignationem. Procedit-que id (nimirum quòd factâ mentione reservationis per clausulam illam: *vel quovis alio modo*: veniat omnis reservatio) vel maximè, ubi adijcitur clausula: *ac dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs generaliter reservatum existat* : quæ clausula in literis Apostolicis apponitur, quando facta fuit mentio

dispo-

dispositivè, id est, purè & determinatè alicujus reservationis, & non exprimitur detentor, seu intrusus; dum aliàs solùm dicitur *ac dispositioni Apostolicæ specialiter reservatum existat.* Garc. *n.* 30. *&* 31.

Quæstio 7. *Qualiter verbum* vacare *usurpatum in hoc vel illo tempore comprehendat quoque alia tempora?*

1. REspondeo primò: usurpatum in præsenti quandoque etiam comprehendit futurum; ita ut beneficium nunc vacans dicat etiam in futurum vacare, sive vacaturum, & comprehendantur his terminis beneficia vacatura. Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm. n.* 64. Et è contra usurpatum in futuro comprehendit & præsens, ita ut verbum *vacabit* capiat etiam beneficium vacans. sic v.g. ex quo beneficium vacat tempore datæ regulæ 8. ab illo puncto vacabit etiam in futurum. Gonz. *n.* 65. citans gl. *in Clem.* 1. *de Conceff. præb. v. notitia.* Milium *in repert. v. verbum futuri temporis.* Felin. *in c. ad hæc, de rescrip. n.* 2. Old. *conf.* 310. *n.* 4. item *gl.* 11. *n* 50. *&c,* & sic verbum *vacatura* in materia reservationis capit tunc vacantia. Gonz. *loc. cit. n.* 66. item *gl.* 11. *n.* 52. citans Gloss. *in cap. postquam. v. vacaturam. de præb. in* 6. Gemin. Franc. & alios passim *in cit. c.* item Mand. *in reg.* 26. *de vacaturis post promotionem. in proœm. n.* 3. *&* 4. Simonet. *de reserv. q.* 74. *per tot.* Æn. de Falcon. *eod. tr. q.* 4. *effectu* 13.

2. Secundò: usurpatum in futuro comprehendit quandoque præteritum, quemadmodum verbum *erit* interdum etiam præteritum, & non solùm tempus futurum demonstrat, juxta *l. verbum erit. ff. de verb. signif.* & *ibidem* Mand. & verbum *oportebit* tam præsens, quàm futurum significat, juxta *l. verbum oportebit.* §. *fin. eod. tit.* Gonz. *cit. n.* 64. quamvis contrarium his, nimirum quòd verbum *vacaturum* non comprehendat & præsens *vacans* ex Put. *decis.* 48. *n.* 4. *l.* 13. tradere videatur Gonz. *cit. gl.* 11. *n.* 77. quare in his observandum, quod ait *cit. gl. in Clem.* 1. *de conceff. præb. v. notitia.* apud Gonz. *cit.* §. 5. *proœm. n.* 67. nimirum ante omnia considerandam esse mentem Papæ, ut sub verbo futuri temporis comprehendatur præteritum vel præsens, vel non comprehendatur.

Quæstio 8. *An vacatio de jure tantùm sufficiat ad hoc, ut beneficium provideri, & impetrari possit?*

REspondeo primò: dum beneficium ipsò jure vacat, ut ob promotionem vel ob crimen, potest illud statim (etiam ante sententiam declaratoriam criminis, & criminoso, vel promoto illud de facto adhuc occupante non citato; quia is jam amisit jus & titulum beneficii, quo ipsò jure privatus est. Paris. *loco paulò pòst cit.* Pirh. *ad tit. de Conceff. præb. n.* 27. citans Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 2. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 39.) tanquam vacuum impetrari & conferri. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *nu.* 24. (ubi, quòd suppositâ vacatione de jure, plenitudo resultans ex possessione alterius de facto non habeatur in consideratione ad effectum, ut sustineatur, vel corruat gratia, citat pro hoc Mand. *in addit. ad Lap. alleg.* 16. *n.* 1.) Barb. *Juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 69. Rebuff. *in pr. de modis amitt. benef. n.* 52. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 81. loquens de beneficiis promoti ad Episcopatum. Gonz *gl.* 15. *n.* 148. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *num.* 23. Chok. *ad reg.* 8. *n.* 23. sic etiam patronus præsentare potest ad beneficium, quod vacat de jure, licet non de facto. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 43. secus, si beneficiatus per sententiam est privandus. AA. iidem. sed neque, dum ipsò jure vacat beneficium, possessio conferri potest alteri, eo, qui ipsò jure illo privatus est, non vocato. Gonz. *cit.* §. 1. *num.* 40. Pirh. *l. c.* citans Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 26. *q.* 10. *n.* 12. Chok. *loc. cit.* quod ipsum tamen intelligendum esse tantùm de possessione coloratâ, ita ut si possessio colorata non sit, possessor talis vocandus non sit; eò quòd qui non habet possessionem coloratam, non censeatur possessionem aliquam habere, quæ in jure ullo modo consideretur, ait Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 25. *&* 26. Et si agitur de beneficio reservato (quo casu possessio intrusi notorie est decolorata propter decretum irritans) executor rectè procedit ad traditionè possessionis, tali intruso non vocato, & habetur illa possessio velut infecta pro vacua simpliciter. Lott. *ibid. num.* 33. citans Garc. *p.* 10. *c.* 1. *n.* 3.

Quæstio 9. *An sola vacatio de facto sufficiat ad effectum reservationis, potissimùm de qua loquitur regula* 8?

1. REspondet affirmativè Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 73. ac pro hoc affert plurima *a n.* 45. Primò decis. Rota 8. *de Elect. in antiq.* in qua resolutum, quòd reservatio facta de beneficio, quod obtinet, seu possidere, & detinere pergit Titius, postquam illo ipsò jure privatus, capiat dictum beneficium, ex quo de solo facto illud obtinet; eò quòd verba illa, *quæ obtinet*, nõ solùm intelligantur de obtentione juris, sed etiam de sola obtentione facti; quemadmodum, dum mandatur interdicto supponi terra alicujus Domini, extenditur mandatum ad terram, quam Dominus ille tenet de facto, & non de jure, juxta Archidiacon. *in c. fi. sententia. n.* 2. *de sent. excommunicationis. in* 6. Gonz. *cit. n.* 45. *&* 46. citans Simonet. *de reserv. q.* 5. *n.* 6. Æn. de Falcon. *tr. eodem q.* 4. *principali effectu* 18. Secundò: decis. Rotæ 12. apud Bilignet. *de præb. n.* 6. *&* 7. *in antiq.* in qua dicitur Papa declarâsse, quòd si ipse reservaret, vel conferri mandaret beneficium, quod obtinet Titius, non de jure, sed de solo facto, includatur in reservatione, quamvis de jure vacaret ex persona alterius. Gonz. *n.* 47. Tertiò: quòd ad verificandam narrativam vacationis sufficiat, illam probare de solo facto, & quòd, ut Rota *decis.* 4. *de permut. in novis*, volenti permutare sufficiat probare, quòd compermutans beneficium possidebat de facto, & pro beneficiato reputabatur. Gonz. *n.* 49. *&* 51. Quartò: quòd in *Clem.* 1. *ut lite pend.* probetur, quòd si duobus litigantibus super beneficio, uterque decedat, vacatio per obitum illius, qui decedit in possessione, nullâ habitâ distinctione, an bonum jus habuerit, attendatur. Gonz. *n.* 54. Quintò: quòd ad effectum, quòd quis possit conferre, præsentare &c. attendatur solùm, quis de facto possideat, non autem quis bonum jus habeat. Gonz. *n.* 57. Sextò: quòd verbum *obtinere* etiam verificetur in sola detentione de facto. Gonz. *n.* 58. similiter verbum *vacant.* verificetur in vacatione de facto, ut Gomes. Card. &c. apud Gonz. *cit. n.* 58. Et regulæ Cancellariæ reservantes beneficia familiarium & officialium Papæ locum habeant, & intret earum reservatio, licet verificetur vacatio de solo facto. Gonz. *n.* 59. citans Simonet. *de reserv. q.* 51. *n.* 4. 5. 6.

2. Atque ex his & similibus concludit Gonz. *n.* 62. *&* 72. regulam 8. intelligendam etiam de vacatione de facto tantùm, cum bina tamen limitatione:

Prima: ut non procedat hæc doctrina, seu non sufficiat vacatio de facto ad effectum reservationis; quando is, per quem beneficiū vacat de factò, erat violentus occupator, vel intrusus; & de hoc evidenter constat, eò quòd ex quo talis detentio adminiculo juris caret, considerari non debet. Gonz. *n.* 94. Secundà ut tunc demum procedat hæc doctrina, dum beneficium vacat de solo facto ex persona Titii; neque tamen jus seu titulus beneficii sit penes alium, præjudicaretur enim aliàs juri hujus tertii, dum is impediretur, ne permutare possit, & uti jure suo, si purè tantùm attenderetur ad vacationem de facto: Papa autē etsi pleniſſimam habeat in beneficialibus potestatem; liberiorem tamen habet potestatem in beneficio vacante, quàm pleno, saltem ex mente sua; quia non præsumitur velle præjudicare juri alterius. Gonz. *n.* 73. & *seq.* citatis pro hac limitatione Belenzino *de subsid. caritat. q.* 122. *nu.* 8. Cassad. *decis.* 2. *num.* 2. *de constitut.* Mand. *ad regulam* 3. *q.* 12. *n.* 6. *&c.* Veruntamen licèt juxta hanc doctrinam verum sit, intrare regulam 8. seu beneficium esse reservatum, dum habens jus in illo absque possessione moritur in mense Ordinario, habens verò possessionem ejusdem beneficii absque vero titulo seu jure in illo moritur in mense Apostolico, dum pergit adhuc vacare idem beneficium de jure, seu si nemini adhuc interea collatum; & in tantùm rectè dici in ordine ad reservationem considerari in hoc casu solam vacationem de facto; nihilominus & illud sequitur ex secunda hac limitatione, nunquam intrare reservationem illam, dum tantùm de facto vacat; sed tunc, quando vacat de jure & de facto simul, licet non vacet simul de jure ex eadem personâ.

Quæstio 10. *Qualiter vacatio, & modus vacationis sint exprimenda in impetratione & provisione beneficii?*

1. REspondeo primò: post expositam per supplicantem qualitatem beneficii in principio ipsarum precum positivè narranda vacatio, seu beneficium vacare per hæc verba: *cum vacaverit*, & *vacet ad præsens*: eò quòd in hoc uno præcipuè consistat honestas gratiæ, tam ex parte supplicis, ne videatur captare mortem alterius, quàm ex parte Papæ, seu concedentis gratiam; dum is jus unicuique suum integrum tanquam princeps optimus ex suo rescripto conservari vult, nec alicui præbere ansam ullam captandi mortem alterius. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 1. & 2.

2. Respondeo secundò: licet olim necesse non fuerit exprimere vacationis modum; sed tantùm vacationem in genere, factâ enim simpliciter mentione vacationis includebatur omnis modus vacationis juxta dicta superiùs. Chok. *ad reg.* 46. *Cancell. n.* 6. citans Gemin. *inc. susceptum. de rescrip. in* 6. *n.* 10. neque modò inspectâ juris communis dispositione id necesse sit. Toud. *qq benef. p.* 3. *c.* 130. *n.* 3. (dicens hanc juris communis dispositionem adhuc hodiedum observari in Gallia, ita ut ibi sufficiat exprimere in genere beneficium vacare, absque expressione certi modi vacationis) Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 72. Lott. *l. c. n.* 9. citans Lap. *alleg.* 6. *n.* 5. Staph. *de variis modis vac. n.* 5. Felin. *in* 6. *in nostra. de rescrip. n.* 37. *&c.* contra Mand. nunc tamen vi dictæ regulæ omnino necessarium est, ut nedū vacatio, sed & certus modus aliquis vacationis exprimatur, aliàs impetratio & provisio sit nulla. Chok. *loc. cit.* Lott. *num.* 12. cum communi. Idque non solùm in gratia, *neutri*; ut Rota *decis.* 24. *de rescrip. in novis.* Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 101. Felin. *in c. in nostra, de rescrip. n.* 37. & fusè Selva. *p.* 3. *q.* 12. *n.* 21. quos sequi videtur Toud. *l. c. n.* 16. sed in quacunque gratia provisivâ. Lott. *n.* 13.

3. Respondeo tertiò: dum plures sunt modi vacandi ejusdem beneficii, sufficit exprimere unam. Chok. *loc. cit.*

4. Respondeo quartò: dicta regula 46. Cancell. locum non habet, sive non est necessitas exprimendi certum modum vacationis, ubi providetur tanquam de devoluto; cessat enim hoc casu penitus ratio illius regulæ; quia Papa eo ipso, quòd positivè ei narretur devolutio, intelligit beneficium vacare de jure, in qua sola vacatione radicatur justitia gratiæ; modus autem vacandi, in quo posset latere præjudicium ipsius Papæ, respectu reservationis vel affectionis, non mutatur per ipsam devolutionem. Lott. *loc. cit. à n.* 143. Garc. *p.* 11. *c.* 1. *num.* 7.

Quæstio 11. *An, & qualiter exprimendus mensis vacationis?*

REspondeo: in omnibus gratiis beneficialibus narrari debet mensis vacationis, sub nullitatis pœnâ. *vi reg.* 8. *Cancell.* Gonz. *gl.* 32. *n.* 1. & *seq.* Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 79. ubi: quòd, ubi resultat reservatio ratione mensis, non possit capi beneficium ex vacatione per obitum, nisi facta sit expressa mentio de mense. Et dicta mentio dispositiva facienda est ad unguem pro forma substantiali, ita ut nec variari vel immutari possit, aut per æquipollens suppleri. Gonz. *loc. cit. n.* 17. ex Mand *de signat. gratiæ. §. provisiones. col.* 7. verùm de hac materiâ fusè satis, ubi explicavimus dictam *reg.* 8.

Quæstio 12. *An, & qualiter narranda non vacatio seu plenitudo beneficii de facto?*

REspondeo: exprimenda quoque, seu narranda hæc plenitudo, ubi nimirum vacante beneficio de jure, illud non vacaret de facto, sed aliquis illud possideret. *c. cum nostris. de Concess. præb.* ubi: quòd impetratio facta de beneficio, quod vacabat de jure per obtentionem secundi incompatibilis, non tamen de facto, quia semper erat occupatum, est subreptitia, ex quo non fuit facta mentio de possessione, seu detentatione. Gonz. *gl.* 15. *§.* 1. *n.* 9. *&* 65. ubi addit rationem; quia ista taciturnitas poterat forte retrahere Papam, vel saltem tardiorem reddere super concessione gratiæ. Quod tamen intelligendum de possessione colorata (qualis quoad præsens punctum reputatur ea, in qua datur instantia possibilis tituli validi, etiam ex dispensatione. Lott. *loc. cit. n.* 34.) secus videtur de possessione notoriè decoloratâ. Lott. *n.* 38. ubi quòd taciturnitas coloratæ talis possessionis inducat subreptionem gratiæ factæ tanquam de vacante secundū unum intellectū, qui communius probari videtur per DD. *in c. cum nostris. de Concess. præb.* præcipuè Jo. And. *n.* 16. Anchar. *n.* 7. Card. *n.* 9. Butrio. *n* 9. *&* 13. veruntamen Lott. *n.* 39. id (nimirum quòd gratia ex dicta taciturnitate reddatur obreptitia) referendum ait, non ad eam partem gratiæ, quâ Papa providit, seu defectum exurgentem ex hac taciturnitate non respicere substantiam gratiæ in articulo provisionis, adeóque ipsam provisionem contra hunc defectum sustineri, quod ait non advertisse AA. scribentes *in cit. c.*

cum

cum nostris, sed ad illam partem gratiæ, quâ dantur executores (datio enim hæc pars est gratiæ, juxta *c. si super gratia. de off. deleg. in 6.* cujus contrarium sentire videtur Garc. *p.* 10. *c.* 1. *n.* 70. & 73.) color siquidem ille possessionis non attenditur, nisi in ordine ad hunc effectum, ut mediante citatione possessoris ille excutiatur per executorem, priusquàm procedatur ad ipsam executionem. Lott. *nu.* 40. illud namque poterat movere, vel removere Papam in dandis executoribus sub una potiùs, quàm sub aliâ formâ, ne alioqui præcisè jubendo videretur velle de sua possessione justum possessorem dejici. At non potuit movere vel removere in providendo; quia cùm provisio fiat ex suppositione vacationis de tempore gratiæ, si suppositio hæc vera, est licet decutiatur color, & sic maneat nuda possessio de facto; utique hæc non est tanti, ut videatur movere potuisse Papam, quò minùs gratiam faceret. Lott. *n.* 41. citans Imol. *in cit. c. cum nostris. n.* 23. atque ita hodiedum coloratæ possessionis mentio omissa nullius est considerationis in ordine ad causandam nullitatem gratiæ: patet ex ipsa formâ executorialium; quæ sive expediantur sub forma hujus necessitatis expressivâ per clausulam: *amoto quolibet illicito detentore*: quæ clausula implicat mentionem possibilis coloratæ possessionis alterius. Lott. *n.* 44. & 45. citans Rotam *in Colonien. Canonic.* 20. *Maji* 1602. Auchar. Calder. &c. *in cit. c. cum nostris.* quin & ad tollendum omnem scrupulum usu receptum esse, ait Lott. *num.* 50. ut inter alias clausulas generales, quæ apponuntur in supplicationibus, hæc quoque ingeratur: *ut dicti defuncti, & aliorum quorumcunque provisiones, concessiones, institutiones, collationes & possessiones pro expressis habeantur &c.* quæ clausula vim habet expressivam coloratæ possessionis: sic quoque ait Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 67. hodie in omnibus literis apostolicis apponi plures clausulas, quæ supplent defectum dictæ taciturnitatis; nempe clausula: *dummodo non sit alteri jus quæsitum*: nec non clausula: *amoto quolibet illicito detentore*, ac propterea nemo soleat facere mentionem de intrusione alterius.

Quæstio 13. *Qualiter vacatio narrata beneficii sit verificanda?*

1. Respondeo primo: nisi beneficium vacet, ut narratum fuit, gratia nulla est; sive nihil concessum censetur. Lott *l.* 3. *q.* 8. *nu.* 42. omnia enim narrata habent vim conditionis: *veris existentibus prænarratis*: adeóque nisi verificentur, ruit gratia. Gonz. §. 4. *proem. n.* 78. sic v. g. si dispositivè narratus modus aliquis reservationis, seu devolutionis, nisi verificetur, gratia est subreptitia; quia Papa fuit deceptus. Gonz. *ibid. n.* 76. & 77. citans quàmplurimos; adeóque etiam, nisi verificetur vacare beneficium, prout narratum: quin & regula certa est, quòd omnis narrativa, quamvis aliàs necessaria non esset, debeat verificari; cùm sit pars gratiæ. Gonz. *gl.* 32. *n.* 57. citans Crescent. *decis.* 4. *de Concess. præb.* Mohed. *decis.* 8. *de rescrip.* Roman. *cons.* 32. *nu.* 2. Paris. *cons.* 130. *num.* 1. quòd si tamen non assertivè, sed dubitativè per verba: *forsan, forte, fortassis*, aut similia fuisset narrata vacatio, seu aliquis certus modus, non est opus verificare illum; cùm enim per tales dictiones nihil affirmetur, non est necessaria verificatio illius, quod per tales dictiones asseritur, juxta *l. in substantia. de vulg. & pupill. substitut.* Gonz. *gl.* 32. *n.* 11. similiter necessaria non est verificatio narrativæ, dum adhibita fuit dictio: *asseritur*, v. g. dicendo: *vacavit in tali mense, vel per obitum, prout asseritur*: consideratur enim talis narrativa, ac si facta non fuisset. Gonz. *loc. cit. n.* 12. & 13. citans Cæs. de Grassis. *decis.* 2. *de probationibus. n.* 4. Cassad. *decis.* 4. *n.* 9. *tit. eod. &c.*

2. Respondeo secundò: vacatio tempore datæ verificari debet. *c. eam. de rescrip.* Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 146. & *l.* 12. *q.* 14. *n.* 26. citans Ferret. *cons.* 283. *n.* 18. Old. *&c.* Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 41.

3. Respondeo tertiò: sufficit, vacationem narratam verificare de solo jure, ita ut per hoc vitetur subreptio. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *n.* 65.

4. Respondeo quartò: sufficit etiam justificare vacationem de facto, eo modo, quo in literis narratur. C. Luca *de benef.* D. 75. *n.* 16. dicens hanc esse in beneficialibus propositionem receptam. Tond. *p.* 3. *c.* 238. *nu.* 13. ubi: sufficit impetranti ex causa resignationis, quòd modus vacationis expressus fuerit verus de facto, licet non esset verus de jure, eò quòd v. g. qui provisus per collatorem Ordinarium, verè resignavit, quamvis jus non habuerit in beneficio resignato, & sic vacatio expressa esset de facto vera; sive ad verificandam narrativam vacationis in gratia beneficiali sufficit, illam verificare de solo facto, licet non verificetur de jure. Gonz. *gl.* 15. §. 1. *nu.* 49. citans Crescent. *decis.* 9. *de præb.* Caputaq. *decis.* 407. *p.* 2. & plures Rotæ *decis. ac præcipuè* 9. *num.* 10. *p.* 2. *divers.* ubi dicitur: ad verificandam narrativam gratiæ sufficere probatio facti carentis adminiculo juris: & *decis.* 208. *n.* 2. *p.* 1. *divers.* ubi idem dicitur, sed limitatur; nimirum ut secus sit, si ageretur de inferendo perpetuum præjudicium Ecclesiæ, ut in casu de mutando statu Ecclesiæ. Gonz. *ibid. n* 50. Garc. *p.* 11. *c.* 1. *à n.* 36. ubi variis Rotæ decisionibus probat, quòd ut vi clausulæ generalis: *vel alio quovis modo*: consequi quis possit beneficium ex alia vacatione, sufficiat vacationis modum dispositivè seu assertivè expressum verificari seu probari, saltem de facto; quamvis idem Garc. *num.* 80. dicat, existimare se tanquam certum, in collatore Ordinario apponente clausulam: *seu alio quovis modo*: non esse necessarium ullo modo verificare modum expressum, nequidem de facto; eò quòd in Ordinario non cadat subreptio, & modus expressus non videatur causa taxationis.

5. Respondeo quintò: quando plures modi vacandi æquè dispositivè, sed ex eadem persona alternativè narrantur, satis est alterum, seu unum verificari. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 14. Garc. *p.* 11. *c.* 1. *n.* 68. citans Mascard. *concl.* 1128. *nu.* 31. & plures Rotæ decis. in quibus dicitur, quòd vacatio narrata non est necessario verificanda, quando gratia non est restricta ad illam, sed narrat etiam aliam vacationem, saltem in genere dicendo: *aut aliàs certo modo*: & ideo sufficit unum verificare, nam in alternis sufficit verificare unum juxta reg. *alternativis. in 6.* dum verò plures modi vacandi narrantur copulativè, omnes debere saltem de facto verificari, tanquam verius asserit Garc. *loc. cit. n.* 49. ex Ægid. *decis.* 734.

Quæstio 14. *In specie, qualiter verificanda narratio mensis vacationis?*

1. Respondeo: nisi verificetur, saltem de facto, vacatio in mense narrato capi non potest beneficium, etiam ex clausulis generalibus: *sive alio quovis modo*: Garc. *loc. cit. n.* 55. juxta *decis.* Achill. *de Grassis.* 264. *sive* 1. *de præb.* quia tempus adjectum

est causa taxationis, ut dicitur *ibidem* ex Old. *cons.* 330. Et Papa, vel ejus nuncius faciliùs provident in mensibus suis, quàm quòd velint gravare Ordinarios collatores: quin & sola narrativa vacationis in mense reservato seu Apostolico dispositivè facta operatur, ut omnis gratia & ejus clausulæ restringantur ad reservationem; & non valet provisio, nisi verificetur reservatio, ita ut nequeat etiam suffragari clausula: *vel alio quovis modo*: utpote quæ tunc restringitur, nec contradicat expressis. Gonz. §. 4. *proœm. n.* 77. *& gl.* 32. *n.* 9. ubi: quòd effectus narrandi mensem dispositivè sit, quòd narrans præcisè teneatur ad verificationem illius, nec suffragentur clausulæ generales, prout dicitur de devolutione dispositivè narratâ, adeóque nisi probetur, corruunt clausulæ generales, & non capiunt aliam vacationem; quia dispositiva expressio facit restringi gratiam ad illum modum vacandi.

2. Proceditque idipsum non tantùm, quando beneficium vacasset in mense reservato (quo in casu contra Gonz. dictum fuit aliàs debere fieri mentionem mensis) nec aliàs esset reservatú aliâ reservatione. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 5. juxta *decis. Rotæ in Toletan. Canon.* 24. *Febr.* 1552. sed etiam dum expressus & narratus fuit mensis citra necessitatem eum exprimendi v. g. quando beneficium aliàs, quàm ratione mensis reservatum erat: etsi enim tunc necesse non erat exprimere mensem; quia tamen illum expressit, tenetur verificare juxta *decis. Rotæ immediatè ante cit.* & aliam *in Sutrina Parochial.* 8. *Iunii.* 1588. apud Garc. *n.* 59. Item procedit (nimirum quòd verificari debeat dispositivè narratus vacationis mensis reservatus) etiamsi non daretur concursus alterius provisi ab Ordinario, vel ab alio prætendente ad se spectare, qui se opponeret. Garc. *n.* 63. Gonz. *gl.* 32. *n.* 55. Rota apud eosdem *in una Cordub. beneficii.* 21. *April.* 1559. tenente contrarium; eò quòd, dum Papa in literis facit mentionem de mense vacationis, v. g. per obitum, id facit tum respectu Ordinarii, ne illi irrogetur injuria, tum respectu *regulæ* 8. requirentis expressionem mensis, adeóque non apparente provisione Ordinarii, cùm per expressionem mensis sit satisfactum regulæ, videtur Papæ intentioni satisfactum; cùm ipse voluerit conferre beneficium, quomodocunque vacaverit. Gonz. *gl.* 11. *n.* 106. & *gl.* 32. *n.* 54. quamvis, ut addit Garc. *cit. n.* 62. idemque tradit Gonz. *gl.* 11. *n.* 104. opus tum non sit plenâ justificatione seu probatione, sed sufficiat semiplena; cùm non agatur tunc de præjudicio alterius, neque Ordinarii providentes, neque ab eo provisi: & provisio Papæ tunc valere potest non solùm ex capite reservationis, sed etiam ratione præventionis. quod idem admittit Gonz. *gl.* 11. *nu.* 99. dum agitur de levi præjudicio.

3. De cetero, verificatio & probatio vacationis narrati mensis debet esse plena & concludens; dum agitur de probanda vacatione in certo mense ad effectú reservationis; cùm tunc agatur de gravi præjudicio tam collatoris Ordinarii, quàm provisi ab illo; utpote qui, constito de contingentia vacationis in mense reservato, aliave reservatione ob alium certum modum vacationis, erit privandus. Gonz. *cit. gl.* 11. *n.* 100. citans Ferret. *cons.* 2. *nu.* 13. *vol.* 1. Bald. *cons.* 68. *nu.* 1. *l.* 3. (ubi, quòd quando agitur de excludendo aliquem à possessione, non sufficit probatio obitûs per famam, sed debet esse plena.) Cresc. *decis.* 4. *de præb. num.* 2. & Rota *in Urgal. beneficii.* 12. *Maii.* 1603. neque in hoc casu, nimirum talis præjudicii, relevat aliquid, quòd Papa narraverit reservationem in Brevi, si aliàs non probetur. Gonz. *gl. cit. num.* 102. citans Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *in præf. n.* 508.

4. Limitatur tamen hoc ipsum; nisi vacatio esset difficilis, ut contingit, dum quis mortuus in mari, vel inventus mortuus in sylva; tunc enim sufficit minor probatio de mense reservato vacationis. Gonz. *cit. gl.* 11. *nu.* 103 præter alias Rotæ decis. citans etiam 731. *p.* 2. *divers.* ubi etiam declaratur, qualis probatio in tali casu sufficiat, de quo vide dicenda à nobis §. *seq.* Limitatur secundò; dum adest aliquis intrusus non docens de titulo; tunc enim minor sufficiet probati. Gonz. *loc. cit. n.* 107. citans plures Rotæ decis. Tertiò dum gratia non fundatur tantùm in reservatione, sed etiam potest sustineri ex alio capite; puta, quia Papa prævenit Ordinarium collatorem; tunc enim necessaria non est plena probatio mensis narrati, quamvis adsit intrusus, & doceat de titulo Ordinarii. Gonz. *loc. cit. n.* 110. citans Rotam. *decis.* 46. *nu.* 1. *juncto n.* 3. *p.* 2. *divers.* & *in una Placentina Canonic.* 1. *Mart.* 1599. Quartò (quod tamen timidè & sub dictione *forsan* tradit. Gonz. *nu.* 111.) dum gratia principalis in omnibus aliis fuit verificata; tunc enim etsi probatio quoad mensem vacationis reservatum non sit omnino plena, debet sustineri. citat pro hoc Rotam *in Calagurit. beneficii* 22. *Mart.* 1602. addit tamen Gonz. *n.* 112. *in fine*, se non audere recedere à regula generali, & putare se, adhuc non sufficere probationem non plenam vacationis in mense reservato.

Quæstio 15. *An, & qualiter, etiam independenter à narratione vacationis factâ, probanda sit vacatio in ordine ad hoc, ut beneficium impetrari possit?*

1. REspondeo primò: vacatio, etiam simpliciter considerata, non præsumitur nisi probetur. Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 47. citans Bellam. *decis.* 349. *n.* 1. probatur autem etiam per solam famam seu aliàs semiplenè; quia non agitur de magno præjudicio; quia si is, per cujus obitum, vel contractum matrimonium dicitur vacare, vivit, vel non contraxit matrimonium, collatio erit nulla, & ipse retinet suum beneficium. Gonz. *ibid. n.* 75. citans Masc. *de prob. concl.* 1075. *n.* 1. *&c.*

2. Respondeo secundò: tempus verò vacationis quoad effectum reservationis est plenè probandum. Gonz. *loc. cit. n.* 76. Corrad. *in pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *n.* 48. licet enim Papa, ubi Ordinarius collator non habet alternativam, habeat menses 8. adeó ij duplo plures, quàm Ordinarius, & vel hinc facilior & verisimilior sit vacatio in uno ex 8. mensibus Apostolicis, quàm in aliquo ex 4. Ordinarii. Gonz. *gl.* 11. *n.* 36. non tamen, non solùm non præsumitur reservatio ratione mensis, seu contigisse vacatio in mense Apostolico, sed etiam concludenter probari debet, ut provisus à Papa obtinere possit. Gonz. *n.* 37. citans Put. *decis.* 266. *n.* 3. *l.* 4. Rotam. *decis.* 46. *n.* 3. *p.* 2. *divers.* quia Ordinarius & provisus ab eo fundat intentionem suam in jure communi, juxta C. *ex frequentibus. de instit.* & dicta à nobis aliàs. Et sublatâ reservatione *regul.* 8. Episcopus possit providere liberè in omnibus mensibus, consequens est, quòd provisus ab Ordinario aliud nihil probare teneatur, nisi anterioritatem suæ collationis in jure communi fundatam, & quòd

quòd onus probandi reservationem ratione mensis spectet ad provisum Apostolicum, fundantem se in vacatione in mense Apostolico. Gonz. *ibid. n.38. & seq.* unde etiam habens facultatem providendi beneficia reservata ob vacationem in mense Apostolico, seu reservato in aliqua diœcesi vel urbe, ad hoc, ut valeat ejus provisio, tenetur probare vacationem contigisse in mense Apostolico, aliàs excluditur provisus ab illo. Gonz. *n.42.* citans Put. *decis. 35. l. 1.* & additionatorem ad Simonet. *tr. de reserv. q. 3. n. 6.* vide dicenda inferius, ubi de probando obitu narrato.

Quæstio 16. Qualis debeat esse vacationis notitia in ordine ad hoc, ut censeatur elapsus terminus, datus ad præsentandum & conferendum?

REspondeo: debet esse indubitata; ubi enim tractatur de puniendo negligentiâ alicujus, non sufficit scientia præsumpta, etiam ex eo, quod publicum est. Lott. *l. 2. q. 6. n. 24.* citans Put. *decis. 142. n. 2. l. 1.* Lap. *alleg. 78. n. 12. &c.* quatenus autem hæc scientia vacationis pendet ex arbitrio judicis, is in statuendo desuper considerare debet qualitatem beneficii, modum vacationis, locorum distantiam, & ex his omnibus arbitrabitur scientiam, vel ignorantiam vacationis. Lott. *loc. cit. n. 25.* citans Jo. And. *in c. ex parte. de conces. præb. n. 2.* Abb. *in c. diversitatem. tit. eod. n. 7.*

Quæstio 17. An vacatio inducatur ex persona habente solum jus ad beneficium?

REspondeo negativè. Gonz. *gl. 15. §. 2. à nu. 2.* Lott. *l. 3. q. 8. nu. 132.* citans Vitalin. *in Clem. 1. ut lite pend. nu. 47.* Put. *decis. 144. nu. 1. l. 1. &c.* Siquidem, ut desumatur vacatio ex parte personæ, oportet ex parte ejusdem personæ fuisse plenum, quale non dicitur nisi respectu illius personæ, cui de eo facta est canonica institutio. Lott. *cit. n. 132. junctò n. 16.* sic v. g. dum præsentatus ante institutionem, electus ante confirmationem moritur in curia, non intrat reservatio, AA. iidem. Paris. *de resign. l. 7. q. 1. n. 85.* ubi: quòd si electus talis moriatur in curia Rom. per ejus obitum non vacat beneficium, neque in curia, neque extra illam, sed per obitum primi; per electionem enim vel præsentationem, cùm non acquiratur jus perfectum, non dicitur plenum beneficium, nec extincta prima vacatio, sed adhuc vacat beneficium ut priùs, & ideo non vacat per obitum electi, vel præsentati. Gonz. *loc. cit.* citans *gl. fin. v. collatio, in 6. penult. de præb. in 6.* Rot. *decis. 6. n. 2. de elect. in novis.* Navar. *cons. 17. de celebratione miss. n. 2.* Covarr. *in qq. pract. c. 36. nu. 7.* Pavin. *de post. cap. sede vac. præl. 7. n. 16. &c.* Et licet eo momento, quo defungitur electus vel præsentatus, redintegretur tempus datum electoribus ad eligendum, & patronis ad præsentandum, juxta *c. si electio. de elect. in 6.* & ad hoc reputetur quasi nova vacatio, ut Rota apud Put. *cit. decis. 194. ad finem.* attamen in effectu nihil prorsùs de novo vacat de jure vel de facto, juxta Seraph. *decis. 1446. à num. 1. & 2.* & Rotam *in Aquitanien. Prioratûs. 21. Febr. 1625.* Lott. *loc. cit. n. 133.* Similiter dum is, cui collatum beneficium, moritur ante ejus acceptationem, non vacat beneficium ex persona illius. Lott. *n. 137.* Gonz. *nu. 6.* citantes Old. *cons. 57.* durare siquidem pergit prima vacatio, cùm per collationem, donec absens illam ratam habuit, jus in beneficio, ut suum dicat valeat, non tribuatur, juxta *c. si tibi absenti. de præb. in 6.* Gonz. *loc. cit.* & provisio consumens præcedentem vacationem non aliter effectuatur, quàm si concurrat consensus provisi. Lott. *nu. 139.* Idem statuendum, dum moritur is, qui habuit gratiam seu mandatum simplex de providendo in formâ *dignum.* Gonz. *loc. cit. n. 1.* & plenius *nu. 56.* Lott. *n. 138.* citantes Rotam *in Burgens. Canonic. 28. April. 1597.* Cùm enim eâ formâ nondum verificatâ & executâ, ex persona impetrantis possit contingere, ut is propter incapacitatem & insufficientiam rejiciatur, non potest videri interea jus illi aliquod quæsitum in beneficio, adeóque ex persona illius induci vacatio. Lott. *cit. n. 138.* Adde quòd forma *dignum* (sub qua dantur literæ pro his, de quorum habilitate nullum Papæ exhibetur testimonium) non dat provisionem, sed mandatum de providendo, & inter eam & provisionem est differentia, qualis est inter venditionem, & promissionem de vendendo, quæ promissio nullũ dominium transfert. Lott. *n. 139. & 140.* ex Cassad. *decis. 1. n. 6. ut lite pend.* Idem est in cæteris casibus, in quibus acquiritur solum jus ad beneficium, quorum decem assignant AA. Gonz. *loc. cit. n. 1.* qualiter autem inducatur vacatio ex persona commendatarii perpetui, qui non tantùm jus in beneficio habet, vide *quæst. seq.* Porrò inducitur vacatio ex persona habentis jus tantùm ad beneficium, non tantùm in ordine ad effectum, ut intret reservatio *reg. 8.* sed etiam quo ad alios effectus, & in specie etiam in ordine, ut intret reservatio *regulæ 3. & 31.* etsi in dictis regulis apponantur verba illa: *seu ad quæ jus eis competit, vel competierat.* Gonz. *cit. §. 2. nu. 4.* citans Mand. *in reg. 3. & 81. q. 13.* & Rotam *decis. 427. n. 4. & 5. p. 1. divers.* contra Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. effectu. 47. n. 1. & n. fin. &c.*

Quæstio 18. An, & qualiter induci & concurrere possit duplex vacatio, præcipuè ex eadem persona?

1. REspondeo primò: impossibile est ex una, eademque persona duas induci vacationes. Lott. *l. 3. q. 15. n. 8.* & beneficium, quod vacat ex persona unius, non potest ex eadem persona rursus vacare, non superveniente post primã vacationem novo titulo. Paris. *de resign. l. 12. q. 14. nu. 35.* Gonz. *gl. 15. n. 145.* ubi: quòd si beneficium vacavit ex uno capite, non potest postmodùm vacare ex alio sequente (intellige respectu ejusdem personæ) cùm fuerit jam jus totum ab illa abdicatum aut ablatum, & consequenter ex sequente capite nihil potest vacare; cùm tunc nihil juris ampliùs habuerit in beneficio. Militat enim hic communis regula: quòd prima vacatio impediat sequentem. *c. susceptum. de rescrip. in 6.* Lott. *cit. nu. 8. & q. 14. n. 62. eod. l. 3.* Gonz. *gl. 15. nu. 144.* sic, v. g. dum quis, postquam ipso jure privatus est beneficio ob contractum matrimonium vel crimen, antequam dimitteret possessionem beneficii illius, moreretur, beneficium illius, quod jam vacaverat per admissionem criminis, vel contractum matrimonium non vacat denuo per obitum illius. Gonz. *loc. cit. num. 143.* nisi fortè vacatione de facto, de quo hic non quæritur; sed solùm petitur, utrum duplex vacatio ejusdem generis, v. g. dum utraque est vacatio de jure, concurrere possit.

2. Sic dum infirmus resignans moritur ante vigesimum

gesimum diem post factam resignationem, non datur duplex vacatio, una ex resignatione, altera ex obitu resignantis, sed una tantùm per obitum. Lott. *l. 3. q. 15. n. 20.* citans Sarnens. *in reg. 18. Cancell.* Seu in *reg. de 20. seu de infirmis. q. 35.* Put. *decis. 105. n. 2. l. 2.* sed neque in hoc casu dici posse, dari resignationem unam veram, nempe per resignationem, & alteram fictam ex principis decreto; nempe per obitum talis resignantis ante vigesimum diem, probat *ibid.* Lott. *à n. 9.* ex eo, quòd impossibile sit non tantùm in naturalibus, sed & civilibus cum fictione (quæ nullum habet aliud subjectum, quàm assumptum indubitatæ falsitatis pro veritate, ut liquet ex ejus definitione apud Bart. *in l. si is, qui pro emptore, n. 21.* & Jason *ibid. n. 168. de usucap.*) concurrere posse ipsam veritatem; adeóque ut Lott. *nu. 14.* si in hoc casu sustineatur actus resignationis, adeóque ex ea secuta vera vacatio, non datur terminus habilis pro inducenda fictione vacationis per obitum; cùm fictio, tametsi contra veritatem intendatur perpetuò, versetur nihilominus circa possibilia, ut Alciat. *de præsumpt. p. 1. in principio. n. 2.* & Menoch. *tr. eod. q. 8. n. 7. & 32.* vide de his pluribus Lott. *l. c. à nu. 30.* & dicenda à nobis infrà.

3. Sic ex obitu commendarii etiam perpetui (tametsi in perpetuo concedatur jus percipiendi reditus, illosque vertendi in usus proprios, & sic videatur commenda hæc sortiri vim provisionis; & licèt videatur adhuc titulus imperfectus, imperfectio tamen illa non consideretur respectu plenitudinis ipsius beneficii, quod jam detinetur ab eo ex titulo Canonico, sed respectu cujusdã plenioris provisionis retentæ in mente Papæ commendantis beneficium. Lott. *l. 3. q. 8. n. 126. & 128.*) aut aliàs ex cessatione commendæ non inducitur nova seu secunda vacatio de jure, sed antiqua quasi reviviscit. Lott. *l. c. n. 123. & nu. 91.* ubi: quòd, quamvis beneficium commendatum per mortem commendatarii ita vacare censeatur, ut impetrari possit, tamen quod pertinet ad personam commendatarii id necessariò referendum est ad vacationem de facto distinctam à vacatione de jure, quæ semper eadem est, quæ priùs; citat pro hoc Put. *decis. 22. nu. 4. & per tot. l. 1.* quia tamen hæc vacatio juris ut priùs respectu ipsius tituli conservatur, simúlque datur ex persona commendatarii vacatio de facto; per hoc non excluditur, quòminùs ex cessatione ipsius commendæ perpetuæ jam resultet vacatio solida, id est, tam de jure, quàm de facto simul. Lott. *cit. n. 123.* Verùm de hoc quoque alibi.

Quæstio 19. Qualiter consumatur vacatio?

1. REspondeo primò: non consumitur per provisionem in formâ *dignum* ante examen, & approbationem, seu executionem. Lott. *l. 3. q. 8. n. 134.* Tond. *p. 1. c. 87. n. 21.* & constat ex dictis *paulò antè.*

2. Respondeo secundò: neque consumitur per provisionem de facto, hoc est, illegitimam, & de jure nullam. Lott. *l. 3. q. 20. n. 119.* sic etiam non consumi vacationem per præsentationem, etiam subsecutâ institutione (idem est de collatione) contra mentem fundatoris tradit Tond. *loc. cit. n. 20.* quidquid sit de eo, ut ibi Tond. num cesset per talem provisionem vacatio in ordine ad tollendam reservationem. Sic etiam per provisionem apostolicam, v. g. factam per legatum ipso jure nullam, non consumitur vacatio. Tond. *loc cit. n. 23.*

3. Respondeo tertiò: neque per legitimam, seu collationem de jure necdum acceptatam (idem est de electione ante confirmationem & præsentatione ante institutionem, ut constat ex dictis paulò antè) sed, tum demum, ubi est acceptata collatio, Lott. *l. 3. q. 14. n. 61.* & plenius *l. eod. q. 1. n. 19.* Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 31.* idque etiam ante captam possessionem. Gonz. *ibid.* citans Gomes. *ad reg. de triennali. q. 3. n. 2. & 3.* Simonet. *de reserv. q. 55.* Put. *decis. 146. n. 4. l. 2. &c.* Item ante literarum expeditionem (etiam, dum ante eam moritur provisus) exspirat prior vacatio per signaturam supplicationis (modò tamen subsecuta sit acceptatio, ut monet Lott. mox citand. *n. 19. & seq.*) Cùm per hanc, tanquam Papæ rescriptum gratia sit perfecta. Lott. *l. 3. q. 1. n. 16.* citans pro hoc *n. 18.* Mand. *ad reg. 27. q. 13. n. 4.* Simonet. *loc. cit. n. 11.* Garc. *p. 4. c. 2. n. 14. &c.* ac dicens sic perpetuò sensisse Rotam, etsi Cancellaria opinetur contrarium, Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 32.* subdens tamen *n. 33.* hæc intelligenda, quando supplicatio est registrata, & parti tradita; eò quòd priùs non detur jus aliquod considerabile quæsitum, & de facili possit talis supplicatio signata lacerari: citat pro hoc Gomes. *ad reg. de non tollendo jure quæs. q. 20. in fine.* Paris. *de resign. &c.* & quidem exspirat post dictam signaturam ante expeditas literas prior vacatio cum omni effectu, etiam respectu vinculi reservationis aut affectionis prius injecti beneficio. Lott. *loc. cit. n. 17.* ita ut, si provisus à sede Apostolica de beneficio reservato post signaturam & registratam supplicam decedat extra curiam in mense ordinario, possit Ordinarius collator de illo beneficio disponere. Gonz. *loc. cit. n. 34.* juxta dicta ab eod. *gl. 15. §. 1. n. 34.* Secus tamen dicendum, nimirum vacationem non consumi ex tali rescripto seu signaturâ, etiam secutâ acceptatione & registratâ supplicâ, si in supplicatione (ut fieri solet, quando rescribitur, etiam pro præsente in curia) adjecta esset clausula: & committatur in formâ *dignum*, sive dum rescriptum esset in forma *dignum*, Lott. *l. 3. q. 8. n. 141.* citans Bellam. *decis. 608.*

4. Respondeo quartò; vacationem non consumi per commendationem beneficii. Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 20.* infertur & constat ex dictis *q. præcedente.*

5. Respondeo quintò: per unionem beneficii cum alio validam consumitur, seu extinguitur præcedens vacatio, quin & tollitur in futurum. Lott. *l. 3. q. 8. n. 85. & 86.* per unionem siquidem ingreditur vacatio, & in consequens collatio, ita ut unioni nihil magis repugnet, quàm suppositio status collativi. Lott. *l. 1. q. 28. n. 164.* & unitum beneficium nunquam dicitur vacare. Gonz. *gl. 15. §. 7. n. 7.* sed neque, si semel facta validè unio dissolvatur denuo, reviviscit prior beneficii vacatio, quâ vacabat ante unionem factam, utpote quæ jam semel consumpta est in perpetuum, non secus ac ipsum beneficium unitum absolutè deductum ab esse ad non esse per dictam unionem extinctivam tituli beneficii. Tond. *cit. n. 24.* Lott. *cit. q. 8. n. 88.* sed quemadmodum per dictam dissolutionem unionis factæ in perpetuum consurgit novum, sed aliud beneficium, ut Felin. *in c. cùm accessissent. de constitut. n. 33.* & auctores communiter *in clem. ultim. de rescrip.* Lott. *l. 2. q. 8. n. 88.* ita etiam consurgit nova ejus vacatio: è contra, suppositâ & declaratâ nullitate dictæ unionis, perseverat semper prior seu antiqua vacatio. Gonz. *gl. 15. §. 2. nu. 79.* Lott. *l. 3. q. 8. num. 87.* Tond. *p. 1. c. 87. num. 24.* citans Seraph. *decis. 1309. n. 2.* sic quoque per unionem seu suppressionem beneficii, quæ non est in perpetuum

petuum, adeóque non exstinctiva tituli, uti non extinguitur penitus beneficium, ita nec prior ejus vacatio; unde per dissolutionem unionis, seu revocationem talis suppressionis non creatur novum beneficium; ita nec nova consurgit ejus vacatio, sed prior potiùs, hoc sublato suppressionis temporalis impedimento, reviviscit: videtur manifestè inferri ex iis, quæ tradit Lott. *l.* 2. *q.* 8. *n.* 85.

Quæstio 20. *In specie quàmdiu duret, seu per quid consumatur vacatio Sedis Episcopalis seu Abbatialis?*

REspondeo: quamvis de jure communi desinat vacare per confirmationem, institutionem, seu provisionem à sede Apostolica factam. Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 80. citans gl. in clem. 1. *ut lite pend. v. collatio.* Pavin. *de off. & post. cap. sede vac. prælud.* 7. *n.* 16. Felin. *in c. cum Bertholdus. de rejudicat. n.* 3. *&c.* ita ut per confirmationem, vel provisionem papalem acquiratur exercitium jurisdictionis ante apprehensionem possessionis. Gonz. *ibid. n.* 81. citans gl. communiter receptam *in c. penult. de præb. in 6. v. collatio.* Baisius. *de elect. p.* 3. *c.* 44. *n.* 4. Abb. *in c. transmissum. de elect. nu.* 2. *&* 3. hodiedum tamen non cessat dicta vacatio, donec literæ confirmationis, institutionis, aut provisionis Apostolicæ sint expeditæ & præsentatæ capitulo, seu Conventui, cujus prælati sedes vacabat, ut expressè disponitur per *extrav. injuncta. de elect. inter communes.* Gonz. *loc. cit. nu.* 83. citans Rebuff. *in pr. de Simon. resign. n.* 31. *&* 40. ac *nu.* 84. subjungens juxta hæc debere intelligi DD. dicentes, quòd literæ debeant esse expeditæ, ut non dicantur Ecclesiæ vacare, ac Episcopus possit administrare, licèt de præsentatione literarum mentionem non faciant: licèt enim simpliciter loquantur, quòd nulla sit necessaria expeditio literarum, non tamen per hoc excludunt transportationem, ostensionem, & præsentationem literarum, ex quo ad id probandum allegant *cit. extrav. injuncta*, quæ decretum irritans continet, & graves pœnas non solùm contra utentes jurisdictione, sed etiam contra capitulum, & conventum admittentem ad possessionem, seu jurisdictionis executionem ante dictarum literarum præsentationem: sed de his plenius alibi, ubi de electi & confirmati potestate.

Quæstio 21. *An, & qualiter vacent beneficia manualia & regularia?*

REspondeo: beneficia manualia vacare per obitum: item vacare posse per resignationem, tradit Paris. *l.* 11. *q.* 3. *n.* 93. Vacare item ipso jure per amotionem seu revocationem ad nutum conferentis illa, tradit *ibid.* Paris. & Gonz. *gl.* 15. *num.* 96. sicut & vacare beneficium de cetero non manuale per obitum Papæ, dum is contulit illud ad beneplacitum suum, tradit *ibid.* Gonz. *nu.* 93. Et beneficium aliàs ex natura suâ perpetuum collatum per Papam ad certum tempus, vacare eo ipso termino elapso, asserit *num.* 94. Veruntamen in manualibus uti non datur verus titulus, ita non dari vacationem astruit Card. de Luca. *de benef. d.* 96. *n.* 18. citans pro hoc Greg. *decis.* 48. *num.* 5. & Rot. *decis.* 245. *n.* 3. *p.* 6. *recent.* quod tamen ipsum limitat *n.* 19. dum ait, intelligendum de vacatione vera & propria ad effectus juris, illum præsertim reservationis vel affectionis; de cetero namque impropriè, ac largo modo ea dici vacare de facto per per mortem naturalem vel civilem, vel per remotionem.

Quæstio 22. *An, & qualiter vacet beneficium de mensa, beneficium unitum, & beneficium Ecclesiæ non numeratæ?*

1. REspondeo ad primum: beneficia de mensa non sunt vacabilia, seu non dicuntur vacare, Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 88. citans gl. communiter receptam *in Clem. unicam. de suppl. negl. prælator.* & ibi Imol. *n.* 42. Card. *n.* 5. Vital. *n.* 101. & AA. passim. Gonz. *gl.* 5 §. 6. *n.* 64. *&* §. 7. *n.* 21. And. Vallens. *de benef. l.* 3. *tit.* 12. *n.* 2. ubi: quòd beneficium vacare per obitum, fallat in iis beneficiis, quæ sunt mensæ prælati, vel dignitatis, vel capituli annexa, &c. Quia illa non vacant per mortem eorum, qui illis inserviunt: nam licèt illis fructus concedantur, non sunt tamen propriè illorum Rectores & beneficiati, sed veluti usufructuarii; quibus proinde mortuis ejusmodi beneficia tanquam usus fructus mensæ, cui unita sunt, consolidantur. Porrò quæ dicantur propriè beneficia de mensa Prælatorum, Capitulorum, vel singularum dignitatum & præbendarum, vide apud gl. *in Clem. unic. de excess. prælat. v. Ad mensam.*

2. Respondeo ad secundum: beneficium unitum nunquam dicitur vacare. Gonz. *cit.* §. 7. *n.* 7. citans Gomes. *ad reg de triennali. q.* 8. *n.* 2. Paris. *cons.* 31. *n.* 10. *vol.* 4. Mand. *ad reg. de infirmis. q.* 10. *n.* 2. quod intelligendum de unito in perpetuum; quippe hoc mediante unione desinit esse, seu ejus titulus extinguitur. Gomes. *ibid. à n.* 2. de quo nos alibi: de unitis verò ad tempus, sive unione non exstinctivâ tituli dictum est supra, quòd dissolutâ unione pergant vacare vacatione antiquâ. Stante autem illâ unione temporali, nō videntur propriè dici posse vacare, nisi ad summum vacante principali beneficio, cui accessoriè unita, seu vacatione vacantis illius beneficii principalis.

3. Respondeo ad tertium: beneficia seu præbendæ Ecclesiæ receptitiæ, seu non numeratæ (id est, in qua non est certus præbendarum numerus, sed secundùm secuturam supercrescentiam beneficiati crescunt vel decrescunt. Gomes. *loco paulò post citando. n.* 1.) Et si sint vera beneficia, ut Gomes. *ibid. n.* 2. non sunt vacabiles. Lott. *loc. cit. n.* 82. citans *c. dilecto. de præb. &c. ex parte. de conces. præb.* Felin. *in c. cum accessissent. n.* 1. Gomes. *gl.* 15. §. 2. *n.* 19. *& gl.* 9. §. 3. *n.* 10. ubi: beneficia in Ecclesiis non numeratis nunquam vacant; sed confestim ut titularius decedit, supprimuntur, expirant, cessant, & esse desinunt juxta Tex. *c. dilecto. de præb.* & ibi AA. communiter, & in specie Imola. *n.* 7. Butrio. *n.* 8. Abb. *n.* 8.

Quæstio 23. *Quamdiu vacare possint aut debeant beneficia?*

REspondeo primò: Ecclesiæ Cathedrales & regulares ultra trimestre vacare non debent; aliæ autem prælaturæ, dignitates & beneficia ad semestre, quod tempus eorum provisioni concessum est. *c.* 2. *conces. præb.* vacare possunt. Laym. *ad c. ne pro defectu. de elect. n.* 1. ubi etiam rationem hujus discriminis assignat; nimirum, quòd beneficiati, etiam Ecclesiarum collegiatarum Prælati, spectato jure communi, non exercent jurisdictionem in Clericos, sed ea Episcopo competit; at verò regulares prælati, tametsi exempti non sint, jurisdictionem Ordinariam & generalem exercent

ercent in religiosos suos, saltem in causis spectantibus ad vota religiosa, observationem regulæ, & domesticam disciplinam, juxta. *c. ad aures. de temp. ordinat.* Porrò eandem constitutionem *c. ne pro defectu.* extendi quoque debere ad Ecclesiarum Collegiatarum Prælatos illos, qui & ipsi ordinariam & generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ jure speciali exercent, ob identitatem rationis, & intentionem legislatoris (quæ in isto *c. ne pro defectu.* fuit, ut Ecclesiis viduatis, seu pastore & sponso destitutis tempestivè provideatur, ne detrimentum aliquod patiatur) probabiliter censet Laym. *loc. cit. n. 2.* citans Abb. *n. 5.* & Imol. *n. 2. in cit. c. ne pro defectu.* & gl. *in c. quia propter. de elect. v. Ecclesiis viduatis.* Porrò qualiter dictum trimestre capitularibus restringi possit, & qualiter computandum, dictum est *in part. præced. de electione.*

Quæstio 24. Quandonam, seu quo tempore dicatur beneficium vacare?

REspondeo: tempus vacationis propriè & communiter loquendo: (qui communis usus loquendi semper attenditur & præfertur verborum proprietati, juxta *l. cum de lanionis. ff. de fundo instructo:*) est illud, in quo possessor beneficii cedit vel decedit, ita ut dum dicitur: beneficium vacavit de tali tempore, semper intelligatur de principio vacationis, non autem de processu temporis, ex quo vacatio duravit. Gonz. *gl. 11. n. 66.* quem in finem notandum, quod ait gl. *in clem. 1. de conceff. prab. v. notitia.* & cum illa Gonz. *gl. 11. n. 54.* aliud esse, vacare beneficium, & aliud vacationem durare: sic namque vacationis tempus momentaneum est & indivisibile, seu vacatio contingit in unico instanti & momento temporis, nimirum quo decedit possessor, vel etiam dum vacat ipso jure in ipso puncto, quo v. g. contrahit quis matrimonium, emittit professionem, vel committit delictum. Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 66.* citans Chok. *ad reg. 8. gl. 7. n. 23.* Gonz. *gl. 15. n. 141.* durat verò & continuatur tempore reliquo, quo illud beneficium non est denuo plenum seu provisum. Gonz. *ibid. & n. 37.* sic v. g. *Reg. 8.* seu mensium loquitur tantùm de tempore seu momento vacationis, quo illa primò contingit; non autem de continuatione illius, ne aliàs beneficium idem ex una eâdemque vacatione vacare dicatur in pluribus diversisq; mensibus, Apostolico & Ordinario; dum, v. g. possessor obit in mense Apostolico, & durat hæc vacatio etiam mense Ordinario. Gonz. *ibid. n. 55.* & sic quòad reservationem consideratur tempus vacationis, non autem tempus, quo duravit seu continuata est vacatio. Gonz. *ibid. n. 66.* & *gl. 24. n. 112.*

Quæstio 25. Vbinam, seu in quo loco contingere censeatur vacatio?

1. REspondeo primò: in genere, vacare censentur beneficia in loco, ubi est persona ultimi possessoris beneficii; quando agitur de vacatione, quæ originem ducit à facto negativo, v. g. quòd quis intra annum non fuerit promotus, ita ut si persona non promota tempore inductæ vacationis fuerit in curia, beneficium censeatur vacare in curia, si fuerit extra curiam, dicatur vacare extra curiam. Tond. *in quæst. benef. p. 2. c. 3. §. 2. n. 33.* citans Rebuff. *in p. 2. tit. de non promot. intra annum.* Garc. *p. 5. c. 1. n. 78.* si verò agatur de vacatione ducente originé ex facto positivo (intellige vi cujus ipso jure inducitur vacatio; secus enim est, si vi illius sit privandus ab homine, seu per sententiam. Garc. *loc. cit. n. 75.* ut constabit ex paulò pòst dicendis, v. g. ex delicto consistente in committendo, beneficium dicitur vacare in illo loco, ubi actus ille gestus est, ob quem inducitur privatio à jure, seu etiam à speciali decreto. Tond. *loc. cit. n. 34.* Garc. *loc. cit. n. 79.* subdens *n. 80.* sic beneficia hæreticorum vacare in partibus, ubi commissum delictum, & non in curia, ubi lata sententia; cùm vacent ipso jure, & conferri possint, etiam ante sententiam: quamvis hodiedum beneficia ob hæresin sint reservata Papæ per *constitut. 29. Pii V.* & eatenus vacent in curia, juxta dicenda paulò pòst.

2. Respondeo secundò in specie: vacatio dicitur contingere in loco, ubi persona moritur. Gonz. *gl. 15. §. 1. n. 42.* Lott. *l. 3. q. 15. n. 59.* quia persona habet jus, & jus sequitur personam. AA. iidem ex Imol. *in clem. 2. ut lite pend.*

3. Respondeo tertiò: ibi dicitur vacare beneficium, ubi apprehenditur possessio (nempe ob quam captam vacat beneficium aliud, seu prius incompatibile) hinc attendendus est locus, ubi procurator exercet illud ministerium, nempe capiendi possessionem. Gonz. *gl. 15. §. 2. num. 10.* citans Vitalin. *n. 73.* Card. *n. 18.* Imol. *n. 19. in clem. 1. ut lite pend.* sic, si existens in curiâ, & habens beneficium requirens personalem residentiam, fuit provisus in partibus de alio simili beneficio, illiusque collationem acceptavit, & mediante procuratore illius possessionem sumpsit, adeóq; ipso jure jam vacet primum ejus beneficium, beneficium hoc dicitur vacare in partibus, ubi accepta possessio secundi, & non in curia. gl. *in clem. 1. ut lite pend. v. collatio.* cum qua sentire videtur Gonz. *cit. n. 10.* contra Archid. Et dum opponitur, talem quòad primum beneficium fingi esse mortuum, adeóque vacare illud in curia; quia nemo potest mori, nisi ubi personaliter est, respondet eadem gl. talem non verè sed fictè esse mortuum quoad primum beneficium, & fictionem illam trahi ad loca, ubi capta possessio secundi. Gonz. *cit. n. 10.* ubi etiam subdit ex mente ejusdem gl. aliud esse nimirum beneficium illud primum dicendum vacare in cura, si possessio illa capta non fuisset per procuratorem, sed per amicum vel gestorem, & postea esset ratificata per existentem in curia; quia ante ratificationem non vacat, sed in ipso momento ratificationis, & sic in curia.

4. Respondeo quartò: in illo loco dicitur vacare beneficium, in quo quis passus est privationis sententiam. Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 18.* citans Simonet. *de reserv. q. 26. n. 1.* Pavin. *de off. & pot. cap. sede vac. prælud. 7. n. 8.* Mand. *ad reg. 32. q. 8. n. 13.* contra Gomes. *ad reg. de impetrantibus benef. vacant. per obit. famil.* Cardin. *q. 7. n. 8.* sic, si in curia præsens, privetur in partibus beneficio suo, dicetur beneficium vacare in partibus, & non in curia. Gonz. *cit. n. 18.* è contra si quis absens à curia privetur beneficio in curia per sententiam, vel alio quovis modo legitimo, dicetur beneficium vacare in curia, & non in partibus. Gonz. *nu. 16.* citans Abb. *in c. ad petitionem. de accusationib. not. ab. 3.* & Felin. *ibid. n. 2.* Gamb. *de pot. leg. l. 3. n. 124.*

5. Respondeo quintò: ibi vacare dicitur beneficium, ubi contrahitur matrimonium; sic v. g. si beneficiatus existens in curia contrahat per procuratorem matrimonium in partibus, beneficium dici-

dicitur vacare in partibus, & non in curia; quia in loco, in quo est procurator & mulier, est mutuus consensus, & ibi fit matrimonium, & sic perficitur vacatio, ac consequenter, si matrimonium fit contractum in mense Apostolico, intrabit reservatio *regulæ* 8. Gonz. *cit. gl.* 15. §. 2. *n.* 15. citans Vitalin. *in clem.* 1. *ut lite pend. n.* 70.

6. Respondeo sextò: ibi contingit vacatio beneficii, ubi illud resignatur. Paris. *l.* 1. *q.* 4. *nu.* 50. dicens esse communem opinionem ab omnibus receptam, ac citans pro eâ gl. *in clem.* 1. *ut lite pend. v. collatio.* Vitalin. *in clem. unic. de renunc. nu.* 40. Simonet. *de reserv. c.* 31. Rebuff. *in p.* 2. *tit. forma signat.* & plures alios. Ratio est, quia quoad beneficium resignatum resignans dicitur mori eo loco, ubi facta resignatio, & ideo non attenditur locus, ubi resignans moritur, vel de beneficio litigat. Paris. *ib. n.* 51. citans C. Paris. *cons.* 10. *n.* 2. *vol.* 4. Unde jam si beneficia fuerint resignata coràm Ordinariis, dicuntur vacare extra curiam in locis, ubi fit cessio. Paris. *cit. n.* 50. nisi fortè fieret resignatio in manibus proprii Episcopi resignâti fortè præsentis in curia, tunc enim diceretur beneficiũ resignatum vacare in curia, etiam dum dicta resignatio fieret permutationis gratiâ. Gonz. *gl.* 13. *nu.* 43. citans Covarr. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 9. secus iterum esset, si resignatio fieret coram Ordinario ultra duas dietas à curia; tunc enim diceretur vacare extra curiam, seu in partibus à pari illius, quod tradit Paris. *l.* 10. *q.* 6. *n.* 66. quòd morienti beneficiato ultra duas dietas à curia non vacet beneficium in curia. Porrò procedit responsio primaria, etiamsi resignatio fiat per procuratorem, dicitur enim vacare beneficium, ubi facta est cessio per procuratorem. Paris. *cit. nu.* 50. citans Vitalin. *ubi ante.* Archid. *in c. licet. ut lit. pend.* item *l.* 9. *q.* 14. *n.* 1. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 75. sic, si beneficium existens in partibus ab existente in partibus per procuratorem in curia Rom. resignetur, dicitur vacare in curia, & non in partibus, ubi constitutus procurator, seu confectum mandatum ad resignandum. Gonz. *loc. cit. n.* 11. citans Imol. *in clem.* 1. *ut lite pend.* Paris. *cit. q.* 14. *nu.* 1. citans Rebuff. *in pr. tit. de procurat. ad resign. n.* 2. Fusc. *de visit. l.* 2. *c.* 21. C. Paris. *cons.* 10. *num.* 1. *vol.* 4. Bellam. *de permut. rer. p.* 8. *q.* 3. *n.* 8. *&c.* Pari modo beneficia ex permutatione facta per procuratores vacant, non in loco, ubi constituti ad hoc procuratores, aut ubi domini constituentes morantur, sed in loco, ubi fit permutatio. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 22. *q.* 15. ubi etiam quod contrarium sit dum amicus vel alius beneficium meum resignasset vel permutasset, & ego id dein ratum habuissem, nempe vacare beneficium ibi, ubi istam resignationem ratam habeo.

7. Respondeo septimò: beneficia reservata per *extrav. ad regimen. de prabend. inter communes.* & per *extrav. execrabilis. eod. tit.* dicuntur vacare in curia. Gonz. *gl.* 13. *nu.* 46. & latiùs *gl.* 52. quin & omnia beneficia affecta seu reservata dicuntur vacare in curia. Gonz. §. 5. *procem. n.* 141. & *cit. gl.* 13. *n.* 46. citans Calder. *cons.* 9. *in fine. de prob.* Simonet. *de reserv. q.* 30. *n.* 4. Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 4. *in principio. effectu* 1. *num.* 1. *&c.* de cetero, quid sit, & quæ beneficia dicantur vacare apud Sedem vel in curia, & quod inter hæc duo discrimen, dictum est alias: vide de hoc fusè Gonz. *cit. gl.* 13. *ferè per tot.* illud solùm observa, & infer ex dictis, beneficia dici vacare apud Sedem seu in curia, non solùm per obitum in illa, sed etiam quando ibi fit renuntiatio vel privatio, aut si ibi alii modi vacationis inducuntur. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 73. citans Simonet. *de reserv.* 28. *n.* 29. 30. & ibi Granut. Gamb. *de off. leg. l.* 3. *n.* 124.

8. Respondeo octavò: in dubio beneficium præsumitur vacare in illo loco, in quo beneficiatus habebat domicilium; hinc si beneficium requirebat residentiam personalem, ibi præsumitur vacâsse, ubi beneficium consistebat: (quemadmodum enim maritus cum uxore habitare præsumitur, *c.* 1. *qui matrimon. accus. possunt.* ita clericus in Ecclesia sua residentiam facere præsumendus est. *c. ex tuæ. de cleric. non resid.* & *ibi* Abb. Alciat. *de præsump. reg.* 3. *præsumpt.* 35. *n.* 1. Mascar. *concl.* 1277. *n.* 3. quos citat & sequitur Gonz. *gl.* 15. §. 2 *n.* 29. *&* 30:) si verò residentiam non requirebat, præsumitur vacatio contigisse in loco, in quo beneficiatus ordinariam habitationem habebat. Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 25. vacat enim beneficium, ubi persona moritur, ut dictum, præsumitur autem quis mori, ubi degere solebat; cum abtisse non præsumatur, ut Old. *cons.* 229. *n.* 3. Gonz. *l. c. n.* 26. *&* 27. adde, quòd præsumatur contingere in diœcesi, ubi beneficium consistit. Gonz. *gl.* 32. *n.* 47.

PARAGRAPHVS II.

De vacatione per mortem naturalem.

Quæstio 26. *An per mortem naturalem vacet beneficium?*

REspondeo: primus ac præcipuus vacationis modus est per obitum & mortem naturalem. *c. susceptum, de rescrip. in* 6. & ibi gl. & DD. communiter. Gonz. *gl.* 15. *nu.* 3. cum communi; mors enim omnia jura solvit. *auth. de nuptiis.* §. *deinceps. collat.* 4. quod usque adeò verum est, ut etiamsi beneficiatus miraculosè resurgeret à mortuis, nullum jus ad recuperandum beneficium haberet. Gonz. *ibid. n.* 6. Castrop. *de benef. D. 6. p.* 1. *n.* 1. citans Barb. *de pot. Ep. alleg.* 57. *n.* 199. non tamen vacant per mortem naturalem, utpote nullo vacationis modo vacabilia beneficia accessoriè in perpetuum unita alteri. Item beneficia de mensâ, & beneficia Ecclesiæ non numeratæ. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Pirh. *ad tit.* 8. *l.* 3. *n.* 24. juxta dicta à nobis §. *præced.*

Quæstio 27. *Quid veniat, vel non veniat nomine* mortis: *quid nomine* mortis naturalis?

1. REspondeo ad primum: Primò, Mortis appellatione in jure non venit aliud quàm hominis interitus. Lott. *l.* 3. *q.* 10. *n.* 1. neque enim venit deportatio, neque condemnatio ad mortem. Lott. *ibid. n.* 2. *&* 3. sed neque mors civilis reperitur seu datur in jure. Lott. *n.* 7. ex Rebuff. sed id nomen magistrale est à magistris juris inventum. Lott. *ibid.* ex Eman. à Costa, ad significandâ mortem fictam, ratione nimirum alicujus æquiparationis in casibus, in quibus eundem effectum, quem mors naturalis, operatur. Lott. *n.* 8. *&* 9. citans Præpos. *in c. in apibus.* 7. *q.* 1. *n.* 2. Old. *cons.* 248. *n.* 4. *&c.* Idem dicendum de voce *decessus*, & verbo *decedere*, ut propriè mortem naturalem significet. Lott. *n.* 10. *& l.* 3. *q.* 9. *n.* 4. *&* 5. Item de voce *obitus*, quâ frequentius utimur in

concipiendâ ſupplicatione,& quæ nuſquam trahitur ad mortem civilem ſeu fictam. Card. de Luca. *de benef.d.16.n.10.*(ubi etiam,quòd vocabulum *obitus* frequentius adhibeatur ad diſtinctionem vocabuli *mortis*, ſub quo tanquam latiori mors civilis etiam venit,juxta *deciſ.Rot.543.n.2.p.2.recent*)Lott. *cit. q.10. n.11. & 12.* Porrò ut in his omnis prorſus exterminetur nedum æquivocatio , ſed & aliter interpretandi occaſio, narrativam per congeriem quandam terminorum expreſſivorum mortis naturalis ſic concipi & efformari ait Lott.*n.14.per obitum quondam N.illius,dum viveret, ultimi poſſeſſoris, extra curiam Rom.tali menſe defuncti.* quippe dictio *quondam* relata ad hominem ſeu perſonam,denotat eam inter mortales eſſe deſiiſſe. *c. cum contra.de pignor.*Lott. *n.15.* Idem apertius ſignificant verba illa,*dum viveret*,& terminus ille,*defuncti*; defunctum enim eſſe idem eſt , ac diem ultimum obiiſſe , & diem obire pro *mori* ſumitur.Lott.*n.16.& ſeq.* Unde &, cùm literæ expediuntur, dicta clauſula ſic conſuevit extendi: *per obitum dicti N. qui extra curiam Rom.de tali menſe diem clauſit extremum,vacavit, &c.* extremus enim dies mortem eandem naturalem ſignificat.Lott.*n.21.& 22.*

2. Secundò: de cetero ſub nomine *mortis* venire ſolet mors etiam civilis,quando nomen mortis exprimitur à lege,ſecus ſi ab homine; in diſpoſitione enim hominis mortem naturalem ſolùm attendere debemus.Card.de Luca *loc.cit.n.7.& 8.* ubi etiam, quòd cùm regulæ Cancellariæ inducentes reſervationes non clauſas in corpore juris,hominis potiùs (Papæ nimirum pro tempore exiſtentis , qui eas edere ſolet duraturas pro tempore vitæ ſuæ,& poſt mortem ſuam exſpiraturas)quàm legis diſpoſitionem contineant , dum nomen *mortis* ſimpliciter uſurpant,intelligendæ ſunt de morte naturali. Hic tamen etiam notanda doctrina generalis , quam tradit Laym.*in c.ſuſceptum.de reſcrip.in 6.* ex Suar. *de LL. l.8.c.28.*ſpectandam nimirũ materiam ſubjectam,eò quòd ad illam accommodari ſolent verba, & præcipuè ſpectandum,an ſit materia ambitioſa, vel etiam periculoſa,ex qua ſumi poſſit occaſio ad multiplicandas lites vel peccata; ut nimirum tunc verba coarctentur: præterea circumſtantias omnes cauſarum , perſonarum attendendas diligenter eſſe; quia hæc omnia conferunt tum ad ſignificationem verborum, tum ad mentem principis intelligendam.Et ſic juxta hæc,ut ait *ibid.*Laym. *n.3.* reſolvi poſſe:ſi à fundatore mandatum, vel à Capitulo aliquo legitimè ſtatutum ſit,v.g.ut poſt mortem alicujus beneficiati perſona talis qualitatis ſubſtitueretur,vel perſona ſubſtituta in locum defuncti tale onus aut commodum ferre deberet;num idem quoque extendi deberet ad eos, qui in beneficio ſuccedunt per reſignationem ; ſe autem arbitrari, non poſſe regulam generalem tradi , ſed ex materia ſubjecta,& ex circumſtantiis , ut dictum, colligendum fore , quæ mens fuerit ſtatuentium; quippe qui ſæpè ad juridicam verborum acceptionem non exactè ſolent attendere, & interdum unam ſpeciem vacationis,nempe per mortem, quæ communiter accidere ſolet,nominare : ut tamen idem quoque in aliis ob rationis identitatem fieri volunt juxta doctrinam Sanch.*l.7.de matrim.d.8.n.13.* quòd verba poſita in diſpoſitione ob frequentiorem uſum eam non reſtringant.

3.Reſpondeo ad ſecundum primò: Mors civilis nuſquam æquipollet naturali(niſi in caſibus in jure exceptis,Laym.*in c.ſuſceptum.n.9.* ubi etiam juxta gl.*in l.ex ea parte.§. inſulam.ff. de verb. ſignific.* quòd appellatione mortis intelligatur mors naturalis , non civilis) neque ſub nomine mortis naturalis unquam venit civilis,niſi in caſibus, in quibus ita reperitur expreſsè in jure cautum. Card. de Luca *loc.cit.n.6.*citans Old.*conſ.284.in fine.*Anchar.*conſ. 273.in principio.*Fagnan.*in c. perpetuæ.de ſimon.n.16.* & Rot.*deciſ.543.n.1.p.2.recent.*

4.Secundò : tametſi mors illa naturalis pluribus contingat modis,quatenus tamen omnes illi modi tendunt ad unum eundemque effectum, nimirum ſeparandi animam à corpore,ſinguli dicuntur, ſeu ſemper dicitur mors naturalis, largo ſaltem modo. Lott.*cit.q.10.à.n.24.* unde licèt mors naturalis ea propriè dicatur, quæ ex cauſa naturali intrinſeca, nullâ extrinſecâ adhibitâ vi incurritur,Lott.*n.28.* illa verò violenta, quæ illatâ tali vi extrinſecâ, adeóque quodammodo contra naturam,& ex cauſa aliena quàm propriæ naturæ infertur.Lott.*à n.29.* venit tamen appellatione mortis naturalis, prout hoc contra civilem & fictam mortem diſtinguitur; & ſic damnatus pœnâ capitis, poſt ejus luitionem dicitur mortem naturalem obiiſſe. Lott. *n.32.* ex Baldo,ubi etiam ſubjungit ex eodem Bald. *conſ.8, n.2.& 3.l.1.*quòd ea mors, quæ infligitur juſſu magiſtratûs in executionem legis, etſi in ea contingat coactio ab agente extrinſeco,contraria propriæ naturæ & voluntati,non tamen adhuc dicatur violenta in hoc ſenſu, quòd non homini ſed legi attribuatur (lex enim reum, non homo occidit.S.Auguſt.relatus *in c.ſi homicidium.23.q.5.*) lex autem nihil violenter agere intelligatur; ſed tunc demum inferatur violentia , quando ſine lege quis impellitur,*c. quos Deus. 33.q. 2.*

Quæſtio 28. Quid in genere requiratur, ut beneficium vacet per obitum alicujus?

REſpondeo; vacat per obitum, etiam habentis ſolum jus in beneficio, conſtat ex dictis ſuprà. ſic vacare dicitur per obitum habentis collationem acceptatam ſinè poſſeſſione. Gonz.*gl.15, §.1.n.31.* citans Nav.*de orat.c.7.n.29.* Pariſ.*l.10. q.6.n.54.* Rebuff.*conſ.48.nu.1.&c.* è contra non vacat per obitum præſentati nõ inſtituti &c.Barb. *juris Eccl.l.1.c.19.n.239.*conſtat item ex dictis ſuprà. Nihilominus vacatio per obitum decedentis in poſſeſſione attenditur ad effectum juris conferendi. Gonz.*gl.15.§.1.nu.54.* ſic juxta Tex. *Clem.1. ut lite pend.* dum duo litigant ſuper beneficio , & uterque decedit,vacare cenſetur per obitum illius, qui decedit in poſſeſſione , nullâ habitâ diſtinctione, num bonum jus habuerit, nécne, utgl.*in cit. Clem.v. poſſidebat.* & ibi communiter omnes.Gonz. *cit.n.54.* quia ſemper poſſeſſor præſumitur Dominus, quando de dominio incidenter agitur, juxta *l.2.c. de probat.* Gonz. *nu.55.* citans ſeipſum *§.3. proœm.à n.55.* Item attenditur dicta vacatio in ordine ad reſervationem ſeu effectum regularum Cancell. tertiæ.4.5.6. Gonz. *cit. §.1. n.59.* ubi, quòd dictæ regulæ locum habeant,& intret earum reſervatio, licèt verificetur vacatio de ſolo facto; citátque pro hoc Simont. *de reſerv.q.51.n.4.& ſeq.*

Quæſtio 29. An vacet beneficium per mortem Commendatarii,ſaltem perpetui?

REſpondeo negativè,ſed ſemper vacat ut priùs, ita ut non ſit attendendus menſis, in quo obierit Commendatarius, Gonz. *gl.15.§.2.n.19.* & pleniùs

pleniùs *gl. 5. §. 8. nu.* 48. dicens sic semper servasse Curiam, Cancellariam, & Cameram Apostolicam, & citans pro hoc Nav. *cons.* 28. *de præb.* Rebuff. *in pr. tit. de commenda. n.* 51. Gomes. *ad reg. de trienn. q.* 5. Gamb. *de pot. leg. l.* 4. *n.* 34. *&c.* verùm de hoc satis dictum suprà.

Quæstio 30. *An, & qualiter vacet beneficium per obitum privati beneficio?*

REspondeo: si post privationem ipso jure moriatur privatus, antequam dimittat possessionem, non vacat beneficium per obitum illius, sed per professionem, contractum matrimonium, aliámve causam, ob quã ipso jure privatus est beneficio: prior enim vacatio, ut dictum, impedit sequentem. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *nu.* 67. secus est de privando, v. g. ob delictum per sententiam; vacat enim beneficium per obitum illius, dum moritur post contractum crimen, ante latam sententiam; sed de hoc quoque satis suprà.

Quæstio 31. *An, & qualiter vacet beneficium per obitum habentis jus ad regressum beneficii dimissi?*

REspondeo: si quis moriatur, antequàm regrediatur ad primum beneficium, quod dimisit ex causa permutationis, dum beneficium ei datum non est certum, dicitur beneficium illud vacare per obitum illius, quamvis alius id possideat. Gonz. *gl. 15. §.* 1. *n.* 32. & *gl. ead. §.* 2. *n.* 39. citans Lap. *n.* 1. Anchar. *in fin.* Gemin. *nu.* 9. Franc. *n.* 3. *in c. Si beneficium. de præb. in* 6. vide de hoc eund. Gonz. *à n.* 39.

Quæstio 32. *An, & qualiter per obitum vacet beneficium manuale, vel etiam aliàs collatum ad beneplacitum conferentis?*

1. REspondeo ad primum: manuale vacare per obitum habentis illud. Paris. *l.* 11. *q.* 3. *n.* 94.

2. Respondeo ad secundum: beneficium collatum ad beneplacitum, vacat per mortem conferentis. Gonz. *gl. 15. num.* 93. utrumque juxta dicta ante.

Quæstio 33. *An, & qualiter vacet beneficium per obitum resignantis?*

1. REspondeo primò: vacatio per obitum & per resignationem æquiparantur in multis, & in ordine ad plures effectus. Paris. *l.* 1. *q.* 6. *n.* 15. juxta DD. *in c. susceptum. de rescrip.* v. g. in ordine ad pertinentiam fructuum, dum beneficii simpliciter resignati fructus spectant ad eos, ad quos spectarent, si vacarent per obitum, nempe ad successorem. Paris. *ibid. n.* 14. Item ut statim post resignationem (intellige simplicem) possit provideri, ac alia circa illud remedia adhiberi, ut in beneficiis, quæ vacant per obitum. Paris. *l.* 1. *q.* 7. *n.* 5.

2. Respondeo secundò: differunt tamen quamplurimùm inter seu vacatio per obitum, & vacatio per resignationem; & quod vacavit per resignationem, non potest dici verè vacare per obitum (intellige resignantis) cùm ad positionem unius excludatur alterum, juxta *c. susceptum. de rescrip. in* 6. Burtatt. *cons.* 394. *vol.* 4. & alios. Paris. *l.* 12. *q.* 9. *n.* 5. Tondut. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2.

3. Respondeo tertiò: secundùm plures morientе resignante intra 20. dies, dabitur quidem vacatio per obitum, sed ficta seu interpretativa, non vera; quia Papa facere non potest, quòd resignatio, quæ verè & realiter facta fuit, facta non sit; potest tamen facere, ut moriente resignante intra 20. dies, beneficium censeatur vacare per obitum illius, & quòd quoad hoc resignatio habeatur pro non facta, juxta *gl. in Clem.* 1. *de immunit. Eccles.* Et hunc vacandi modum per obitum fictum esse, indicare videtur ipsa *Regula de infirmis*, dum non dicit simpliciter: *vacant per obitum*: sed *per obitum nihilominus vacare censeantur*: verbum enim *censeantur* denotat fictionem, juxta *c.* 1. & *c. is, qui. de procurator. in* 6. & *c.* 1. *de arbitr.* ita Paris. *cit. q.* 9. *n.* 5. & 6. ex mente aliorum, quos citat, nempe Sarnens. *ad reg. de infirm. q.* 30. *n.* 3. *&c.* qui sic testantur resolutum à Rota *in Segobiens. Archidiacon.* Ac proinde, quod hinc sequitur, secundùm hos AA. hæc vacatio, cùm non sit vacatio vera per obitum, non comprehenditur sub Regulis, aliisque dispositionibus & concessionibus, loquentibus de vacatione per obitum. Hanc sententiã tenere videtur Lott. *l.* 3. *q.* 15. & tenet illam expresè C. de Luca. *de benef. d.* 34. *à n.* 9. supponunt autem hi AA. talem resignationem secutâ morte intra 20. dies haberi quidem pro infectâ & invalida respectu tertii, nempe collatoris, cui fraus parari præsumitur per istam resignationem, dum extremo illo tempore resignans præsumitur velle quasi eligere successorem sibi, & per speciem ultimæ voluntatis disponere de beneficio, & sic collatorem fraudare collatione. Card. de Luca. *l. c. n.* 10. quam fraudem præsumptam præcavere, & quod delictum præsumptum punire intendit dicta *Regula de viginti* (propter quod Paris. *l.* 12. *q.* 1. *n.* 1. & 30. & *q.* 2. *n.* 10. apud Card. de Luca. cum aliis censet, dictam regulam favorabilem, utpote obviantem fraudibus & peccatis) Luca *cit. nu.* 10. & 15. ubi, quòd hoc contingat per vim retrotractivam, in qua consistit fictio inducens effectum hunc veritatis super modo vacationis in favorem collatoris, cui fraus parabatur: è contra hanc resignationem in odium parantis fraudem haberi pro omnino perfectã & effectuatã, ita ut talis resignans beneficiatus ampliùs non sit, nec pergat in eo residere beneficium, idque per speciem quandã privationis vi *Regulæ de* 20. tradit Card. de Luca *n.* 9. & 15. Neque hoc ipsum implicare, quòd nimirum actus dici possit ab initio nullus, cum vi retrotractiva sic habeatur pro invalido, seu non acto ad favorem tertii, cui fraus imminebat (idque magis per pœnalem quandam resolutionem, quàm per, seu ob deficientem voluntatem facientis actum, nempe resignantis ob non purificatam conditionem ab eo adjectam, & sine qua is aliàs non habuit animum faciendi) & tamen habeatur pro valido & profecto respectu, & in odium alterius, qui culpatè egit, seu fraudem parabat, qualis est iste resignans, id, inquam, pluribus ostendit exemplis Card. Luca *à num.* 11. nimirum in religioso ob delictum ejecto, qui quòad ei favorabilia habetur pro vero ejecto, & non ampliùs religioso, quòad odiosa ei v. g. quòad observantiam votorum, aliáq; professionis onera, manet & habetur religiosus professus. In hærede ob delictum reddito indigno hæreditate, qui quoad ei favorabilia desinit esse hæres; manet & habetur pro hærede quoad odiosa & præjudicialia.

4. Nihilominus contrarium, nempe quòd hæc vacatio per obitum censeatur vera vacatio per obitum, & iste modus vacandi comprehendatur in regu-

regulis, dispositionibus, concessionibus loquentibus de vacatione per mortem tanquam verius, æquius, sustentabilius, & quòd hodie servetur in praxi, tenent Tond. & ipse Paris. *loc. cit. nu. 7.* citans pro hoc Rebuff. *in pr. super regula illa. de infirmis.* Put. *decis. 297. l. 3.* qui hic testatur resolutum *in Bononiens. regressus. 17. Mart. 1550.* rationem dat Paris. *loc. cit. n. 8. & seq.* nimirum quòd, esto, quòd sit fictio, fictio tamen à jure inducta habeatur pro veritate quoad juris dispositionem, juxta Bart. *in leg. is qui pro emptore. de usucap.* & idem importet fictio legis, quod ipsa veritas, seu æquipollet veritati, ut C. Paris. *cons. 22. n. 10. vol. 2.* & tantum operetur fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero, ut Paris. *cons. 128. n. 32. vol. 4.* Nec dici posse verbum *censeatur* importare meram fictionem, dum in jure paria sunt, aliquid esse, & haberi pro tali, ut Paris. *cit. cons. 22. n. 10.* Ad quæ tamen dici posset, aliud esse veram vacationem per obitum, aliud æquiparari veræ vacationi per obitum, & operari eundem effectum cum illa. De cetero hujus posterioris sententiæ AA. supponunt, talem resignationem non admitti à Papa, & præservare jus resignanti, ut expresè Paris. *cit. q. 9. n. 11.* quod si verum, indubitatè vacat per obitum talis resignantis: vide dicta supra ex Lott. *ad q. an concurrere possint vacationes duæ ex eadem persona.*

5. Respondeo quartò: per obitum resignantis, nempe in favorem, & non per resignationem vacat beneficium. Primò, si is moriatur ante admissionem, vel etiam post, ante tamen præstitum consensum, in camera vel Cancellariâ, beneficium vacat per obitum resignantis, & non per resignationem. Paris. *l. 1. q. 4. n. 42.* citans Put. *decis. 92. n. 6. l. 2.* ac dicens esse communem, adeóque gratia per resignationem non suffragatur. Paris. *ibid.* citans Bellam. Secundò: vacat per obitum illius, si servatæ non sint conditiones, eò quòd jus à resignante non abdicatur ante impletas illas conditiones; sivè non abdicatur, nisi sub talibus conditionibus. Paris. *ibid. n. 43.* citans pro hoc plures Rotæ decis. Tertiò: si moriatur, antequam resignatarius acceptet. Paris. *de resig. loc. cit. nu. 44.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 23. q. 4.* Tond. *p. 2. c. 4. §. 7. n. 18.* unde si resignans moriatur in mense reservato ante acceptationem resignatarii, semper durat reservatio. Tond. *loc. cit. nu. 19.* Quartò: si resignans moriatur antequàm resignatarius consentiat reservationi fructuum aut pensionis; quia non est perfecta resignatio. Paris. *cit. n. 44.* Azor. *loc. cit. q. 3.* unde & nihil potest acquiri resignatario ex ista resignatione. Paris. *ibid.* Et resignatarius, qui in vita resignantis non consensit resignationi, aut pensionis reservationi, non potest id facere resignante mortuo; quia res non est integra, & jam beneficium vacavit per mortem. Paris. *n. 42.* juxta *decis. Rot. in Mantuana Canonic.* Item si lata sententia contra resignantem ante acceptationem resignatarii præjudicat resignationi. Paris. *nu. 48.* juxta *decis. Rot. in Toletan. Parochial. 2. Decemb. 1551.* teste Caputaq; *decis. 90. p. 3.* Quintò: quoties jus abdicatum non fuit à resignante per resignationem, utpote nullam (intelligo etiam respectu ipsius resignantis) vel non effectuatam; puta v. g. si facta à procuratore excedente limites mandati, si facta patrono Laico contempto &c. Tond. *loc cit. à n 7.* Card. Luca. *de benef. disc. 35. n. 3. & d. 36. n. 3. & d. 22. n. 4.* Illud quoque notari potest, quòd ait idem Tond. *p. 1. c. 13. n. 17.* in Gallia tria copulativè concurrere debere ad hoc, ut beneficium resignatum vacet per obitum resignantis. primum, quòd non fuerit facta publicatio resignationis (quam ibi sufficit fieri intra triennium vivo resignante) secundum, quòd non sit capta possessio beneficii resignati. Tertiùm: quòd resignans post *6.* menses in curia, vel post unum mensem extra Curiam mortuus fuerit, & non tantùm mortuus fuerit, sed etiam tempore mortis adhuc fuerit in possessione, ita ut si unum ex his tribus deficiat, beneficium non vacet per obitum, sed per resignationem. citat pro hoc Peleum. *in Commentar. Analyt. c. 32. nu. 37.* Gomes. *ad reg. de public. q. 15.*

Quæstio 34. Mors, ex qua inducitur vacatio, qualiter in supplicatione exprimatur & narretur, & narrata justificanda?

1. REspondeo ad primum: de hoc dictum satis *in q. 2. hujus. §.* ubi quærebatur, quid veniat nomine mortis.

2. Respondeo ad secundum primò: dum vacatio per obitum inducta & narrata, & sic provisio Apostolica facta ex hujusmodi causâ, probandus est hic obitus per provisum, qui illum narravit, & in eo se fundat; si non etiam notorius sit, nec detur quis, qui eum in dubium revocet. Lott. *l. 3. q. 10. n. 37.*

3. Respondeo ad secundum secundò: si narrativa obitûs consideretur simpliciter, & non implicet præjudicium alterius, quàm illius, qui narratur & supponitur defunctus (cùm hujus reputetur præjudicium levissimum; quia ubicunque is compareat, non defunctus recipit seu retinet beneficium suum, collatióque nulla est. Gonz. *gl. 11. n. 99.* Lott. *loc. cit. nu. 38.*) sufficit semiplena probatio per famam, & vocem publicam juxta doctrinam Bart. *in l. 2. §. si dubitetur. num. 3. ff. quemad. testam. aperiat.* Gonz. *loc. cit. nu. 39.* juxta dicta supra *in q.* qualiter probanda vacatio in genere.

4. Tertiò: si vera narrativa obitûs implicet præjudicium alterius, uti id contingit, ubi non simpliciter stringit modum vacationis, sed cum adjuncto aut temporis, aut loci, aut personæ, unde resultet reservatio in grave præjudicium inferioris collatoris, & provisi ab eo (quippe qui privandus est constito de reservatione) exigitur plena & concludés probatio obitûs juxta doctrinam Bart. *loc. cit. n. 2.* Lott. *n. 40.* Gonz. *loc. cit. n. 100.* vide dicta superiùs, ubi de probanda vacatione pro certo mense in ordine ad reservationem, ubi etiam ex eodem Gonz. qualiter hæc limitanda.

5. Respondeo tertio: plenè probatur obitus ex confessione partis nixæ, seu venientis ex eadem vacatione, juxta regulam *leg. cum precum. c. de liberal. cauſ.* Lott. *ibid. q. 10. nu. 42.* Etiamsi confessio deduceretur ex titulo inutili. Lott. *n. 43.* citans Rot. *decis. 117. n. 2. p. 1. recent.* Item ex instrumento possessionis adeptæ. Lott. *n. 44.* citans Rot. *decis. 605. n. 6. p. 2.* Item ex actis publicis, puta libro Parochi. (idem est de libro hospitalis. Lott. *n. 46.* citans pro hoc Seraph. *decis. 1456. n. 2.* Farinac. *fragment. p. 2. n. 336.*) in quo consueverunt annotari nomina defunctorum. Lott. *n. 45.* citans Mand. *ad reg. 18. q. 10. n. 4.* Rebuff. *ad reg. constitut. to. 2. ad regist. baptismi & sepult. a. 1. gl. 4.* Greg. *decis. 78. n 2. &c.* modò tamen partita de libro hujusmodi sit formiter extracta, id est, prout jacet, ne aliàs reputetur simplex fides. Lott. *cit. n. 46.* citans Gregor. *decis. 359. nu. 5.* Bellam. *in addit. ibid. &c.* Et modò formiter recogni-

recognita sit manus ipsius Parochi. Lott. *ibid.* citans Rot. *decis.* 231. *n.* 1. *p.* 2. *divers.* Item probatio plena constituitur per testes referêtes talia, unde mors notoriè inducitur; puta, quia viderunt mortuum, vel viderunt sepeliri, aut exhumari, aut decapitari, cum similibus, quæ de necessitate mortem concludunt. Lott. *n.* 47. ubi etiam ex Menoch. *de adipisc. remed.* 4. *n.* 675. & Rota *in Terason. Capellæ.* 28. *Novemb.* 1605. quòd istæ rationes reputentur sufficientissimæ, etiam ubi agitur de graviſſimo præjudicio; & subjungit *nu.* 48. reputari etiam optimam rationem plenè probandi mortem ex teste vicino.

6. Respondeo quartò: ubi videri potest minus plena hujusmodi probatio, potest ea coadjuvari, & sic integrari vel ex alia semiplenâ probatione. Lott. *n.* 49. juxta *decis. Rot.* 736. *nu.* 4. *p.* 2. *recent.* Gl. *in c.* 1. *de appel. v. famam.* Gregor. *decis.* 166. *n.* 6. & 8. Bart. *in l. admonendi. nu.* 48. *de jure jurando.* & alios, quos citat & sequitur Lott. *nu.* 50. & 51. testans sic consuevisse Rotam mandare integrari minus plenam probationem, ut constat ex *decis.* 117. *n.* 1. *p. recent.* v. g. dum cum uno teste de certa scientia concurrit fama probata per 2. testes, Lott. *loc. cit.* integrari quoque potest ex aliis adminiculis, puta, si cum uno teste de certâ scientiâ veniant alii, qui audierint pulsari campanam pro mortuo, vulgatumque atteſtarentur, eam pulsari pro efferendo tali defuncto, & post vidisse familiam vel cognatos indutos vestibus lugubribus, etsi hi testes non dicant, se vidisse cadaver: istæ namque rationes simul sumptæ propemodum mortem concludunt. Lott. *n.* 52. ex doctrina Bart. *in l. genero. n.* 6. *ff. de his, qui not. infam.* quin etiam satis probari aliquem esse mortuum, ait Cravetta *cons.* 127. apud Lott. *n.* 53. quòd pro tali eum reputent familiares, & consanguinei deferentes lugubres vestes; sicut è contra argui vitam ex eo, quòd vestes lugubres per eos non deferantur, tradit cum aliis Farinac. *fragm. p.* 2. *nu.* 325. apud Lott. *ibid.* cùm neque illud sit præjudicium maximum, id est, irretractabile, quale est, cùm agitur de pœna capitis, ut distinguunt Bart. *in l.* 2. §. *si dubitetur. ff. testam. quemad. aperiatur.* Felin. *in c. quoniam frequenter. ut lite non conteſt. ibid.* Bald. Lott. *cit. n.* 53. qui *n.* 54. ait, id de plano procedere, ubicunque agitur de probando obitu secuto in remota aliqua parte à loco, in quo facienda probatio; eò quòd in hoc casu sufficiat probatio per famam in eo loco, in quo mors secuta asseritur, etiam ad effectum constituendæ devolutionis, ut Put. *decis.* 508. *l.* 2. aitque idem Lott. *n.* 56. & 57. id longè fortiùs obtinere, ubi quis supponitur mortuus in bello, aut in mari, ut Farinac. *loc. cit. n.* 227. qui hos duos casus æquiparat: dum enim haberi non potest testimonium ab his, qui simul navigarunt, satis est haberi id à liberis & propinquis eorum, juxta *l. quoties. c. de naufrag.* ubi Bart. *loc. cit. n.* 5. apud Lott. *n.* 57. qui tamen *n.* 58. ait, id intelligi, si testes super hoc inducti formiter, id est, parte citatâ cum juramento sint examinati; id enim necessarium esse ad effectum justificationis gratiæ; quidquid aliàs sit ad effectum simplicis informationis de morte ex officio judicis, in quibus terminis loquuntur Sanch. *de Matrim. l.* 2. *D.* 46. *n.* 8. Felin. *in c. quoniam. n.* 24. & alii. item *n.* 60. ait procedere, nisi in contrarium urgeant aliquæ conjecturæ de vita; eò quòd vita est quid magis expositum sensui, quàm mors; & asserere vivum, sit affirmativum; asserere autem mortuum, sit negativum; unde etiam faciliùs credatur testibus asserentibus aliquem vivere, quàm asserentibns esse mortuum, ut Gabriel *de testibus. concl.* 4. *n.* 21. & Rota *decis.* 521. *n.* 6. 1. apud Lott. *n.* 61. nisi forte testes deponentes super morte magis invalescerent ratione ex aliquibus sensatis signis. Lott. *num.* 62. & Felin. *in c. in nostra n.* 6. *de testibus.*

7. Respondeo quintò: cessante etiam casu, in quo gratia est fundata super tempore mortis, ex quo resultat reservatio, dum versamur in narrativa mortis expressæ pro explicandâ simpliciter vacatione, mors ipsa omnino est justificanda juxta dicta. Lott. *loc. cit. n.* 66. neque evitatur dicta probandi necessitas, quomodocunque supponatur vacatio per obitum ex antiquissimo tempore 100. annorum, etsi ea ætas reputetur aliàs longissimum tempus vitæ hominis, ut ait L. ult. *c. de sacrosanctis Eccl.* cùm exinde non possit constitui legitima mortis probatio: sed probatio hæc præsumptiva mortis est æquivoca, cùm frequenter reperiantur, qui ætatem hanc longè excesserunt. Lott. *n.* 7. & 73. citans Gabriel. *de præsumpt. Concl.* 16. *n.* 6. &c. quamvis dicat Lott. *n.* 77. se non negare illum lapsum temporis maximam præsumptionem mortis inferre, seu veriùs verisimilitudinem, ut Covarr. *var. resol. l.* 2. *c.* 7. *n.* 6.

Quæstio 35. *An, & qualiter probandum tempus obitûs?*

Respondeo præter ea, quæ dicta sunt suprà, de exprimendo & justificando mense vacationis, ubi vis est in tempore, illudque est de substantiâ, nimirum, ubi in eo, resultante v. g. ex illo reservatione, fundata est gratia, debet præcisè & concludenter probari. Lott. *cit. q.* 10. *nu.* 63. ex Put. *decis.* 265. *l.* 3. Card. Luca. *de benef. d.* 16. *n.* 14. sic v. g. proviso Apostolico gerenti vices actoris contra provisum ab Ordinario tanquam reum & possessorem, incumbit onus probandi perfectè & concludenter reservationem tanquam fundamentum suæ intentionis, adeóq; obitum contigisse in mense reservato, Card. Luca. *loc. cit.* eo tamen modo quo potest fieri; dum enim agitur de morte naufragi, potest hoc tempus ob difficultatem alterius probationis probari per famam. Lott. *loc. cit.* juxta Rot. *decis.* 53. *à n.* 1. *p.* 2. *divers.* Card. Luca. *loc. cit. n.* 15. ubi: quòd iste rigor probationis congruus est, ubi mors sequeretur inter fideles, ubi servatur dispositio Tridentini super libro mortuorum, seu quòd aliàs mors probari posset per testes, qui fuerint præsentes funeribus, vel morti in propria domo secutæ; secus enim, ubi agatur de probando mortem in bello vel in navigatione, seu in captivitate, aut tempore pestis cum similibus casibus accidentalibus; tum enim receptum est, mortem etiam levioribus adminiculativis probationibus justificari. citat pro hoc Mascard. *de prob. concl.* 1075. *n.* 8. Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 46. *n.* 17. licèt autem obitus probetur per testes dicentes, vidisse se talem sepeliri, non probatur tamen obitus in tali tempore, v. g. in mense Januario per dicentes vidisse se sepeliri in mense Januario; cùm potuerit contigisse obitus in Decembri, & differri sepultura ex causa aliquâ ad primum vel secundum Januarii. Rota *in Sutrina Parochial.* 8. *Junii* 1588. apud Garc. *p.* 11. *c.* 1. *nu.* 59. de cetero ad justificandum tempus mortis, seu pro constituendo certo hujusmodi tempore permissum est conjungere depositiones testium, puta duorum deponentium de

mense, nihil autem dicentium de anno,& aliorum duorum deposcentium de anno , & nihil dicentium de mense.Lott.*n.64.* citans Cresc. *decis. 3. de præb.* porrò, cùm consueverit frequenter celari mors,& hinc oriatur magna quandoque difficultas probandi tempus mortis; ubi de tali celatione est suspicio, potest impetrari officium judicis , ut exploretur veritas ex visione loci, in quo asseritur jacere is,de cujus vita dubitatur.Lott.*n.65.& 66.* citans Boërium *decis.*188.*n.*2. Gozadin.*cons.68. n.9.*

PARAGRAPHVS III.

De vacatione per mortem civilem,puta per contractum matrimonium,initam religionem,vel etiam per militiam aut captivitatem.

Quæstio 36. An,& qualiter vacet beneficium per contractum matrimonium per verba de præsenti.

1. REspondeo primò: matrimonium contractum per verba de præsente inducit vacationem omnium beneficiorum obtentorum.*c.1. & 3. de clericis conjugat.*& *c.unic. eod.tit.in 6.* Castrop. *de benef. d.6.§.6 n.1.* Barb.*juris Eccl.l.3.c.14.n.7.* citans quamplurimos cum communi.

2. Respondeo secundò: inducitur hæc vacatio ipso jure absque ulla judicis sententia,etiam declaratoria. Sanch. *de matrim. l.7. d. 42. à n.4.* citans quamplur. tum Theologos,tum Canonistas. Lott. *l.3.q.26.n.62.& 64.* Castrop. *loc cit. n.2* citans insuper Mascard.*de prob.concl.*182.*n.1.& 2.* Less.*l 2.c.34. dub.21. n.112.* Garc. *p.11.c.8. n.1.* Guttier.*tr.de matrim.q.97.n.2.* Azor.*p.2.l.7.c.16.q.4.* Gonz.*gl.15. n. 43.&c.* contra Carerium *de sponsal.* Rodriq. *in sum. to.1.c.224.n.1.*& gl *in c.conjugatus.v.ad sacros ordines. de convers.conjugat.* quatenus dicit, contrahentes debere privari beneficiis , adeóque supponitur jure ipso non privatos.Ratio responsionis est,quòd hæc vacatio non inducatur ob delictum (quod nullum est, dum beneficiatus non habens majores ordines nubit) sed ob assumptum statum incompatibilem. Castrop.*loc cit. n.2.* Lott. *loc.cit. n.61.* contrahens quippe matrimonium ipso facto Ecclesiam relinquit,& eam pro derelicta habet.Castrop.*ibid.* & per electionem statûs istius incomparibilis ipsemet beneficium ejuravit , ideóque nullâ exspectatâ sententiâ remanet ipso jure privatus beneficio, Lott. *n.62.* Proinde in contrarium non facit,quòd textus nullus sit clarè hanc vacationem ipso jure inducens: sed neque obstat, quòd *c.1.de cleric.conjugat.* dicatur , contrahentes compellendos esse districtione Ecclesiasticâ ad relinquenda beneficia: & *c. 3.eod.tit.* quòd debeant privari,& sint spoliandi: siquidem hæc & hujusmodi intelligenda sunt de compulsione & spoliatione faciendâ quòad factum seu possessionem,cùm sint injusti possessores. gl. *in cit.c.1.de cleric.conjug.v.relinquenda.* Castrop.*cit. n.2.* quod verò dicitur *c.si qui verò.31.dist.*&*c quia tua.12. q.1.* quòd Cleri non constituti in sacris ordinibus,si continere non possint, sortiri debeant uxores, & stipendia sua accipere, intelligendum de stipendiis quibusdam temporalibus ob ministerium aliquod in ecclesia exercitum, non de beneficiis Ecclesiasticis.Castrop *loc.cit.* juxta Abb.*in c.1. de Cleric. conjugat.* Unde jam infertur, posse tale beneficium mox à contracto matrimonio tanquam vacans impetrari,Barb.*loc.cit.n.9.* Item beneficium post matrimonium contractum non posse à beneficiato detineri (& uti Barb. *loc.cit.n.9.* citans pro hoc Sanch.*cit.d.42. à n.10.* teneri sub mortali illud statim dimittere) nec fructus amplius percipere; nec resignare in favorem,aut permutare, quia jus omne in beneficio jam amisit.Barb.& Sanch. *ll.cit.* Castrop.*loc.cit.n.5.* citans insuper Guttier. *ubi supra à n.5.* Porro responsionem extendit Lott. *loc.cit. n. 65.* ad quascunque dignitates Ecclesiasticas; nec non *n.66.* ad magistratus ecclesiasticos, quin & *n. 68.* ad feuda Ecclesiastica, nimirum hæc eo ipso amittenda,nisi ex tolerantia Ecclesiæ consuetudo contrarium obtinuisset : pro quo postremo citat Jo And.*ad c.fin.de cleric. conjugat.*

Quæstio 37. An extendatur quoque responsio ad beneficiatos Græcos.

REspondeo negativè:sive Clerici & presbyteri græci,seu Orientales conjugati legitimè habere possunt beneficia,modò ea sint constituta more græcorum; secus enim esset, si sit beneficium latinorum.Barb.*loc.cit.n.19.* citans Carol.de Grassis *de effectibus Clericalibus.effectu 5.& 25.& 42. &c.*

Quæstio 38. An ergo eo ipso jure amittantur quoque jura alia omnia ad beneficia , & in specie,quid in hoc circa pensiones?

1. REspondeo quoad omnia affirmativè: dum enim matrimonium est status incompossibilis cum beneficio, est etiam talis status respectu juris ad illud.Castrop.*loc.cit.n.4.* Sanch. *loc. cit.n.7.* relatis plurimis.Garc.*p.11.c.8.n.2.* sic exspirat hoc ipso exspectativa, si quam habebat. Lott. *cit.q.26.n.70.* nec eam recuperat soluto matrimonio. Lott.*ibid.* juxta gl.*in c.unic.de cleric.conjug.in6.v. Clericalis.* sic amittit jus accessûs & regressûs,& similia.Paris.*l.1 q.6.v.14.* Barb. *loc.cit. n,15.* Lott. *loc. cit.n.69.* citans Chok.*ad reg.65.n.7.* Sanch. *loc.cit.n. 7.* sic pari modo amittit jus, si quod acquisivit ad beneficium vi electionis vel præsentationis, ut Paris.*l.1. q.1. n.14.* dicens esse communem,& citans pro hoc Covar.*super 4.decret.p.2.c.6.§.3. n.5.* quia contrahens matrimonium hoc ipso tacitè videtur renuntiare non tantùm beneficio,sed & omni juri competenti ad beneficium Ecclesiasticum.

2.Respondeo ad secundum: amittit quoque jus percipiendi pensiones Ecclesiasticas. Lott. *loc. cit. n.67.* Barb. *loc. cit. n.14.* Castrop. *cit. n.4.* citans Tusch.*lit.p.concl.*717.*n.8.*& seipsum *d. 1.de benef. p. 11.§.ult.* Paris.*loc.cit.n.15.* (ubi, quòd talis tacitè resignavit pensioni ex causa cessionis sibi reservatæ) citans pro hoc Gigas *de pension. q. 54.* & Rot. *in Adjacensi pensionis. 4. Junii* 1546. cùm enim pensiones succedant loco beneficii, eodem modo vacant ac beneficia.Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 39. An per matrimonium extinguatur quoque dispensatio aliàs obtenta, & habilitans ad beneficium?

REspondeo negativè, Garc. *p. 11. c.8.n.2.* ex Sanch.*loc.cit.n.7.*

Quæstio

Quæstio 40. *An ergo etiam sponsalia seu matrimonium contractum per verba de futuro inducant hanc vacationem ipso jure, vel saltem per sententiam?*

1. REspondeo ad primùm negativè. Lott. *loc. cit. n.* 73. Sanch. *loc. cit. nu.* 1. Garc. *loc. cit. nu.* 19. Castrop. *loc. cit. nu.* 3. citans Less. *ubi suprà nu.* 114. Barb. *loc. cit. n.* 17. citans insuper plures alios: sponsalia enim per verba de futuro non sunt matrimonium, sed via ad illud, ac proinde non constituunt statum incompatibilem cum beneficio. Castrop. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: Neque contrahenti sponsalia imminet pœna amissionis beneficii per sententiam. Lott. *n.* 74. quamvis Less. *de justitia. l.* 2. *c.* 34. *n.* 114. talem mereri privationem dicat, tum quòd non possit retinere beneficium, si velit promissioni sponsalium satisfacere; tum quia dedecorat statum Ecclesiasticum, contrahendo sponsalia retento beneficio; quam tamen doctrinam Lessii non placere sibi, dicit Garc. *n.* 19.

Quæstio 41. *Num beneficium ob initum matrimonium amissum adhuc vacans recuperet, dum uxor necdum consummato matrimonio ingreditur religionem, aut morte naturali decedit?*

REspondeo negativè. Lott. *cit. q.* 26. *n.* 72. Castrop. *loc. cit. n.* 6. Sanch. *cit. d.* 42. *n.* 6. Garc. *loc. cit. n.* 3. Barb. *loc. cit. n.* 11. citans Squillant. Sayr. &c. à qua sententia communi Doctorum, quæ in hujusmodi vim magnam obtinet, etsi dicat Less. *loc. cit. n.* 113. se non facilè recedere, inclinat tamen non parum in contrarium, nimirum quòd talis in conscientia non teneatur jam dimittere beneficium (supponitur quòd manserit in ejus detentione) nisi per judicem privetur. verùm responsio nostra sequitur ex dictis; jus enim in beneficio extinguitur per matrimonium, etiam non consummatum. Barb. *loc. cit. n.* 20. Lott. *loc. cit.* Castrop. *n.* 3. jus autem beneficiorum semel extinctum non revivisc it sine nova collatione. Castrop. *cit. n.* 6.

Quæstio 42 *An Episcopus dispensare possit, ut beneficiatus beneficium simplex retineat post matrimonium contractum, saltem cum virgine?*

REspondeo negativè. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *nu.* 7. dicens sic receptum communi omnium consensu, citans Host. Abb. Card. *in c. Ioannes. & c.* 1. *de cleric. conjug.* Castrop. *loc. cit. n.* 7. eò quòd Clericus, dum transit ad statum conjugalem (utcunque sub aliquibus circumstantiis retineat privilegium fori & Canonis. Lott. *loc. cit. n.* 61.) jure communi efficiatur laicus, in quo ut habeat beneficium, alius à pontifice dispensare nequit. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 43. *An, & qualiter vacet beneficium ob matrimonium invalidè, seu nulliter contractum?*

1. REspondent primò universaliter, probabilius videri beneficium non vacare ipso jure ob contractum nulliter matrimonium, quæcunq; demum sit causa hujus nullitatis Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 113. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Sanch. *l.* 7. *de matrim. d.* 43. *n.* 3. contra Decium. *cons.* 166. *n.* 1. *vol.* 1. Imol. *in Clem. gratia. n.* 25. *de rescrip.* Diaz. & alios, censentes, privatum esse ipso jure, qui ignoranter bonâ fide nulliter contrahit matrimonium, non verò eum, qui scienter contrahit, eò quòd sciens matrimoniũ nullum, non possit censeri velle contrahere, sed illudere, adeóque nec velle renuntiare beneficio. Item contra Garc. *loc. cit. n.* 8. censentem contrarium, nempe non ignoranter, sed scienter contrahentem nulliter, esse ipso jure privatum, eò quòd is gravissimè delinquat, attentando malitiosè statum incompatibilem cum beneficio assumere, ob quod delictum beneficio privatus sit ipso jure. argumento *cap. eum qui. de præb. in* 6. ignoranter verò contrahens non faciat actum beneficio contrarium, nec delinquat, nec dici possit facto suo renuntiare beneficio. Rationem responsionis hanc dat Castrop. *cit. nu.* 9. quòd textus hanc privationem inducentes loquantur sõlùm de matrimonio legitimo, ut patet ex *tit. de Clericis conjugat.* & ratione, quam dant hi textus; nimirum divinis obsequiis vacare non posse, qui uxori & voluptatibus carnis addictus est; hæc enim ratio locum habere nequit in contrahente nulliter; quippe qui per tale matrimonium non addicitur uxori: sic quoque nullibi in jure delictum illud matrimonii nulliter attentati hac pœnâ privationis ipso jure affectum est. Et dum ignoranter quis processit, valet ratio à Garc. adducta, nempe quòd neque delictum admisit, neque statum incompatibilem assumpsit, etsi assumere attentavit; nec censeatur renunciasse quis beneficio, nisi casu, quo verè matrimonium contraxerit; hæc enim conditio involvitur. Castrop. *n.* 10. & huc ferè recidit ratio altera, quam adijcit Castrop. *cit n.* 9. hinc jam

2. Respondent iidem Castrop. & Sanch. in particulari primò: quòd beneficiatus in solis minoribus constitutus, contrahens matrimonium cum consanguinea vel affine in gradu prohibito (idem est de alio simili impedimento dirimente) non est ipso jure privatus beneficiis obtentis, sive ignoranter sive scienter processerit. Castrop. *nu.* 11. citans Sanch. *ubi ante n.* 5. Idem dicunt de constituto in ordinibus sacris. Castrop. *n.* 14. item de contrahente nulliter ob defectum formæ requisitæ; quia nempe contrahit sine parocho legitimo vel testibus. Castrop. *n.* 13. vel ex defectu consensûs proprii vel alterius partis. Castrop. *n.* 12. vel ob defectum ætatis Castrop. *n.* 16.

3. Verùm ab hac doctrinâ Thomæ Sanch: quòd matrimonio existente nullo etiam ex alio defectu, quam ex defectu consensûs, ætatis, libertatis non inducatur vacatio beneficii ipso jure, sed tantùm privatio per sententiam ob delictum; dum nimirum quis scienter contrahit nulliter; ab hac inquam, sententiâ cavendum esse ait Lott. *l.* 3. *q.* 26. *n.* 76. *& n.* 79. dicit hanc assertionem esse erroneam, ut advertunt Covar. *de matrim. p.* 2. *c.* 6. §. 3. *n.* 4. *ad fin.* Cævallos *in suis communibus. tom.* 1. *q.* 147. *nu.* 4. *&* 5. & Rotam sequi doctrinam contrariam. *decis.* 8. *p.* 3. *recent.* eandem doctrinam sequuntur Gonz. *gl.* 15. *n.* 44. *& gl.* 57. *n.* 44. *&* 45. ubi: quòd quando lex ipsa vel dispositio potiùs consideravit ipsum factum, quàm effectum, pœna incurritur ex solo facto; quamvis illud jure non subsistat. ut Bartol. *in l. quid ergo. n.* 1. *ff. de his qui notantur infam.* Et hinc Clericus contrahens nulliter perdit ipso jure beneficium. Item Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 5. *n.* 18. dicens in ordine ad incurrendam hanc pœnam privationis ipso jure non inspiciendam facti validitatem, sed factum ipsum, dissolvitque Lott. funda-

menta illius doctrinæ *n.* 80. *& seq.* dum ait primò *n.* 80. pœnam illam amissionis beneficii jure non pendere neque à tacitâ illâ renunciatione, neq; ex incompatibilitate ex statu contrario statui beneficiali validè impresso, sed ab attentatione talis statûs, & productione talis statûs ad aliquod esse de facto; dum enim matrimonium non declaratur nullum, etiamsi exstaret impedimentum Canonicum, quia tamen haberet consensum, in quo consistit tota ejus formalitas seu forma, tenet mero jure, & inducit publicam honestatem. Dum secundò ait *n.* 80. *&* 81. non urgere, quòd dicitur, nullum reperiri textum inducentem hanc amissionem ipso jure, & pœnalia non esse extendenda; nam advertendum, rationem textûs *in c.* 1. *de Cleric. conjugat.* non fundari super alio, quàm super incongruentia facti respectu statûs, quæ tam est in matrimonio de facto, quàm in matrimonio de jure; modò appareat de ejus formalitate ex consensu. Et pœnam ibi inductam non respicere aliud, quàm injuriam statui Clericali illatam: quin & ipsi Papæ per actum illum statui Clericali contrarium, ut ex textu dicto notat Cardin. *in c. Joannes. n.* 9. atque ita pœnam hanc non extendi à casu ad casum; cùm militet semper eadem punitionis ratio (ubi autem viget eadem ratio, non dicitur casus comprehensus per extensionem, sed per intensionem. Lott. *n.* 83. *juxta l. jura. ff. de LL. l. si liberum. c. de nuptiis &c.*) ac propterea non attendi validitatem vel invaliditatem matrimonii, dum legislator magis consideravit factum, ex quo consurgit delictum, quàm juris effectum, ut Cardin. *in Clem.* 1. *n.* 2. *de consang. & affin.* & Felin. *in c. ex tenore. n.* 9. *de rescrip.* quin & (quod etiam directè oppugnare videtur doctrinam Garciæ, & aliorum, censentium ignoranter bonâ fide contrahentem nulliter non privari ipso jure) Ecclesia (quæ aliàs de occultis seu internis non judicat) ex eo actu adversante statui Clericali censet Clericum habere beneficium pro derelicto, & ideo illum tanquam transfugam dictâ pœnâ punit; licet enim conjugium posset esse honestum (idem est, dum nulliter contractum sine culpa ab insciente) electionem tamen meliorem deseruisse, transgressio est, ut inquit textus *in c.* 120. *q.* 3. Lott. *n.* 84. *&* 85.

4. Porrò hîc notandum, quòd etsi plures & communiùs adhæreant huic doctrinæ; nimirum vacare ipso jure beneficia ob matrimonium nulliter contractum, sive scienter sive inscienter; aliqui tamen eorum exspectandam dicant sententiam declaratoriam facti, nisi factum sit adeò notorium, ut non esset exspectanda declaratio. sic sentit S. Felicius *decis.* 15. apud Tond. *p.* 2. *c.* 5. §. 5. *n.* 22. ubi etiam *n.* 24. observat idem Tond. pariter ipso jure amitti quoque pensiones ob matrimonium nulliter contractum ob alium, quàm defectum consensûs. Nunc ergo relinquendo, vel potiùs præscindendo ab illa doctrina Castrop. & Sanch. & supponendo tantisper hanc Lotterii doctrinam, aliorùmque, hinc inde tamen eam variè modificantium, juxta illam respondendum in particulari, quare sit

Quæstio 44. *An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter ex defectu consensûs?*

1. Respondeo primò: si defectus consensûs sit ex parte ipsius beneficiati, ob ejus v. g. amentiam, vel vim, aut etiam metum cadentem in virum constantem, non vacant ejus beneficia nec ipso jure, nec per sententiam; quia nec matrimonium verè assumpsit, nec verè attentavit assumere. Lott. *loc. cit. n.* 75. Barb. *loc. cit. n.* 18. Garc. *p.* 11. *c.* 8. *n.* 10. Sanch. *loc. cit. d.* 43. *n.* 7. Castrop. *loc. cit. n.* 12. Et est communis omnium; tam qui sequuntur doctrinam illam aliàs generalem Sanch. quàm qui contrariam sectantur viam.

2. Respondeo secundò: si defectus ille consensûs sit ex parte beneficiati, utpote fictè & simulatè solùm consentientis, vacant ipso jure ejus beneficia, ob attentatum matrimonium. Castrop. *cit. n.* 12. ex sententia & juxta doctrinam aliorum illorum auctorum, etsi ipse, ut vidimus, sentiat contrarium.

3. Respondeo tertiò: si defectus consensûs est ex parte mulieris, sive illa vi & metu compulsa, vel etiam aliàs fictè contrahat, vel etiam ob amentiam similéve impedimentum consensum liberum præbere nequeat, beneficiatus amittit ipso jure beneficium; quia undecunque demum ortus ille defectus consensûs in muliere, ex parte Clerici de facto est matrimonium attentatum, & quidem culpabiliter, dum istum defectum scit Clericus. Castrop. *cit. n.* 12. ex mente aliorum illorum Auctorum. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 6. & id quidem conformiùs ad doctrinam illam generalem Lott. contra Garciam, qui quidè admittit prius, dum nimirum deest consensus ille ob vim vel metum: & *n.* 12. citat pro hoc Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 5. *n.* 13. Gigas *de pens. q.* 54. *n.* 10. Diaz &c. negat tamen *nu.* 11. de altero; dum nimirum ille consensus deficit ob amentiam, eò quòd hoc sit perinde ac contrahere cum imagine aut dormiente, & citat pro hoc Gigas *ubi ante.* Roffiniac. *de benef. c.* 3. contra Sayr. Azor & alios. Porrò notandum hîc ex Tond. *p.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 18. in fine; quòd etsi consensus hîc deficiat, quando quis ex metu, aut non habens intellectum, contraxit, non tamen censeatur defeciisse, dum reverâ præstitus est; lex tamen illum annullat.

Quæstio 45. *An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter ex defectu ætatis, eò quòd uterque, vel alteruter sit impubes, neque malitia suppleat intellectum, neque ut addit Azor, sint proximi pubertati, qualis censetur, qui distat solùm* 6. *mensibus à pubertate?*

Respondeo: stante etiam de cetero sententiâ illâ Lotterii, si Clericus, esto, ipse sit pubes, contrahat, sivè scienter, sivè inscienter, cum impubere, etiam non secutâ copulâ, ut expresè addit Garc. non videtur adhuc ipso jure amittere beneficium, eò quòd talis contractus, etiam celebratus per verba de præsenti, ex juris interpretatione resolvatur in sponsalia de futuro, juxta *c. unic. de sponsal. impub. in* 6. omnes autem sentiant per sponsalia de futuro non vacare beneficium (& ut Castrop. licèt diceretur matrimonium attentatum, dicta tamen vacatio non inducatur ob quamcunque attentationem, sed ob attentationem nullam inducentem obligationem) Castrop. *loc. cit. n.* 15. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 15. Garc. *loc. cit. n.* 20. *&* 21. citans insuper Diaz. *in pract. crimin. c.* 80. *n.* 6. Covar. 4. *decretal. p.* 2. *c.* 6. §. 3. *n.* 4. Juli. Clar. *pract. l.* 5. *q.* 73. *n.* 3. *&c.* contra Rotam. *decis.* 1. *de sponsal. in antiq.* Staph. *de lit. grat. tit. de var. mod. vac. modo.* 5. *num.* 9. Mandos. *de etate minori.* Decia. *l.* 7. *c.* 22

l. 7. c. 22. n. 7. citatos à Castrop. item contra alios limitatiùs aliquantò procedentes, dum volunt perdi beneficium ipso jure, si Clericus sit pubes, secus si is sit impubes; vel etiam, si is scienter contraxit cum impubere, secùs si inscienter.

Quæstio 46. An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter ex defectu formæ requisitæ à Trid. nempe sine parocho legitimo aut testibus?

REspondeo: conformiùs & magis consequenter ad sententiam illam Lotterii dici vacare beneficium ipso jure; matrimonium siquidem contractum cum impedimento dirimente eatenus privat ipso beneficio, quatenus contrahens attentavit ipso facto statum incompatibilem assumere; hæc autem eadem ratio militat, dum matrimonium est nullum ex defectu hujus formæ requisitæ. Castrop. *loc. cit. n. 13.* contra Garc. *loc. cit. n. 15.* innitentem huic fundamento; quòd ex actu nullo propter defectum formæ, seu solennitatis non incurratur pœna, ut Sanch. *de matrim. l. 3. d. 2. n. 8.* & non adhibitâ formâ requisitâ perinde sit, ac si actus non fieret; & citantem pro se Sanch. *loc. cit. d. 48. n. 8.* Ledesm. *de matrim q. 55. num. 9. dub. 4.* Rodriq. *in sum. c. 30. nu. 9.* Vegam. *p. 1. c. 36. casu 20. ad quartum &c.*

Quæstio 47. An vacet beneficium ob matrimonium contractum nulliter, quia beneficiatus erat in ordinibus sacris?

REspondeo: magis consequenter dici vacare ipso jure propterea beneficium; eò quòd sicut ligati alio impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, affinitatis, sint æquè inhabiles ad contrahendum, quàm constitutus in ordinibus sacris, & tamen incurrant dictam pœnam. Castrop. *loc. cit.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 16. q. 5.* citans Covar. *de matrim. p. 2. c. 6. §. 3. n. 4.* Staph. *de lit. grat. tit. de var. mod. vac. modo 5. nu. 8.* Cuch. *in institut. majorib. l. 4. tit. 12. n. 215.* Roffiniac. Anchar. & alios, quos citat Garc. *loc. cit. n. 18.* contra Less. *de justitia, l. 2. c. 34. n. 115.* qui hanc dat rationem; quòd matrimonium illud sit irritum, & talis compellendus manere in suo ordine susceptо; unde non conveniat, ut ipso facto sit privatus, ne fortè cogatur mendicare. sed hæc ratio firma non est; quia habet etiam locum in privando per sententiam. Item contra Barb. *l. 3. juris Eccles. c. 14. n. 16.* citantem pro hoc Sanch. *de matrim. l. 7. d. 42. n. 4.* Filiuc. *tr. 41. c. 8. n. 6. &c.* item contra Garc. *loc. cit. n. 17.* insistentem fundamento jam refutato, quòd talis sit omnino inhabilis ad contrahendum, adeóque solùm veniat privandus per sententiam; ac citantem insuper pro hoc gl. fin. Imol. *in c. 1. de cleric. conjugatis.* Enriquez. *in sum. l. 7. c. 36. §. 1.* Mascard. *concl. 182. n. 5. & 6.* qui etiam dicat esse communiorem. Sayrum Nav. Lopez. &c.

Quæstio 48. An ex consensu & auctoritate Episcopi sacerdos possit redire ad beneficium, postquam doluit de matrimonio à se nulliter contracto?

REspondet Azor. *p. 2. l. 7. c. 16. q. 8.* affirmativè; eò quòd *in c. sanè. de Cleric. conjug.* concedatur Episcopo, ut juris rigorem hac in parte relaxare valeat eâ conditione; si clericus longam pœnitentiam egerit & laudabilem vitam: verùm id intelligendum de alio beneficio; beneficium siquidem quod is amisit, dum diu vacare non debet, usque dum is longam pœnitentiam agat; vel certe denuo vacaret possessore intermedio defuncto; aut etiam si adhuc à prima vacatione pergeret vacare. Intelligendum tamen non est, quòd illud denuo possit adire, etiam post actam pœnitentiam sinè nova collatione, juxta dicta supra.

Quæstio 49. An, & quid probandum impetranti beneficium vacans ob contractum matrimonium?

1. REspondeo primò: debet probare factum ipsum matrimonii contracti formaliter per verba de præsenti; adeóque non sufficit probare sponsalia. Lott. *l. 3. q. 26. n. 73.* non tamen tenetur probare subsecutam copulam; quia, ut dictum etiam matrimonium non consummatum parit dictum effectum amissionis beneficii.

2. Respondeo secundò: hoc ipsum factum matrimonii debet probari indubitanter, ut ex eo inducatur vacatio beneficii. Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 8.* ubi addit, hinc non sufficere, quòd lata esset sententia pro validitate matrimonii, si pendet causa restitutionis in integrum: pro quo citat Calder. *decis. 180. n. 1.* quod tamen credo non subsistere in casu attentati matrimonii; sufficeret enim hanc attentationem probari indubitanter, etsi matrimonium esset, & per sententiam declararetur nullum; idque consequenter dictis.

Quæstio 50. An, & qualiter vacet beneficium per ingressum religionis?

1. REspondeo: per professionem religiosam tacitam vel expressam beneficia in statu sæculari obtenta ipso jure vacant. Lott. *l. 3. q. 26. nu. 8.* (ubi: quòd quando obtinens in titulum beneficium sæculare efficitur religiosus, per ingressum religionis inducitur vacatio ipso jure) C. de Luca. *de benef. d. 62. nu. 4.* Castrop. *loc. cit. p. 3. §. 7. n. 1.* Garc. *p. 11. c. 9. n. 1.* Gonz. *gl. 15. n. 45.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 14. nu. 3.* citatis quàmplurimis juxta *c. beneficium. de regularib. in 6.* & ibi DD. communiter: ex quo textu etsi aliqui, ut Pavin. *de pot. cap. sed. vac. prælud. 7. n. 10.* Staphil. *de lit. grat. tit. de var. mod. vac. modo 6. nu. 1.* simplicem vacationem desumant; rectiùs tamen inde deducitur, quòd vacatio hæc inducatur ipso jure. Lott. *loc. cit.* citans pro hoc Tholosan. *de benef. c. 25. n. 18.* Rotam *in Toletan. benef. 6. Iunii 1605.* Ratio autem hujus datur à Castrop. *loc. cit.* quia per professionem religiosam religiosus redditur incapax dominii, & habendi quid proprium. sic Lott. *loc. cit. n. 9.* rationem hujus vacationis in incompatibilitate statûs regularis cum ipso beneficio constituit. Pari modo ipso jure vacant omnia jura ad beneficia, & pensiones Ecclesiasticæ amittuntur. Card. Luca *loc. cit. n. 5.* Castrop. *loc. cit.* citans Sanch. *in Decalog. c. 4. n. 5. & 15.* Barb. *loc. cit.* & citati ab eo pro primaria responsione.

2. Dixi primò: per professionem religiosam; qualis quia non est, quam emittunt quorundam ordinum militarium professi, puta equites S. Jacobi Calatravæ, Alacantaræ &c. utpote qui religiosi non sunt, per hanc professionem non vacant eorum beneficia & pensiones (vide tamen quæ habet Garc. *p. 7. c. 10. n. 9.* ubi ex Hojeda; quòd com-

Commendatario ordinis S. Jacobi Calatravæ & Alacantaræ, & similium admitti non possint ad beneficia sæcularia, cùm sint religiosi, & Canonicorum S. Augustini Regulam teneant; Et quæ habet idem Garc. *p.* 1. *c.* 4. *à nu.* 21. ubi: quidquid sit de hoc, an sint verè religiosi, an solùm largo modo (quod secundum rectiùs dicitur) sunt tamen personæ Ecclesiasticæ, & ad effectum, ut non possint habere beneficia sæcularia, censeri regulares, ut constat ex *constitut.* 71. *Pii V.*) secus est de Equitibus S. Joannis seu Melitensibus, utpote qui professionem religiosam emittunt, & sunt propriè religiosi. Barb. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. nu.* 2. citans Sanch. *l.* 7. *in decal. c.* 29. *n.* 4.

3. Dixi secundò: per professionem expressam vel tacitam; circa quod obiter hic observandum primò: professionem tacitam illam dici, quæ infertur per conjecturas & signa extrinseca. Lott. *l.* 3. *q.* 26. *n.* 38. & fieri censetur per actum aliquem professis proprium, v. g. per præsentiam in Capitulo & actibus Capitularibus, & ferendo suffragium; ac præcipuè per gestationem habitûs professorum distincti ab habitu non professorum (non distinctione aliquâ latente, puta, ex benedictione, sed patente ex colore, vel scissurâ, aliáve extrinseca formâ. Lott. *n.* 42.) scienter suscepti (intellige solenniter de manu habentis potestatem. Lott. *n.* 39. citans Decian. *conf.* 18. *nu.* 11. *l.* 3. Gratian. *discept. for. c.* 40. *n.* 37. item sciente Capitulo; si enim aliàs novitius exacto probationis anno continuaret in gestatione habitûs professorum, etiam distincti, non sciente vel consentiente Capitulo, non induceretur tacita professio; eò quòd non sufficiat ad hoc, quòd ingressus religionem declaret facto aliquo se profiteri; sed exigitur simultanea acceptio Superioris & Conventûs. Lott. *n.* 47. citans Menoch. *lib.* 6. *præsump.* 83. *n.* 15. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 5. *q.* 3.) & delati ad dies aliquot; hoc enim ipso fit tacitè professus & religioni obligatus, vide Engels *ad. tit. de regular. n.* 25. dum de cetero per habitûs, quem novitii soli gestare solent, gestationem, etiam ad viginti annos non induceretur professio tacita. Lott. *n.* 43. ex Abb. *in c. ex parte. de regular. n.* 3. Secundò: hanc tacitam professionem per Trid. *sess.* 25 *de regular. c.* 15. nec alibi sublatam esse, Lott. *loc. cit. nu.* 40. Engels *loc. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 9. *nu.* 8. juxta declarationem sacræ Congreg. modò tamen servetur forma & modus à Trid. *loc. cit.* præscriptus; ut scilicet actus ille, per quem inducitur hæc tacita professio, fiat liberè, scienter, cum intentione profitendi post annum 16. ætatis, & tempus novitiatûs absolutum à religione acceptetur &c. Engels & Garc. *ll.* cit. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 24. *n.* 12. Barb. *ad cit. c.* 15. *Trid.* Porrò his non obstantibus, si dispensetur cum novitio, inducenda aliàs per professionem vacatio impeditur, etiam secutâ professione, sive hæc dispensatio fiat per modum commendæ per Papam, sivè aliter, ut non ipse religiosus, sed monasterium ex ejus persona fruatur beneficio, ut Staph. *de lit. grat. tit. de var. mod. vac. modo* 6. *n.* 4. Lott. *cit. q.* 26. *n.* 14.

Quæstio 51. *Num professione existente nullâ, vacent adhuc beneficia, sicut dictum de matrimonio nulliter contracto?*

REspondeo negativè; sed declaratâ professione nullâ repetere, seu adire potest suum beneficium: sivè hæc nullitas proveniat ex defectu ætatis, sivè ex defectu vel interpolatione Novitiatûs, vel aliunde. Lott. *cit. q.* 26. *n.* 32. disparitas videtur ex eo erui, quòd ut dictum, beneficiatus contrahens matrimonium deserat electionem statûs melioris, ob quod punitur dictâ privatione beneficii; in præsenti autem assumitur vel attenditur status melior, ob quod nemo privandus.

Quæstio 52. *An etiam citra emissam professionem per ingressum religionis (prout contingit in Societate Iesu, ubi vota emissa post biennium Novitiatûs simplicia constituunt verè religiosum, speciali jure, seu pontifice sic statuente; adeóque ibi ingressus in religionem distinguitur ab emissione professionis, per quam aliàs in aliis ordinibus ingreditur quis religionem) vacent beneficia præhabita?*

REspondeo: per dictum ingressum religionis in Societate non vacant ipso jure habita aliàs tempore noviatûs beneficia, nec pensiones, sed has & illa validè & licitè retinere possunt, tametsi non possint de illis, eorúmque fructibus sine consensu Superioris sui, saltem licitè, disponere; quia per dicta vota non privantur dominio. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *t.* 14. *n.* 5. Sanch. *in Decalog. l.* 7. *c.* 29. *num.* 10. Veruntamen ex præscripto ipsius Societatis, nimirum *can.* 5. *congreg.* 3. *generalis.* antequam dicta vota simplicia emittantur, seu ante ingressum in societatem beneficia quæcunq; Ecclesiastica habita resignare debent, non obstante *Can. congreg. primæ.* quo cautum aliàs erat, ne nostri, qui tempore novitiatûs haberent beneficia, cogerentur ea relinquere ante professionem, nisi jubente Generali, Commissario, vel Provinciali post annum primum probationis. Atque ita modò post expletum Novitiatum vacant eorum beneficia non aliunde, quàm vi dictæ resignationis factæ. Castrop. *loc. cit.* Sanch. *loc. cit. n.* 7. de cetero per professionem solennem, uti & per vota Coadjutorum (utpote per quæ redduntur omnino incapaces bona vel jura acquirendi & retinendi) vacant ipso jure beneficia ab iis habita in sæculo. Barb. *loc. cit. n.* 4. Castrop. *cit. n.* 7.

Quæstio 53. *Quid hac in re dicendum de Conversis?*

1. REspondeo primò: supponendo juxta *c. ut lex.* 27. *q.* 1. duplex esse genus Conversorum, videlicet professorum, & non professorum. Lott. *l.* 3. *q.* 26. *n.* 21. Conversus professus dicitur, qui ingressus monasterium vel Ecclesiam regularem non simpliciter tantùm obedientiam, sed formaliter emisit obedientiam monachalem, æquipollentem professioni, qualis dicitur ea juxta Archid. *in cit. c. ut lex.* ubi quis abnegat propriam voluntatem, & deinceps eam (intellige plenè, & in omnibus, & in perpetuum) subjicit voluntati Superioris regularis. Lott. *loc. cit. à nu.* 19. Conversus non professus est, qui solùm ingressus monasterium assumpsit habitum, & simpliciter obedientiam promisit citra formalem illam emissionem obedientiæ monachalis. Infertur ex iis, quæ habet Lott. *loc. cit. n.* 18. quem in finem notanda, quæ habet Lott. *ibid. à n.* 15. ex Gemin. *in c. beneficium. de regular. in* 6. *n.* 5. ubi: quòd valde inter se differant hæc duo; ingredi monasterium, & ingredi religionem; ac proinde ex uno ad aliud male inferri; ingressus enim monasterium conficitur

per

per assumptionem habitûs ; ingressus in religionem non nisi per professionem , seu emissionem 3. votorum substantialium solennium , intellige , extra societatem Jesu. hoc supposito,

2. Respondeo secundo: Conversum professum hoc ipso amittere per talem professionem beneficia ; Conversi verò non professi beneficia, si quæ habet, non videri eo ipso per talem ingressum amitti, pari ferè ratione , quâ paulo pòst dicetur de Novitio ; licet enim Conversus , ut ait Lott. *loc. cit. n.* 18. per transitum ad Ecclesiam regularem intelligatur voviſse , & renunciare propriis, ut *gl. in cit. c. ut lex.* possitque videri transiviſse ad statum incompatibilem cum beneficio ; id tamen non intelligendum , nisi quando secuta esset formaliter emissa illa obedientia monachalis, æquipollens professioni, ac si evaderet Conversus professus.

Quæstio 54. An vacent beneficia per ingressum monasterii, seu per Novitiatum , præcipuè, si is ultra tempus consuetum produceretur ?

Respondeo ad primum negativè : seu novitium retinere sua beneficia. Castrop. *loc. cit. n.* 3. Lott. *cit. q.* 26. *à nu.* 10. *& n.* 24. cum communi, constat expresè ex *cit. c. beneficium. de regular.* si quidem ante professionem expressam seu verbalem, vel tacitam non potest prætendi status ille incompatibilis impressus ; cùm novitius (ut cum gl. *in cit. c. beneficium. v. conferre* inquiunt Nav. *conſ.* 4. *de Sacramentis non iterand.* Sayr. *in floribus. deciſ.* 14.) teneat medium quendam statum inter secularem & religiosum , & sit quasi dubius de statu suo futuro. Lott. *n.* 10. *&* 11. adeòque non tantùm retinet suum beneficium , sed etiam est capax aliorum , si quæ illi conferantur. Lott. *nu.* 13. de quo postremo actum à nobis alibi. Unde etiam , sicut ingressus mònasterium , receptúsque ad habitum , si quidquam conferat, donétque monasterio , & mox ad sæculum regrediatur , omnia donata habet ut prius , resolutâ donatione , etiam citra aliquod pactum. Lott. *n.* 23. citans Nattam. *conſ.* 180. *n.* 5. Dec. *conſ.* 56. *nu.* 5. Rodriq. *de regular. tom.* 2. *q.* 48. *a.* 12. *&c.* ita etiam remanet cum suis beneficiis , etiamsi ea resignavit spontè, sub iis nempè circumstantiis, de quibus *c. beneficium.* & sub ea forma & tempore, quæ præscripsit Trid. *seſſ.* 25. *c.* 16. *de regular.* dicitur enim ibi ; quòd ea resignatio sortitura non sit effectum, nisi secutâ professione , adeóque suspensa manet executio , donec facta sit professio , tametsi , factâ professione non dicatur in eo casu vacare beneficium per professionem , sed per factam resignationem ante professionem. Lott. *n.* 25. Verùm an & qualiter ingressus, vel ingressurus monasterium resignare possit , de hoc infrà.

Quæstio 55. An vacent si novitiatus produceretur ultra consuetum tempus ?

Respondeo : dum absoluto consueto Novitiatûs tempore is prorogaretur , non censetur adhuc vacare novitii beneficium ; tum quia prorogatio Novitiatûs fit cum qualitatibus sibi propriis : tum quia factâ hâc prorogatione , liberum est Novitio ad sæculum redire ; si autem tempore illius prorogationis amitteret beneficia , per hoc diminueretur illa libertas. Castrop. *cit. nu.* 3. citans Sanch. *in Decalog. l.* 7. *c.* 4. *n.* 6. Mandos. *in casibus Annalibus, n.* 63. *c.* 192. procedítque idipsum non solùm, ubi ex justa causâ prorogaretur Novitiatus, v. g. dum ei, qui anno 14. ætatis ingressus Novitiatum absolvendum intra annum Novitiatûs prorogatur ad annum *16.* quia ante hunc nequit emittere professionem juxta Trid. non vacant illius beneficia secundo illo anno prorogati Novitiatûs. Castrop. *cit. n.* 3. citans Sanch. *ubi ante.* & Lancellot. *inſtit. juris can. l.* 1. *cit. de regular.* §. *etsi contigerit* ; Verum etiam , ubi absque causa prorogaretur, & differretur professio ; quia solùm cautum, ut professione vacent beneficia. Castrop. *loc. cit. n.* 4. qui tamen ait, in hoc casu posse Episcopum , cui beneficium Novitii subijcitur , agere contra Novitium tanquam illegitimè absentem, & procedere usque ad beneficii privationem, quod intelligendum de beneficiis residentiam requirentibus.

Quæstio 56. Ad quem ergo spectent fructus beneficii retenti à Novitio tempore Novitiatûs ?

Respondeo : fructus perceptibiles ex illo beneficio in absentia, acquiruntur Novitio, utpote qui verè retinet titulum & possessionem beneficii , & is de iis tanquam de bonis propriis disponere potest. Garc. *p.* 11. *c.* 9. *nu.* 28. Castrop. *loc. cit. n.* 5. citans Sanch. *ubi antè. n.* 18. Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 16. *n.* 12. In beneficiis verò iis, quæ fructus non habent in absentia, ut in Canonicatibus & præbendis , quorum fructus residendo lucrifiunt, non lucrabitur Novitius interim fructus. Garc. *loc. cit. num.* 31. idem est de distributionibus quotidianis, anniversariis, & similibus personalem residentiam requirentibus ; hæc Novitio non debent concedi ; quia non reputatur ut præsens ; cùm Novitiatus non sit ex causis à jure expressis , ob quas absens reputari debet pro præsente , etiam in ordine ad hunc effectum. Castrop. Suar. Garc. *loc. cit.* Porrò quid sit circa electionem, & nominationem , quæ etiam sunt fructus beneficii , an vocandus, nec ne sit Novitius ad eas , dictum est *in tr. de elect.* vide Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 57. Quid sit circa administrationem beneficii interea temporis ?

Respondeo : beneficium Novitii, si opùs est (hoc est si servitium requirat) tempore probationis administrari debet per Vicarium , congruâ illi portione fructuum assignatâ. Laym. *ad c. ex transmiſſa. de elect. num.* 4. remittens ad seipsum *l.* 3. *Th. mor. tr.* 5. *c.* 7. *q.* 5. Garc. *p.* 11. *c.* 9. *n.* 29. qui etiam *n.* 30. addit, quòd si curatum sit beneficium, deberet obtinere licentiam Ordinarii in scriptis, juxta decretum Trid. *seſſ.* 23. *c.* 1. & si Ordinarius nollet eam dare , esset appellandum & recurrendum ad Superiorem.

Quæstio 58. Qualiter concipienda supplicatio in impetratione beneficii vacantis ob ingressum religionis , & hæc causa narrata verificanda ?

1. Respondeo ad primum : debet narrari ingressus monasterii vel domûs regularis , ac insuper addi , talem in ea domo professionem emisisse. Lott. *l.* 3. *q.* 26. *n.* 29.

2. Respondeo ad secundum primò : debet emissio professionis verificari coram executore. Lott. *n.* 30. juxta *deciſ.* Gregor. 382.

3. Secun-

3. Secundò: videtur sufficere probatio semiplena per famam. Lott. *n.*31. dicens, sic videri supponere dictam Gregor. decis. Et sic videri voluisse Rotam *decis.*1119.*n.*1.*l.*3.*p.*3. *divers.* Idque, dum ipse ingressus religionem non contradicit; jam enim agitur de nullius, vel certè modico ejus præjudicio; cùm quandocunque declaratâ nullâ professione, repetiturus sit suum beneficium. Lott. *n.*32.

4. Tertiò: tametsi æquè obliget professio tacita ac expressa; quia tamen longè fortior (intellige ad generandam certitudinem) reputetur professio verbalis, & expressa propter formalem votorum emissionem; utpote quæ non admittit exceptionem vis & metûs (etiamsi præcesserit protestatio, nisi cum hac qualitate, quòd metus talis sit, qui cadat in virum constantem) & debilior professio tacita, etiam quæ fit ex delatione habitûs, utpote quæ non effertur ultra vim probationis præsumptæ; & hinc admittit exceptionem præexistentis metûs cujusvis, de quo protestatum, ut Innoc. Abb. *in c.* 1. *de his, quæ fiunt metûs causâ*: hinc, inquam, perpendenda diligenter sunt per impetrantes ex hac vacatione, quæ dicta sunt suprà de professione tacitâ. Lott. *n.* 48. præter quæ & illud est, quòd ait Lott. *n.* 45. citato pro hoc Gemin. *in c. non solùm. nu.* 6. *de regular. in* 6. & Abb. *in clem. Clerici n.* 3. licèt multa sint signa, ex quibus colligitur animus profitendi, nihilominus nullum ex his attendi, si extra Conventum fiat.

Quæstio 59. *An, & qualiter vacet beneficium per militiam sæcularem?*

1. Respondeo primò: vacat ipso jure per hoc, quòd quis ingreditur militiam, seu fit miles sæcularis. Paris. *de resig. l.* 1. *q.* 1. *n.* 22. Lott. *l.* 3. *q.* 26. *n.* 84. Gonz. *gl.* 14. *nu.* 36. *& gl.* 15, *nu.* 54. qui omnes tres citant gl. *in c. ult. de Cleric. non resid. v. redierint.* Gigas. *de pension. q.* 55. *n.* 2. Julius Clar. *in pr. crimin. §. fin. q.* 73. *&c.* Item Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. *in fine.* Tond. *p.* 2. *c.* 5. §. 5. *nu.* 19. & plenius *p.* 2. *c.* 74. *n.* 12. Barb. *l.* 3. *juris Eccl. c.* 14. *n.* 41. qui AA. omnes dant eandem rationem, quæ est in contrahente matrimonium; nempe quòd talis assumendo statum illum militiæ sæcularis incompatibilem cum beneficio, hoc ipso censeatur habere beneficium pro derelicto, & illi tacitè renunciare. quod usque adeo verum est, ut si ex integro redeat ad clericatum, non recuperet beneficium, quamvis illud nondum alteri esset collatum; quia jam per militiam fuit inducta vacatio, quæ sinè nova collatione non extinguitur. Barb. *loc. cit.* & Ricciull. *de jure personar. l.* 7. *c.* 5. *n.* 17.

2. Respondeo secundò: idem procedere in beneficiato in sacris constituto; uti id infertur ex dictis de tali contrahente matrimonium ob eandem rationem; quamvis contrarium tradat Barb. *loc. cit. n.* 32. ex Ricciull. *ubi antè nu.* 31. ubi is post multos, quos refert, resolvit, in clerico in sacris constituto non censeri per hoc ipso jure inductam vacationem beneficiorum; sed magis venire inducendam per sententiam.

3. Respondeo tamen tertiò: contra eundem Ricciull. in quantùm apud Barb. *loc. cit. nu.* 19. & 20. dicit, quòd etiamsi talis beneficiatus, postquam fuerit in matriculam militum inscriptus pœniteat, & paucis post diebus, antequàm sæva exerceat, deposito cingulo militari iterum vestes clericales reassumat, adhuc tamen dicatur recessisse à statu ordinis, hoc est, clericali, ita ut nova clericalis habitûs reassumptio ad recuperanda beneficia, quæ ante militiam obtinebat, & per eam ipso jure vacârunt, ipsi non sufficiat: limitandam videri responsionem primam; nempe quòd beneficiatûs per hoc præcisè non fit privatus ipso jure beneficiis, aut illis tacitè renunciâsse censeatur, quòd se militiæ sæculari adscribi fecit, nisi insuper militiam sequatur, & arma militaria exerceat; ac proinde, dum Gl. *in c. sui. de cleric. non resid.* dicit, quòd ex quo quis factus est miles, censetur habere Ecclesiam pro derelicto, & quòd Episcopus statim ejus beneficium conferre possit, id intelligendum cum effectu; nempe quando exercet in effectu militiam, ita ut sola descriptio non sufficiat ad privationem ipso jure. Tond. *cit. c.* 74. *n.* 13. *&* 15. citans pro hac limitatione Rebuff. *in tr. de nominat. q. fin. nu.* 18. *&c.* eamque confirmans ex eo, quòd militia cleticis solo jure positivo Ecclesiastico interdicta; quæ tamen confirmatio non est solida; cùm plura prohibeantur clerico solo jure positivo Ecclesiastico, sub pœna tamen privationis ipso actu. Eandem limitationem tradit Azor. *loc. cit.* dum ait: si beneficiarius miles factus, ad bellum progressus, in eo dimicat, hoc ipso beneficium pro derelicto habere intelligitur, & Ordinarius potest illud alteri conferre. Idem tradere videtur Lott. *loc. cit. n.* 90. ubi ait, hæc quòad hanc pœnam amissionis beneficii ipso jure non ita de plano procedere intelligerem, saltem ubi ad sæva non est deventum, nisi tamen vel ipsa solius habitûs clericalis abjectio hanc pœnam hodie inferret ex *constitut. Sixti V. sub dato* 5. *idus Januarii.* 1588. quæ in Bullario novo est 93. verùm de hoc postremo inferiùs. vide tantisper de hoc Lott. *cit. n.* 90.

Quæstio 60. *An, & qualiter vacet beneficium per captivitatem, maximè diuturnam, & apud infideles, vel incarcerationem perpetuam, quæ referri posse videntur ad mortem civilem?*

1. Respondeo ad primum negativè: C. Luca. *de benef. d.* 16. *à n.* 11. neque enim Christiani, dum ab infidelibus, aut hæreticis in odium fidei capiuntur, eorum servi efficiuntur, aut jura sua civilia vel Ecclesiastica amittere censendum est. Laym. *ad c. si Episcopus. de suppl. negli. Prelat. in* 6. dum autem *cit. c. si Episcopus.* dicitur, quòd Episcopo in captivitatem redacto Ecclesia vacare censeatur, & jurisdictio ad Capitulum devolvatur, non declaratur, Ecclesiam per Episcopi captivitatem verè viduatam; quia sit ita esset, disponeretur utique, eam de novo pastore, seu sponso providendam esse; jam verò in *cit. c.* solùm adhibetur remedium provisionale, quod non solùm intrat ob impedimentum resultans à captivitate, sed etiam ex quocunque alio (puta amentiâ vel profectione Episcopi in partes remotas, non cõstituto vicario, ut Laym. *loc. cit.*) ob quod Capitulum suscipit Ecclesiæ administrationem, donec à Sede Apostolica aliud ordinetur. C. Luca. *loc. cit. n.* 11. licèt autem tunc perinde censeri debet, ac si sedes vacaret, Laym. *loc. cit.* & in casu hujus impedimenti adhiberi videatur & soleat terminus *viduitatis*; id tamen fit per quendam improprium loquendi modum; quemadmodum, etsi mulier habens virum captivum, vel etiam deportatum, aut ad triremes damnatum, aut capitaliter bannitum, reputatur vidua,

dua, & gaudet privilegiis de jure viduæ competentibus, ut Ridolphin. *in pr. p. 3. c. 4. nu. 19. & seq.* non tamen sequitur, matrimonium esse solutum, illamque verè viduam esse; ita ferè C. Luca. *loc. cit.* unde jam etiam infert idem Card. *n. 13. juncto n. 3.* quòd si beneficiatus moriatur in captivitate, vacent beneficia ejus per mortem naturalem, debeátque attendi tempus mortis hujus naturalis, non verò civilis, nempe captivitatis, non attento hac in parte, seu in materia Canonicâ beneficiariâ jure civili (ut communiter scribentes *in l. ex omnibus. & l. seq. ff. de captivis & postliminiò reversis.*) disponente, quòd moriens in captivitate ex fictione *legis Cornelia* fingatur mortuus ipsâ præambulâ captivitatis horâ, ad quam mors naturalis, licèt ex longo intervallo secuta, retrotrahatur, dum versamur in materia spirituali & Canonicâ, in qua habemus sacros Canones, Apostolicas constitutiones, ac regulas particulares, cum quibus, & non cum jure civili procedi debet, potissimum cùm jus Canonicum non facilè admittat istiusmodi fictiones continentes mendacium, etsi non peccaminosum.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè, conficitur ex eo, quod tradunt Tond. *p. 1. c. 27. n. 25.* & Lott. *l. 3. q. 33. à n. 53.* si enim clericus legitimè condemnatus ad perpetuos carceres (quæ pœna æquiparatur pœnæ damnationis ad metallum) non propterea privatus est beneficiis, dum aliud nihil dictum in sententia, ut isti AA, & de quo nos infrà. Neque delictum, ob quod damnatus, inducit ipso jure hanc privationem, multò minus censetur ipso jure privatus, dum injustè detinetur perpetuo carcere; & de eo idem ferè dicendum videtur, quod antè dictum de captivo, quòd quasi, non verò verè vacet ejus prælatura vel beneficium, ut ab alio impetrari possit.

CAPUT SECUNDUM.

DE VACATIONE PER ASSECVTIONEM ALTERIVS BENEFICII.

PARAGRAPHVS I.

De incompatibilitate beneficiorum ob unius sufficientiam ad sustentationem, & hinc ortâ vacatione beneficiorum præhabitorum.

Quæstio 61. Per modum prænotandi, quid, & quotuplex beneficiorum incompatibilitas?

1. REspondeo ad primum: beneficia ea dici incompatibilia, quæ in eadem personâ consociari, seu ab uno simul haberi non possunt.

2. Respondeo ad secundum: beneficiorum alia sunt jure compatibilia; quæ neque jure communi, neque statuto aut consuetudine simul ab uno haberi prohibentur, eò quòd in iis deficiat cura animarum, residentia, existentia sub eodem tecto, ratio dignitatis, personatûs; ob quas qualitates, seu circumstantias in aliis beneficiis repertas ea simul haberi vetantur à jure communi, statuto vel consuetudine, ac propterea jure (intellige positivo humano, & præscindendo veluti à jure naturæ & divino) dicuntur compatibilia. Azor. *p. 2. l. 6. q. 1.* Porrò incompatibilia alia sunt & dicuntur incompatibilia simpliciter, seu primi generis; quorum nimirum unum ipso jure excludit alterum, SS. Canonibus sic statuentibus: alia incompatibilia secundùm quid, seu secundi generis; quæ etsi licitè simul haberi nequeant, non tamen ita pugnant inter se, ut præhabitum vacet ipso jure, obtento alio; sed solùm altero eorum privari quis possit per Superiorem. Pirh. *ad tit. de præb. n. 124.* Less. *de just. l. 3. c. 34. n. 140.*

Quæstio 62. An, & qualiter jure naturæ vetita pluralitas beneficiorum, seu unum eundemque habere plura simul beneficia, præscindendo an simplicia, nec ne; an existentia in eadem, vel diversa Ecclesia; an conformia, an difformia; an residentiam requirant, necne; an eorum unum sufficiens vel insufficiens ad honestam clerici sustentationem?

1. REspondeo primò: idipsum esse suo modo contra jus naturæ. D. Thom. *quod l. 9. a. 15.* Thom. Hurtado. *de residentia. tom. 1. l. 6. resol. 6. n. 1.* citans pro hoc Cajet. *in sum. v. beneficium. n. 5.* Host. Anchar. Sylv. Armill. Tabien. Tho. Sanch. &c. dicens, in hoc D. Thomæ adhærere Theologos ferè omnes: quia solitariè consideratum (hoc est præscindendo à circumstantiis & justis causis) inordinationem quandam involvit; dum vel sic minuitur cultus divinus; unus enim habens duo beneficia non recitat bis horas Canonicas, Ecclesia suis destituitur ministris &c. Less. *loc. cit. n. 124.*

2. Respondeo secundò: quamvis igitur non sit ita indifferens, ut est bibere, ambulare &c. sed speciem mali præseferat, & dictam inordinationem aliquam involvat. Pirh. *de præb. n. 124.* non est tamen ita intrinsecè malum (ut est fornicatio, adulterium, mendacium, quæ nullo unquam casu fieri licitè possunt, ideóque nec dispensatio in iis locum habet) quin concurrentibus circumstantiis aliquibus ita honestari valeat, ut licitum evadat. Pirh. Less. Hurt. *ll. cit.* juxta eandem D. Thomæ doctrinâ, ac proinde iis circumstantiis positis, jus illud naturale relaxari possit ab homine; sivè

hæc dicenda sit relaxatio, & propria dispensatio, seu potiùs declaratio, quâ declaretur, quòd hìc & nunc jus naturale non obliget. Hurt. *loc. cit. nu.* 2. Item sive propterea habere plura beneficia dicatur contra jus naturale largè sumptum, ut Sanch. apud Hurt. *loc. cit.* sivè sit contra illud adhuc strictè sumptum, ut Hurt. non secus ac occidere hominem est contra naturale jus strictè & propriè sumptum, licèt accedentibus circumstantiis, evacuetur tota ejus turpitudo. Unde jam illud deducit Hurt. *loc. cit. nu.* 4. quod tradit D. Tho. nimirum, ubi jura humana circa hanc pluralitatem beneficiorum sunt abrogata in circumstantiis totaliter ejus turpitudinem evacuantibus, jam licitum esse, etiam sinè dispensatione habere plura beneficia: & cùm Papa dispensare possit in jure humano, posse uni conferre plura beneficia, ubi adsunt dictæ circumstantiæ. Item deducit & illud, quòd, si dictæ circumstantiæ non subsistunt, & dispensatus id agnoscat, non sit tutus in conscientia, de quo infrà. Putat tamen idem Hurt. in hoc casu non teneri dispensatum restituere fructus; eò quòd Papa eò ipso, quòd dispenset, videatur illi fructus donare, quorum Papa dominus est.

3. Respondeo tertiò: suppositò quòd ex juris communis dispositione beneficia omnia simplicia residentiam requirant, de quo postea, stante hoc jure, & non abrogato per consuetudinè contrariam, jam quoque tenebitur beneficium simplex habens ex jure naturæ residere, hac obligatione naturali fundatâ in pacto beneficiali cum Ecclesia, quæ ei beneficium dedit non aliter, quàm ut resideret, & servitium suum præsens ipse & per se exhiberet in Ecclesia. Hurt. *loc. cit.* §. 4. *à n.* 2. atque ita pluralitas beneficiorum erit in hoc sensu jure naturæ vetita, verùm ut vides non præscinditur hìc à residentia.

Quæstio 63. *An, & qualiter jure communi positivo, nempe canonico, prohibeatur pluralitas beneficiorum sic solitariè considerata, id est, sine respectu ad sufficientiam, residentiam &c.*

REspondeo quamvis SS. Canones semper exolàm habuerint pluralitatem beneficiorum (intellige etiam quorumlibet) in unâ eàdemque persona. Lott. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 2. vix tamen ullibi ita in abstracto damnatur dicta pluralitas, quin in illis canonibus prohibentibus vel mentio fiat sufficientiæ vel residentiæ, aut ad illam, tanquam in quo potissimum ista beneficiorum plurium incompatibilitas originetur, reflectatur, ut patet ex pluribus canonibus adductis ab Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q* 2. patetque item ex rationibus, ob quas jura damnant beneficiorum pluralitatem, adductis in ipsis canonibus, quas omnes conglobat Joannes XXII. *in Extrav. Execrabilis.* de quo vide Azor. *loc. cit. q.* 12. unde cùm Innoc. *in c. jam dudum. de præb. & in c. dudum, de Elect.* quem sequuntur Calder. Lap. Jo. And. Gemin. &c. apud Azor. *loc. cit.* censent plures, jure communi non vetari pluralitatem beneficiorum, quando simplicia sunt, & residentiam non requirunt: Et AA. qui contrarium sustinent, nimirum prohiberi à jure communi hanc pluralitatem, vel expresè loquuntur in casu sufficientiæ unius ex illis ad honestam sustentationem, aut fundant se in residentia, quam olim beneficia omnia, etiam simplicia ex juris positivi dispositione requirebant, ut videre est apud Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 3. *q.* 1. dicentem esse hanc inter canonistas communem, nimirum pluralitatem hanc vetari à jure communi positivo, eámque confirmat pluribus, & citat pro ea plurimos.

Quæstio 64. *An duo beneficia simplicia non requirentia residentiam, dum unum eorum non est sufficiens ad honestam clerici sustentationem, conferri possint & haberi ab eodem, idque sine Superioris dispensantis auctoritate.*

1. REspondeo ad primum affirmativè: Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 147. (addens id procedere, etiamsi essent canonicatus, quin etiamsi beneficium sit Canonicatus Cathedralis, vel Ecclesia parochialis, vel dignitas insufficiens, posse cum ea obtineri aliud simplex non requirens residentiam, & utrumque casum satis colligi ex verbis Trid. *sess.* 24. *c.* 13. *&* 17.) Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 5. §. *at dices*, & §. *si roges.* id omnino supponens & expresè, & directè *c.* 10. *q.* 3. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 135. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 262. & AA. communiter juxta clarum textum Trident. *sess.* 24. *c.* 17. ubi: *unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; & quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre &c.*

2. Porrò id sic intelligendum secundùm Auctores *paulò pòst* pro hoc citandos, ut quamvis vihujus decreti, etiam absque ulla alia dispensatione (ut dicetur paulò post) possit quis habens jam unum insufficiens, insuper aliud, etiamsi illud per se solum sufficiens esset, obtinere, & cum illo insufficiente præhabito retinere; non possit tamen jam habens sufficiens obtinere, aut simul retinere aliud insufficiens secundum idem Trid. *loc. cit.* statuens quoque, ut unum etiam beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 186. citans Fagn. *in c. cùm jam dudum. de præb. n.* 49. Ratio disparitatis est, quia qui primum sufficiens habet, cùm jam habeat congruam sustentationem, videtur ad impetrandum secundum moveri ex avaritia & ambitione, quæ sunt præcipuæ causæ, ob quas prohibetur pluralitas beneficiorum; at, qui non habet sufficiens, jure petit secundum ob honestam sui sustentationem; & quamvis ex accidente contingat, ut secundum per se solum sufficiat, petendo tamen non peccat; cùm id faciat lege permittente, ideóque non debet privari primo insufficiente; quia quod legitimè factum est, pœnam non meretur. Pirh. *ibid.* Fagn. *cit. n.* 49. 57. & 58. in quam sententiâ etsi inclinare videatur Garc. *cit. c.* 5. *n.* 302. contrarium tamen tenet *n.* 303. ubi ait: ad obtentionem secundi sufficientis vacare primum insufficiens; quia intentum concilii est, ne quis habeat duo beneficia, quorum unum sufficiens est de per se, sive illud sit primò collatum, sivè secundò.

3. Respondeo ad secundum etiam affirmativè; neque enim id jure naturali vetitum est, eò quòd, ut Azor *cit. q.* 3. §. *si objicias*, licèt jure Canonico quodlibet beneficium, etiam tenue & exiguum reputetur pro beneficio, tamen jure naturali non censetur beneficium; quia modicum pro nihilo habetur: adeóque nec dici potest Tridentinum in hoc dispensando relaxare jus naturale, aut etiam consuetudo id passim permittens, eidem derogare: si ta-

si tamen cum aliis loqui libet, & conformiter dictis *q. 2. hujus.* §. ac dicere, pluralitatem beneficiorum solitariè consideratam præ se ferre malitiam aliquam; dic hanc insufficientiam beneficii non residentialis secundùm omnes esse unam, eamque præcipuam circumstantiam, quæ turpitudinem illam penitus evacuet, ac ita Tridentinum, jura ipsa, & consuetudinem ubique receptam declarare, in hoc casu nullum esse jus naturale, vel jus naturale non obligare. Neque etiam est contra ullam legem Canonicam, dum quæstio ipsa supponit, non esse beneficia singula, aut duo ex istiusmodi pluribus residentialia; in qua tamen residentia fundantur leges vetantes pluralitatem beneficiorum. Et licèt jure positivo veteri beneficia omnia, quantumcunque simplicia, requirebant residentiam, & ad officium per ipsum beneficiatum exhibendum adigebantur omnes, & non nisi sub ea imbibitâ conditione, ac veluti pactatione concedebantur ab Ecclesia; huic tamen juri positivo passim contrariâ consuetudine derogatum est. Et sic paulatim Ecclesia cessit huic juri suo ex dicta pactatione acquisito, aut aliàs acquirendo; dum ampliùs sub ista conditione beneficia ejusmodi conferre non censetur, nisi dum fortè specialiter in his aut illis circumstantiis aliter ab ea, aut ex mente fundatoris, alióve speciali statuto cautum. Atque vel ex hoc ipsò patet, neque jure divino in his beneficiis exigi residentiam, contra quod aliàs nulla unquam prævalere potuisset consuetudo. vide hæc pluribus probantem Hurt. *de reſident. to. 1. l. 6. resol. 6. §. 6. per tot.* Garc. citantem pro hoc plurimos *p. 3. c. 2. àn. 3.* Lott. *l. 3. q. 27. n. 9.* & dicta à nobis alibi. Atque ita hac generali consuetudine stante, nullâ ulteriori opus esse relaxatione juris ad obtinenda simul duo beneficia insufficientia. Adeóque etiam nullâ interveniente dispensatione, talia duo concedere potest Episcopus. Pirh. *ad tit. de præb. n. 188.* Sed neque his obstat, quòd Papa velit, ut is, qui beneficium simplex, quantumvis modicum, habet, id exprimat in impetratione; de quo paulò pòst.

Quæstio 65. An ergo habenti duo non sufficientia conferri possint alia & plura, aliàs non incompatibilia, usque ad congruam sustentationem?

1. REspondeo: tametsi id olim ante Trid. fieri licitè & validè potuerit, authoritate etiam Episcopi. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 187. Azor. *p. 2. l. 6. c. 11. q. 8.* Garc. *p. 11. c. 5. nu.* 345. citans Abb. *in c. cùm jam dudum, n. 8.* Nav. *conſ. 10. & 19. n. 2. de præb.* Hojed. *p. 2. c. 1. n. 1. & 15.* idipsum tamen non licet, nec validè fieri potest stante Trident. utpote quod loquitur in singulari dicens: *liceat illi aliud sufficiens conferre.* Pirh. *loc. cit. n.* 187. Garc. *loc. cit. n.* 314. juxta declarationem S. Congreg. apud Gallemart. *ad cit. c. 17. sess. 24.* item juxta alia quàmplurima in contrarium responsa ejusdem congregationis concilii, quæ recitat Garc. *n.* 110. in quibus expressè dicitur, non posse citra consensum & dispositionem Apostolicam Episcopum habenti unum insufficiens conferre plura simplicia usque ad sufficientiam: quibus responsis consentit expressis verbis concilium provinciale Mediolan. *5. p. 3. tit. quæ ad beneficiorum collationem attinent.* apud Garc. *nu.* 313. Pro hac sententia rationem adducit Azor. *p. 2. l. 6. c. 11. q. 8.* quòd pluralitas beneficiorum, etiam insufficientium, si nimia & immodica sit, ab ipso jure reprobetur; ut dum quis 10. vel 8. talia simul beneficia obtinet; & quisque sibi ipsi imputare debeat, quòd beneficium collatum suæ sustentationi non sufficiens acceptarit, & ex artificio, industria, & aliunde victum non quærat: adeóque Trid. potuerit approbare consuetudinem, ut, cùm unum non est sufficiens, conferatur & alterum, facultate minimè datâ, ut quando 3. vel 4. non sufficiant, possint conferri plura.

2. Nihilominùs contrarium, nimirum id licere adhuc hodiedum, tenent apud Garc. *n.* 308. Hojeda *loc. cit. à n. 24. & à n. 32.* id probans pluribus, ac *n. 36.* dicens, hanc opinionem receptam esse, & approbatam Stylo curiæ; eò quòd post Trid. talia plura beneficia concesserint plures pontifices: ex quo tamen facto pontificum non videtur id sequi, nimirum licere idem Episcopis. Hojedam sequuntur Paris. *l. 3. q. 1. n.* 141. Quintanad. *l. 4. nu.* 119. Zerol. *p. 1. v. beneficium. §. 72. &c.* Zechus. *de rep. Eccles. c. de benef. §. ad dignoscendum.* a pud eundem Garc. qui etiam *n.* 309. citat pro hac sententia Rotam *in una Theatrensi S. Eustachii. 2. April.* 1587. inclinat quoque in hanc sententiam, saltem, ubi consuetudo sic habet, Azor. *p. 2. l. 6. c. 11. q. 8. in fine,* ubi: verior & probabilior videtur dicta sententia; nam ubi consuetudo viget, ut si multa vitæ clerici satis non sunt, aliud conferatur etiam authoritate Episcopi, & videmus Rom. Pontifices id factitâsse; id enim cum solo jure Canonico pugnat, adeóque solùm quæstio esse potest de inferioribus Ecclesiarum præsidibus, qui jus commune non relaxant, nisi in casibus sibi permissis; sed ubi id consuetudo recepta probat, non videtur negandum, quin id fieri possit solâ Episcopi voluntate, sicut ritè fieri potest solo Rom. Pontificis arbitratu &c.

3. Limitant tamen horum AA. aliqui idipsum cum Hojed. *p. 1. c. 21. n. 16.* apud Paris. *loc. cit. n.* 142. nisi fortè esset nimis magna multitudo beneficiorum, v. g. de quo dubitat Paris. si essent 10. vel 8. resolvit Paris. *n.* 143. in hoc dubio standum arbitrio judicis, qui secundùm qualitatem personarum, temporum id judicet.

Quæstio 66. An cum beneficio sufficiente ad honestam clerici sustentationem aliud etiam insufficiens simul haberi possit?

1. REspondeo: licitum non est obtinere duo aut plura beneficia simplicia, aut etiam conferre (intellige in ordine ad retinendum simul cum aliis; de cetero enim ut dicetur infrà, collatio secundi est valida) qualiacunque nullam requirentia residentiam; dum unum illorum, nempe præhabitum, ad honestam, & commodam sustentationem clerici sufficit. gl. *in c. dudum. de elect. v. retinere.* Abb. *ibid. n. 36. & in c. exstirpandæ. de præb. n. 34.* Hojeda. *p. 2. c. 19. n. 1.* Zerol. *v. beneficium. p. 4. n. 2.* Rodriq. *in sum. Th. 1. c. 31. n. 2. & 4.* Zechus. *de benef. c. 5. nu. 4.* quos præter alios citat & sequitur Garc. *p. 11. c. 5. n. 273. & 279.* Paris. *l. 5. q. 6. n. 115.* citans pro hoc Sot. *de Just. l. 3. q. 6. n. 3.* Nav. &c. ac dicens esse communem. Pirh. *ad tit. de præb. n. 125.* citans Laym. *l. 4. Th. mor. tr. 2. c. 8. n. 2.* ac dicens esse plerorumque Theologorum & Canonistarum. Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 6. n. 8.* ubi ait: in Trid. expressè cavetur, nemini habenti beneficium sufficiens esse concedendum aliud, subintelligendo ad effectum retentionis; & licet in Hispana videa-

tur contrarium consuetudine servari, ut passim Ordinarii habenti beneficium sufficiens conferant insuper aliud; sed non est servanda hæc consuetudo, cum sit contra Concilium &c. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 7. *q.* 4. ubi expressè, quòd nequidem duo beneficia præstimonialia, etiam per auctoritatem Episcopi simul haberi possunt, si eorum alterum sufficit ad honestam sustentationem. & *ibid. c.* 8. *q.* 6. ubi: *Capellania cum alio simplici non exigente residentiam simul haberi potest, modò alterutrum non sufficiat ad clericum sustentandum: ante Trid. enim constans fuit Doctorum opinio, duo beneficia etiam simplicia simul obtineri non posse, si unum ad sustentandum Clericum satis esset; sed hoc quamvis erat jure communi constitutum; consuetudine tamen quádam receptum fuerat, ut Episcopus posset duo beneficia simplicia eidem Clerico conferre, licèt unum eorum ad ejus vitam sufficeret; quam consuetudinem Trid. Synodus abrogavit.* Eadem ferè habet *ibidem c.* 9. *q.* 3. *junctâ q.* 6. *&* 10. *q.* 4. ubi: quòd Episcopus potest habenti portionem conferre aliud simplex beneficium, modò alterum non sufficiat ad clericum commodè sustentandum. & *c.* 11. *q.* 23. ubi ait id vetari per Trid. & *c.* 50. *q.* 6. ubi: quòd Episcopus dispensare non possit in hoc: ac denique *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 2. ubi ait, de jure communi id non licere.

2. Nihilominus contrariam sententiam cum Innoc. *in c. fin. de cleric. non resid. n.* 1. *& in c. jam dudum. de præb. nu.* 2. *&* 4. indistinctè tenente, licere habere plura beneficia, non requirentia residentiam purâ mente, non propter avaritiam & ambitionem, tenent gl. *in c. gratiam. de rescrip. in* 6. Card. *in c. cùm jam dudum, & in clem. gratiæ. de rescrip. n.* 12. Ferret. *cons.* 255. *nu.* 3. Rebuff. *in pr. tit. de dispens. ratione ætatis, v. in Cathedralibus,* & alii apud Garc. *n.* 264. *&* 265. qui omnes dicunt, quòd opinionem Innoc. servet consuetudo, quam Papa scit, & tolerat, & aliter dicendo totus mundus damnaretur. item hanc sententiam tenent apud eundem Garc. *n.* 266. Tusc. *concl.* 61. *l.* 13. Ledesm. *in sum. p.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *concl.* 11. Soto. *de just. l.* 3. *q.* 6. *a.* 3. *concl.* 4. Valent. *tom.* 3. *in secundam secundæ. d.* 5. *q.* 7. *p.* 2. indistinctè dicens, plura beneficia eatenus posse licite haberi ab aliquo, quatenus id fuerit usu, & probatâ consuetudine receptum: & alii; qui tamen auctores omnes id intelligunt, quando non est nimia coacervatio, quæ non potest carcere culpâ, & quandoque mortali & gravissimo scandalo. Garc. *num.* 267.

3. Verùm manifesta ratio stat pro sententia prima; primò: quia id non tantum jure positivo vetitum. Paris. *l.* 5. *q.* 6. *n.* 116. ubi: etiam secundum jus commune pluralitas beneficiorum prohibetur etiam in beneficiis non requirentibus residentiam. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 2. cum Abb. *in c. exstirpandæ. n.* 34. *de præb.* Hostien. *in c. super inordinata, tit. eod.* Sylv. *v. beneficium,* 4. *n.* 2. quos uterque citat, ac potissimum id vetatur *c. singula. d.* 89. ubi: *singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus.* & *c. Episcopi. d.* 80. *singuli presbyteri per singulos titulos constituantur;* sed & novissimè manifesto Tridentini decreto *sess.* 24. *c.* 17. interdictum. Paris. *loc. cit. n.* 115. ubi ait, Concilium hic loqui etiam de Cardinalibus. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 11. *q.* 23. Quin & est contra jus divinum & naturale. Azor *p.* 2. *l.* 6. *q.* 6. *& q.* 5. *§. certe negari.* & *p.* 2. *l.* 6. *q.* 12. ubi expressè ait multò veriorem sententiam, & sic se longè verius putare, quòd jus naturale vetet, quò minùs quis duo beneficia etiam simplicia, etiam in quibus nullo jure residere cogatur &c. habeat. Paris. *loc. cit. n.* 118. Pirh. *n.* 127. juxta D. Th. & dicta ex illo suprà *q.* 2. *hujus. §.* sic Vasq. *in opusc. d. benef. c.* 4. §. 2. *à nu.* 192. tradit, illicitum esse jure naturæ pluralitatem beneficiorum, non solùm simplicium servitium habentium, eò quòd residentiam exigant. & *nu.* 206. in præstimoniis, hoc est beneficiis omnino simplicibus, nullum servitium habentibus, eodem jure id illicitum; eò quòd proportio justitiæ distributivæ non servetur, dum uni datur, quod pluribus erat conferendum &c. de qua tamen ejus ratione constabit melùs ex *sequentibus quæst.* De cetero patent hæc ex ratione, quam ponit Trid. in principio dicti decreti, & fusè deducit Joannes XXII. *in extrav. execrabilis. de præb.* cùm Ecclesiasticus ordo pervertitur, quando unus plurium occupat officia Clericorum &c. Turbatur siquidem hic ordo haud dubiè, dum diminuitur cultus divinus, uno loco plurium instituto; dum esse possunt in illis beneficiis multi beneficiati, qui horas Canonicas recitarent, & preces pro fidelibus offerrent quotidiè (quia beneficiati sunt legati & intercessores populi ad Deum, pro ejus gratiâ & peccatorum venia impetrandâ, juxta D. Thom. 3. *p. q.* 22. *a.* 1. *&* 4. *& q.* 26. *a.* 1. Nav. *in man. de orat. c.* 18. *n.* 1. apud Paris. *loc. cit. n.* 117.) dum Ecclesia plurium clericorum operâ, curâ, diligentiâ, industriâ, consilio egens privatur ministris sibi debitis; quin & fundatores beneficiorum & Ecclesiarum suo voto & voluntate fraudantur. Azor. *cit. l.* 6. *c.* 11. *q.* 5. ubi is de his pluribus: dum interdum unus, qui unicum, quamvis modicum officium, vix implere sufficeret, plurimorum sibi vendicat stipendia, id est, arrogat, & applicat, quæ multis probis viris, qui nunc mendicant, possent abundè sufficere æquâ distributione factâ, ut Joannes XXII. *in cit. extrav.* Proinde jam, ut ait Paris. *loc. cit. n.* 118. contra faciens huic conclusioni communi elicitæ, tum à jure communi, tum à concilio Trid. peccat mortiferè, & vivit in statu damnationis, juxta opinionem, quam tenuit Glossa *in c. dudum,* 2. *de elect.* (quam Glossam Nav. *in* 62. *Miscellan. de orat. n.* 1. dicit celeberrimam & receptam) Hojed. *de incompat. p.* 1. *c.* 19. *n.* 1. Soto. *l.* 10. *de just. q.* 6. *a.* 3. Joan. And. &c. Quia facit contra jus naturale & divinum.

4. Nihilominùs contrarium in tantùm, in quantùm dicitur id repugnare juri naturæ, sentire videtur Garc. *p.* 11. *c.* 5. *nu.* 75. ubi expressè ait: beneficiorum animarum curam non habentium multitudo lege divinâ prohibita non est. citat pro hoc Quintanadv. *Ecclesiasticon l.* 4. *n.* 59. *&* 119. & subdit. 276. & hoc idem videtur tenere Abbas. *in c. dudum. n.* 36. dicens, valere consuetudinem, quando disponit solùm circa potentiam retinendi plura beneficia simplicia; secus si disponeret, ut pro libitu voluntatis possit beneficiatus de fructibus illorum disponere; & sic intelligit Glossa ibi. sequuntur Cosmas *in pragmat. Sanct. tit. de collatione. §.* 1. & Selva. 3. *p. q.* 39. *nu.* 2. qui ait, quòd jura, quæ videntur innuere, valere in hoc consuetudinem, debent intelligi secundum id, quando consuetudo disponeret circa potentiam retinendi plura beneficia sine nimia multitudine. idem tradit Sylv. *v. beneficium.* 4. *num.* 4. & accedit Quintin. *in c. de multa. à n.* 145. *&* 167. ita verbotenus Garc. contrarium quoque sentit Soto. *l.* 3. *de justit. & jure. q.* 6. *a.* 3. quòd in beneficiis omnino simplicibus, hoc est, sine omni servitio & residentia ad exequen-

exequendum ministerium (quæ in Hispania dicuntur præstimonia) non eget quis dispensatione, neque est turpitudo contra jus naturale, quæ lethalem culpam inducat: quam Soti doctrinam etsi quoad primam partem, nimirum de non necessaria dispensatione, reprobat Hurt. *loc. cit.* §. 5. *num.* 5. eò quòd sit contra Trid. *sess.* 24. *c.* 17. quod Tridentini decretum Soto non vidit, quia fortè prior illo decreto jam scripserat; approbat tamen quoad alteram; dum dicit id sibi seclusâ lege Ecclesiasticâ videri probabilissimum; eò quòd licèt distributor ex vi justitiæ distributivæ teneatur sub mortali peccato acceptionis personarum distribuere beneficia secundùm proportionem meritorum, qualitatem literaturæ, nobilitatis &c. si tamen distributor alicui confert plus, quàm meretur, aut indiget, is acceptando & retinendo non peccet contra jus naturæ, uti hoc postremum docet D. Thom. *secunda secundæ. q.* 63. *a.* 2. Et exemplificat in eo, qui tenetur eligere vel providere dignioremi, ita ut licèt is peccet mortaliter omisso digniore, eligens vel providens minus dignum; provisus tamen & electus accipit & retinet tutâ conscientiâ: cui doctrinæ S. Thomæ inhæret Cajet. *v. beneficium. n.* 10. unde jam etiam ait idem Hurt. *loc. cit. n.* 3. licèt non possit quis procurare, ut sibi plura conferantur; quia concurreret ad malam distributionem; potest tamen illa acceptare, & acceptata non tenetur renunciare. sic expressiùs contrarium tradit idem Hurt. *subresolut.* 12. *n.* 3. ubi: *purè simplicium pluralitas non est illicita jure naturæ; ratio enim adæquata, cur pluralitas beneficiorum habeat turpitudinem contra jus naturæ, est residentia personalis; cujus obligatione stante nullatenus licita est jure naturæ pluralitas beneficiorum, nisi ex causa: & si residentia est indispensabilis, etiam pluralitas est indispensabilis; si verò illa est dispensabilis, & hæc dispensabilis erit.* Ad illud verò quod supra allatum ex D. Tho. quod pluralitas beneficiorum, si non cohonestetur certis circumstantiis, sit contra jus naturale, & disordinationem contineat: respondet *subresolut.* 5. §. 8. *à n.* 17. mentem D. Thomæ optimè expressam à Cajet. *in sum. v. beneficium. n.* 8. ubi is ait: *mortale peccatum in hujusmodi pluralitate intervenit, quando non propter rationabilem causam obtinet quis multa beneficia incompatibilia, & unus quidem occupat locum multorum, alii autem esuriunt; quia hujusmodi pluralitas est injusta contra æqualitatem justitiæ distributivæ: neque excusatur peccatum mortale propter dispensationem Papæ sine rationabili causa, quoniam dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum & naturale; pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa est contra jus divinum & naturale &c.* Loquitur enim D. Thom. de beneficiis incompatibilibus; quia loquitur de præbendis, ut patet ex titulo illius articuli, & ex rationibus, quibus movetur. quarum prima est, non esse possibile, duabus Ecclesiis deservire; quia præbendæ sunt stipendia Deo in Ecclesiis deservientibus constituta. Secunda: quia est diminutio cultûs divini in Ecclesia dicendi; dum unus loco plurium constituitur. Tertia: quia defraudatur voluntas testatorum volentium, quòd esset certus numerus in Ecclesia Dei deservienti um. Quarta: quia est inæqualitas, dum unus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest &c. ob quam inæqualitatem præbendæ beneficia incompatibilia dicuntur, & in eorum distributione justitiæ distributivæ attendatur, adeóque pluralitas ut sit contra jus naturæ, supponit incompatibilitatem beneficiorum, non verò eam causat. aitq; Hurt. *à n.* 22. se idipsum confirmare ex SS. Canonibus; quippe in quibus solùm habetur, quòd sit rationi naturali contrarium, quòd in eadem Ecclesia vel diversis idem clericus unus habeat plures dignitates, vel personatus, & officia exigentia assiduitatem personarum; quique loquuntur solùm de præbendis, quæ ex sua significatione annexæ sunt servitio Ecclesiæ, & personali residentiæ; non verò de aliis simplicibus, ut patet ex *c. ad hæc. de præb.* & *c.* 1. *de consuet. in* 6. quippe in hoc præbenda secundùm proprium usum hujus nominis (dum aliàs sæpe cum beneficio quovis simplici confunditur) non est idem in jure, quòd beneficium simplex nullum habens exercitium in Ecclesia, sed solùm onus recitandi privatim horas; sed est jus percipiendi fructus in Ecclesia, cui præbendatus inservit, ut Card. *in clem. ult. de præb. q.* 16. Anchar. *in rubr. de conces. præb.* Bertachin. *in repertorio. v. præbenda, n.* 7. & sic D. Thomam loqui de præbendis propriè, quæ non ideo sunt incompatibiles, quia pluralitas beneficiorum est jure naturali illicita; sed quia sunt incompatibiles, earum pluralitas est jure naturali illicita. ita fere Hurt. *à num.* 26. cumque, ut subdit idem Hurt. *n.* 31. alia simplicia non dentur ob exercitia publica in Ecclesiis, sed ob recitationem privatam horarum non pertinent ad justitiam distributivam, ita ut distributor teneatur sub mortali dare secundùm proportionem meritorum, ut rectè Gabr. *in quartum. dist.* 15. *q.* 7. *a.* 3. Angel. *v. electio.* §. 21. Petrus Nav. *l.* 2. *de restit. c.* 2. *num.* 148. qui etiam hanc dat rationem; quòd ista beneficia ex natura rei non videntur esse bona communia, & decertantibus debita, ita ut nulla committi injustitia, aut personarũ acceptio, sed tota res videatur commissa Papæ & prælatis Ecclesiæ, ut ipsi arbitratu suo provideant bonos & exemplares ministros; pro quo etiam citat Dianam *p.* 2. *tr.* 15. *resol.* 37. Ledesm. *in sum. To.* 2. *tr.* 7. *concl.* 7. Garc. *p.* 7. *c.* 16. *nu.* 16. Guttier. *qq. can. l.* 2. *c.* 12. *n.* 11. *&* 27. Vegam *&c.* Et quamvis dicat Hurt. hos auctores ferè loqui non tam de casu, in quo plura conferuntur uni, sed in quo, omisso digniore, conferuntur digno; idem tamen eorum fundamentum fundare efficaciter hanc suam sententiam; dum ut D. Tho. *secunda secundæ. q.* 36. objectum justitiæ distributivæ est ratio debiti secundùm proportionem meritorum; eo ipso autem, quòd aliquid non sit bonum commune debitum decertantibus, non est contra justitiam distributivam mortale, plura dare uni: cujus contrarium est in beneficiis residentiam requirentibus, utpote quorum fructus etsi sint stipendia laborum, sunt tamen etiam meritorum præmia, quibus excitantur ad studia & virtutem.

Quæstio 67. *An igitur neque obtineat amplius consuetudo in contrarium, quæ fuit olim ante Trid. neque nova talis induci possit post Trid. de facto, aut etiam in hoc dispensari à Papâ.*

1. Respondeo: per nullam consuetudinem, aut privilegium, vel dispensationem induci posse, aut unquam potuisse, ut clericus habens unum, vel plura ad decentem ejus sustentationem sufficientia, recipiat insuper aut retineat aliud, præterquam si justa & rationabilis subsit causa. Pirh. *ad Tit. de præb. n.* 127. *& n.* 142. dicens esse com-

communem. Pariſ. *l.* 5. *q.* 6. *nn.* 120. & quoad diſpenſationem papalem clariſſimè Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 7. *&* c. 11. *q.* 6. Caſtrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 26. ſequitur & conſtat ex dictis; eſt enim iſta conſuetudo non tantùm contra jura poſitiva, ſed & contra rationem & jus naturale, ac proinde irrationabilis & corruptela, non excuſans à peccato. Pariſ. *l. c.* citans præter jam citatos à ſe C. Pariſium *conſ.* 17. *n.* 40. *vol.* 1. Socin. Juniorem *conſ.* 98. *l.* 3. Menoch. *conſ.* 82. *&c.* Pirh. *l. c.* Et ſi Papa, quæ ſunt juris divini vel naturalis, ſine juſta cauſa remittat, ea remiſſio coram Deo minimè ſubſiſtit, licet clericus vi talis invalidæ diſpenſationis immunis ſit à pœnis in jure ſtatutis iis, qui plura beneficia obtinent; quia Papa in jure poſitivo illas pœnas ſtatuente diſpenſare, ſaltem validè, poteſt. Pirh. Azor. *ll. citt.* Hinc licèt communiter contrarium ſervetur, ut nimirum retineantur duo vel plura beneficia, etiam quòd unum ſit ad victum ſufficiens, hæc tamen communis obſervantia non excuſabit retinentem à mortali. ut Abb. *in c. exſtirpandæ. n.* 36. Hojed. *cit. c.* 19. *n.* 8. & communiter Doctores. Pariſ. *l.* 5. *q.* 6. *n.* 118. Et licèt conſuetudo excuſet aliàs à pœnis, ut Gl. & Abb. *in c. venerabilis. de conſuetud.* hoc tamen ad ſummum intelligendum de pœnis temporalibus, non autem æternis, & à Deo infligendis. Pariſ. *l. c. n.* 121. citans Abb. *in c. ult. de conſtitut. in fine.* Tiraq. *tr. de pœnis temperandis. c.* 42. *n.* 4. Roman. *conſ.* 466. *&c.* Et illud, quod dicitur de conſuetudine ſervanda, etiam contra communem opinionem, procedere de conſuetudine rationabili juxta communem Doctorum *in c. ult. de conſuetud.* Pariſ. *l. c. n.* 122. porrò dicta, quòd conſuetudo obtinendi & retinendi hujuſmodi beneficia plura non excuſet à mortali peccato, procedunt, tametſi talis conſuetudo foret immemorialis; quia etiam conſuetudo immemorialis, quæ eſt irrationabilis, non excuſat à peccato. Pariſ. *n.* 123. citans Hojed. *cit. c.* 9. *n.* 9 Card. Pariſ. *conſ.* 27. *n.* 10. *vol.* 1. Cardin. *in Clem. in plerusque. de Elect. notab.* 3. *&c.*

2. Unde jam ſequitur, quòd etiamſi detur, naſci poſſe de novo conſuetudinem contra ſtatuta à Trid. hanc tamen naſci non poſſe; quia eſt contra jus naturæ, in quo ſe fundare videtur Trid. Illud verum, quòd, ſi iſta turpitudo contra jus naturale fundaretur ſolùm in præſuppoſita lege Eccleſiaſtica, requirente reſidentiam, & pacto Eccleſiæ non aliter niſi ſub onere reſidendi conferentis beneficia, poſſet abolitâ illâ lege reſidendi per conſuetudinem, & Eccleſiâ tacitè cedente ſuo jure ex tali pacto quærendo, etiam modò prævalere conſuetudo habendi plura, quàm unum ſufficiens; ſed & præſcindendo jam à jure naturali, contra quod eſt iſta pluralitas talium beneficiorum, ſi quæ in contrarium contra antiquos Canones ante Trid. inducta conſuetudo (quæ, ut Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 9. *q.* 3. fundabatur in alia conſuetudine ſublativa reſidentiæ jam priùs inductâ contra antiquiores Canones, beneficiis etiam ſimplicibus omnino reſidentiam imponentes) poſito etiam hanc conſuetudinem fuiſſe legitimam, hæc penitus cum ſententia illa Innocentii eſt ſublata per Trid. Garc. *l. c. n.* 279. (qui etiam *n. ſeq.* illud decretum Tridentini extendit ad beneficia juris patronatûs, non obſtante quâdam declaratione Cardinal. S. Congreg. ſic habente: *hoc decretum non comprehendit beneficia juris patronatûs:* quam vel mendoſam ait, vel intelligendam de beneficiis juris patronatûs, quæ ex fundatione poſſunt ſimul cum aliis retineri.) & *n.* 270. ubi, poſtquam præmiſiſſet: *hodiedum hæc ſententia* (nempe prima) *probatur per Trid.* ſubjungit: *& communis obſervantia & conſuetudo contraria non valet, nec excuſat retinentem plura beneficia, quorum unum eſt ſufficiens, à mortali.* Pro quo citat Abbat. Hojed. Lopes.

3. Contrariam nihilominus ſententiam conformiter à ſe dictis ſuprà tenet Hurt. *de reſid. l.* 6. *reſol.* 6. *ſubreſol.* 10. *n.* 1. hiſce expreſſis: *Poteſt conſuetudine fieri, quòd quis habeat plura beneficia ſimplicia, etiamſi quodlibet ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem.* Citat pro hoc loco Aragon 22. *q.* 63. *a.* 2. *concl.* 3. Tuſch. Ledeſma, Ferret. Rebuff. *ubi ſuprà, quæſt. nimirum præcedente.* Et Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 11. *q.* 18. (ubi tamen is nihil de ſufficientia unius, & plus non dicit, quàm quòd conſuetudine ante Trid. alicubi introductum erat, ut quis in eadem Eccleſia dignitatem ſimul & Canonicatum haberet. Idem habet *l.* 6. *c.* 11. *q.* 1. de quo nos infra) Florian. Capra. &c. ac dicit, id conſtare ex *c. cùm de te, de reſcrip. & c. cùm in Eccleſia. de præb. in* 6. Recitat etiam pro hoc Reſponſum S. Congreg. Concilii, quo in hæc verba quærenti Archiepiſcopo Valentino, *an, quando Canonicus ex illius præbenda honeſtè ſuſtentari poteſt, pro ſui gradûs qualitate, liceat ſibi eidem Canonico aliquam ex hujuſmodi dignitatibus conferre, cùm ex antiquiſſima & immemoriali conſuetudine abſque diſpenſatione apoſtolica conſueverant illius dignitates Canonicis ejusdem Eccleſia tam apoſtolicâ quàm ordinariâ poteſtate conferri, idque licitè fieri poſſe per S. Congregationem declaratum fuit, &c.* Reſpondit S. Congregatio in hæc verba: *S. Congregatio cenſuit conſuetudini permittenti, ut in eadem Eccleſia dignitas cum Canonicatu per eundem obtineri & retineri poſſit, non cenſeri derogatum ex decreto Trid. c.* 17. *ſeſſ.* 24. *ubi diſponitur; habenti beneficium competens non poſſe conferri alterum &c.* ex quo evidenter deduci ait, *n.* 4. Hurt. quòd obtinere plura beneficia ſimplicia non ſit contrarium juri naturæ; quia aliàs talis conſuetudo foret irrationalis; ſed ſolâ diſpenſatione Pontificis talem tutum fore in conſcientia. Addit etiam *n.* 5. id manifeſtè colligi ex eo, quod Trid. *l. c.* decernens, quòd uni non habenti ſufficiens, non detur niſi unicum aliud ſufficiens, non ſit receptum in Hiſpania, ubi poſt illud ſicut antea Ordinarii communiter contulerunt, & conferunt plura beneficia, etiam ultra duo uni, etiam dum unum eſt ſufficiens ad congruam ſuſtentationem, & ſimul retinent. Quin &, ut ait *n.* 6. idem fiat in ipſa Curia, dum Pontifices narranti plura beneficia ſimplicia (niſi fortè narretur nimis magna multitudo) ſolent alia concedere, nec apponitur decretum de demittendo. Neque etiam præſumendum ſit, ut ait *n.* 10. de tot doctiſſimis, vigilantiſſimis, piiſſimisque paſtoribus id facere, ſi eſſet contra jus naturæ, aut decretum Trid. Ac denique ſubdit verba Garciæ, quæ is habet *p.* 11. *c.* 5. *n.* 332. Unde videtur poſſe probabiliter dici opinionem Innocentii, de qua ſuprà, quam conſuetudo antiquiſſima approbavit, etiam hodie poſſe procedere, etiam in foro conſcientiæ non obſtante decreto Trid. *c.* 17. *&c.*

4. Porrò illud hic notandum, quòd plerique auctores tenentium hanc ſententiam, nimirum poſſe ex conſuetudine licitè teneri plura etiam ſufficientia ad honeſtam ſuſtentationem, non teneant id ita abſolutè, quaſi id fieri poſſit ſine omni juſta cauſa; ſed tunc demum, ubi eſt juſta

aliqua causa, quod omnes admittunt; nimirum posse per consuetudinem induci, ut quis plura habeat, quorum singula vel plura sufficiunt ad honestam sustentationem, etiam desumendo sufficientiam ab ipsa persona provisi, ubi adest justa causa. Vide Pirh. *l. c. n.* 142.

Quæstio 68. *An, & quando, procedente etiam secunda sententia de pluralitate beneficiorum, sufficientium ad congruam, sustentationem non illicita, saltem iure naturæ, adhuc tamen eorum coacervatio, seu nimia multitudo sit illicita, etiam jure naturæ?*

1. REspondeo ad primum: Beneficiorum etiam omnino simplicium (intellige, dum singula vel eorum plura sufficiunt ad honestam sustentationem) coacervatio & exorbitans distributio uni personæ tali juri naturali repugnans damnatur. Hurt. *l. c. n.* 36. tam juxta D. Thom. quàm Cajet. *ll. citt.* quia oritur ex avaritia, & cupiditate, & appetitu lautiùs vivendi, & ambitione majoris dignitatis, ut videre est ex verbis Trid. *sess.* 24. *c.* 17. ex quibus etiam constat, Concilium manifestè loqui etiam de his beneficiis omnino simplicibus. Et hæc coacervatio generat scandalum in Ecclesia; quare semper, nisi subsit ratio evacuans hanc ceterasque malitias, perseverat illicita. Hurt. *l. c.* Idem, nimirum, quòd nimia istorum beneficiorum multitudo prohibita sit jure naturali & canonico, sentiunt Jo. Andr. *in c. dudum. de Elect.* Benedictus Capra. *tr. de reg. & fallent. reg.* 90. *n.* 135. Hojed. *p.* 1. *c.* 21. *n.* 1. quos citat Hurt. *n.* 37.

2. Respondeo ad secundum: Quanta autem esse debeat pluralitas, ut in coacervationem talem illicitam declinet, quantùm quoad forum conscientiæ, prudentum judicio; quantùm verò ad forum externum, judicis arbitrio, relinquendum. Hurt. *n.* 40. citans pro hoc Hojed. *cit. c.* 21. *n.* 14. *&* 15. Illud, quod tradi ab Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 8. ait Hurt. *subresol.* 4. *n.* 5. immodicam beneficiorum multitudinem, ut peccetur per hoc contra jus naturæ, censeri, si dentur ultra decem; secus si infra decem ultra congruam; & ideo peccare Papam dando uni decem, quorum quodlibet sufficiens est ad sustentationem beneficiati, id, inquam, displicere ait Filiuc. *to.* 3. *tr.* 41. *c.* 7. *n.* 40. & meritò. Verùm id non tradit Azor *ibidem*, sed solùm dicit, in hoc convenire omnes, decem beneficiorum multitudinem immodicam esse, eò quòd, dum leges & jura loquuntur de tempore vel numero, multum & longum consueverunt appellare decennium. Quinimò Azor ipse de suo ibi dicit, nullam æquitatem postulare, ut quis decem vel octo simul beneficia possideat; quod verò tradit Hojed. *l. c. n.* 13. tunc demum dictam multitudinem simplicium fore contra jus naturæ, quando ea tanta est, ut sufficere possit ad sustentationem duorum vel trium; meritò displicet Hurt. *loc. cit. subresol.* 13. *n.* 4. *& seq.* tanquam nimium constringens, &, ut ait, sanguinem conscientiarum emungens, dum tuti esse non possent in conscientia, qui possident plura, etiam pinguia, beneficia, quorum etiam quodlibet est sufficiens ad clericos honestè sustentandos; proindeq; miser esset status clericorum literatorum, nobilium, principum, quibus Papa plura talia concedit simplicia, & quibus talia dari concedit *Extrav. execrabilis*, & *c. de multa*. Unde etiamsi incompatibilitas illa & pluralitas hæc nimia beneficiorum est desumenda in ordine ad congruam sustentationem, non est attendenda congrua seu sufficientia eorum, qui aliàs talia beneficia habere possunt, & ex iis sustentari congruè; sed congrua sustentatio personæ provisæ illis pluribus beneficiis, num eâ ratione suarum qualitatum egeat tot beneficiis ad sui congruam sustentationem; etsi de cetero quolibet eorum posset clericus inferioris sortis sustentari. Hurt. *subresol. illa* 13. *n.* 7.

Quæstio 69. *An, si quis habeat duo beneficia, quorum quodlibet de se non est sufficiens, & postea contingat eorum unum fieri sufficiens, possit illa adhuc simul retinere, stante decreto Tridentini?*

REsponder Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 319. videri dicendum, quòd non possit ea retinere; sed debet unum ex iis dimittere ad tradita in simili per Hojed. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 57.

Quæstio 70. *An, quæ hucusque dicta sunt de beneficiis, locum etiam habeant in pensionibus (puta Clericalibus) quæ nimirum Clerico, ut commodius sustentari possit, ex fructibus beneficii assignantur ad instar beneficii, seu loco beneficii, ut Garc.* p. 1. c. 5. n. 170. *Hurt.* de resid. l. 6. resol. 6. subresolut. 11. n. 7.

REspondeo affirmativè: Hurt. *l. c. n.* 54. ubi, quòd de pluralitate pensionum eodem modo loquendum, ac de pluralitate beneficiorum simplicium nullam requirentium residentiam: unde ait conformiter suis principiis, sicut jure naturæ licita est pluralitas beneficiorum, sic etiam pluralitas pensionum; & sicut dictum de nimia coacervatione beneficiorum, sic etiam de nimia coacervatione pensionum dicendum, sive hæc computentur inter se, sive cum aliis quibuscunque beneficiis. Ac denique sicut pluralitas beneficiorum simplicium, quando congruam excedunt, jure positivo humano est reprobata; ita etiam pluralitas pensionum. Tametsi autem Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 7. dicat, non esse ex omni parte parem rationem de pensionibus, quæ est de beneficiis; cùm quædam sint beneficia, quæ jura & canones incompatibilia vocant, in illis verò nullæ pensiones jure communi incompatibiles dicuntur; addit tamen, quòd sicut repugnat juri naturæ, habere plura beneficia, dum unum sufficiens; ita quoque eidem juri naturæ repugnare, unum simul habere plures pensiones, dum earum una sufficit ejus vitæ commodè sustentandæ: & sicut uni possunt assignari plura beneficia, ita etiam plures pensiones, nisi una, vel etiam plures ex illis de se sufficientes essent ob ejus merita in Ecclesiam, nobilitatem, literaturam, &c. Idem tenent Hojed. *de incomp. p.* 1. *c.* 21. *n.* 12. Vasq. *opusc. de benef. c.* 2. §. 3. *dub.* 11. citati ab Hurt. *ubi suprà n.* 1. de cetero ait Azor *l. c. q.* 6. non esse interdictum jure communi, ut cum beneficio pensionem obtineat beneficiatus; sicut jure communi vetitum beneficiario, ne cum uno beneficio simul alterum habeat. Idem tradit quoad hoc Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 304. nimirum illud Concilii decretum *sess.* 24. *c.* 17. non

habere locum in pensionibus, prout habet declaratio S. Congreg. quâ ea respondit Archiepiscopo Hispal. interroganti super hoc, quam recitat idem Garc. *l. c. n.* 310. addit etiam, rationem, quæ potuit ad sic respondendum movere S. Congregationem, esse; quòd, licèt pensiones hodiedum succedant loco beneficii, tamen non sunt tituli beneficiales; Concilium autem videatur habuisse respectum ad pluralitatem titulorum beneficialium, ut colligitur ex illis illius verbis: *quando unus plurium occupat officia Clericorum*: & neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi; & quòd majus odium sit, habere plura beneficia, quàm plures pensiones; dum unus de jure potest habere unum beneficium valens mille ducatos, non possit tamen habere decem beneficia, quorum quodlibet valet centum ducatos; at in pensione nihil referat, an habeat unam pensionem mille, an centum pensiones decem ducatorum: & quòd pensiones aliàs non sint incompatibiles cum beneficiis tradit post eundem Azor *p. 2. l. 6. c. 10. q. 8.* Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 14.* etiam expresse addens, plures pensiones non inducere incompatibilitatem aliquam cum beneficiis, ac pro hoc citans Capram. *reg. 90. n. 90.* Hojed. *p. 2. c. 7. n. 1.* Gigas *de pension. q. 4. &c.* quod tamen juxta Azor ejusque sequaces intelligendum videtur, ubi ista pluralitas pensionum unà cum beneficiis non excedat congruam sustentationem, adeoque vetita non est jure naturæ. Unde etiam Gigas *de pension. q. 32.* Mandos. *de signat. gratiæ tit. de dispens. benef. sub eodem tecto.* Hojed. *p. 1. c. 20. n. 18.* & alii apud Garc. *n. 315.* tenent, quòd pensio non faciat incompatibilitatem sub eodem tecto. Cujus tamen contrarium sentit Rebuff. *in pr. tit. de dispensatione ratione ætatis* apud Garc. *n. 316.* nempe pensionem esse incompatibilem, & non posse haberi sine dispensatione cum alia, vel cum alio beneficio in eadem Ecclesia, eò quòd id suadeat consuetudo, & quòd Papa concedat pensionem loco beneficii. Idem quoad hoc cum Rebuff. sentit Garc. *n. 317.* dum ait: sic habere stylum Curiæ, & apparet ex clausula in pensionibus pro palatinis apponi solitâ: *etiam sub eodem tecto*: & quòd quando impetrans beneficium narrat habere se pensionem super fructibus certi beneficii, addatur: *non tamen in eadem Ecclesia contentis.*

Quæstio 71. Quodnam dicatur beneficium sufficiens ad congruam sustentationem?

1. REspondeo primò: Vix certi quid in specie hac de re statui posse, propter nimiam circumstantiarum, quæ occurrere possunt, varietatem. Vide tamen, quid de hoc dixerit Nav. *de orat. miscell. 16. n. 7.* Paris. *paulò post citand. à n. 147.* Unde

Respondeo secundò in genere: congruam hanc taxari ex hominum prudentum judicio & æstimatione; quare cùm nullus in hoc prudentior summo legislatore & pastore animarum nostrarum ad ipsius prudentem dispensationem, ut ad regulam primam visibilem reducenda est justificatio pluralitatis beneficiorum in eadem persona ad illam requisitorum. Hurt. *ad l. c. resol. 6. §. 6. n. 32.* Sic Castrop. *d. 6. p. 3. § 6. n. 14.* Paris. *l. 5. q. 6. n. 131.* cum Nav. *de orat. miscell. 62. p. 3.* Hojed. *p. 1. c. 10. n. 22.* & aliis pluribus, quos citant, ajunt, id judicis arbitrio relinquendum, dum hujus arbitrio relinquuntur ea, quæ à jure non sunt definita, & certa sub regula comprehendi nequeunt. Cujus etiam arbitrio relinquitur, quod tenue, quod magnum dicatur beneficium. Menoch. *de arb. casu 216.* uti &, quis dives, quis pauper. Bart. *in l. si constante. n. 14.* & AA. communiter. *ff. solut. matrim.* Gonz. *n. 136.* ait etiam Gonz. *gl. 15. n. 39.* quantum ad honestam sustentationem opus sit, ex personarum qualitate, & locorum diversitate unusquisque sibi judex erit, advertens, quòd Deum fallere non possit.

3. Porrò pro hoc arbitrio sano formando tam à judice, quàm à seipso, attendendæ circumstantiæ primò personæ (quod enim respectu unius dicitur magnum, respectu alterius dicitur parvum, ut Menoch. *de arb. casu 216.* Paris. *n. 148.* Et alimenta constituenda secundùm qualitatem personæ *l. 1. §. mulier.* & *l. habitatio. §. servus, ff. de ventre in poss. mittend.* Paris. *n. 149.*) num ea sit nobilis vel illustris, Azor *p. 2. l. 6. c. 10. q. 9.* Paris. *nu. 151.* juxta Abb. *in c. cùm adeò. de rescript.* Tiraq. *de nobilitate. c. 10. nu. 141.* Nobiles enim sunt majoribus beneficiis honestandi. *c. de multa. de præb.* Paris. *n. 151.* citans Cassan. *in Catal. glor. mundi p. 8. consider. 39.* si eximiæ literaturæ; quia Ecclesia eget viris literatis, ut AA. communiter *in c. cùm in cunctis. de Elect.* Paris. *n. 150.* Azor *l. c.* num ea sit firmæ vel imbecillis valetudinis. Si in Ecclesiam multa merita contulit. Azor. *l. c.* Paris. *l. c. n. 146.* & alii passim. Num persona augeatur dignitate; si enim hac augetur, debent etiam alimenta augeri. Paris. *n. 151.* ex Gozadin *cons. 95. n. 4.*

4. Secundò: Ecclesiæ, ut si beneficium sit in Ecclesia celebri, insigni, vel illustri. Azor. *l. c.*

5. Tertiò: Qualitatis ipsius beneficii; siquidem beneficiato simplici minus designari debet, quàm Canonico, Canonico minùs, quàm dignitati &c. Castrop. *l. c.*

6. Quartò: Loci, num beneficium sit in urbe vel oppido minùs celebri. Azor *l. c.* num sit in provincia vel regione, ubi major vel minor alimentorum caritas. Azor *l. c.* Paris. *n. 153.* Attendenda etiam in hoc consuetudo patriæ. Paris. *n. 152.* citans Menoch. *de arb. casu 216. n. 14.* quin & consuetudo familiæ, ut idem Paris. *n. 151.* citans C. Paris. *cons. 98. vol. 2.* Porrò victûs nomine intelligitur omne id, quo beneficiatus eget ad se & familiam suam sustentandam, cujusmodi sunt, cibus, vestitus, habitatio; quin & ea, quæ ad morbos curandos sunt necessaria. Azor *loc. cit.* Et sub honesta sustentatione sui comprehenditur etiam sustentatio familiæ suæ sub nomine autem familiæ veniunt famuli, parentes, fratres, sorores egentes; item filii, si quos habet beneficiatus, legitimi; imò &, si spurios habet; quia & his ex æquitate Canonica debentur alimenta. Item nepotes, aliique consanguinei egentes. Item equi, quos alii similes beneficiati timorati alunt. Item eleemosynæ eæ, & hospitalitates, quas alii similes præstant, quia sine his decenter sustentari nequit. Azor *l. c. c. 10. q. 8.* Castrop. *cit. n. 14.*

7. Illud & hic observandum, beneficium illud non dici ad congruam sustentationem sufficere, ex quo tantum habet, ut non cogatur mendicare; hæc enim duo valdè differunt: posse ex beneficio vivere: & posse ex eo vivere decenter. Paris. *loc. cit. n. 154.* juxta Gl. *in c. 2. de statu regular. in 6. v. penuria.* Unde & solvitur illud, quod aliqui ex hisce dictis malè inferunt; nempe, si plus requiratur ad sustentationem nobilis vel literati, quàm ignobilis,

non

non posse nobilem titulo cujusdam beneficii ordinari, quo potest ignobilis; cùm tamen Trid. *sess. 2. c. 2.* indistinctè statuat, illud beneficium in ordine ad suscipiendos ordines sufficere, quod sufficit ad honestam sustentationem beneficiati; nam licèt nobili necessaria sit amplior sustentatio, ut cum decentia & decore vivat; non debetur tamen ei amplior sustentatio ad effectum, ne cogatur mendicare. Item nobili quà Clerico non debetur amplior sustentatio; etsi ea debeatur ei quà nobili. Trid. autem eo loco spectavit sufficientiam beneficii ex eo solùm, quòd Clericus esset, ad hunc tantùm effectum, ne cum ordinis dedecore mendicare cogatur, ut ex ipso textu constat. Econtra Trid. *sess. 24. c. 17.* spectavit sufficientiam sine hac limitatione, ac proinde pro diversitate beneficii & beneficiati spectatur amplior vel strictior sustentatio. Ita ferè Castrop. *l. c. n. 15.* Ultra hæc sit

Quæstio 72. Specialiter, num ad judicandum, an beneficium sit sufficiens ad sustentationem, habenda sit ratio bonorum patrimonialium?

REspondeo negativè: Paris. *cit. q. 6. n. 154.* citans Hojed. *p. 1. c. 19. n. 24.* Ratio est; quia potest quis habeus opulentos reditus ex patrimonio suo recipere etiam pingue beneficium, & ex fructibus beneficii vivere, reservatis, aut, in quod voluerit aliud, expensis reditibus bonorum patrimonialium. Paris. *cit. n. 145.* citans Innoc. & Abb. *in c. Episcopus. de præb.* Cajet. *2. 2. q. 185. a. 7.* Soto *l. 4. de justitia. q. 10. a. 2.* Nav. *in apolog. de reditib. Eccles. p. 1. c. 1. n. 25.* Sarmient. *tr. de reditib. Eccles. p. 1. c. 1. n. 28.* Eosdem citat & sequitur Hurt. *de resid. l. 6. subresol. 14. n. 1. & 12.* contra Hojed. *l. c. n. 45.* Barbut. *in c. postulasti.* & Decium *in c. Episcopus. de præb.* apud Hurt. sentientes, quòd, qui habet fructus sufficientes ex patrimonio, debeat fructus beneficii expendere in pauperes, aliosve pios usus, nixos gravissimis dictis S. Hieronymi. *in Epist. ad Damas. & in regula Monach. c. de paupertate,* ubi: *Clericos illos convenit Ecclesia stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona; qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quid pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusum talium judicium sibi manducant & bibunt &c.* Et S. Prosperi *l. 2. de vita contempl. c. 9.* & D. August. *epist. 50. ad Bonifac.* quibus satisfacere non videtur Glossa dicens, non proponi his SS. PP. verbis præceptum, sed consilium; patet enim ex ipsis eorum verbis contrarium, dum dicunt, sacrilegium esse. Verùm responsio nostræ sententiæ est communis, & D. Thom. quia, qui altari servit, de altari debet vivere, adeoque, etiamsi quis ordinatus titulo patrimonii, quo sustentatur, acquirat admodùm pingue beneficium etiam Episcopatum, potest sibi reservare fructus patrimonii: Etsi, ut addit Hurt. *l. c. n. 14.* non possit uti compensatione fructuum beneficii, quod expendit ante acquisitionem beneficii: dictis etiam illis SS. PP. respondet optimè S. Thom. *2. 2. q. 185. a. 7. ad 3.* & Cajet. *ibid. in §. responsio ad 3.* & ex illis Hurt. *l. c. n. 9. 10. & 15.* quòd sic sint intelligenda, quòd Clericus habens sufficientia patrimonialia, uti non possit fructibus sui beneficii in articulo necessitatis proximi; non quidem intelligendo necessitatem extremam; in hac enim quilibet tenetur de suis ex præcepto charitatis succurrere proximo, sed magnam & valde urgentem; sive sit publica, ut tempore famis & pestis; sive sit privata, ut dum particularis persona est in valde urgente necessitate propriâ vel filiarum, ita ut tunc beneficiatus habens sufficientia patrimonialia, teneatur sub mortali omnibus fructibus beneficii sui succurrere; quod etiam ait S. August. *l. c. in articulo necessitatis fructus beneficii non sunt bona nostra, sed illorum, scilicet pauperum, quorum procurationem gerimus.* Hurt. *n. 16. & 17.* qui tamen *n. 10.* ait; quod licèt tunc clericus peccet, vivendo de sua præbenda, non teneatur tamen ad restitutionem; quia peccatum consisteret in abusu, quo non subvenitur aliis, deobligatio tamen restituendi consurgeret ex eo, quòd præbenda se habet ut proprium clerici.

Quæstio 73. An, & qualiter, & quibus ex causis jura permittant pluralitatem beneficiorum, vel etiam ex quibus causis in ea dispensari possit?

1. REspondeo ad primum primò: Negari non posse, quin id jura permittant, adeoque fieri possit citra omnem dispensationem, dum fundator ita voluit. Lott. *l. 1. q. 32. n. 43.* etiam dum hæc aliundè jure positivo solùm sunt incompatibilia, de his enim loquitur Lott. v. g. duo vel tria beneficia à se fundata, quorum singula sufficientia conferri uni etiam clerico aliàs simplici & ignobili, ut is vel hac ratione ex humili statu assurgat, & vivat lautiùs; cùm fundator donare possit bona sua sub quacunque conditione à jure positivè non reprobatâ.

2. Respondeo secundò: Etsi id jura permittere videantur in circumstantiis, & ob causas, de quibus paulò post; non tamen hoc ita intelligendum, acsi datis istis causis statim absque ulla dispensatione superioris ea conferri possint & haberi, sed opus dispensatione, argumento *c. Sanctorum. D. 70.* Hurt. *de resid. l. 6. resol. 6. §. 1. n. 20.* ubi postquam dixisset ex Soto, sextum casum, in quo liceat habere plura, esse, si Episcopus dispenset juxta *cit. c. Sanctorum*; addit: sed hic & alii præcedentes casus intelliguntur, si adsint debitæ circumstantiæ evacuantes turpitudinem: acsi diceret: possunt haberi plura, si Episcopus positis, seu in istis circumstantiis dispenset. Sic expresè tradit Azor *p. 2. l. 6. c. 11. q. 7.* his verbis: dum unum est sufficiens, non potest ei alterum conferri sine auctoritate Superioris, qui jus naturale ex aliqua justa causa relaxet; si autem unum non est sufficiens, potest alterum dari sine ulla juris relaxatione, & solo arbitratu Superioris. Probatur hoc ipsum ex *c. de multa. de præb.* ubi constituitur, quòd si viri sunt sublimes aut literati, possint illis Pontificis indulgentiâ conferri plura. Et certè hoc indubitatum, opus esse hac dispensatione; ubi dubium, num dictæ causæ & circumstantiæ verè adsint; hoc ipsum enim declarare in dubio est Papæ, & sic dispensare.

3. Respondeo ad secundum primò: Causas, cur Pontifex dispensare possit, non esse alias, quàm circumstantias illas evacuantes turpitudinem illam: ac proinde quærere, quæ sint causæ sufficientes ad dispensandum in hoc, idem est, ac quærere, quæ circumstantiæ evacuent dictam turpitudinem.

4. Re-

4. Respondeo ad secundum secundò: has causas reduci ad duo capita; nimirum justam necessitatem, & piam Ecclesiæ utilitatem. Azor. *p. 2. l. 6. c. 12. q. 1.* Et ne præter hæc duo capita assignari videantur & alia, cùm iis ipsis SS. Canonibus, v. g. *c. de multa.* dicitur, ob nobilitatem & literaturam posse à Papa concedi uni plura: & in *extrav. Execrabilis*, Cardinalibus, filiis regum &c. posse concedi plura; dicendum est cum Abb. *in cit. c. de multa. n. 5. & 7.* plura non concedi nobilibus aut literatis principaliter & præcisè ob eorum privatum bonum & commodum, sed ob communem Ecclesiarum salutem & utilitatem; quia nobiliores, potentiores, & magis literati eoipso solent Ecclesiis, quibus præsunt, aptiores esse: atque ita spectando in hoc, indirectè saltem, vel potiùs ultimatò utilitatem Ecclesiæ, non sunt nisi dicta capita duo justarum causarum dispensationis. Azor. *loc. cit.* Hurt. *loc. cit. §. 7. n. 7. & seq.* citans pro hoc Felin. *in c. si quando. de rescrip.* Nav. *ibid. except. 16. n. 5.* Barbos. *&c.* idem est dum in *c. tali. 1. q. 7.* assignatur tertia causa, nimirum prærogativa meritorum (intelligè tam præteritorum, quàm futurorum) consistit namque dicta prærogativa in ipsa illa generis nobilitate, potentiâ, dignitate personæ, egregiâ literaturâ, industriâ, prudentiâ, virtute. Azor. *ibid. q. 2.* Quódque hîc dictum de beneficiis aliàs non incompatibilibus ratione curæ animarum, residentiæ, voluntatis testatorum &c. id idem, tametsi forent beneficia exigentia residentiam, de jure vel de voluntate testatoris, aut aliàs jure Canonico vel divino incompatibilia, dicendum; de iis enim etiam loquuntur dicta jura has causas assignantia, & sentiunt AA. uti & alii passim (idque hic meminisse sit satis, ne de hoc iterum *§. sequentibus* necesse sit instituere quæstionem) nam hæc sunt justificata & prudentia motiva, quibus motus Papa evacuans omnem turpitudinem à sua distributione (quâ aliàs distributor hæc beneficia requirentia residentiam, veluti stipendia laboris & meritorum, expendere justè seu illæsâ justitiâ distributivâ non potest; conferendo plura uni) potest illa conjungere in uno. Et si ista motiva seu causæ sufficiunt ad relaxandum jus divinum, seu potiùs ad declarandum, illud hîc & nunc non obligare, ex quo jure oritur residentia Parochorum, sufficientia quoque erunt ad interpretandam vel immutandam testatorum, residentiam in utróque beneficio requirentium, voluntatem. Hurt. *loc. cit. §. 7. n. 2.* Nihilominus circa quasdam harum causarum in particulari quia majus potest esse dubium, hinc majoris explicationis gratiâ sit

Quæstio 74. In specie, an, & qualiter sufficiat ad dispensandum nobilitas & claritas generis, ac præcipuè sola, ubi est absque literatura?

1. Respondeo primò: saltem, si sermo est de beneficiis simplicibus, puta Canonicatibus, dignitatibus servitoriis vel non servitoriis, motivum sufficiens videtur nobilitas, quia in his non requiritur literatura, sed ut Papa dispenset in residentia, præscriptâ à jure Canonico, & ob hoc motivum nobilitatis duntaxat ratio postulat, ut in pluralitate relaxetur jus naturale ad distributionem prudentem faciendam. Quin & in beneficiis curatis, ad hoc movet nobilitas, ut si inter nobilem & plebejum sit ferè æqualis literatura, beneficiù dari debeat nobili, ita ferè verbotenus Hurt. *de resid. l. 6. resol. 6. §. 7. n. 12. & 13.* citans Abb. *in c. dudum. 2. de elect. nu. 26.* Felin. *in c. adeò. de rescrip.* contra Barbos. *in collectan. ad c. de multa. nu. 18.* qui id simpliciter negat. Negat tamen etiam idipsum, nimirum nobilitatem sine literatura ad hæc sufficere, dum sermo est de curatis, Hurt. *loc. cit. n. 10. & 11.* eò quòd in his potissimum attendatur literatura, & collatio illorum facta illiterato sit nulla, ut dicit notare Canonistas *ad c. grave nimis. de præb.* & hodie id certum sit, cùm ex decreto Trid. & constitut. Pii V. hæc beneficia non dentur sine concursu dignioribus, sed de hoc aliàs.

2. Respondeo secundò: videri quoque claritatem illam generis non sufficere, ut dispensativè conferantur uni plurima, seu ut fiat in uno coacervatio illa beneficiorum, quorum singula sufficerent ad alios, etsi inferioris nobilitatis, satis lautè alendos. Azor. *p. 2. l. 6. c. 12. q. 8.* cujus verba subjicio: *sed quid de eo dicendum, cui conferuntur tot beneficia eo solùm nomine, quia filius est vel nepos regis. vel alicujus alterius principis? Respondeo Paulum II. teste Majore, cùm rogaretur, ut cuidam duos Episcopatus simul concederet, quia filius cujusdam regis esset, ita respondisse, non darem, etiamsi filius Dei fuisset; rem sanè pontifex exaggeravit, sed mens tamen ejus plurimùm cum rectâ ratione congruebat: quid enim cogit, ut tot in unum beneficia colligantur & coacerventur; cùm multa alia remedia non desint, ex quibus etiam filius regis honestè & commodè sustentari possit, ne tot Clerici, imò Episcopi & alii his superiores, alioqui etiam de Ecclesia bene meriti, esuriant, & quodammodo mendicare cogantur etiam patrimoniis exhaustis planè non potest non esse periculum, cùm nimia in uno beneficiorum multitudo cumulatur, inde enim ambitionis & avaritiæ occasio arripitur, & crescente beneficiorum multitudine augentur famuli, fastus, pompæ &c. Subjungo denique verba S. Bernardi, Ep. 271. ad Theobaldum Comitem: honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro debere iis, qui eas dignè, & secundùm Deum administrare & volunt, & possunt: porrò eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis; nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensative ob magnam Ecclesiæ necessitatem, vel personarum utilitatem &c.* Præscindendo tamen ab ista nimiâ coacervatione, & respectu curatorum à carentia literaturæ, saltem omnis, vel hoc ipso, quòd quis regis filius sit, posse ei conferre plura etiam curata, satis indicat Joannes 22. *in sua extravag. Execrabilis*; ubi postquam sanxisset, ne quis acciperet vel retineret plures dignitates, personatus, officia, & beneficia, quibus inest animarum cura, excipit regis filios, utpote ob sublimitatem eorum, & generis claritatem, ut inquit Papa, potioris prærogativâ gratiæ attollendos. Azor. *cit. c. 12. q. 2. in fine.* Idem de nepotibus Papæ tradit Hurt. *loc. cit. l. 6. resol. 6. subres. 4. n. 2. & 3.* eò quòd per hoc, quòd quis evehatur ad papatum, ejus quoque domus hoc ipso ad magnum splendorem evehatur, à quo ne decidat, nepotes tales meritò exigunt splendidiùs & opulentiùs sustentari. quod ipsum quoque confirmari potest exemplo Pii secundi pontificis aliàs piissimi & doctissimi, qui, ut refertur idem Hurt. *subresol. 2. nu. 3.* moriturus nepotes suos juxta qualitatem suam pauperes commendavit collegio Cardinalium, ut qui eligeretur Papa, eos juvaret beneficiis Ecclesiasticis; quamvis vel hoc ipso potiùs pro causa hic pontifex prætenderet sua merita: adducit enim hoc exemplum

Hurt.

Hurt. ut probet causam sufficientem multiplicandi in aliquo beneficia, esse, quòd sit filius vel frater alicujus bene meriti de Ecclesia vel populo; quod ipsum ait doceri à Navar. *Miscellan.* 44. *n.* 80. Adeóque jam splendidior sustentatio alicujus, jam ante evecti ad statum illustriorem, non verò per ipsam collationem plurium illorum beneficiorum ad illum evehendi, videtur esse causa sufficiens laxandi jus naturale conferendo plura uni. Monet tamen idem Hurt. cavendum esse illam nimiam in tali nepote Pontificis coacervationem beneficiorum, & tot solùm conferenda, quot dictaverit prudens judicium à sanguine proprio nõ excœcatum.

Quæstio 75. An sola Cardinalitia dignitas sit justa causa, ob quam Cardinali plura beneficia conferantur?

REspondeo affirmativè: idque multò magis quàm regis filio, utpote, ut in eadem *extrav.* illos pariter ac priùs excipiendo, ait Papa idem, qui circa Papam, & in hoc universali Ecclesiæ serviendo singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt; ac cùm Cardinalatus sit præcipua dignitas in Ecclesia, conveniens est, ut reditus statui suo, vitæque conditioni congruentes habeat. Azor. *cit. c.* 12. *q.* 5. ubi etiam, quòd insuper accedere possint ad dignitatem Cardinalitiam aliæ causæ justæ, ut si sit regis vel principis filius, frater, nepos, si sit insignis literaturæ, industriæ, virtutis.

Quæstio 76. An sit sufficiens causa conferendi alicui plura beneficia, vel dispensandi, ut plura ei conferantur, nempe ab alio inferiore collatore, ut eorum fructus largius in pauperes erogentur, v. g. dum scitur illos eorum fructus impensurum in pauperes, aliosve pios usus, retentis sibi solùm necessariis ad decentem sustentationem?

REspondent affirmativè Hurt. *loc. cit. l.* 6. *resol.* 6. *subresol.* 1. citans Cardin. *in clem. gratiæ. de rescrip. in* 12. C. de Lugo *to.* 1. *de justi. d.* 4. *s.* 4. *nu.* 58. Filiuc. *tr.* 41. *c.* 7. *n.* 57. quibus accedit Nav. *tr. de orat. Miscell.* 65. citatus ab Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 22. *q.* 3. ubi justam arbitratur causam, ut jus relaxetur in eo, ut plura ei conferantur, qui fructus beneficiorum in pios usus impendit; quamvis in *Man. c.* 25. *n.* 128. censeat intentionem illam provisi jam pluribus talibus beneficiis, & verâ ejus executionem esse causam justam, ut ea plura jam antè obtenta retineat (pro quo etiam solo citatur ab Hurt. *loc. cit. num.* 2. ubi etiam is dicit, videri hoc ipsum approbari à S. Tho. *quodlib.* 9. *a.* 15. dum ibi reprobat contrariam intentionem, habendi nimirum plura tantùm ad majorem splendorem victûs, vestium, famulorum &c.) non tamen ut denuo plura ei conferantur, & ab eo recipiantur, prout refertur ab Azor. His tamen contrarium, seu negativam tenet ipse Azor. *loc. cit.* cum Abb. & pluribus aliis; quibus, ut ait Azor, meritò hæc causa minimè probatur; eò quòd & alii sint clerici, qui beneficiorum illorum fructus in bonos usus insumerent. Quin etiam, quod addo, quod etiam sit pius, si non magis pius usus, dum ea beneficia plura in plures divisa eorum fructus toti ab iis indecentem sui sustentationem absumuntur, reddendo interim deo horarum preces & sacrificia, quod alii pauperes, saltem ex obligatione, non facient. Quòd si tamen nulli extarent clerici, qui eos fructus piè erogent, subest causa, cur iis plura conferantur; non quia ii, quibus ea conferuntur, utiliter fructus insumant; sed quia desunt clerici idonei, ut in provinciis, ubi hæretici dominantur, qui fructus beneficiorum sibi sumunt ac devorant. Azor. *loc. cit.*

Quæstio 77. An sit sufficiens motivum dispensandi, seu laxandi in hoc jus, etiam dum illud est justitiæ distributivæ, in conferendo uni plura beneficia, quòd is habeat parentes, fratres, nepotes ex fratre vel sorore indigentes, vel etiam amicum, cui multa debet?

1. REspondeo ad primum affirmativè: ita expresse Navar. *Miscell.* 17. *nu.* 76. & *Miscellan.* 44. *n.* 76. ubi: Papa potest concilium dispensare potest, ut quis habeat plura beneficia, quorum unum ei sufficit, eò quòd habeat parentes, fratres, sorores, nepotes, vel alios cognatos pauperes, quos eum oportet alere, collocare, vel in aliquam viam salutis æternæ dirigere &c. sequitur Hurt. *loc. cit. subresol.* 2. *n.* 1. Azor. *cit. c.* 12. 44. ut enim beneficium dicatur sufficiens, debet ex ejus fructibus posse sumere, quæ sibi & suis necessaria, adeóque eo ipso, quòd clericus habet parentes, fratres &c. egentes; beneficium, quod aliàs ei soli esset sufficiens, dici non potest sufficiens. Azor. *ibid.* & patet ex dictis suprà ex eodem Azor. & Castrop. aliisque, dum tales pertinent ad familiam beneficiati.

2. Respondet quoque ad alterum; nimirum de habente talem amicum, affirmativè Hurt. *loc. cit. n.* 3. & *subresol.* 4. *n.* 4. in specie ait: existimo, quòd sufficiens motivum relaxandi in hoc jus naturale sit, quòd Papa amico suo ante Papatum collata in se ab eo beneficia compenset, & gratum se ostendat.

Quæstio 78. An ipsa Papæ liberalitas sit sufficiens causa dispensandi in hoc?

REspondet affirmativè. Hurt. *loc. cit. resol.* 6. §. 8. *n.* 14. ubi ait: Præpositus *ad c. per venerabilem. qui filii sint legitimi.* Felin. & alii, quos ibidem citat, dicunt, quòd ipsa liberalitas Papæ sit sufficiens ratio dispensandi contra jus, juxta *c. cum vestis. de conces. præb.* ubi dicitur ex indulgentia specali, vel alia justa causâ; quæ doctrina non solum tenet in relaxatione juris divini, cùm liberalitas maximè deceat principem ex ipsa ratione naturali. ita ille.

Quæstio 79. An etiam Episcopus, aut etiam Legatus à latere Papæ possit dispensare in pluralitate beneficiorum, saltem simplicium, existentium in diversis Ecclesiis, quorum unum sufficiens est, dum adest aliàs justa causa disponendi?

1. REspondeo ad primum negativè: idque etiam si habere aut conferre istiusmodi plura non esset lege naturæ vetitum: patet hoc ipsum ex Trid. quod uti & jus commune, laxare non potest Episcopus, nisi in casibus ipsi in jure concessis. Castrop *d.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 28. Azor. *cit. c.* 12. *q.* 6. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 182. Hurt. *loc. cit. resol.* 6. §. 1. *n.* 20. citantes Abb. *in c. de multa.* Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 371. & 169. citans quàmplurimos alios. Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 150. (ubi dat rationem cur Episcopus, etiamsi

etiamsi videat profuturum suæ Ecclesiæ, ut uni dentur plura, nimirum, quòd lex obliget inferiorem, quamdiu ex custodia illius nihil evidenter sequitur contra legislatoris intentionem; nunquam autem, aut rarissimè contingat cõtra intentionem concilii Trid ex eo, quòd uni non dentur duo beneficia, quia nunquam evidens est, id esse contra majus Ecclesiæ bonum, & proximorum ædificationem; quæ duo Trid. per hujusce sui præcepti, de non dando uni plura, custodiam intendit. Adhæc potissimùm sit summi pontificis, procurare bonum Ecclesiæ, & indicare, quid ad illud expediat) contra Selv. *p.* 4. *q.* 7. *n.* 29. Rebuff. *in pr. tit. de dispensat. ad plura n.* 30. Gamb. *de off. leg. l.* 5. *tit. an legatus possit uni conferre plura.* Hojedam. *p.* 2. *c. ult. n.* 16. & alios citatos à Garc. *ubi antè, n.* 338. tenentes Episcopum & legatum de jure posse dispensare, quando dispensatio fieret principaliter propter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, & non ob utilitatem personæ propter prærogativam meritorum. Verúmque hoc ipsum est secundum Pirh. *ad tit. de præb. n.* 186. & Fagnan. *in c. cùm jam dudum. tit. eod. n.* 49. ab eo citatum; quòd Episcopus nequidem dispensare possit, ut habens jam sufficiens obtineat insuper aliud etiam insufficiens omnino simplex; quia & hoc est contra decretum Trid. ut vidimus suprà. Proceditque hoc ipsum etiam, si aliàs dispensare adhuc hodiedum posset, sicut poterat olim ante Trid. ut quis haberet duo disformia sub eodem tecto, quod tenet Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 376. Patet namque hoc ipsum ex clara declaratione S. Congreg. *super cit. c.* 17. *Trid.* quam recitat *ibidem* Garc. *n.* 377. quæ sic habet: *Congregatio concilii censuit, Episcopum posse dispensare ex causa, ut quis possit obtinere duo beneficia disformia sub eodẽ tecto, dummodò quodlibet per se non sit sufficiens ad sustentationem provisi &c.* Neque obstat, quòd Episcopi aliàs dispensare possint contra jus Canonicum, etiam concilii, in magna causa utilitatis, ut tenet Garc. *cit. c.* 5. *n.* 339. Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 40. *n.* 3. citantes quamplurimos alios; nam id procedit, quando Superior consuli non potest, ut AA. iidem; in præsenti autem puncto non videtur posse considerari periculum in dilatione ad consulendum Superiorem. Garc. *nu.* 340. Proinde jam aliquis in hoc puncto dispensatus ab Episcopo, tutus non erit in conscientia; sed neque juvabitur regulâ *de triennali*, utpote quæ possessori non suffragatur contra decreta concilii Trid. ut constat ex dictis aliàs, & claris verbis S. Congregat. *ad cit. c.* 17. trid. quæ sic habent: *an præsumpta dispensatio, in qua fundatur regula de triennali, habeat locum contra decreta Concilii sess.* 7. *c.* 4. *& sess.* 24. *c.* 17. *& sess.* 25. *c.* 15. *ita ut possidentes beneficia contra dispositionem dictorum decretorum ex tali præsumpta dispensatione suam possessionem tueri valeant. S. D. N. ex sententia Congreg. respondit, non hare locum.* ita Garc. *loc. cit. n.* 379. Porrò quæ hic dicta de simplicibus, multò magis locum habent in dignitatibus, personatibus, officiis curatis, nimirum, quòd in eorum pluribus simul habendis nemo præter Papam dispensare possit. Garc. *loc. cit. num.* 337. citatis quàmplurimis dicens, sic servari à Curia & stylo.

2. Unde, licèt olim vi *c. Sanctorum. d.* 70. ex justis nimirum causis supradictis id poterant Episcopi; eorum tamen, quia exorbitarunt, in hoc restricta est potestas ab Innoc. 3. in Conc. Lateran. ut habetur *c. de multa. de præb.* Azor. *loc. cit.* & hodiedum prorsus illi potestati derogatum *in c. dudum. de elect.* ut ibidem Abb. Hurt. *loc. cit.* qui tamen addit, dum ad Curiam non patet aditus, posse adhuc Episcopum conferre unum in titulum, alterum in Commendam, usque dum impetretur dispensatio. De cetero nec in casu magnæ necessitatis posse in hoc dispensare Episcopum, ut habeat quis talia duo simul, utendo Epiicheiâ, eò quòd censeri possit, Papam dare hanc facultatem Episcopis in dicta tantâ necessitate, ne laquei peccatorum animabus injiciantur, rectè ostendit & probat Garc. *cit. c.* 5. *à n.* 351. ex eo, quòd Episcopus non possit dispensare in lege Papæ vel Concilii, proveniat ex natura rei, quia Episcopus est inferior, & inferior non habet potestatem in Superiorem, nec in ejus legem, juxta *c. cùm inferior. de major. & obed.* & non proveniat ex eo, quòd Papa sibi reservet potestatem dispensandi, & eam Episcopis tollat seu neget. Garc. *ibid.* citans pro hoc Suar. *to.* 5. *d.* 7. *s.* 4. *n.* 4. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 7. *n.* 8. & *l.* 8. *d.* 2. *n.* 12. Epiicheia autem tantum sit moderatio legis deficientis propter universale, & temperet illius rigorem in casibus specialibus, & extraordinariis; non verò det potestatem aut jurisdictionem non habenti; adeóque solùm possit moderari legem Papæ, per quam ille sibi reservaret talem dispensationem, aufferendo eam potestatem Episcopo aliàs ei competentem; quemadmodum cùm Episcopus dispensare posset in omni voto, ut Garc. *ibid. n.* 352. nisi Papa sibi specialiter reservasset, potest Episcopus adhuc in casu magnæ necessitatis, ubi ad Papam recursus haberi non potest, dispensare in voto v. g. castitatis, quod est unum ex reservatis; quia jam Epiicheia potest moderari legem illam, per quam fit ista reservatio; ècontra autem quia Episcopus de se dispensare nequeat v. g. in impedimento matrimonii, & quòd id nequeat, non provenit ex lege pontificis, reservantis sibi hanc dispensationem, ne quidem per Epiicheiam potest dispensare in tali impedimento; sed ex sola concessione pontificis. Et si opponatur jus illud naturale (in quo aliàs Epiicheia locum non habet Vasq. 1. 2. *tom.* 2. *d.* 176. *nu.* 3.) quòd inferiori dispensare non possit in lege Superioris, interpretari, ut non intelligatur de casu magnæ necessitatis, sed hunc ipsum excipi. Respondet Garc. id verum esse, & procedere, quando necessitas est publica, non privati; unde etiam expressè tradit *nu.* 347. posse Episcopum dispensare in impedimento matrimonii (adeóque & in præsenti puncto pluralitatis beneficiorum) quando Papa adiri nequit, & est causa necessitatis, non particularis seu privatæ alicujus personæ, sed publicæ & communis, seu Ecclesiæ; eò quòd tunc ratio boni communis id postulet, de necessitate autem particulari habenda non sit ratio, cum lex in communi feratur.

3. Respondeo ad secundum quoque negativè: Castrop. *loc. cit.* Pirh. *de præb. n.* 189. ex Azor. *loc. cit. q.* 9. ubi: *legatus Papæ potest in provincia sibi demandata jus in hac parte (nempe quoad conferenda plura uni) laxare ex iisdem causis, & etiam iisdem beneficiis, in quibus id potest Episcopus in Ecclesiis suæ ditioni subjectis &c.* sed Episcopus id non potest in dictis beneficiis, quorum unum sufficiens est, ut immediatè antè ex eodem vidimus; ergo. Sic expressè idem de Nuncio, nempe quòd nec is in eo dispensare possit, tenet cum aliis Garc. *loc. cit. n.* 374. Multóque igitur minùs id poterunt prælati alii Episcopo inferiores, aut etiam reges & principes, dum quandoque jus confendi habent; & de his, uti & de illis

lis prælatis inferioribus absolutè & indistinctè negat Azor. *loc. cit.* quòd duo vel plura beneficia eidem conferre possint. Porrò, an & qualiter Episcopus vel Legatus dispensare possit in pluralitate incompatibilium aliunde, v. g. quia dignitates, curata &c. dicetur infrà. vide tantisper Garc. *loc. cit. n.* 336.

Quæstio 80. *An, si justæ causæ, ob quas quis obtinuit plura beneficia, cessent, v. g. parentes, sorores &c. quos alere debebat, mortui, teneatur ea beneficia renunciare, retentis solùm iis, quæ ad congruam sustentationem sufficiunt?*

REspondeo negativè: jus enim naturale jam cum eo relaxatum est, & in jure Canonico dispensatum ex justa & rationabili causâ, quæ laxatio sicut in votis & juramento, non est conditionalis, sed absoluta, & causæ illæ pertinebant ad hoc, ut legitima distributio fieret illorum beneficiorum, non verò ad conservationem distributorum: ita fere Hurt. *loc. cit. subresol.* 3. citans Cajetan. Nihilominus fructus illorum beneficiorum, quæ data ei erant intuitu istarum causarum, iis cessantibus, teneatur impendere in usus pios juxta Hurt. *loc. cit. n.* 1.

Quæstio 81. *An valeat dispensatio papalis facta in hoc puncto dictis causis non subsistentibus?*

REspondeo in sententia eorum, qui dictam pluralitatem verari jure divino sentiunt, esse invalidam eam dispensationem coram Deo, nihil prodesse, & minimè subsistere juxta dicta superius, non secus, ac si votum relaxet sine causa; licet enim Papa habeat liberam administrationem beneficiorum, hoc est, minimè adstrictam canonibus & legibus, uti ceteri Antistites, habet tamen eam juris naturalis vel divini legibus alligatam. Azor. *cit. c.* 12. *q.* 7. proderit tamen etiam in foro conscientiæ adhuc talis dispensatio, ut clericus à pœnis juris in eos latis, qui plura talia beneficia habent, sit liber. Azor. *ibid.* juxta dicta à nobis suprà. Nihilominus contrarium tenere videtur Laym. *in c.* 1. *de consuetud. in* 6. dum ait, dispensationem Papæ supra pluralitate beneficiorum curatorum vel dignitatum sic justa causa necessitatis vel utilitatis factam esse invalidam, si obreptio aliqua ex parte impetrantis intervenerit; alioqui quidem validam esse dispensationem, argumento *cit. c.* 1. sed illicitam; neque potest dispensatus sic plura beneficia retinere tutâ conscientiâ, maximè, si eorum fructus abundantes inutiliter consumere pergat. Item Less. *de justit. l.* 2. *c.* 34. *n.* 152. dum postquam præmisisset: *Est contra jus divinum naturale, ut unus habeat plura beneficia, nisi justa aliqua causa excuset: atqui Pontifex non potest dispensare sine justa causâ, quæ turpitudinem evacuet in iis, quæ sunt juris naturæ*; subiungit: *adverte tamen, collationem secundi beneficii, tertii & ceterorum esse validam, & conferre verum titulum, ut patet ex multis canonibus; nam ad nullum eorum jure naturæ est inhabilis; tenetur tamen resignare aliqua ex iis, quæ non sunt illi secundùm suum statum necessaria, vel in quibus legitima causa non intercessisset; fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere; si muneri suo saltem per vicarium, satisfecit &c.* Verum ut patet ex ipsis Lessii verbis, non loquitur is de collatione factâ dispensativè in ordine ad retinenda illa cum præhabitis, sed de hoc enim quærebatur, an id Pontifex possit valide, de alia tali collatione paulò pòst.

Quæstio 82. *An, & qualiter obtinens plura istiusmodi beneficia sufficientia ex dispensatione Papæ sine rationabili causa, tutus esse possit in conscientia, & absolvi à Confessario?*

REspondeo (sub limitationibus tamen subjungendis, & ubi habens illa plura certus est sine causa rationabili & subsistente secum dispensatum) non posse esse tutum in conscientia, & non posse absolvi. Cajet. *in sum. v. beneficium n.* 10. Azor. *cit. c.* 12. *q.* 11. Filiuc. *tr.* 41. *c.* 7. *n.* 40. Less. *loc. cit. n.* 151. citans pro hoc præter D. Thom. & Cajet. Majorem *in* 4. *d.* 24. *q.* 4. Soto *de justit. l.* 3. *q.* 6. *a.* 3. Tolet. *l.* 5. *c.* 71. *&c.* ac dicens, esse fere communem Theologorum: contra Hurt. *loc. cit. c.* 6. *subresol.* 5. *n.* 10. ceteròsque auctores docentes, cum hoc ipsum non nisi jure canonico vetetur, posítque in eo etiam sine causa Pontifex dispensare validè, posse provisum talibus pluribus (modò tamen ea obreptitiè non impetraverit à Papa, juxta dicta *paulò antè quæst. præced.* ex Laym) licitè, seu tutâ conscientiâ retinere & absolvi. Videtur etiam esse contra Sanch. *l.* 2. *Consil. c.* 2. *dub.* 6. *n.* 16. apud Pirh. *de præb. n.* 184. dum docet, eum, qui obtinuit plura beneficia incompatibilia per dispensationem Papæ sine justâ causa factam, peccâsse quidem mortaliter, dum actu procuravit & recepit talia, posse tamen licitè retinere ea, si per se, vel per substitutos bene ea administret, & consulat damnis inde pullulantibus; quia accepit ab eo, qui poterat legitimè conferre, ac sciens contulit ea; & cùm talis receptio sit tantùm contra justitiam distributivam, non obligat ad restitutionem. Lubet responsionem nostram ipsiusmet ferè Cajetani verbis elucidare: hic postquam *loc. cit.* dixisset: *dispensatio Papæ cadit super jus positivum, & non super jus divinum & naturale; pluralitas autem beneficiorum, quæ fit sine rationabili causâ, est contra jus naturæ*; & dein addidisset: *iste tamen confessor pedem circa judicium illius, qui jam cum dispensatione, sine rationabili tamen causa, habuit & possidet incompatibilia, ne præceps neges absolutionem; oportet enim discernere, an iste teneatur de necessitate salutis renuntiare reliqua, reservato sibi uno; quod non facile est, quando providetur per Vicarios.* subjungit: *denique duo pensanda potissimum. Primum est damnum Ecclesiarum, secundum inæqualitas distributorum beneficiorum: & quidem damnum Ecclesiarum, quantùm ad temporalia, & reparationem opportunam sive templi sive paramentorum, & numerum ministrorum facilè compensari potest, quia hæc subjacent sensibus: sed quantùm ad curam animarum, si sunt beneficia curata, non excusatur à residendo; & per hoc sibi imputetur etiam levis culpa in damno animarum, & proinde, etsi possibile est, difficile tamen ac rarum videtur quòd absque notabili damno Ecclesiarum huiusmodi pluralitas continuetur: & quando sic accidit, neganda est absolutio; quia notabilis damni Ecclesiæ continuatio voluntaria absque rationabili causa, non est absque peccato mortali: ex parte autem iniquæ distributionis post factum pensanda sunt tria. Primò: damnum Ecclesiarum quas quis simul habet. Secundò damnum Clericorum, qui debent ex his beneficiis honorari ac pasci. Tertiò scandalum bonorum omnium, qui has inæquales beneficiorum distributiones videntes offenduntur, perturbantur, & ad similia incitantur, & propterea qui hæc parvi pendit absolvendus non est.* ita ille: ex quibus patet, illum non tantùm loqui de curatis, sed etiam

de simplicibus, saltem ob servitium exigentibus residentiam, ut eum interpretatur Hurt. supra. De ceterò Azor, cui inhæret Filiuc. expressiùs comprehendit & cetera; dum sic ferè loquitur: profectò si sunt curata, & dispensatio impetrata sine causâ justa, absolvi non potest, qui plura eorum obtinet, nisi, uno sibi reservato, reliqua dimittat; nam jure divino in Ecclesiis, quas habet, tenetur residere, nec per Vicarium sui loco substitutum satisfacit, eò quòd Vicarius est mecenarius, non pastor proprius. item si beneficia sint dignitates, personatus, officia, canonicatus, vel portiones Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, absolvendus non est, qui sinè justa causâ plura habet; quia quamvis jure canonico tantùm residere perpetuò debet, at jure naturali, ubi unum ex his beneficiis satis est, alterum habere prohibetur; ac proinde dispensatio sine justâ causâ impetrata coram Deo nihil valet. Postremò si beneficia sunt simplicia, nec præsentiam requirunt, adhuc jure naturali simul haberi nequeunt, dum unum sufficiens est; proinde & in his habens dispensationem retento uno ad sustentationem necessario, reliqua abdicare debet secundùm conscientiam, alioqui absolvendus non est. Addit tamen uterque tam Filiuc. quàm Azor, quibus in hoc consentit Hurt. quòd confessarius in beneficiis istiusmodi omnino simplicibus secluso scandalo sequi possit sententiam contrariam plurimorum Canonistarum, sentientium talia beneficia, etiam, dum sufficiens est eorum unum, non esse ex jure naturali incompatibilia, eò quòd secundum hanc sententiam dispensatio illa Pontificis sine causa, etsi illicita, sit tamen valida, & pœnitentem dicentem se sequi illam, absolvere; dum tamen, ut expressè Azor, confessarius ipse judicat eam sententiam esse probabilem, quamvis ex eo solùm quòd plures Doctores graves sic sentiant; secus verò, si ipse confessarius judicet, eam sententiam esse improbabilem, aut hæsitet, sitné, nec ne probabilis; sic enim ageret contra conscientiam, licere autem confessario eam judicare ut probabilem, ait; quia etsi credat falsis rationibus niti; quia tamen novit eam teneri à gravibus & minimè imperitis Auctoribus, tutò judicare potest, eam esse probabilem, quia probabile est quod veris alioqui sapientibus videtur, ut Aristot. *l. 1. Top. c. 1.* quæ postrema fundantur in generali illa doctrina, quam cum Vasq. *1. 2. d. 62. c. 4.* Lorca *1. 2. d. 39.* Sayro *in clavi reg. l. 1. c. 6.* tenent plures, posse aliquem operari contra propriam opinionem & sequi contrariam, quam viri docti sequuntur, quæque communiter æstimatur non continere errorem, sed adhuc probabilitatem habere, quamvis ex intrinsecis & propriis fundamentis & rationibus illa ei non probetur, sed suam opinionem veram existimet, & contrariam falsam, quia ob extrinseca principia, nempe auctoritatem Doctorum, qui contrarium sequuntur, potest judicare illam rem probabilem, & sic secundùm eam operari, retentâ adhuc propriâ opinione & assensu illius ob intrinseca & propria fundamenta: à qua doctrina tamen plures alii recedunt, etsi aliàs teneant posse aliquem sequi probabilem relictâ probabiliore, eò quòd velint, ut quis sequi possit probabilem, debeat judicare, eam esse veram, etsi non veriorem: de quo vide post & inter alios canonistas Garc. *p. 11. c. 5. n. 380.* tenentem hanc secundam contra Vasq. & Azor.

Quæstio 83. An igitur, si Papa nulli expressa causa, motu proprio, & ex certa scientia habenti jam beneficium ad congruam sustentationem sufficiens, conferat insuper aliud, collatio sit legitima, & talis illud tutâ conscientia recipere & retinere valeat?

1. REspondeo primo: talem collationem censendam validam, etiamsi in literis provisionis nulla fiat mentio de præhabitis jam beneficiis, modo tamen in iisdem literis expressè contineantur verba significantia morum proprium & certam scientiam. Azor. *p. 2. l. 6. c. 10. p. 5.* juxta *Clem. si Romanus, de præb. ab eodem citatam.* ubi dicitur: *si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat de beneficiis, quæ obtinet, nullâ habitâ mentione; provisionem seu gratiam huiusmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia, dignitates aut personatus, cum cura vel sine cura, & in numero quantumcunque is habebat.* Et de hoc casu motus proprii intelligendus videtur Castropt. dum *de benef. d. 6. p. 3. §. 6. n. 27.* tradit, quod clarum sit, Pontificem dispensâsse in pluralitate beneficiorum (intelligè etiam ad effectum ea simul retinendi) eo solùm, quòd denuo concedat alicui beneficiorum, aliorum, quæ is jam obtinet conscius tam quoad qualitatem, quàm quantitatem.

2. Limitat tamen hoc ipsum Azor, ita ut vi dictorum verborum insertorum: *motu proprio*: talis non fiat compos beneficiorum jam obtentorum, dum ea tenebat contra canones absque ulla canonum relaxatione: veluti si Titius Spurius vel ante legitimam ætatem sine ulla in hoc dispensatione illa obtinuit, hæc enim verba: *motu proprio*: cum ultra Pontificis mentem & voluntatem non tribuant facultatem, aut juris relaxationem, non extendunt se ad ista præhabita; sed rescriptum Pontificium tantùm obtinet ad aliud beneficium de novo consequendum; nam dum pontifex alicui gratiam facit, ut plura beneficia, quorum unum, aut aliqua ob abundantiam redituum, aut assecutionem alterius incompatibilis dimittere debebat, simul retinere possit, intelligi duntaxat debet de iis, quæ canonicè obtenta sunt, ut dicitur expressè in *c. dudum, de elect.* per ea verba: *nec intentionis nostræ fuit, aliquid de novo concedere; sed ut per indulgentiam possit habita licitè retinere.* Item in *c. si gratiosè, de rescript. in 6.* Laym. *in cit. c. dudum. n. 6.* juxta Innoc. *ibid. n 17.* Idem de Legato asserunt Azor. *cit. c. 10. q. 6.* & qui ab eo citantur Jo And. Anchar. Cardin. Imol. *in Clem. Etsi ab Apostolica, de off. Ordinar.* valere factam ab eo collationem, si is motu proprio, & hoc expresso in literis provisionis, habenti jam unum beneficium, nulla de eo factâ mentione, conferat secundum; eò quòd jus *in cap. ult. de off. legati in 6.* illam irritam voluerit vitio impetrantis, tacentis primum beneficium; non autem vitio Legati, qui contulit. Contrarium tamen tenentibus Archid. Jo Monach. Lap. & aliis *in cit. c. ulti. de offic. Legati*; eò quòd illud *cap.* dicat, collationem factam à Legato, non factâ mentione beneficii præhabiti, esse irritam, non distinguendo, an motu proprio, an ad petitionem collatum beneficium; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debeamus. Ad hæc *in c. si motu proprio. de præb. in 6.* tanquam speciale privilegium statuatur, ut facta ab eo collatio motu proprio sine expressione beneficii præhabiti valeat.

3. Respondeo ad secundũ: posse in eo casu provi-

sum,

sum, etsi ei nulla occurrat causa sufficiens, acceptare & retinere illud beneficium simul cum præhabitis; eò quòd turpe sit de universalis Ecclesiæ pastore præsumere peccatum, quodve abutatur potestate dispensativâ bonorum Ecclesiasticorum contra justitiam distributivam, & quòd non gubernet rectâ, suavi, & prudente prudentiâ; quamvis hic & nunc ignoretur causa sufficiens relaxandi jus naturale; adeoque provisus rectè faciat obmutescendo, & beneficium illud acceptando & retinendo; utpote qui illius capax est, & præsumere debet, Papam in eo conferendo habuisse causam sufficientem ad dispensandum in jure canonico, & relaxandum jus naturale. Hurt. *de residentia. l. 6. resol. 6. §. 7. à n. 11.* citans Bart. *in l. fin. c. si contra jus. utilitas publica.* Loar. *de matrim. du. 4. nu. 13.* Felin. Decium, Præpos. Imol. &c. Et sanè si verum est, quòd ipsa Pontificis liberalitas sit ratio sufficiens dispensandi, de quo suprà, talis collatarius scrupulum nullum movere potest. Adde quòd non semper, ubi collator in conferendo beneficium peccat, peccet quoque collatarius illud acceptando vel retinendo, v. g. dum collator præterito scienter digniore id confert minùs digno, eo id ignorante, vel dum confert amico, ut is fiat ditior, honoratior, & is ignorans illam intentionem conferentis illud acceptat bonâ fide ex intentione, ut exinde pauperes juvare possit. Hurt. *l. c. n. 16. & 17.* citans Nav. *miscellan. 44. n. 81. & 82.* Vide quæ hanc in rem dicta suprà ex D. Tho. & Cajet. *ad initium hujus §.*

Quæstio 84. An ergo etiam, dum quis post narrata in supplica beneficia jam à se habita obtinet insuper aliud beneficium à Papa, eo ipso dispensatus sit ad ista præhabita retinenda simul, & sic ea retinere possit bonâ conscientiâ?

Respondeo negativè: *c. non potest. de præb. in 6.* ubi expressè: *Cùm verò tibi, non obstante, quòd aliud beneficium habere noscaris, à sede prædictâ de aliquo beneficio provideri contingit, per hoc tecum, ut primum beneficium cum secundo retinere valeas, non intelligitur dispensatum; hoc enim solum operatur præfata expressio, quòd facta tibi gratia nequeat subreptitia judicari.* Castrop. *cit. p. 3. §. 6. nu. 27.* ubi etiam rationem hanc dat; quia Papa conferens de novo beneficium habenti aliud, cum facultate illud retinendi præsumit, nullum ex iis sufficere ad honestam sustentationem: Gonz. *Gl. 15. n. 27.* citans pro hoc Ignat. de Salcedo *Addition. ad praxin Bernard. Diaz. c. 48. gl. quamvis simplicia.* Hojed. *de incomp. p. 2. c. fin. n. 72.* Rodriq. *in sum. c. 31. n. 2.* ac præcipuè Nav. *tr. de orat. c. 22. miscellan. 16. n. 64.* ubi ait; in hoc decipi plures, credentes ex tali narrativa dispensatos remanere, & quòd, si sua sanctitas plura obtinenti concedit de nova alia, non ideo intentionem habet dispensandi contra textum *cit. c. non potest*; sed quia credit, quòd omnia beneficia ad congruam supplicantis sustentationem necessaria sint, & quòd aliter confessarii non absolvent eos, nisi dimissis his, quibus non egent, vel concepto firmo proposito ea dimittendi &c. Quæ confirmantur ex illis, quæ habet Gonz. *loc. cit. nu. 38.* quòd nimirum in supplicationibus, in quibus præter gratiam pro novo obtinendo petitur quoque dispensari ad licitè retinenda præhabita narrata, semper ferè soleant verba illa dispensationem hanc concernentia cancellari de supplicatione; ex qua Cancellatione declaratur mens Papæ, nolentis dispensare, ut plura beneficia, quàm ea, quæ ad congruam sustentationem satis sunt, retineri possint. Pro quibus Gonz. citat Mohed. *decis. 23. n. 2. & 3. de præb.* Bart. *in l. si quis in priore. ff. ad Trebellianam. & l. Tribunus. ff. de militari testam.* Addit quoque Gonz. *n. 29.* in hoc casu de plano intrare *Regul. 50. Cancellar.* per omnes Pontifices renovatam, dum in ea dicitur: *Dispensatio non venit sub quacunque signaturâ in quavis gratiâ, nisi totaliter gratia effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat aut operetur &c.* Unde, cùm supplicatio ultima pro obtinenda gratia alterius beneficii non concernat totaliter effectum ad plura, sed potius acquisitionem alterius novi beneficii respiciat, & narrativa jam habitorum operetur in suum effectum, nempe, ne adsit obreptio, atque ita expressio eorum, quæ si tacita essent, vitiarent gratiam, nullatenus dispensationem operatur, juxta Rot. *decis. 33. nu. 7. & 8. de præb. in antiq.* Gonz. *n. 31.* & clausula: *non obstantibus*: licet tollat subreptionem, non tamen inducit dispensationem; cùm de dispensatione apparere debet verbis claris & non ambiguis. Gonz. n. 32.* ex Ferret. *cons. 32. n. 53.* Notanda denique sunt verba, quibus hanc responsionem concludit Gonz. *n. 38. bene considero, quòd ista sententia pluribus Ecclesiasticis beneficia deglutientibus, ac sitim majoris & ampliorus pluralitatis nunquam extinguentibus maximè displicebit, & quòd statim dicent, quòd communiter servetur contrarium; sed ad hoc respondeo; quòd quilibet sibi consulat, & si contraria fundamenta & rationes repererit potiora, cum quibus corruant supradicta, oppositam opinionem retinere poterit; sed ego tales rationes aut jura, aut aliquem Doctorem contrarium tenentem non invenio, &c.* dicit tamen *n. 39.* se non loqui simpliciter de pluralitatem beneficiorum habentibus, sed de illis, qui majorem numerum, quàm ad suam vitam honestè sustentandam sufficiat, habeant. Porrò videntur hæc procedere juxta dicta à Gonz. dum expressa non solùm præhabitorum qualitas, sed etiam quantitas, nempe sufficiens; etsi contrarium videatur colligi ex eis, quæ ait Castrop. *loc. cit.* nempe, quia sæpe ignorat Papa beneficia, quæ habes, sufficere ad tui sustentationem, tametsi qualitatem eorum manifestes, si de facto ea sufficiunt, & tamen id non declares, non censetur Papa dispensare: nam inde videtur rectè inferri à contrario, quòd, si eam declares, censeatur dispensare.

Quæstio 85. An, dum quis scit, Papam scire, se ad plura beneficia sufficientia absque dispensatione promoveri, vel ea simul habere, & hoc toleret, seu non reprobet, ea retinere possit bonâ conscientiâ?

Respondeo negativè, argumento illius, quòd dicitur in *c. cùm jam dudum: de præb.* multa per patientiam tolerari, quæ si in judicium deducta fuerint, exigente justitiâ, tolerari non debent, Pirh. *tit. de præb. n. 176.* quamvis enim Papa hoc sciat, & motu proprio authoritate suâ non emendet vel impediat, non tamen id approbat, sed exspectat, donec causa in judicium per quendam deducatur, ut ad instantiam partis ex officio teneatur

tur administrare justitiam. Et certè non omnis patientia seu taciturnitas Superioris censenda est dispensatio seu relaxatio juris, quia interdum tacet & dissimulat, quod facilè impedire non potest, ac proinde talis tolerantia non inducit consensum approbativum: Et sic dum princeps solo facto seu impunitè dissimulat aliquid & permittit, non est censendus dispensare. Pirh. *loc. cit.* vide Sanch. *de matrim. d. 38. n. 12.*

Quæstio 86. An ergo habens beneficium simplex insufficiens ad sustentationem impetrare possit aliud, absque eo, quòd mentionem fecerit præhabiti insufficientis?

1. Respondeo: Quamvis in hoc casu, modò utrumque residentiam perpetuam non poscat, haberi possit utrumque sine ulla juris relaxatione, consuetudine, vel saltem Tridentino in hoc jus relaxante, juxta dicta superius. Azor *p. 2. c. 10. q. 3. §. his positis.* Subreptitiam tamen esse impetrationem secundi, dum illud impetratur à Papa, nisi facta fuerit mentio de præhabito, juxta *c. si motu proprio. de præb. in 6.* ubi: qualecunque beneficium habeat impetrans à Rom. Pontifice, rescriptum ad beneficium aliud assequendum, nisi de illo, quod habet, quamvis minimo, mentionem fecerit, subreptitias literas eo ipso obtinuisse videtur. Azor *l. c.* §. *attamen Romani.* Pirh. *de præb. nu. 193.* Unde etiam, si Clericus rescriptum à Papa petens ad beneficium consequendum dixerit, se esse pauperem, non tamen expresserit beneficium modicum, quod habet, rescriptum adhuc dolosè impetrasse censetur; quia *in cit. c.* Papa expresè ait, oportere fieri mentionem de beneficio modico, quod habet quis. Azor. *ibid.* §. *si secundò.* Atque ita par in hoc est ratio de eo, qui tacuit tale beneficium tenue, quæ est de eo, qui mentitus fuit positivè, negando se habere ullum beneficium; eò quòd, dum jura non distinguunt, nec nos distinguere debeamus. Azor *loc. cit.* §. *quæres tertiò*: citans pro hoc Gl. *in cit. cap. si motu proprio*; qui etiam mox subjungit, parem esse rationem in eo, qui per ignorantiam & oblivionem tacuit præhabitum beneficium tenue, ac de eo, qui id tacuit de industria, idque secundùm eandem Glossam.

2. Respondeo secundò: quòd si tamen ab Archiepiscopo, Episcopo, Abbate, Archidiacono, alio quovis Ordinario, cujus est beneficium conferre, impetravit quis beneficium, nullâ factâ mentione prioris beneficii modici & tenuis præhabiti, impetratio non est subreptitia. Azor *l. c. q. 4.* dicens sic constare ex verbis ultimis *Clem. Etsi ab Apostolicæ. de off. jud. ordinar.* ubi dicitur: *in aliis tamen quibuslibet collationem beneficiorum habentibus hoc volumus observari.* Proceditque idem, si quis beneficium impetravit ab iis, quibus jus & potestatem conferendi Ordinarius delegavit. Azor *ibid. juxta Gl. in cit. Clem.* Veruntamen ut hæc in *dicta Clem.* constituta procedant, requiritur, ut secundum beneficium illud cum præhabito aliàs jure compatibile sit, & primum tutâ conscientiâ possideatur; aliàs adeptio secundi nullius erit momenti, ut dicitur *c. ordinarii. de off. jud. ordinar.* Non ideo quia prioris facta non est mentio; sed quia secundum cum primo non est sociabile seu compatibile. Azor *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. Ordinarii.*

Quæstio 87. An, si impetrans dispensationem ad plura simul habenda, in hac dispensatione petenda reticuerit, etiam modicum beneficium, dispensatio sit hoc ipso nulla?

1. Respondeo affirmativè: *c. non potest. de præb. in 6.* & constat, seu à fortiori sequitur ex dictis & responsis *ad quæst. præced.* si enim non valet impetratio secundi beneficii, etiamsi impetrans fecerit mentionem de modico & insufficiente præhabito, multò minùs valebit petita dispensatio super pluralitate beneficiorum, si facta in ea non fuit mentio vel unius modici præhabiti. Pirh. *de præb. n. 193.* Ratio generalis est; quia taciturnitas qualitatis, cujus expressionem jus & stylus curiæ necessariò requirit, reddit dispensationem & quodlibet rescriptum gratiæ ad petitionem alicujus concessum subreptitium & vitiosum, etiamsi constaret Papam, etiam qualitate expressâ, gratiam illam concessurum fuisse; idque ideo, quia expressio talis qualitatis tunc est de forma & substantia legitimæ postulationis. Pirh. *ibid.* citans Covarr. *l. 1. var. resol. c. 20. n. 5.* Laym. *Th. Mor. tr. 4. c. 22. n. 18.*

2. Responsio data varias patitur extensiones. Primò: quòd exprimi quoque debeat qualitas curæ præhabiti beneficii; cùm difficiliùs dispensetur super pluralitate beneficiorum, dum alterum curatum est, ut constat ex *Clem. 1. de præb. juxta Gl. V. vel alteri.* Pirh. *l. c. n. 194.* Secundò: quòd etiam de pensione præhabitâ debeat fieri mentio, si in titulum beneficii data est, ita ut deinceps sit beneficium Ecclesiasticum. Gonz. *Gl. 5. §. 5. n. 18.* (etsi secus esse dicat, dum ea non assignatur, seu datur in titulum beneficii, eò quòd tunc non sit beneficium Ecclesiasticum; quia quamvis aliàs concedatur in titulum, non est tamen titulus perpetuus spiritualis, ex quo, mortuo pensionario, exspirat, ut Gonz. *ibid. n. 15. & 16.* jura autem solummodò disponant narranda beneficia) Pirh. *cit. nu. 194.* citans Chok. *ad reg. 61. Cancellat.* & Garc. *p. 1. c. 5. n. 81.* Tertiò: ut etiam beneficii injustè præobtenti ac possessi debeat fieri mentio, ne melioris conditionis sit injustè, quàm justè possidens. Pirh. *ibid.* citans Gl. *in c. is cui. de præb. in 6.* Quartò: ut fieri debeat mentio valoris beneficii de novo impetrandi. Pirh. & Chok. *ll. citt.* Etsi in Gallia & Germania non soleat exprimi verus valor beneficii, sed tantùm fieri mentio, quòd beneficium non excedat reditus annuos viginti quatuor ducatorum secundùm communem æstimationem, de quo alibi. Vide Rebuff. *in pr. tit. de forma novæ provisionis.* Beneficiorum verò præhabitorum valorem necesse non est exprimere. Pirh. *cit. n. 194.* citans Rebuff. *ubi paulò ante*, & Gl. *in cit. illam Clem. 1.*

Quæstio 88. An legitimus, seu aliàs irregularis aut inhabilis dispensatus ad quæcunque, & qualiacunque beneficia recipere vel retinere possit, modò plura simul non sint, quàm quæ à Trid. permittuntur, possit vigore hujus dispensationis plura aliàs non incompatibilia liberè & licitè retinere, etiamsi unum sit sufficiens ad sustentationem?

Respon-

REspondet affirmativè Garc. *p. 11. c. 5. n. 335.* verùm ut expresè ait, ex suppositione, quòd Concilium Trid. in hoc non liget, utpote non receptum in Hispania; eò quòd, cùm verba illa: *modò plura non sint*: non restringant & modificent dispensationem, sed exprimunt id, quod ineſt de jure Concilii, quod receptum præsumitur à Papa, & ponuntur ad denotandum, quòd Papa per illa verba: *ad quæcunque & qualiacunque beneficia &c.* non intendit dispensare super retentione incompatibilium, & sic non sonant in conditionem seu modificationem, sed in monitionem & instructionem, ut Sanch. *de matrim. l. 3. D. 33. n. 3.* Nav. *in Man. c. 27. n. 37.* Covar. & alii citati à Garc. adeoque non stante vi illius non receptionis illo decreto Trid. nihil operantur; & sic poterit talis dispensatus adhuc plura simul recipere, & si retineret plura incompatibilia, non faceret contra jus eum inhabilitans, & prohibens ab eo teneri beneficia, sed contra jus prohibens tenere beneficia incompatibilia. Garc. *l. c.* verùm juxta dicta à nobis suprà de pluralitate istiusmodi jure naturæ prohibitâ, & hinc sine justa causa indispensabili, patet contrarium respondendum etiam independenter ab eo, quòd Papa quòad hanc pluralitatem non intendisset dispensare.

Quæstio 89. *An, dum Papa dispensat ex causa æqua super istorum beneficiorum simplicium, quorum unum sufficiens est, pluralitate, expresè debeat derogare decreto illi Trid.* cit. c. 17. *ita ut aliàs nulla sit dispensatio?*

1. REspondeo affirmativè: Gonz. *gl. 15. n. 36.* citans Felin. *in c. nonnullis. num. 2. & 3. de rescript.* Caputaq. *decis. 176. & 298. num. 3. p. 1. &c.* eò quòd Concilium generalissimè loquatur, personas majores & minores comprehendat, juxta *decis.* Rot. 48. *n. 2. & 3. p. 1. divers.* Gonz. *ibid. n. 15.* & decreta omnia Trid. continent decretum irritans, ut habetur in Bullis Pii V. super confirmatione & observatione ejusdem Trid. Gonz. *n. 37.* citans Paris. *de resign. l. 4. q. 9. n. 24.* Felin. *ubi ante n. 2. &c.* Decretum autem conciliare irritans afficit etiam & ligat manus Papæ, quando de expressa derogatione non constat. Gonz. *cit. nu. 37.* citans seipsum *gl. ult. q. 2. n. 23.* Nihilominùs loquens in genere sufficere generalem derogationem, si aliàs appareat de intentione Papæ, licèt de dicto Concilio Trid. specialis aut individua mentio facta non fuerit, eò quòd propter authoritatem dicti Concilii non soleat specialiter eidem derogari, tradit Gonz. *gl. 6. n. 120.* dicens se ita videre servari, & decisum ac declaratum audivisse.

Quæstio 90. *An possidens plura ex dispensatione teneatu Ordinatio exhibere dispensationem, & quomodo is aliàs se gerere debeat aut possit cum habente incompatibilia?*

1. REspondeo ad primum: Licet possidens plura compatibilia ad exhibendum titulum cogi non possit, dum aliquamdiu in possessione pacifica eorum fuit, cùm præsumptio stet pro possessore. Laym. *in c. ordinarij. in 6. ad §. in conferendis. n. 2.* de quo vide dicta à nobis aliàs. Nihilominus dum juris præsumptio est contra possessorem, ut est in casu pluralitatis incompatibilium, compelli potest ad exhibendum titulum, & dispensationem Papalem super dictâ pluralitate. Laym. *ibid.* citans Archid. & Anchar. *in cit. c. Ordinarii.* qui etiam addunt, quòd, si intra terminum præfixum titulus non exhibeatur, possessor illa plura injustè possidere præsumatur, adeóque per sententiam privari, aut privatus declarari possit.

2. Respondeo ad secundum: Quamvis dispensationem Papalem super pluralitate aut incompatibilitate admittere teneatur Ordinarius, & ortò dubio de valore ipsò dispensationis illud discutere nequeat, sed ad sedem Apostolicam, unde emanavit, remittere debeat, juxta *cit. cap. Ordinarii.* Laym. *ibid. n. 3.* Compellere nihilominùs potest dispensatos ad beneficia bene administranda, aut dimittenda; siquidem Papæ intentio non est, nec esse potest, ita dispensandi, ut animarum cura aut divina officia negligantur. Neque etiam per dispensationem Papalem admittur Ordinariis potestas, officium & obligatio, per quam providere tenentur, ut beneficia sibi subjecta ritè administrentur. Laym. *cit. n. 3.* citans Anchar. *in cit. c. Ordinarii. n. 5.* Jo. And. &c.

Quæstio 91. *An, dum habens beneficium simplex non requirens residentiam, ad sustentationem tamen sufficiens, adipiscatur alterum sufficiens; vel etiam licèt illud non sit sufficiens, ipsò jure vacet primum?*

1. REspondeo primò: Tametsi tutâ conscientiâ utrumque retineri non possit citra dispensationem ex justa causa, Azor *p. 2. l. 6. c. 13. q. 4.* sed teneatur alterutrum, quod maluerit, dimittere; nec potuerit etiam olim ante Trident. utrumque retinere, quia repugnat juri naturæ juxta dicta superiùs; quin etiam tunc communem fuisse omnium opinionem, duo simplicia etiam beneficia tutâ conscientiâ haberi non posse, ubi unum ad vitam sufficiebat, dicat Azor *l. c. §. censuit tamen. in fine.* jus tamen positivum Canonicum ante Trid. neutrius privationem irrogabat, neque ipsò facto incurrendam, neque per sententiam ex officio & authoritate Superioris ferendam: Azor *loc. cit.* addens, idem esse de habente unum simplex cum dignitate, personatu, officio vel beneficio curato: cùm neque in *c. de multa.* neque in *Extrav. execrabilis*, neque in *c. referente*, neque in *c. præterea. de præb.* neque in *c. nonnulli. de cleric. non resid.* ulla pœna statuatur.

2. Respondeo secundò: Quamvis censeant aliqui, hanc pœnam amissionis primi per assecutionem secundi in hoc casu irrogatam per Tridentinum eò quòd *sess. 7. c. 4.* pœnam constitutam in *c. de multa. de præb.* extendat ad omnes, qui duo beneficia aliàs incompatibilia simul obtinent, & duo simplicia residentiam non requirentia sint incompatibilia, quando eorum unum sufficit ad sustentationem, cùm simul haberi nequeant, ut expresè Paris. *l. 3. q. 1. n. 138. & c. 17. sess. 24.* statuat, ne uni duo beneficia etiam simplicia residentiam non requirentia conferantur, si unum satis est ad sustentationem. Azor *l. c. §. quæstio igitur.* Probabile tamen est, Trid. præcepisse solùm, ut unum tantùm beneficium conferatur singulis, etiamsi simplex, modò ad sustentationem sufficiens; non tamen constituisse, ut, si quis secundum obtineat, primum aut secundum statim

amittat ipso facto, nullâ monitione præmissâ: hæc enim pœna nisi exprimatur in jure, nequaquam contrahitur; in Trid. autem, neque alibi exprimitur dicta pœna in eos, qui duo simplicia non residentialia obtinent simul, vel unum simplex cum dignitate, officio vel beneficio curato in diversis Ecclesiis, Azor. *loc. cit.* cum aliis, quos non citat. sic expresse Pirh. *ad tit. de præb. n.* 169. neque per adeptionem alterius Canonicatûs, vel beneficii simplicis vacat, seu amittitur ipso jure prior Canonicatus, vel aliud beneficium simplex priùs habitum, si ratione residentiæ personalis secundùm loci consuetudinē sint compatibilia. citat pro hoc Abb. *in c. ult. de cleric. non resid. nu.* 4. Idem tenet Gonz. *gl.* 15. *n.* 26. ubi: Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *statuens, ut unum singulis conferatur beneficium, non plura, etiamsi simplicia sint, non inducit vacationem primi ipso jure per obtentionem secundi, dum utrumque residentiam non requirit.* citat pro hoc Nav. *consil.* 10. & 13. *n.* 3. *tit. de præb.* & Rot. *in Callagur. beneficii.* 30. Octob. 1577. Eandem sententiam sequi videtur Castrop. *d.* 6. *p.* 3. § 6. *n.* 11. eò quòd, ut ait, licèt Trid. *sess.* 7. *c.* 4. inducat vacationem ipso jure in beneficiis aliàs incompatibilibus, non videatur comprehendere horum beneficiorum incompatibilitatem purè tantum ex sufficientia illorum; quòd hæc incompatibilitas non tam sit beneficiorum, quàm beneficiati, cui est illorum beneficiorum interdicta collatio: absolute autem dicat *n.* 13. probabilius esse obtento insufficiente, si conferatur aliud sufficiens, per hoc non vacare primum illud insufficiens, nec esse illicitam illius collationem; neque in hoc obstare, quòd juxta Trid. unum tantum beneficium sufficiens singulis sit conferendum; quia dum habenti insufficiens confertur sufficiens, de facto ei non confertur nisi unicum sufficiens; aliud namque insufficiens ei non confertur, sed jam collatum supponitur. Addit tamen Gonz. *loc. cit.* ex dispositione *cit. c.* 17. Trid. posse Ordinarium privare istiusmodi plura beneficia habentem. citat pro hoc Nav. & Rot. *ubi antè.* & Gutier. *cons.* 10. *n.* 1. *& seq.* Put. *decis.* 230. *l.* 3.

3. Nihilominus contrarium tenet Garc. *cit. c.* 5. *n.* 301. etiâ expresse, & in terminis loquens de beneficio secundo simplice insufficiente, nimirū: quòd ad ejus obtentionem ipso jure vacet primum sufficiens; & quòd plures S. Congreg. declarationes, quas citat *eodem c.* 5. *n.* 84. indistinctè asserant, per adeptam possessionem secundi vacare primum sufficiens: rationem etiam dat hanc; quòd, cùm ex decreto Trid. habenti beneficium sufficiens non possit aliud conferri ad effectum retentionis amborum simul, appareat, secundum, etiam insufficiens, esse incompatibile cum primo sufficiente, & consequenter primum vacabit ipso jure: quæ tamen sequela non videtur legitima; etsi enim hinc rectè sequatur, quòd etiam vi dicti decreti Trid. prius debeat dimittere, si velit retinere secundum; non tamen ex inde videtur sequi, quòd illud primum vacet ipso jure vi ejusdem decreti. Quin & contra hoc, quòd dictum à nobis suprà ex Pirh. & Fagn. item paulò antè ex Castrop. quòd retinere possit sufficiens ex post collatum cum insufficiente prærabito, subjungit Garc. *nu.* 303. idem dicendum, nimirum vacare etiam ipso jure primum insufficiens per obtentionem secundi sufficientis; sed quomodo ea cohærent cum iis, quæ ipse dixerat *nu.* 262. ubi: *certum est, posse quem licitè obtinere duo simplicia residentiam non requirentia, seu unum residentiam requirens cum alio eam non requirente, quādo alterum eorum non est sufficiens ad congruam sustentationem &c.* debebat enim dixisse, quando neutrum per se est sufficiens, sed ambo simul sumpta tantùm sunt sufficiens sustentatio; nisi per *obtinere duo* intelligere velit, quòd habenti unum sivè sufficiens sive insufficiens conferri possit licitè & validè aliud sufficiens, non tamen ad effectum retinendi ea simul.

Quæstio 92. *An ergo valida sit talis collatio facta habenti jam sufficiens?*

Respondeo affirmativè: Castrop. *cit. p.* 3. §. 6. *n.* 10. sic in terminis docet Garc. *loc. cit. n.* 283. quòd habenti beneficium sufficiens rectè possit conferri aliud, illo primo priùs non dimisso, quamvis per assecutionem secundi vacare dicat ipso jure primum; pro quo citat expressam declarat. S. Congreg. quæ sic habet: *habenti beneficium sufficiens potest conferri aliud; sed habitâ possessione secundi beneficii sufficientis, vacat primum sufficiens.* Item alias binas nempe 3. & 4. quas recitat *n.* 84. & sic collatorem ordinarium conferentem ordinariâ auctoritate posse providere jam sufficienter beneficiato; pro quo citat *n.* 285. Lap. Dominic. Franc. *in c. is cui.* Paris. *cons.* 40. *n.* 10. *p.* 4. Caputaq. &c. similiter dicit *n.* 286. Patronum tam Ecclesiasticum, quàm Laicum posse præsentare habentem jam beneficium aliud sufficiens contra Pavin. *de off. & pot. capit. sed. vac. q.* 5. *p.* 12. *nu.* 3. etsi secus esse dicat idem Garc. in conferente non nisi ex potestate delegatâ providendi, de quo procedit textus *cap. is cui.* utpote respectu cujus delegati sufficienter beneficiatus non dicitur persona idonea de jure ex *c. super inordinata. de præb.* & sic ait *n.* 291. Nuncium Hispaniarum, cui inter alia datur facultas beneficia 24. ducatorum personis idoneis providendi, non posse providere alicui habenti jam aliud beneficium sufficiens, citátque pro hoc Cuchum *in institut. majorib. l.* 3. *tit.* 5. *n.* 155. addit tamen; quamvis Nuncii hoc curare non soleant juxta dicta à se *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 289. (quòd tamen de legato id neget Garcias, disputat Castrop. *loc. cit.* affirmanti contrarium, eò quòd habens sufficiens, incapax non est aliud recipiendi, si vult priùs habitum dimittere; sicut habens curatum, aliud curatum recipere potest cum voluntate dimittendi primum, adeóque quicunque habens potestatem providendi personas idoneas, statim providere poterit) è contra vicarium Episcopi habentem specialem facultatem conferendi, posse conferre omnibus, quibus potest conferre Episcopus, & sic habentibus jam beneficium, tradit *ibidem* Garc. pro quo citat Paris. *ubi suprà n.* 11. Rebuff. *in pr. in forma Vicariatûs. nu.* 84. Et licet in facultate ei concessâ dictum sit, quòd conferet personis idoneis, hoc tamen solùm intelligi de idoneis ratione ætatis, morum &c. pro quo citat Rebuff. *ubi ante n.* 87. Strozium. *de vicar. Episcopi. l.* 2. *q.* 100. & 101. *nu.* 1. non obstante textu *c. is cui.* eò quòd is textus tantùm procedat de delegato Papæ, & in habente potestatem delegatam auctoritate Apostolica; non verò in delegato Ordinarii, pro quo *n.* 294. citat Paris. *cons.* 40. *n.* 14. Lap. &c. De cetero, dum habens sufficiens vult provideri de alio sufficiente cum retentione prioris, non solùm non delegatum, sed nec Ordinarium id ei conferre posse; quia non licet Ordinario conferre aliud sufficiens habenti jam aliud sufficiens, & illud retinere volenti; & si tentet facere hanc collationem, eam

eam nullam fore, utpote factam inhabili & incapaci, tradit Castrop. *loc. cit. n.* 10.

Quæstio 93. *An, si statuto aliquo speciali (idem est de testatoris voluntate) cautum est, ut beneficium aliquod simplex cum alio quovis obtineri nequeat, etsi neutrum aliàs requirat residentiam, nec aliunde sint incompatibilia, ipso jure primum vacet per obtentionem secundi?*

REspondet affirmativè Azor. *cit. c.* 13. *q.* 8. (etsi addat, sic esse post Trid. & aliàs ante Trid. secus fuisse, quia tunc data optio, ut uno sibi retento, alterum dimitteret) *gl.* 15. *n.* 130. expressè dicens vacare ipso jure in omnibus casibus, in quibus fundator ita disponit. Idem tradit Lott. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 1. nempe licere cuivis fundatori statuere, etiam circa beneficia aliàs de jure nullatenus incompatibilia, ne fundatum à se beneficium conferatur habenti jam aliud; vel etiam ne habens beneficium à se fundatum assequi insuper possit aliud, inductâ etiam ipso jure vacatione præhabiti, si secus, & contra voluntatem suam fiat: & ait Lott. hanc fundatoris legem per Episcopum approbatam usque adeò servandam esse, ut sit immutabilis.

Quæstio 94. *An, dum habenti duo non sufficientia conferatur insuper aliud aliàs non incompatibile, vacent ipso jure illa duo præhabita?*

REspondeo in sententia illorum, qui affirmant posse habenti insufficiens plura & plura conferri, usque ad congruam sustentationem, negativè: patet. quin & Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 139. ait, in eo, qui habet magnam multitudinem beneficiorum, per hoc non intrare vacationem ipso jure, de qua *in c. de multa. de præb.* & *in extravag. execrabilis.* de cetero in contrarium adducit Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 310. Responsionem S. Congregationis, ubi dicitur: si Ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia insufficiencia ad sustentationem, esse quidem validam collationem tertii beneficii; sed vacare illa duo prima, si illud tertium per se sit sufficiens; aliàs si hoc non sit sufficiens, provisum debere alterum ex iis dimittere: &, si provisus habens illud beneficium tertium continuet possessionem amborum præhabitorum, illa ambo vacent.

Quæstio 95. *An si habenti jam duo, vel plura beneficia incompatibilia, ex dispensatione legitima conferatur tertium incompatibile, vacent eoipso omnia illa priora?*

REspondent affirmativè Azor. *cit. c.* 13. *q.* 10. Garc. *cit. c.* 5. *n.* 169. Pirh. *tit. de præb. nu.* 172. juxta *clem. si plures. de præb.* ubi dicitur: *si plures obtinens dignitates aliam dignitatem aut beneficium, curam animarum habens acceptet, dispensatione super hoc legitimè non obtentâ, ejus possessione adeptâ pacificè dignitates, quas priùs habebat, ipso jure vacare censemus.* sicut, si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur, ejus pacificâ possessione habitâ, prima de jure vacaret. Et idem ait Azor. *ibid.* quòd etiam per adeptionem quarti vacent omnia tria præhabita; eò quòd *citata clem.* loquatur generatim *si plures obtinens.* Nec obstat, quòd collatio tertii illius aut quarti beneficii non valeat, seu nulla sit in eo casu (secus ac contingit, dum habenti duo compatibilia confertur tertium; hanc enim collationem valere, etsi duo prima beneficia tum vacent, asserit Azor. *cit. q.* 10. §. *quæres.*) ut Garc. & Pirh. *loc. cit. n.* 173. *juxta c. Ordinarii. de off. jud. Ordinar. in* 6. ubi dicitur, quòd habenti plura incompatibilia etiam cum sufficiente dispensatione, non potest aliud tale conferri, nisi dispensatio etiam ad illud extendatur, vel nisi priùs habita resignet, & alia collatio nullius est momenti, adeóque non videatur posse inducere vacationem præhabitorum: non obstante enim hac invaliditate collationis, adhuc per pacificam possessionem tertii aut quarti illius adeptam vacant priora, juxta *c. eum qui. de præb. in* 6. ubi dicitur: per adeptionem beneficii incompatibilis de facto (hoc est absque justo titulo) obtenti, ita vacare primum, sicut per adeptionem justam seu legitimam. Pirh. *cit. n.* 173. Garc. *n.* 171. dicens sic intelligi *cit. clem. à gl. ibid. v. vacare.* Cardinal. &c. item à Dominic. *in c. Ordinarii.* §. *in conferendis. n.* 5. & 7. Franc. *nu.* 2. Gamb. *de off. leg. l.* 5. *tit. an legatus possit uni conferre plura. n.* 150. Roffiniac. *de benef. c.* 5. *n.* 37. idque etiam secundùm aliquos procedere, non adeptâ pacificâ possessione tertii; dum per provisum steterit, quò minùs eam adipisceretur, nisi antè renunciaverit possessioni tertii minùs legitimè factæ; ne melioris conditionis sit, qui acceptat collationem tertii illicitam, quàm qui licitam. Contrarium tamen quòad hoc sustinente Garciâ *n.* 173. cum *cit. gl. v. vacare.* & Bonifac. *ibid. nu.* 10. & 24. & Mascar. *de probat. conclus.* 185. nimirum, quòd in eo, cui facta invalidè collatio, seu habente titulum reprobatum, vacatio inducatur per solam assecutionem possessionis de facto reipsâ; nec consideretur, eum potuisse illam assequi; verùm, ut vides, Auctores hi loquentes juxta textũ *cit. clem. si pluret.* loqui videntur de præhabitis incompatibilibus, & tertio accedente incompatibili, incompatibilitate non ortâ merè ex sufficientiâ, sed aliunde; quia v. g. dignitates sunt &c. undè meritò manet in dubio, utrum ex dispensatione habens duo vel plura, ideo præcisè incompatibilia, quia singula vel unum illorum, aut aliqua sufficientia, ea amittat per assecutionem tertii vel quarti, etiam incompatibilis ratione sufficientiæ, vel aliunde.

Quæstio 96. *Quid, si is, cui dispensativè concessum habere duo incompatibilia simul cum facultate alterum dimittendi, & loco illius dimissi aliud recipiendi, unum ex iis in favorem alicujus dimittat, reservatis sibi illius fructibus, vacent priora duo per assecutionem alterius?*

REspondet negativè Azor. *cit. q.* 10. §. *quærat aliquis.* eò quòd, qui fructus beneficii habet vel retinet, non dicatur habere beneficium, ut Archid. & Gemin. *in c. nemo. de elect. in* 6. & fructus jure non sint incompatibiles cum beneficio, ut AA. *in c. super eo de præb. in* 6. Verùm addit Azor aliis contrarium videri probabilius, eò quòd, qui beneficium dimittit fructibus sibi reservatis, videatur non ex toto beneficium ipsum dimisisse. certè, si sermo est de incompatibilibus ratione sufficientiæ, hæc posterior sententia est probabilior; quia ratione fructuum beneficium dicitur sufficiens, & tunc intentio dispensantis videtur fuisse, ne unà cum tertio retinendo ambo priora, abundaret fructibus.

Quæstio 97. *In genere (utpote quod pari modo concernit incompatibilia ratione sufficientiæ, ac incompatibilia aliunde, dum inducitur vacatio præhabiti ipso jure ob assecutionem secundi, an, & qualiter ad hoc requiratur possessio secundi?*

1. Respondeo primò: ad inducendam hanc vacationem non sufficit collatio valida necdum acceptata, nempe dum acceptare differt Collatarius, & sic per eum stat, quò minùs acquirat jus perfectum in beneficio, & consequenter possessionem. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 101.

2. Respondeo secundò: neque sufficit collatio acceptata. Garc. *n.* 100. sed requiritur insuper adeptio possessionis secundi, sive requiritur obtentio beneficii secundi, non solùm quoad titulum, sed etiam quoad possessionem. *c. de multa. c. licet Episcopus. de præb. in 6. extrav. execrabilis.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 9. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 6. *nu.* 20. Garc. *cit. nu.* 100. citans Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 129. Coras. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 4. & alios plur. quod tamen limitatur ab his Auctoribus, citatisque ab illis cum communi: nisi per provisum stet, quò minùs possessionem adipiscatur; ita ut, si acceptato beneficio nolis ejus possessionem accipere, cum possis, vacet præhabitum, non secus ac si possessionem actu accepisses; cùm fraus & dolus nemini favere debeat. Castrop. *loc. cit.* Hinc si provisus à Papa nolit Bullas expedire, ne arctetur possessionem illius accipere, non impeditur per hoc præhabiti vacatio. Garc. *nu.* 104. Castrop. *cit. nu.* 20. Item si provisus per collusionem, confingendo litem procuret tales molestas judiciales vel extrajudiciales, quæ possessionem pacificam impediant. Lott. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 27. quamvis hoc ipsum sublimitet Garc. *num.* 102. Castrop. *n.* 20. ita, ut non procedat, dum provisus nullam facit diligentiam pro capienda possessione secundi contra intrusum, qui de facto illud detinet, præsertim, si monitus non sit à Superiore, aut præfixus ei terminus ad faciendam diligentiam: quod tunc non tam per ipsum, quàm per intrusum stet, quò minùs obtineat possessionem: seu, ut Castrop. quòd talis tunc non censeatur morosus & culpabilis in possessione, sed ad summum in remotione impedimenti; citat pro hoc Mohed. *decis.* 32. *de præb. l.* 3. *p.* 3. *diversi.* Achill. *decis.* 358. Gonz. *gl.* 15. *nu.* 116. Quinimò addit Garc. *n.* 105. id videri adhuc procedere, etiamsi monitus facere diligentiam, & ad hoc ei præfixus terminus per Superiorem; eò quòd non possit cogi agere. A qua tamen doctrina Garciæ cavendum esse, ait Lott. *loc. cit. n.* 30. loquens de decreto de dimittendo priore; dum illud in concessione secundi additur, & in eo habentur hæc verba: *vel per te steterit.* eò quòd decretum ita conceptum virtualiter & expressè præfigat terminum, nedum ad exequendum, sed etiam ad faciendas diligentias & omnem conatum, ita ut nec allegare possit impedimentum ex intrusione alterius, nisi doceatur de diligentia pro eo detrudendo; potest enim esse, quòd illico, ut intrusus vocatus fuisset coram executore, vel sponte cessisset, vel per executorem decreta detrusio, eo de possessione deturbato: aitque Lott. decisiones & auctoritates, quas adducit Garc. non facere ad rem, quia, ut patet ex earum lecturâ, procedunt de decreto de expediendis literis novæ provisionis infra 6. menses, in quo non apponitur ista clausula: *vel per te steterit.* Quòd si tamen beneficium impetratum foret plenum, & provisus ab ejus consecutione vel attentatione abstinuisset bonâ fide; eò quòd compertum fuisset, provisionem de jure non subsistere, & possessorem non posse de jure dimoveri suâ possessione, dictum decretum non afficere provisum respectu primi dimittendi, tradit Lott. *n.* 33.

3. Respondeo tertiò: requiritur, ut beneficium secundum, obtentum sit pacificè, tam quòad titulum, quàm ejus possessione. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *cit. n.* 129. Garc. *n.* 105. citantes quàmplurimos. tunc autem censetur quis quòad utrumque pacificè obtinere beneficium, si nullâ lite super jus seu titulum aut possessione molestatus tempore collationis aut possessionis acceptæ vel immediatè pòst. Castrop. *n.* 21. vel, ut Paris. *n.* 130. citans pro hoc plures, tunc possessio erit pacifica, si eâ non deturbetur quis in continenti de facto & de jure medio litigio: vel ut Garc. *n.* 105. ea possessio de facto & de jure (prout requritur) est pacifica, quæ litigiosa non est, sed absque controversiâ & molestatione juris & facti judiciali, & extrajudiciali (cùm ad hoc, ne videatur pacifica possessio, ut ait Lott. *l.* 3. *q.* 23. *nu.* 25. nullum sit discrimen inter molestias judiciales & extrajudiciales, ut in Clem. *gratiæ. de rescrip.* Cardin. *n.* 8. Vitalin. *n.* 50. nec distinguatur, num molestiæ sint de jure, vel de facto) dum statim ab obtentâ possessione, nulla intenditur proviso lis jure vel facto de secundo beneficio. uti hæc omnia declarantur à Rotâ *in Toletan. Archidia. de Junio* 1592. quam Garc. recitat *nu.* 105. Verùm pro pleniore hujus tertiæ responsionis intelligentiâ sit

Quæstio 98. *Num igitur ad hoc, ut vacet præhabitum beneficium per assecutionem secundi, non sufficiat secundi possessio; dum non super hac; sed super ipso beneficio lis movetur possessori; sive an per obtentionem & possessionem beneficii litigiosi inducatur vacatio præhabiti?*

Respondeo negativè; seu talem possessionem de facto non sufficere, ne aliàs provisus, utpote incertus de secundo, in casu mali eventûs litis careat utroque, sive cogatur novam litem incipere cum eo qui primum impetrasset, & in ejus possessionem se immisisset: ita præter AA. immediatè antè citatos, & Rot. in dicta Toletan. sentit expressè C. de Luca. *de benef. d.* 54. *n.* 5. contra Innoc. *in c. constitutus. de appellat.* & Rot. *decis.* 3. *de causa possess. in antiq. aliàs.* 36. censentes; quod, ubi quis est in possessione beneficii, licet ei lis moveatur super beneficio, habere illum nihilominus possessionem pacificam, eò quòd ad hanc sufficiat, quòd de facto possideat, licèt ei super jure moveatur controversia; & contra Quintinum *in c. de multa. n.* 73. & Tusch. *conclus.* 69. *lit. B. n.* 3. apud Garc. tenentes expressè, etiam per solam acceptationem beneficii litigiosi scienter factam sine corporali receptione vacare primum.

Quæstio 99. *An ergo etiam ad hoc, ut per assecutionem secundi vacet primum, requiratur, ut utrumque, hoc est, tam præhabitum seu primum, quam secundum obtineatur pacifice, tam quòad titulum, quàm quòad possessionem?*

Respondeo negativè: nam licèt præhabitum sit litigiosum, multò magis vacabit per assecutionem

tionem secundi pacificè obtenti. Less. *de justitiâ. l. 2. c. 34. n. 141.* Garc. *loc. cit. n. 107.* citans Innoc. *in c. in nostra. de rescrip.* Navar. *cons. 14. n. 1. de præb.* Rebuff. *in pr. tit. de tacitâ renunc.* & expressam declarat. S. Congreg. *ad c. 17. sess. 24.* Trid. quòd si tamen obtento titulo unius beneficii absque illius possessione obtineat quis secundum litigiosum, & priusquam efficiatur hujus secundi possessor pacificus, accipiat possessionem pacificam istius prioris, non propterea vacabit illud secundum litigiosum; cum id nullibi in jure statutum sit. Less. *loc. cit.* citans Nav. *cons. 31. l. 3. de præb.* Garc. *n. 108.* dicens id sibi placere, & videri certum. Pirh. *tit. de præb. n. 155.*

Quæstio 100. *An, si tempore acceptæ possessionis vel immediatè post, seu in continenti, & in limine legitimæ possessionis non molesteris super possessione vel titulo, eoipso censearis obtinuisse beneficium & possessionem in ordine ad hoc, ut ab eo momento vacet præhabitum beneficium; an verò expectari debeat tempus aliud, & quantum illud liberum à litigio & molestatione?*

1. REspondeo: non censeri in ordine ad dictam vacationem primi beneficii mox inducendam pacificè obtentum secundum, quòd immediatè post non reddatur litigiosa & turbida collatio vel possessio; sed exspectandum tempus aliquod. Lott. *l. 3. q. 23. n. 19.* cum communi. idque, ne, si superveniat lis aliqua, unde possessio possit videri minùs pacifica, & indicare periculum destitutionis utriusque beneficii, & consequentis necessitatis mendicandi in opprobrium ordinis clericalis. Lott. *loc. cit.* Porrò ad minimũ requiruntur & sufficiunt duo menses ad hoc, ita ut, si intra 2. menses ab accepta possessione molestia seu lis mota fuit, dicatur adhuc in continenti & in limine suo turbari possessio, & per consequens impediri præhabiti vacatio; si verò absque litigio effluxerint dicti menses, pacifica censeatur possessio, & mox ab eorum lapsu induci vacatio. Castrop. *cit. §. 6. n. 21.* Garc. *n. 113.* citans Lap. *in c. commissa. de elect. in 6.* Quintadv. *l. 4. n. 8.* Hieron. Gabriel. *l. 1. cons. 193. nu. 7.* & Rot. *in Toletan. Archidiac.* quam recitat *nu. 106.* in qua dicitur duos illos menses in benigna interpretatione dari ad dimittendum incompatibile, & per lapsum eorum non vacare primum incompatibile, si interea superveniisset molestia de secundo: contra Bonifac. *in clem. si plures. de præb. n. 63.* Mascard. & alios tenentes, quòd quàmdiu durat annus, censeatur possessio in suo limine; ac ita, ubi quæstio vel controversia mota est infra annum, non censeatur possessio pacifica, & sic non vacent priora beneficia: verùm hoc minùs rectè; deberent enim alios Ordinarii collatores exspectare per annum integrum, ut prius beneficium vacans providerent; quod contra stylum & praxin receptum esse dicit Castrop. *cit. n. 21.* solet etiam in provisionibus Apostolicis, dum Papa dispensare non vult ad retinenda præhabita, apponi decretum de dimittendo primo infra 2. menses, aliàs utrumque beneficium vacet. quod decretum inficit titulum & possessionem elapsis istis 2. mensibus. Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 5. §. 6. n. 23.* tradit etiam idem Tond. *p. 3. c. 85. n. 8.* in Gallia præhabitum incompatibile non vacare, nisi post annum adeptæ possessionis pacificæ.

2. Porrò tradit Garc. *n. 114.* quòd si lis aut molestia intra illos duos menses nulla supervenerit, censeri vacâsse primum, non à puncto temporis quo hi menses elapsi, sed à principio captæ possessionis. Idem videtur tenere Castrop. *n. 21. in fine.* contra Rebuff. & Gabriel. tenentes, reipsa non dari vacationem ante lapsum istorum duorum mensium, etiamsi in eis lis non sit mota. atque ita ait Garc. *nu. 116.* collationem & provisionem de eo beneficio præhabito à principio captæ possessionis secundi esse bonam, etsi post 2. menses controversia moveretur de secundo, salvo tamen remedio & beneficio *capitis: si beneficia. de præb. in 6.* verùm quid de hac doctrina Garciæ sentiat C. Luca vide apud eundem *de benef. d. 54. n. 5.* ubi etiam occasione hujus doctrinæ ait Garciam esse elaboratum collectorem, sed non magnum doctorem.

Quæstio 101. *An, ut possessio pacifica secundi beneficii inducat privationem primi, debeat esse fructifera?*

REspondeo affirmativè: sivè id necessario requiri, ut habeat quis possessionem pacificam non solùm beneficii seu tituli & exercitii curæ, vel officii annexi beneficio; sed etiam bonorum & fructuum beneficii, seu inde queat percipere fructus, aut saltem majorem illorum partem, ita ut, si saltem majorem eorum partem habere nequeat, quia fortè fructus hi applicantur alteri ex privilegio, vel statuto, vel consuetudine, vel alia de causâ pertineant ad alterum, eo tempore, quo hoc contingit, non vacet primum. Azor. *p. 2. l. 7. c. 16. q. 9.* (qui etiam hoc intendit, etiamsi Papa his verbis & expressâ conditione, ut primum vacet possessione secundi apprehensâ, conferat) Castrop. *loc. cit. n. 22.* Garc. *cit. c. 5. n. 123.* citans Hojed. *c. 13. n. n. 48. & 80.* Coras. *de beneficiis. p. 1. c. 10. n. 8. &c.* juxta expressum textum *cap. si tibi concesso. de præb. in 6.* & ibi AA. communiter: etsi de cetero stallum in choro, vocem in capitulo habeat; hæc enim non computantur in fructibus ad hunc effectum; cùm ex his nemo sustentari valeat, ut inquit Rota *in una Placentina portionis. ult. Maji. 1591.* quàmdiu enim quis non est in possessione percipiendi fructus, & illi ei non obveniunt, aut quo minùs ei obveniant, non stet penes ipsum, non censetur beneficium plenè obtinere. Castrop. *loc. cit.* Neque contrarium ex eo inferri debet, quòd pacifica possessio beneficii seu tituli, & liberum curæ exercitium ei annexum, etiamsi non percipiantur fructus, sufficiat ad hoc, ut provisus teneatur intra annum promoveri ad Sacerdotium, & quò minùs currat illi hoc tempus; sic enim positivè & specialiter disponitur *c. commissa. & c. licèt Canon. de elect. in 6.* uti & de hoc est declar. S. Congreg. sic habens: *licèt reservati sint fructus in favorem alterius; tamen, non reservatâ administratione, nec domo abbatiali, reservatio non tollit curam; unde tenetur promoveri & curam exercere.* Garc. *n. 126. & 127.* Hinc, si alicubi (quia fortè non receptum ibi Trid. & Bulla Pii V. *106. de applicandis fructibus*) fructus omnis, vel major eorum pars pro primo vel secundo anno debetur fabricæ, vel alteri loco pio applicentur, intra illum annum vel biennium non vacat primum per obtentionem, & de cetero pacificam possessionem secundi. Garc. *n. 144.* ubi etiam expressè loquitur in casu, ubi etiam media pars fructuum primi anni cedit fabricæ, vel aliis piis usibus,

usibus, dicto decreto Trid. & Bullâ Pii V. permittente talem consuetudinem. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam ait, idem videri sibi dicendum, si fructus mensæ Capitulari applicentur dividendi inter seniores; quia semper verum est, beneficium interea temporis infructiferum esse titulato seu domino ejus: de quo tamen postremo vide *quæst. post hanc tertiam:* sic si fructus secundi beneficii omnes, vel major eorum pars est reservata alteri, etiam ad vitam, durante vitâ reservatarii: non vacabit primum, ac proinde nec illud dimittere tenetur provisus de illo secundo. Ita contra Garc. *n.* 135. docentem, id solùm procedere, ubi unà cum fructibus ad vitam reservatis, reservata quoque esset tota administratio bonorum Ecclesiæ seu beneficii istius secundi: & ita *cit.* textum *c. si tibi concesso.* intelligendum esse; quando fructus hi ad certum tantùm tempus reservantur, aut quando beneficium secundum est devento, seu nondum habet fructus, etsi eos succedente vacatione alterius seu præhabiti sit habiturum. Pro quo etiam *n.* 136. recitat decis. aliquam Rotæ: tanquam probabiliùs tenet Castrop. *loc. cit. n.* 23. hâc motus ratione; quòd si ideo non vacet primum, sed retineri potest interea, quo fructus secundi reservantur alteri ad tempus, ne pro illo tempore provisus de secundo cogatur mendicare. Multò efficaciùs procedit hæc ratio, si fructus pro tota vita alterius sint reservati. Hinc jam infertur: quòd, si feratur sententia excommunicationis in omnem Clericum habentem duo beneficia in eodem oppido, ea sententia non perstringat Clericum, qui secundi beneficii fructus percipere nequit; quia alteri debentur ad tempus. Azor. *l. cit.* Infertur hinc etiam, quòd si interea, quo alius est in perceptione fructuum secundi beneficii, non vacet priùs, possit provisus etiam post adeptam possessionem secundi illud dimittere, & primum retinere, sicut id poterat ante possessionem illius captam; cùm ut Gl. fin. *in cit. c. si tibi concesso;* non videatur adhuc plenè adeptus secundùm beneficium Garc. *loc. cit. n.* 129. *& n.* 131. citans pro hoc Abb. Cardin. Rebuff. &c. contra Jo. And. Dominic. Franc. Bonifac. *in Clem. Si plures. de præb.* tenentes, quòd statim ab adepta possessione aliàs pacificâ in veritate vacet prius, etsi ob non perceptionem fructuum secundi suspendatur illius vacationis effectus, & ideo in textu *c. si tibi concesso,* non dici, quòd non vacet, sed quòd non debet reputari vacare.

Quæstio 102. *An igitur etiam non vacet prius beneficium, dum solutio fructuum secundi beneficij primo anno, vel primis duobus annis ex eo provenientium differtur post mortem beneficiati, ut inde solvantur ejus debita vel funeralia, vel obveniant ejus hæredibus, prout in Ecclesiis aliquibus privilegio, statuto vel consuetudine inductum est?*

REspondeo: non impediri per hoc vacationem, quia in eo casu fructus sunt beneficiati, ei debentur, illi aut ejus hæredibus aliquando applicandi, juxta illud: Quod differtur, non auffertur. Castrop. *l. c. n.* 23. Garc. *l. c. n.* 137. qui pro hoc recitat decision. Rotæ *in Salmant. dimidiæ portionis.* 11. *Decemb.* 1585. in qua dicitur, per assecutionem Canonicatûs vacare dimidiam portionem, & illud procedere, etiamsi fructuum solutio differatur post mortem, non obstante *c. si tibi concesso,* occasione cujus, seu ex hoc incidente,

Quæstio 103. *Num igitur hodie adhuc valeat, & talis consuetudo seu statutum non repugnet decret. Trid.* sess. 24. c. 14. *& Bullæ Pij V.*

REspondet pluribus adductis tum S. Congreg. declarationibus, tum Rotæ decisionibus Garcias *à n.* 138. non repugnare. Declaratio prima sic habet: *Censuit S. Congregatio, quòd nec decreto Concilii sess. 24. c. 14. nec Bulla Pii V. super hac eadem redditâ comprehendantur statuta Ecclesiarum, deserviendo per annum, vel aliquod tempus, Et nihil percipiendo interim de massa grossâ, etiamsi peracto integro dicto servitio, vel post obitum hæredibus debeatur; cùm sit potiùs differre, quàm aufferre, &c. & in una Mediolanensi,* sic censuit: *Si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, ut duobus primis annis, quibus quis fuerit Canonicus, fructus Canonicatûs sint hæredum antecessoris, iste casus non comprehenditur decreto c. 14. sess. 24. nec Bullâ Pij V.* Sic refert Guttier. *qq. Canon. l. 1. c. 29. n. 30.* (quem sequuntur Suar. *de relig. to. 2. tr. 4. l. 4. c. 20. n. 9.* Vega *in sum. p. 1. c. 36. casu 19.* Rodriq. *in sum. to. 1. c. 33. n. 1.* apud Garc. *loc. cit. n.* 139. Wames. *cons.* 213. apud eundem Garc. *n.* 143.) fuisse declaratum per eandem S. Congreg. dictum decretum & Bullam Pij V. quæ in Bullario est 106. minimè esse contraria constitutionibus Ecclesiæ Civitatensis, ex quibus fructus primi anni aufferuntur primis residentibus, & inter antiquos distribuuntur, reservantur tamen totidem eis post mortem eorum pro solutione debitorum & funeralium. Decisio verò Rotæ *in Oriolensi fructuum. 26. Novemb.* 1593. quam recitat Garc. *n.* 140. sic habet: *Censuerunt Domini quantùm ad fructus primi anni post obitum beneficiati, eos deberi ejus hæredibus præsuppositâ consuetudine, quòd beneficiati primo anno non percipiant fructus beneficiorum, sed eorum solutio differatur post eorum obitum; quam consuetudinem dicunt esse notoriam, & quæ ideo videtur inducta, ut provideri possit de his, quæ ad sepulturam sunt necessaria, quæ plerumque ob inopiam defuncti negligantur cum magno ordinis Ecclesiastici dedecore. Abb. in c. cum officii. n. 5. Covar. ibid. n. 9. de testamentis. Frideric. de Senis cons. 246. n. 1. Lamb. de jurep. l. 3. a. 8. q. 2. n. 1. Paris. cons. 33. n. 4. & sic fuit decisum in Burgensi fructuum 13. Junij* 1590. *Nec obstat constitutio Pij V. & Trid. sess. 24. c. 14 quia loquuntur de ea consuetudine, in qua fructus applicantur mensæ Episcopi vel Capitulari, ut in communes usus cedant, seu inter Canonicos dividantur, quibus casibus adest præsumptio Simoniæ, ut per Lambert. suprà n. 5. Secus verò, ubi fructus reservantur hæredibus ex causa non solutionis fructuum primi anni, quæ consuetudo nullam habet juris resistentiam, imò potiùs assistentiam ex suprà dictis; cùm sit potiùs dilatio solutionis, quàm dispositio fructuum ad alium spectantium; & ita declaratum fuit per S. Congregationem dict. c. 14. & constitutionem Pij V. non habere locum, quando fructus primi anni reservantur hæredibus post obitum beneficiati. Neque hic locum habet constitutio Julij III. quia non versamur in fructibus non exactis, sed ut dictum, in fructibus, quorum solutio dilata est post obitum beneficiati.* Hæc verba sunt dictæ decisionis Rotæ. Nec obstat, ut ait Garc. *nu.* 143. quòd Rota aliàs senserit contrarium, ut in decis. *in causa Zamorensi dimidiæ annatæ*

natæ 5. Martij 1586. ubi etiam inter *cetera, ut recitat* Garc. *n.* 141. *quæ consuetudo hæredibus defuncti suffragari non potest, quandoquidem ex Pii V. constitutione super revocatione privilegiorum & statutorum, quòd fructus primi anni &c. omnis consuetudo etiam immemorialis sublata existit, sive pro solvendis oneribus Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis eorum oneribus, sive etiam aliis majoribus, maximis & urgentissimis causis inducta atque probata fuerit, ex præfatæ constitutionis verbis clarè patet, in hac specie locum sibi vendicare eam, ac etiam omnia, quæ in contrarium pro hæredibus afferuntur, non obstare, &c.* Et in alia *Leodiensi Canonicatus. 9. Decemb. 1589.* quam recitat Garc. *nu.* 142. in qua inter cætera dicitur: *impedimentum perceptionis fructuum ex asserta consuetudine Ecclesiæ Leodiensis assignante, ut prætenditur, pro primo anno fructus hæredibus Canonici defuncti, & pro aliis tribus annis sequentibus fabricæ ipsius Ecclesiæ, de facili potuisset removeri stante constitutione Pii V. quæ præsumitur usu recepta, quamdiu contrarium non probatur: & revocat hujusmodi privilegia, statuta & consuetudines immemoriales quoad fructus applicatos hæredibus absolutè; quòd verò ad applicatos fabricæ vel sacristiæ, vel alterius loci pii usibus, ultra tempus sex mensium pro dimidia, quòd ita beneficiatus semper habeat dimidiam, &c.* Hæc inquam non obstare ait Garc. eò quòd Rota mutaverit sententiam) prout constat ex prioribus ejus decisionibus, utpote recentioribus, ex sententia S. Congregationis. Idem dicendum videri, non esse contra decreta Trid. & constitut. Pii V. adeoque per illa eas non abrogari constitutiones vel consuetudines aliquarum Ecclesiarum, ut earum beneficiati nullos lucrentur fructus, quamdiu non sunt promoti ad Subdiaconatum vel Diaconatum, vel presbyterium, sed eas esse rationabiles ait Garc. *n.* 167. recitans quoque pro hoc *num.* 168. expressam S. Congregationis declarationem.

Quæstio 104. *An ergo etiam, dum dicti fructus primi anni non percipiuntur, sed applicantur mensæ Episcopi, seu mensæ Capitulari, dividendi inter antiquiores, absque eo, quòd reserventur aut refundantur beneficiato post ejus obitum, interea non vacet præhabitum beneficium?*

1. Respondet Castrop. *l. c. n.* 22. non vacare interea præhabitum inhærendo communi rationi; quòd nimirum secundum interea est infructiferum Domino suo. Econta verò respondet Garc. *à n.* 147. ante Trid. quidem & memoratam Pii V. constitutionem habuisse locum *cit. c. si tibi concesso*; seu non vacasse interea præhabitum; eò quòd tolerabantur, & videbantur tolerari posse talia statuta saltem consuetudine ab immemoriali tempore observata; maximè si in specie confirmata à Pontifice (quamvis Concilium Senonense, quod est 5. *tom. Concilior. c.* 2. damnabilem judicet hujusmodi consuetudinem, & veram corruptelam, & notorium abusum) stante tamen decret. Trid. & illâ Bullâ Pii V. quæ venit in executionem & declarationem dicti decreti, utpote quibus revocantur prædicta statuta & consuetudines etiam immemoriales, ut Guttier. *suprà nu.* 39. Suar. *loc. cit. à n.* 6. Rodriq. Vega. *ll. citt.* Cenedo. *collectan.* 16. ad decretales. *n.* 1. & Rota *in causa illa Leodiensi suprà.* Etiamsi juramento, confirmatione apostolicâ, aut alio quovis præsidio munitæ (per quæ verba tollitur confirmatio apostolica. etiam ex certâ scientia, ut Gl. *in Extrav. Suscepti. de Elect. Ioannis* 22.) non habere locum *cit. c. si tibi concesso*, sed vacare nihilominùs præhabitum; cùm cessent jam dicta statuta, & consuetudines, vi quarum aliàs impediebatur perceptio illa fructuum. Quod ipsum videtur Garc. fundare in eo, quòd cessante & abrogatâ tali consuetudine per dictum decretum Trid. jam, quò minùs percipiantur illi fructus, videatur stare penes provisum; dum diligentiam non adhibet in remotione impedimenti perceptionis fructuum, obtendendo nimirum decretum illud Trid. & Bullam Pii V.

2. Quòdsi verò adhuc hodiedum in aliquibus Ecclesiis dictum decretum, & Bulla Pii V. recepta non sunt, habebit adhuc locum in dicto casu; nimirum non perceptionis fructuum primi anni dividendorum inter antiquiores, aut deputatorum mensæ Episcopali, cit. *c. si tibi concesso*, & non vacabit præhabitum beneficium: dum enim servantur dictæ consuetudines, sive ex serventur de jure, hoc est, licitè, sive de facto, hoc est, illicitè, obtinens secundum beneficium caret fructibus, & sic pro tempore hujus carentiæ non vacat præhabitum. Garc. *n.* 165. Porrò pro eo, quòd dictæ Ecclesiæ non obligentur dimittere tales consuetudines suas & statuta propter non receptionem dicti decreti Trid. & Bullæ Pii V. facit regula, quòd lex, etiam Canonica non recepta non obliget; quamvis primi non recipientes peccârint eam non recipiendo, ut docent Navar. *in Man. c.* 23. *n.* 41. Covar. *l.* 2. *vari. resol. c.* 16. *n.* 6. Mandos. *ad reg.* 23. *Cancell. q.* 1. *à n.* 4. Menoch. *de præsumpt l.* 3. *præsump.* 2. *n.* 1. Guttier. *qq. Canon. l.* 1. *c.* 8. *à n.* 2. Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 9. *n.* 26. Valen. *Tom.* 2. *in* 1. 2. *d.* 7. *q.* 5. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 18. *n.* 1. Sylv. Armill. Rodriq. & alii plurimi, quos citat Garc. *l. c. n.* 150. Procedatque hoc ipsum, etiamsi lex contineat decretum irritans. Garc. *n.* 152. Riccius *cons.* 13. *n.* 27. *vol.* 2. qui dicit esse communem. Put. *decis.* 1. *l.* 1. *&c.* Item, etiamsi deroget consuetudini. Garc. *nu.* 153. citans Bottæ. *de Synodo. p.* 3. *a.* 2. *n.* 64. Roch. *in c. fur. de consuet. sect.* 7. *n.* 15. Duenn. *reg.* 144. *limit.* 2. *&c.* Item etiamsi non sit recepta per ignorantiam. Garc. *n.* 154. citans Navar. *cons.* 1. *de constit. q.* 6. *à n.* 25. Rodriq. *in sum. to.* 1. *c.* 195. *n.* 10. *&c.* Tunc autem dicatur lex non recepta, quando à principio per majorem partem communiter non servatur, Principe sciente & tolerante; vel quando eo ignorante per decennium negligitur, & non admittitur. Garc. *n.* 155. citans Put. Nav. Covar. Guttier. Rodriq. *ubi ante.* Quin & subdit Garc. *n.* 156. probabile quoque esse, non requiri decennium, sed sufficere actus contrarios, etiam principe ignorante; & ita videri servari in praxi, eò quòd videatur solùm attendi non usus per actus contrarios. citat pro hoc Nav. *cons.* 44. *n.* 7. Bottæ. *l. c. n.* 63. Felin. &c. contra Suar. *tr.* 4. *de relig. l.* 4. *c.* 22. *n.* 5. Nec obstare in præsenti materia, ait Garc. *n.* 158. quòd Tridentinum in regno aliquo, vel etiam in aliquo Concilio Provinciali sit receptum per Episcopos & Procuratores Ecclesiarum; eò quòd receptio illa sit in genere & verbalis, cui non receptio in specie & in re derogat juxta regulam: *Generi per speciem derogatur. in 6.* & quia voluntas magis factis, quam verbis declaratur. Tiraquel. *de retractu convent. in fine. tit. n.* 75. Et in proposito receptio vel non receptio majoris partis populi seu communitatis

tatis facto ipso & praxi videatur attendi : pro quo citat Azor *l.* 10. *c.* 11. *q.* 6. contra Valent. quin & addit Garc. *n.* 159. necesse non esse, ut generaliter & à majore parte Ecclesiarum unius provinciæ non esset receptum dictum decretum Trident. eò quòd Capitulum unum in proposito non consideretur ut persona particularis, sed ut universitas; cùm non agatur de acquirendo ipsi Capitulo ut Capitulo, & ut privatæ personæ, sed omnibus & contra omnes de Capitulo, ac in publico & in universum promiscuè.

3. In contrarium verò facit, quòd cùm Concilium ibi rejiciat & aboleat hujusmodi constitutiones & consuetudines ut pravas & scandalosas, non videtur excusarè non receptio; illa enim regula, quòd lex non recepta non obliget, non videatur procedere, quando lex, quæ semper loquitur, aliquid prohibet tanquâ aliàs malum seu scandalosum, & quando derogat consuetudini non simpliciter, sed tantummodo illam ut iniquam & irrationabilem; eò quòd tunc esset ratio illius regulæ; nimirùm quòd lex censeatur lata nonnisi sub conditione, si recipiatur. Item pro hoc facit, quòd consuetudo habeat majorem vim, quàm non receptio; & tamen consuetudo etiam immemorialis non valet, & non excusat in eo casu, dum ex se iniqua & scandalosa est. Ita ferè Garc. *à n.* 161. qui etiam *n.* 164. pro hac parte clarissimam recitat declarat. S. Congreg. directam cuidam Episcopo quæ sic habet : *In illa Cathedrali ante Concilium à tempore, cujus initii memoria non exstat, conditum esse, & adhuc post Concilium observari statutum, nuper delatum est ad S. Congregationem Cardinalium Tridentini Interpretum; ut videlicet Canonici, alitque beneficiati, qui indies recipiuntur, prioribus decem mensibus exiguam distributionum partem percipiant, reliquumque Canonici & beneficiati antiquiores inter se partiantur, & in usus suos, & utilitatem convertant. Itaque Illustrissimi Patres Amplitudini Tuæ ferò injungunt, ut hujusmodi constitutionem tanquam pravam ac scandalosam rejicias, atque aboleas, neque ullâ ratione servari permittas, & contra facientes pœnis contra Simoniacos SS. Canonibus & variis summorum Pontificum constitutionibus propositis coerceas, quemadmodum provide cavetur decreto Trid. c.* 14. *sess.* 24. *&c.* quam declarationem, ait ibidem Garc. se postea intellexisse confirmatam à Clem. VIII. Et quidquid sit de hoc, indubitato hodiedum per Bullam Innocentii XII. quæ incipit *Ecclesiæ Catholicæ*, & per quam dictum decretum Tridentini, & Bulla Pii V. eidem verbotenus inserta innovantur ac roborantur, istiusmodi consuetudines & constitutiones penitùs tanquam irrationabiles & scandalosæ eliduntur ac eradicantur.

Quæstio 105. *Si solùm de facto, & non de jure obtineas & possideas aliàs pacificè secundum beneficium, eò quòd ob impedimentum collatio & possessio sit nulla, an vacet præhabitum beneficium?*

REspondeo : Si scienter accipias secundi possessionem, eo ipso vacare præhabitum in pœnam delicti commissi, ne ob injustam possessionem melioris conditionis sis, quàm ob legitimam & justam. Castrop. *loc. cit. n.* 24. Garc. *l. c. n.* 173. cum Gl. *in Clem. si plures. de præb.* Lott. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 41. hanc etiam addens rationem, quòd possessio injustè & perperam capta habetur pro bona in odium capientis : Requiritur autem ad inducendam hanc vacationem, ut possessionem reipsâ accipias, nec sufficit illam posse accipere, quia hæc pœna ob intentionem imponitur. Castrop. *loc. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 9. *in fine.* Sic qui secundum obtinet per vim vel injustè, amittit ipso jure primum. Idem est de eo, qui beneficium, ad quod jus habet, per vim aut propriâ auctoritate occupat. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 165. juxta expressum textum *c. eum, qui. de præb. in* 6. Etsi enim ille textus loquatur de beneficio curato injustè occupato, comprehendi tamen etiam quæcunque alia beneficia, etiam simplicia ex verbis ibidem prope finem adductis : *aut quæcunque alia beneficia occupare non verentur* : satis constat. Secus est, si inscienter possideas de facto tantùm; extra enim casum illum scientiæ nullitatis tituli, quæ propriè generat intrusionem, requiritur ad dictam vacationem inducendam, ut secundum possideatur pacificè non solùm de facto, sed etiam de jure. Pirh. *l. c. n.* 155. Sic etiam assecutus incompatibile excusatur à dimissione primi, si ignorat factum possessionis adeptæ per Procuratorem; cùm alia sit scientia Procuratoris, alia Domini; & ita Domino non nocet, nisi postquam Dominus fuerit certioratus. Lott. *loc. cit. nu.* 46.

Quæstio 106. *An, & qualiter beneficium pacificè & fructiferè possessum debeat esse perpetuum, ut inducat vacationem præhabiti?*

REspondeo : Requiri, ut utrumque beneficium sit collatum in perpetumm, sive in titulum, sive in commendam. Pirh. *l. c. n.* 158. citans Abb. *in c. de multa. de præb. nu.* 22. hinc per acceptionem Vicariatûs Episcopi non perdit quis beneficium præhabitum, etiam, dum illud dignitas est, vel curatum; quia Vicariatus Episcopalis non est dignitas perpetua, sed ad nutum Episcopi auferibilis. Pirh. *ibid.* ex Abb. *loc. cit. nu.* 23. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 181. dicens officia & dignitates, quæ conferuntur ad certum tempus, non inducunt incompatibilitatem. Hinc econtra beneficia manualia, seu ad nutum amovibilia; quia saltem aptitudine sunt perpetua, & possunt esse perpetua, cùm dantur in titulum, inducunt talem incompatibilitatem. Garc. *l. c.* pro utroque citans fusam Rotæ decisionem *in Seguntina Thesauraria.* 29. *April.* 1596.

Quæstio 107. *Qui impetrat beneficium vacans per assecutionem alterius incompatibilis, quid & qualiter justificare debeat?*

1. REspondeo primò : Præter incompatibilitatem ante omnia plenè & concludenter probare tenetur factum ipsum assecutionis, ita ut non sufficiant testes de fama; vel alia semiplena probatio. Lott. *l.* 3. *q.* 23. *nu.* 18. citans decis. Rotæ 16. *de præb. in novis.*

2. Respondeo secundò : Sed neque juvant probationes nudam assecutionem concludentes sine perceptione fructuum; cùm tunc nihil aliud proponatur nisi incompatibilitas, quæ non adversatur simplici assecutioni secundi, sed tantùm retentioni primi; ita ut, nisi concludatur ad perceptionem fructuum, provisus de secundo non teneatur dimittere primum : Et quidem neque illico, sed post duos menses, qui dantur ad dimittendum. Lott. *loc. cit. n.* 17. *&* 18.

Quæ-

Quæstio 108 *An incompatibilitas impediat carentiam secundæ gratiæ?*

REspondeo negativè: cùm enim incompatibilitas, ut dictum jam immediate ante ex Lott. non opponatur assecutioni secundi, sed tantùm retentioni præhabiti, non potest impedire provisionem secundi, seu secundæ gratiæ; & hinc incompatibilitas non est exceptio apta ad retardandam executionem literarum secundæ provisionis. Card. de Luca. *de benef. d.* 55. *n.* 20. *& d.* 59. *n.* 2.

PARAGRAPHVS II.

De incompatibilibus ratione residentiæ, curæ, existentiæ sub eodem texto, vel quia dignitates aut Personatus sunt, & hinc ortâ præhabitorum, aut de novo obtentorum vacatione.

Quæstio 109. *An, & qualiter incompatibilitas constituatur ex onere residentiæ?*

1. REspondeo primò: duo beneficia simplicia (præscindendo etiam à sufficientia) etiam dum neutrum est Canonicatus, aut portio in cathedrali vel collegiata, sunt incompatibilia, seu simul teneri non possunt, dum ambo requirunt residentiam personalem incompatibilem. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 261. citans Coras. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 2. Hoped. *p.* 1. *c.* 17. *n.* 30. Zerol. *p.* 1. *v. beneficium.* §. 7. *& p.* 2. *v. incompatibilitas.* §. 2. qui hoc ipsum rectè deducit ex verbis istis Trid. *sess.* 24. *c.* 17. *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat:* Gonz. *gl.* 15. *à n.* 16. Lott. *l.* 3. *q.* 23. *n.* 10. *&* 12. proceditque idipsum, sive de jure, sive ex consuetudine, sive ex fundatione hæc residentia requiratur. Gonz. *loc. cit. n.* 19. nihil enim est, quò minùs etiam in his omnino simplicibus utcunque aliàs ex generali consuetudine ab onere residendi liberis. Lott. *loc. cit. n.* 11. citans Cardin. in *c. fin. de Cleric. non resid. n.* 16. Imol. *u* 8. Alex. de Nævo. *n.* 10. Rebuff. *in prax. tit. de dispers. super resid. n.* 8. (ratione cujus generalis consuetudinis etiam in dubio omnia simplicia seclusis canonicatibus & portionibus consistentibus in Cathedralibus vel Collegiatis, quæ hodiedum ex decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 12. requirunt residentiam. Gonz. *gl.* 15. *n.* 18. præsumuntur libera à personali residentia. Gonz. *gl.* 15. *n.* 26. citans Imol. *in c. fin. de cleric. non resid. n.* 9. Felin. *in c. dilectus.* 2. *de rescrip. n.* 1. Rebuff. *ubi ante n.* 8.) valeat hæc residentia præcisa jure aliquo speciali induci. Lott. *loc. cit. n.* 12. qui etiam *n.* 14. ex incidente: subjungit: per hoc, quòd quis residere juravit, dum beneficium talem residentiam non exigit, residentiam non induci, & talem ad residendum non teneri; eò quòd juramentum semper reguletur à naturâ actûs, super quo interponitur.

2. Respondeo secundò: constituitur hæc incompatibilitas ex residentia continua præcisa, non autem ex causativa: Tond. *in qq. benef. p.* 3. *c.* 185. *n.* 7. Gonz. *loc. cit. n.* 20 citans pro hoc *n.* 22. Navar. *cons.* 4. *n.* 1. *de clericis non residentibus.* Anchar. *cons.* 17. *n.* 2. & 3. Imol. Butrio, &c. *in c. fin. de Cleri. non resid.* item Rotam *in Callagur. beneficii,* 15. *Octob.* 1577. in qua etiam Responsum ad Trid. *sess.* 7. *c.* 4. illud loqui de incompatibilibus ratione tituli, non verò de incompatibilibus respectu fructuum. Dicitur autem illa residentia præcisa, seu præcisè requisita, quæ est respectu tituli, & simpliciter obligatoria, seu sub amissione & privatione tituli & simpliciter obligatoria, seu sub amissione & privatione tituli: causativa, quæ non est simpliciter obligatoria, sed respectu fructuum tantùm, ita ut licet ob non residentiam privetur beneficiatus fructibus, titulo tamen ipso beneficii privari non possit. Gonz. *n.* 21. ex Imol Butr. Abb. *in c. fin. de cleric non resid.* Unde etiam vides, quid dicendum ad hoc, quod quærit Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 5. an beneficium simplex, cujus omnes reditus annui consistunt in quotidianis distributionibus, censeatur jure incompatibile cum quovis alio, assiduam beneficiati residentiam requirente: ad quod quidem ipse Respondet affirmativè, eò quòd, cùm distributiones non debeantur jure nisi iis, qui præsentes divinis officiis interfunt, beneficium consistens in solis quotidianis distributionibus assiduam beneficiati præsentiam postulet. Veruntamen, cùm ex illo necdum inferri videatur, requiri residentiam præcisam, sed causativam solùm, ita ut, si velit fructus percipere inde, debeat residere: non apparet, qualiter incompatibile sit, seu retineri non possit, quantùm est ex hoc, cum alio requirente residentiam præcisam; nisi fortè dicatur, vel ex hoc ipso, quod omnes fructus constituti sint in quotidianis distributionibus, saltem argui, requiri & residentiam præcisam, etsi non integri anni; ita ut si quis, etsi paratus sit carere omnibus fructibus, titulum tamen retinere nequeat.

Quæstio 110. *Num igitur hæc simplicia residentiam expostulantia ita sint incompatibilia, ut obtento secundo vacet ipso jure præhabitum, seu primum?*

1. REspondeo primò: vi juris communis hæc beneficia non vacâsse ipso jure ante Trid. Azor. *loc. cit. q.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 2. nam primò ante Concil. Lateran. sub Alexan. III. vi nimirum *c. referente, & c. præterea. de præb.* obtinens duas dignitates vel duo curata (adeóque idem à fortiori de simplicibus non jam ratione curæ, sed etiam absque ea residentiam exigentibus, & exinde incompatibilibus dicendum) neutrum ipso jure amittebat, sed debebat unum ex illis, relictâ illi optione, quod malebat, dimittere. Secundò tempore Concil. Lateran. sub Alexand. IV. *vi cap. quia nonnulli. de cleric. non resid.* non relinquebatur jam ampliùs ista libertas dimittendi alterutrum, neque tamen etiam ullum amittebat ipso jure; sed obtinens secundum incompatibile, hoc ipso secundo veniebat privandus per sententiam. Tertiò *c. de multa. de præb.* & extrav. *execrabilis.* Joannis XXII. sermo solùm est de dignitatibus, personatibus, officiis curam animarum habentibus, & non de simplicibus purè ratione residentiæ incompatibilibus. Castrop. Azor. *ll. citt.*

2. Respondeo secundò: Post Trid. per obtentionem pacificam secundi beneficii residentiam præcisam requirentis ipso jure vacat quodcunque beneficium præhabitum similem residentiam requirens; eò quòd Trid. *sess.* 7. *c.* 4 loquatur generaliter et

sub privatione ipso jure prohibendo receptionem & retentionem plurium beneficiorum curatorum, aut aliàs incompatibilium; adeóque non solùm innovet constitutionem *c. de multa* (quod loquens de solis curatis, voluit præhabitum curatum vacare ipso jure per assecutionem secundi curati, & eum, qui utrumque simul retinere contendit, privari, præhabito quidem ipso jure, secundo verò per sententiam) sed etiam extendit illam ad quævis beneficia incompatibilia, etsi curata non sint, juxta expressam declarationem S. Congregationis, quæ sic habet: *quod de incompatibilibus beneficiis dicitur in illo c. 4. idem intelligendum est de omnibus beneficiis residentiam requirentibus.* Et iterum: *Congregatio Concilii censuit in residentiam requirentibus, aut aliàs quomodocunque incompatibilibus induci vacationem primi per adeptionem secundi per decretum Trid. sess. 7. c. 4. juxta dispositionem c. de multa*: quas declarationes recitant Gonz. Garc. paulò pòst citandi, & alii passim. Azor. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* Gonz. *gl. 15. n. 17.* dicens indubitanter hodiedum sic tenendum esse, quamvis neutrum ex illis sit dignitas aut curatum, aut etiam Canonicatus, sed ambo omnino simplicia, v. g. Capellaniæ residentiam requirentes. Garc. *p. 11. c. 5. n. 83.* citans Zechum *de benef. c. 5. n. 4.* Guttier. *cons. 10. n. 4.* Hojed. ac plurimas Rotæ *decis.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 13. q. 2.* contra Paris. *l. 3. q. 3. n. 132.* Marc. Ant. Genuens. *in p. 2. curiæ Archiep. Neap. c. 64. n. 4.* Places. *in pr. ep. p. 2. c. 5. n. 56.* Prosp. de Augustino *ad sum. Bullar. Quaranta. causa 6.* apud Castrop. item contra Pirh. *ad tit. de præb. n. 170.* ubi absolutè sentit contrarium dicens: jura antiqua, quæ nullibi hanc privationem ipso jure importabant, quoad hæc beneficia non esse correcta per Trid. sed solùm quòad curata, dignitates, personatus; adeóque adhuc quòad simplicia incompatibilia quòad residentiam hæc jura servanda esse, ut nimirum non vacet præhabitum ipso jure ad assecutionem secundi, sed beneficiatus cogi debeat ad resignandum vel dimittendum alterutrum. Item contra Navar. *cons. 24. de præb.* ubi postquam contrarium asseruisset, addit: si constaret S. Congregationem declarasse, Trid. *sess. 7. c. 4.* ita esse intelligendum, eáque declaratio à sua Sanctitate confirmata esset, ità fore tenendum; sed quia id non constat, & aliàs ex verbis Trid. id non videatur efficaciter probari posse, non est, quòd ad hanc sententiam nos astringat. item contra Less. *de justitia. l. 2. c. 34. n. 144.* addentem tamen *n. 145.* se dictam S. Congregationis declarationem nunquam vidisse, si tamen facta sit, judicare se tenendam, & hujusmodi simplicia convenire in hoc cum in compatibilibus primi generis, hoc est, quorum primum ad obtentionem secundi vacat ipso jure. Verùm hìc iterum observandum, hanc vacationem ipso jure non induci ob requisitam residentiam merè causativam Gonz. *gl. 15. n. 20.* Sic dum residentia præcisa non requiritur, beneficiatus in loco sui beneficii non residens, ideoque fructus non percipiens, poterit illud beneficium accipere & retinere, & in eo residendo lucrari fructus absque eo, quòd vacet præhabitum. Pirh. *loc. cit. n. 169.* Etsi fortè aliunde teneatur alterutrum dimittere, dum utrumque ad sustentationem est sufficiens; eò quòd per ipsum stet, quò minùs illud, in cujus loco non residet, sit ipsi frugiferum. Idem est, dum residentia utriusque præcisa non est incompatibilis, qualis esset, si unius esset perpetua; vel amborum residentia incurreret in idem tempus; secus si in uno teneretur residere, v. g. per menses 6. qualescunque, in altero per alios 6. menses vel pauciores; quia tunc utrique residentiæ satisfacere potest. Pirh. *loc. cit.* &c in illis Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus, in quibus ex recepta immemoriali consuetudine non requiritur residentia totius anni, sed vel medii anni, vel 4. aut paucorum mensium, non est residentia incompatibilis; & vel sic, quantum est ratione residentiæ, potest tales canonicatus plures simul quis habere. Pirh. *loc. cit. n. 132.*

Quæstio III. *Num ergo etiam vacent ipso jure ambo talia beneficia simplicia residentialia, dum intendit ambo retinere simul, juxta quod aliàs* in Extrav. Execrabilis *constitutum expresse de dignitatibus, personatibus, beneficiis curatis?*

Respondeo affirmativè: Concilium enim Trid. in eo, qui obtinet beneficia, etiam aliàs incompatibilia, inducit ipso jure privationem beneficiorum juxta privationem, quæ SS. Canonibus constituta est; sed privatio ipso jure utriusque beneficii ineo casu statuta est per *Extrav. Execrabilis.* ergo. Castrop. *loc. cit. n. 4.* Garc. *loc. cit. n. 64.*

Quæstio II2. *Quandonam censeatur quis præsumere, seu intendere beneficia talia retinere simul?*

Respondeo tunc, quando sciens (aut, ut addit Garc. scire debens) esse incompatibilia, seu vacâsse ipso jure præhabitum ad assecutionem secundi, ambo retinet absque eo, quòd opus sit monitione Judicis aut litis motione seu contestatione, ita ut incurrat hanc pœnam amissionis utriusque, etiamsi dum incipit conveniri in judicio, velit illud præhabitum dimittere. Siquidem verba illa Concilii *retinere præsumpserit*, solùm denotant dolosam seu malitiosam detentionem, contra quod præcipiunt Canones, saltem ex culpa lata, qualis contrahitur etiam citra talem monitionem, dum lex ipsa satis moner. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 95. & seq.* citans pro hoc *n. 98.* S. Congregat. declarationem. contra Pirh. *de præb. n. 150.* & alios, qui cum gl. *p. contenderit.* tenent non amitti secundum, si ante litis contestationem dimissum primum.

Quæstio II3. *Qualiter ergo intelligendum illud decretum Trid* sess. 24 c. 17. *quo statuit, ut qui obtinet duas parochiales, vel aliàs incompatibilia ex dispensatione, uno retento, alterum intra 6. menses dimittat.*

Respondeo Concilium ibi loqui tantùm de beneficiis jam obtentis ante Trid, non autem de obtentis vel obtinendis imposterum post Trid. Pirh. *ad tit. de præb. n. 150.* Garc. *p. 11. c. 5. n. 77.* citans pro hoc Vegam *p. 1. c. 6. casu 24.* Rodriq. *in sum. c. 31. n. 4. &c.* quemadmodum etiam in *extravag. execrabilis*, dum in priore ejus parte statuit, ut dimissio unius beneficii ex incompatibilibus, fieri debeat intra mensem, loquitur de jam obtentis; siquidem in posteriore parte §. *qui uno.* ubi agitur de beneficiis deinceps post dictam *extravag.* obtinendis, statuit, quòd dimissio primi beneficii debeat fieri statim, & in continenti, ut colligitur ex illis illius verbis: *absque morâ dispendio*: hoc ipsum tamen intelligendo juxta arbitrium boni viri, & post adeptam pacificam possessionem secundi cum aliquo temperamento. Pirh. *loc. cit. n. 153.* Garc. *cit. c. 5. n. 36. & 37.*

& 37. citans Abb *in c. quia nonnulli n. 4. de clericis non resid.* Gamb. Diaz. Flores de Mena &c. contra Rebuff. *in pr. tit. de dispensatione ætatis. v. quoad vixerit. n. 12.* Zerol. *in pr. Ep. p. 1 v. beneficium.* §. 3. *&c.* tenentes satis esse, si intra mensem dimittatur propter verba *cit. Extravag. parimodo.* nimirum quo priùs locutâ fuerat de beneficiis ante ipsam obtentis.

Quæstio 114. *An consuetudine saltem induci possit, ut quis simul habeat & retineat talia duo simplicia residentiam requirentia?*

REspondeo: quamdiu consuetudine abrogata non est necessitas residendi, manifestè patet, nullâ consuetudine induci posse, ut duo, dum pergunt requirere residentiam, habeantur simul. De cetero consuetudinem, quâ ante Trid. receptum erat in pluribus locis, ut Canonici à suis Ecclesiis abessent, ac proinde unus idemque duos Canonicatus simul in diversis Ecclesiis obtineret, Trid. penitus abrogavit: quin &, quòd jura istiusmodi consuetudinem appellent corruptelam, ait Azor. *p. 2. l. 6. c. 13. q. 2. § quæret aliquis.* Quin tamen, ubi onus residendi non est ex lege divinâ, aut naturali, nec consuetudo abrogans residentiam damnatur à lege tanquam iniqua & irrationabilis (qualiter saltem à Trid. in beneficiis omnino simplicibus, quæ canonicatus non sunt, ea damnari non videtur) nil vetat, quò minùs talis consuetudo, etiam simpliciter abrogata nasceretur denuo, & sic sublatâ necessitate residendi, istiusmodi simplicia plura simul haberi possint per consuetudinem, Pirh. *de præb. n.* 142. Unde multò magis consuetudo talis, ubi ea hucusque in locis, ubi Trid. receptum non est, vigeret, tolerari poterit.

Quæstio 115. *Num quis dispensatus à Papa sine causa in residentia, quam exigunt istiusmodi simplicia, tutus esse possit in conscientia: & num Papa ad libitum suæ voluntatis talia plura uni sive in eadem, sivè in diversa Ecclesia conferre possit?*

REspondeo affirmativè ad utrumque: Hurtad. *de resid. ex vi benef. resol. 6. subresol. 12. n. 1. & 2.* cùm enim istis simplicibus, uti & Canonicatibus & dignitatibus non curatis residentia solo jure Canonico sit inducta; si Papa aliquem ab hac obligatione residendi absolvat, etsi malè agat id faciendo, sine causa, dispensatus tutus erit in conscientia; maximè, si ejus residentia non sit valde necessaria Ecclesiæ, vel cultui divino, ita ut per alium suppleri nequeat, adeóque etiam suppositâ hac dispensatione in hac lege humanâ de residendo, poterit eorum beneficiorum plura pro libitu conferre uni; cùm jam etiam Canonicatus, aliæque dignitates non curatæ maneant tanquam purè simplicia. Ita ferè Hurtad. *loc. cit.*

Quæstio 116. *An, & qualiter incompatibilitas constituatur ex duplici cura?*

REspondeo duo curata sunt incompatibilia, seu simul obtineri non possunt in titulum. Laym. *ad c. dudum. de Elect. n. 2. & ad c. eam te. de ætate & qual. cum communi.* Vide eundem *Theol. Mor. l. 4. tr. 2. c. 8. assert. 2. & 3.* & constat ex *c. de multa de præb.* & ex *Extravag. Execrabilis*, aliisque textibus passim, uti & decreto Trid. *sess. 7. c. 4.* Porrò non nisi curata strictè, hoc est, quibus incumbit animarum cura in foro interno & pœnitentiali, habere ad se invicem incompatibilitatem, non verò curatum strictè cum alio curato minùs strictè tali, qualia sunt quæ non nisi curam jurisdictionalem habent pro foro externo seu contentioso; ut Archidiaconatus, Decanatus, tradit Barb. *in collect. ad c. de multa.* Idem tradit Lott. *l. 1. q. 20. à n. 30.* ubi: quòd Rota hac in parte mutârit suam sententiam in ipsa eâdem causâ *Conchens. Archipresbyteratûs. de die 28. Januar. 1598.* de mente S. Congregationis Concilii, ut refert Gonz. *gl. 6. n. 64.* nimirum, quòd incompatibilitas ex duplici cura, de qua in *c. de multa.* non intelligatur de cura ista jurisdictionali, sed de istâ alterâ strictiùs tali, seu fori conscientiæ; contrarium tenente Pirh. *ad tit. de præb. nu. 150.* citante Abb. *in cit. c. de multa. in additione, n. 24.* ac dicente illam Barbosæ expositionem absque solido fundamento nimis restringere *c.* illud *de multa.* Illud certius, quòd beneficium actu curatum dictam incompatibilitatem non habeat cum alio habitu tantùm curato, quale v. g. est Ecclesia Parochialis, ubi Parochiani omnes peste vel bello sublati, vel alia de causâ, puta, ob soli sterilitatem, vel inundationem, aëris cœlivé intemperiem recessêre absque spe, saltem propinquâ, redeundi: potest enim quis talibus duobus curatis simul deservire. Pirh. *cit. n. 150.* Azor. *p. 2. c. 6. q. 10.* citans gl. *in c. licèt Canon. de elect. in 6.* sed neque duo curata habent incompatibilitatem, dum unum tenetur per se, alterum accessoriè v. g. dum quis dignitatem habet, cui per se imminet cura animarum, ut Archidiaconatus, & cui accessoriè simul & per accidens annexa est Ecclesia Parochialis. Pirh. *loc. cit. nu. 133.* juxta *c. de multa*; aut *Extravag. execrabil.* utpote quibus solùm prohibetur habere simul plures dignitates curatas; aut Ecclesias Parochiales: in dicto autem casu non censetur quis habere duo, nec propriè sunt duo curata beneficia, sed reputantur pro uno; cùm Ecclesia Parochialis accessoriè annexa dignitati, vel etiam præbendæ Canonicali dicatur esse suppressa, ita ut dignitas illa, si ei aliàs per se cura non incumbit, beneficium simplex censeatur. Pirh. *loc. cit.* juxta gl. *in cit. c. super eo.* Quippe Ecclesia talis Parochialis propter unionem seu accessionem illam ad alterum beneficium tanquam principale sortitur naturam & constitutiones hujus beneficii principalis. Pirh. *ibid.* dum nimirum cura animarum actu, & quòad exercitium est penes Vicarium, quem is, qui dictam dignitatem vel Canonicatum habet, in Ecclesia Parochiali sibi substituere debet, & penes dignitatem illam vel Canonicum, cura illa animarum fori, pœnitentiæ, seu Parochialis solùm est in habitu: & hinc habens illam dignitatem vel Canonicatum non tenetur per se ipsum residere in parochia illa; cùm cura, quæ venit accessoriè, & in habitu tantùm est penes aliquem, non est attendenda, sed natura tantùm & qualitas beneficii principalis; etsi hoc sit minùs dignum seu simplex, cui beneficium curatum subjicitur, & accessoriè annectitur. Pirh. *loc. cit.* citans Anchar. *in cit. c. super eo. notab. 3.* Et hinc etiam necessarium non est, ut in impetratione beneficii principalis fiat mentio de beneficio curato vel Parochiali ei annexo accessoriè; cùm hoc per se non vacet, sed veniat solùm accessoriè. Unde quoque jam illud inferri posse videtur: dum aliunde non est incompatibilitas, posse hujusmodi duo beneficia simplicia, quorum unicuique accessoriè annexa est cura animarum,

seu diversa Ecclesia Parochialis, cùm unum quodque pro simplice reputetur, &, ut dictum, neutrum propter istam curam habitualem accessoriè annexam requirat residentiam illius in Ecclesia Parochiali, simul haberi: Item cum, qui habet curatum, posse obtinere & simul retinere aliud simplex, cui annexum est aliud curatum. Pirh. *ad tit. de præb. n. 136.*

Quæstio 117. *An ergo incompatibilitas illa duorum per se curatorum impediat, quò minùs unum habeatur in titulum, alterum in Commendam?*

1. Respondeo primo affirmativè: dum sermo est de commenda in perpetuum. Laym. *in c. avaritiæ. de elect. in 6. nu. 1.* Azor. *p. 2. l. 6. q. 11.* loquens in genere, non tantùm de curatis, sed de quibuscunque, & undecunque ipso jure incompatibilibus, non posse duo eorum haberi simul in commendam; nec unum in titulum, alterum in commendam perpetuam, ac pro hoc citant Gomes. *in reg. de trienn. poss. q. 5. n. 10. & seq.* Mandos. *ad reg. 32. q. 7. n. 1. 7. & 12.* ubi is expresè; quòd commendæ perpetuæ incompatibilitatem inducant tam inter se, quàm quoad alia beneficia habita in titulum. Idem tradit Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 2. n. 14.* citans Riccium *collectan. 999.* Hæc enim simultanea commendatio perpetua est præter Canones antiquos, utpote quibus commendabantur tantùm ad tempus, ut constat ex *c. qui plures. 21. q. 1.* & invecta in Ecclesiam ex nimia hominum ambitione. Azor. *loc. cit. §. dubium autem*, quin & in fraudem legis vetantis habere plura incompatibilia in titulum; nam, cùm duo jure tituli haberi non possent, unum tantùm ratione tituli, alterum per commendam haberi posset, excogitaverunt novam rationem habendi perpetuò plura, unum videlicet jure tituli, alterum jure commendationis ad vitam vel perpetuæ administrationis. Azor. *loc. cit.* Laym. *cit. n. 1.* Et hic sensus est Trident. *dum sess. 7. c. 4.* ait: *quicunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia sivè per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam SS. Canonum in simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis ipso jure, etiam vigore præsentis Canonis, privatus existat &c.* ut nimirum non solùm vetet haberi plura incompatibilia in perpetuum, seu ad vitam commendata, ut voluerant quidam, sed etiam haberi unum eorum in titulum, alterum in commendam perpetuam. Azor. *loc. cit. §. existimo.* Accedit, quòd commendatio, etiam in perpetuum non mutet statum & conditionem beneficii, ac proinde beneficium actu curatum commendatum retinet curam animarum actu, residentiam, & hinc ortâ incompatibilitatem. Unde & commendatarius perpetuus in eo residere debet, parumque refert, si aut rector aut prælatus dicatur; quia beneficium suscipit cum oneribus ipsi beneficio annexis; aut etiam, quòd non per mortem commendatarii, sed illius, qui illud jure tituli ultimò obtinuit, dicatur vacare. Azor. *loc. cit. & §. dices.* Nec obstat Cardinales Episcopatus, Abbatias, Prioratus passim retinere jure & nomine commendationis perpetuæ, vel administrationis ad vitam; nam id fit ex concessione & indulgentia Papæ. Azor. *loc. cit. §. objicies secundò.* Unde jam etiam illud infertur, quòd, cùm illud sit contra jus commune, & Trid. Episcopi auctoritate id fieri non posse, ut quis habeat Ecclesiam Parochialem, vel aliud beneficium residentiam requirens in titulum, & aliud simile in commendam perpetuam. Azor. *loc. cit. §. existimo.* citans Nav. *in man. c. 5. nu. 126.*

2. Respondeo secundò: si sermo est de commenda ad tempus, videri tunc posse simul haberi unum in titulum, & alterum commendatum ad tempus, etiamsi ambo sint Ecclesiæ Parochiales. Pirh. *ad tit. de præb. n. 130.* citans Piasec. *in pr. Ep. p. 2. c. 5. a. 3. n. 72.* Azor. *cit. q. 11. juxta c. qui plures. 21. q. 1.* nam is, cui Ecclesia ad tempus commendatur, beneficiarius jure non censetur, nec fructus beneficii sibi acquirit, sed eos successori reservat, de iis rationem redditurus, tantum sibi reservans, quantum necessarium ad honestum victum, tanquam sui laboris mercedem, & curæ debitæ stipendium. Azor. *loc. cit.* unde & hoc fieri potest ex ipsa juris dispositione seu concessione. Azor. *loc. cit.* tradit nihilominus Tond. *loc. cit. n. 3. 4. & 6.* quòd licèt vi *c. nemo. de elect. in 6.* ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ potuerit Episcopus concedere beneficium in commendam ad 6. menses & non ultra, & si elapsis istis 6. mensibus duraret eadem necessitas vel utilitas, potuerit hanc commendam prorogare ad alios 6. menses juxta gl. *in cit. c. nemo. v. durare.* & Rebuff. *in pr. p. 1. tit. de commend. n. 65.* hodie tamen non obstante illa dispositione *c. nemo.* correcta sit per Trid. vi cujus solùm possit Episcopus Vicarium temporalem deputare. dum Ecclesiæ necessitas hoc requirit, servatâ formâ ejusdem Trid. *sess. 24. c. 18.* juxta decretum S. Congreg. Concilii referente Barbos. *in recollect. Apost. decis. collectan. 187. n. 1.*

Quæstio 118. *An, præscindendo à sufficientia, sit contra jus naturæ, habere beneficium unum curatum in titulum, & aliud curatum in commendam perpetuam?*

Respondet negativè. Hurt. *de resid. ex vi benef. resol. 6. subresol. 9. nu. 1.* dicens, hinc posse id fieri ex pura pontificis dispensatione, sine ulla juris naturalis relaxatione: atque ita, etiamsi Papa dispensèt sine causa, validam fore dispensationem, & provisum tutum in conscientia, nisi fiat beneficiorum commendatorum etiam simplicium nimia coacervatio, quæ, nisi subsit urgentissima causa, sit turpissima contra jus naturæ; citâtque pro hoc *nu. 5.* Hojed. *de incompat. p. 2. c. 4.* dicentem, neminem scribentium de hoc dubitare. Rationem verò, cur hoc turpitudinem nullam contra jus naturæ contineat, reddi, ait Hurt. *n. 4. à gl. in cit. c. qui plures. 21. q. 1.* nempe hanc: quòd quis Ecclesiæ commendatæ non sit prælatus, sed potiùs procurator. *c. obitum d. 61.* & dum objicitur, eadem incommoda & inordinationes contra jus naturæ sequi ex hoc, quòd quis plura curata habeat in commendam, ac si ea habeat in titulum perpetuum, respondet *n. 7. & 8.* ex Hojed. quòd auctoritas & scientia Rom. Pontificis removeat omnem suspicionem, & præsumatur, quòd commenda ad vitam facta fuerit ex justis & rationabilibus causis, quæ præfatis incommodis præferendæ; nam in his Rom. Pontifex de illicito facit licitum, ita ut eo ipso facto aufferatur omnis incompatibilitas in foro externo. Ex quibus tamen postremis argui videtur habere & conferre talia, nempe unum curatum in titulum, alterum in commendam sine justâ causâ,

causa, continere aliquam turpitudinem contra jus naturæ, non nisi ex justitia causæ abstergendum.

Quæstio 119. *An habere simul duo curata in titulum adversetur juri divino & naturæ?*

REspondeo affirmativè: Hurt, *loc. cit. subresol.* 15. *nu.* 1. dicens, id omnino certum, & regulam infallibilem; quia de jure divino singula requirunt residentiam: unde, nisi subsit justissima ratio, quæ hanc turpitudinem evacuet totaliter, dispensatio pontificia nec valida est, nec dispensatus tutus in conscientia, fructusque suos non facit. Hurt. *ibid. n.* 2. etsi collatio secundi curati sit valida juxta dicta superius de collatione secundi sufficientis facta sine sufficiente causâ. Less. *de justit. c.* 34. *n.* 152. cum aliis ibi cit. Non est tamen ita intrinsecè malum, quin in certis circumstantiis sit licitum & bonum, adeóque non est strictè contra jus naturæ, qualia sunt illa quæ in nullis circumstantiis licent. Pirh. *de præb. n.* 183.

Quæstio 120. *An, & à quo in hoc dispensari possit?*

REspondeo: posse in hoc à Papa, & quidem solo dispensari. Pirh. *de præb. n.* 182. citans Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 9. Less. *de justit. l.* 2. *c.* 34. *nu.* 149. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 337. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 1. nam licet non residere in curato, & habere duo curata absque justissimâ causâ sit irrationabile, & juri naturæ repugnans, & hinc meritò statutum & consuetudo, ut ordinariè conferri possint duæ dignitates, vel duo curata, damnanda sit, tanquam noxia Ecclesiæ, & bonis moribus contraria, non tamen id fieri maximè per auctoritatem Superioris, nimirum Papæ dispensantis ex justa causâ, & peculiaribus circumstantiis cohonestantibus, & turpitudinem illam evacuantibus in casibus subinde occurrentibus est ampliùs irrationabile, & contra legem naturæ. Quemadmodum Pirh. *ibid.* ex Laym. *in c.* 1. *de consuetud. nu.* 4. licèt non valeat consuetudo vel statutum, ut latronibus & homicidis vita donetur, si mulctam pecuniariam solvant, cùm id, si ordinariè fiat, præbeat ansam gravibus injuriis & latrociniis exercendis: potest tamen, qui reip. præest, in certo casu tali latroni vitam condonare, & supplicium mortis in mulctam pecuniariam mutare. Quod autem id nemo alius possit præter Papam, satis constat ex textu *c. dudum. de elect.* & *c. de multa. junctis Gloss.* dum enim ibi dicitur: *in his, ubi ratio postulârit, posse per sedem Apostolicam dispensari*: à contrario sensu patet, id non posse alium; dum, quod de uno conceditur, virtualiter de alio negetur. Atque ita licèt olim seu jure antiquo poterat Episcopus dispensare, ut quis simul obtineret plura curata, ut patet ex *c.* 2. *dist.* 70. ubi dicitur: *licèt Episcopi dispositione unus possit diversis præesse Ecclesiis &c.* id tamen per decretum Concilii Lateran. in c. *de multa.* postea coërcitum fuit propter indiscretas Episcoporum dispensationes. Pirh. *de præb. n.* 190. *juxta gl. fin. in cit. c. de multa.*

Quæstio 121. *An consuetudine induci possit, ut quis citra dispensationem obtineat plura curata in diversis Ecclesiis?*

REspondet negativè Pirh. *de præb. nu.* 141. citans Abb. *in c. extirpandæ. de præb. n.* 36. Rebuff. *in pr. tit. de dispensat. de non residen. n.* 66. eò quòd talis consuetudo nimis damnosa sit Ecclesiis & animabus, ideóque reprobata in *c. de multa.* Pirh. *ibid.* Quin & Trid. *sess.* 24. *c.* 12. talem consuetudinem etiam immemorialem sustulit, juxta Garc. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 197. Covar. *l.* 3. *var. resol. c.* 13. *n.* 5. & 9. Less. *l.* 2. *c.* 34. *nu.* 163. apud Pirh. *loc. cit.* dum enim per legem damnatur consuetudo, ut damnosa, iniqua & irrationabilis (uti hæc damnatur) censetur damnata consuetudo quælibet etiam immemorialis. Unde tunc aliud non patebit effugium, quàm dicendo Trid. seu legem illam reprobativam hujus consuetudinis tanquam irrationabilis in iis Ecclesiis, ubi ea consuetudo adhuc dum viget, receptam non esse, ut Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 11. apud Pirh. quod ipsum tamen, seu hanc non receptionem non juvare ostendit Garc. *n.* 199. Illud omnino certum videtur, nullâ consuetudine induci posse, & nullâ consuetudine etiam immemoriali excusari posse, ut id fiat passim, & sine justa causâ, cùm id juri divino repugnet, juxta dicta *quæstion. præced.* Pirh. ex Laym. *loc. cit.* etsi is secus esse dicat; nimirum talem consuetudinem non residendi in curato, adeóque habendi eorum plura ex justa causâ non ita facilè damnari posse. De cetero probabile esse, ait Pirh. citato Navar. *l.* 3. *cons.* 21. *de Cleric. non resident. nu.* 4. *juncto cons.* 24. *de præb.* quòd per consuetudinem immemorialem induci possit, ut non requiratur residentia personalis in beneficiis curatis, sed per idoneum vicarium ea administrari possint; eò quòd consuetudo immemorialis æquipolleat privilegio, ut quidquid per privilegium Papæ obtineri potest, idem possit obtineri per consuetudinem; per privilegium autem & dispensationem Papæ ex justa causa obtineri, ut quis non teneatur personaliter residere in dignitate aut beneficio curato, modò illud per vicarium ritè administretur, ut constat ex praxi; quin &, quòd consuetudo immemorialis faciat præsumptionem dispensationis olim in hoc à Papa obtentæ; cùm allegari tunc possit titulus optimus possibilis.

Quæstio 122. *Quinam sint sufficientes casus & causæ, ut quis per dispensationem deobligetur à residendo in beneficiis actu & per se, seu principaliter curatis, adeóque possit eorum plura obtinere?*

REspondeo primò: esse ferè easdem, ob quas suprà dictum, posse alicui quandoque plura beneficia supra necessariam vitæ necessitatem conferri: ac proinde, sicut ibi dictum, ita & hìc dicendum, quòad curata, reduci quoque eas posse ad Ecclesiæ necessitatem, vel magnam utilitatem. Ad primum spectat, dum quandoqueuni Ecclesiæ duæ Parochiales conferuntur vel committuntur; quia clerici alii ad hoc idonei desunt. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 10. Item dum filiis principum conferuntur quandoque plures episcopatus, etiam ante ætatem; quia Ecclesiæ egent potente defensore contra hæreticos. Pirh. *de præb. n.* 191. Item dum Ecclesiæ curatæ, quia nullos aut exiguos proventus habent, ita ut proprios Sacerdotes alere non possint congruenter; possunt plures conferri, etiam citra dispensationem Papalem ex juris concessione, saltem accedente auctoritate Episcopi, juxta *c. unic.* 10. *q.* 3. ubi sic expressè de Ecclesiis Parochialibus; & *c. eam te, de ætate & qualit.* Hurt. *de resident.*

l. 6. resol. 6. subresol. 15. à n. 3. citans pro hoc Hojed. *de incomp. p. 2. c. 5.* si enim vel ob solam hanc tenuitatem redituum plures earum possint uniri in perpetuum. *c. postquam. 16. q. 1. clem. ne in agro. de statu Monachor.* & unita uni conferri, multò magis poterunt ob eandé causam tenuitatis, etiamsi non uniantur, conferri uni. Hurt. *ibid. n. 7.* ubi tamen *n. 9.* subjungit, quòd quàmprimùm harum Ecclesiarum aliqua ad pinguiorem statum redierit, teneatur beneficiatus, illâ retentâ, alias dimittere, juxta *c. cum cessant, de appellat.* eò quòd dum illa relaxatio juris divini facta ob causam adæquatam tenuitatis, eâ cessante denuo intret obligatio illa juris naturæ. Idem est de duobus Episcopatibus, quorum neuter posset pro sua qualitate sustentare suum Episcopum; tunc enim ex Papæ concessione simul haberi possunt. Hurt. *cit. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 10. q. 10.* qui tamen id limitat, si nimirum Cathedrales illæ, seu Episcopatus essent ita conjuncti, seu vicini, ut ab uno Episcopo commodè gubernari possent, juxta *c. illud. 21. q. 1.* sic enim videtur in utroque residere. quæ etiam limitatio videtur observanda in duabus Parochialibus. de cetero dum Parochia aliqua in eo sensu tenuis est, quòd paucos habeat Parochianos (qualis censetur, si non habet 10. Parochianos seu vicinos, id est, familias. Hurt. *loc. cit. nu. 11.* citans Jo-And. *in c. fundmenta. de elect. in 6.* Cardin. *in clem. plerisque. de elect. q. ult.*) ea præcisè non est causa sufficiens, ut conferatur actu habenti sufficientem Parochialem, si tenuis illa Parochia aliàs non est tenuis in sustentatione sui pastoris, sed paucæ illæ oves sustentent illum congruè; etsi præsumatur aliàs, quòd Parochia, quæ 10. Parochianos non excedit, non possit sustentare clericum. Hurt. *n. 12.*

2. Ad secundum spectat, dum uni conferuntur plures Ecclesiæ curatæ; quia is unus solus magis putatur profuturus Ecclesiæ, etiam absens, suâ auctoritate, potentiâ vel doctrinâ & prudentiâ, quàm alius præsens, vel alii plures. Pirh. *loc. cit.* sic etiam ad hanc secundam causam, nimirum Ecclesiæ utilitatem reducitur, ut constat ex *c. de multa.* ubi Innoc. III. *in concil. Lateran.* postquàm pluralitatem curatorum, & dignitatum, & personatuum prohibuisset, addit in fine: *circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cùm ratio postulárit, per sedem Apostolicam poterit dispensari &c.* & Joannes XXII. in *extravag. execrabilis.* postquam sanxisset idem, ne quis obtineret plures dignitates, personatus, officia, Prioratus & beneficia, quibus cura animarum inest, excipit Cardinales, qui serviendo Ecclesiæ universali, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt; ac regum filios, qui propter sublimitatem eorum, & generis claritatem sunt potiori prærogativâ gratiæ attollendi: nam tunc non præcisè ob generis nobilitatem vel doctrinam dispensatur, sed quia tales personæ plerumque sunt magis utiles Ecclesiis; & sic hæc dispensatio principaliter & ultimatè tendit in publicum Ecclesiæ bonum. Pirh. *loc. cit. nu. 192.* citans D. Thom. *1. 2. q. 97. a. 4. ad. 1.* Abb. *in c. de multa. n. 7.* ubi etiam notat Pirh. personas literatas in *c. de multa.* æquiparari sublimibus sive nobilibus, cùm scientia verè hominem nobilitet: idque ait etiam in Imperio Rom. receptum, saltem dum personæ literatæ publicum doctrinæ testimonium in universitate aliqua approbatâ, seu doctoratum sunt assecutæ.

Quæstio 123. An, & qualiter ipso jure olim vacarint, & hodiedum vacent beneficia præhabita curata per assecutionem alterius curati?

1. REspondeo ad primùm primò: olim ante Concilium Lateran. tertium anno 1180. habitum sub Alex. III. ut constat ex *c. referente. de præb.* per assecutionem secundi curati non vacabat ipso jure primum, seu præhabitum curatum; neque etiam quis, si utrmq; simul præsumebat retinere, privabatur utroque, aut etiam secundo; sed astringebatur unum quod malebat, dimittere. Pirh. *de præb. n. 145.* secundò: tempore dicti concilii Lateran. ut refertur ejusdem *c. 13. vi cap. quia nonnulli. de cleric. non resid.* statuitur, ut recipiens duo curata seu Parochialia privetur posteriùs accepto, non quidem ipso jure, sed per sententiam, seu officio judicis, & conferens potestate conferendi pro illa vice. Pirh. *n. 147.* citans Abb. *in cit. c. quia nonnulli. n. 4.* Tertio: tempore Concil. Lateran. quarti habiti Anno 1215. ejusdem *c. 29.* ut refertur *c. de multa. de præb.* statuitur ab Innoc. III. ut quia dictæ decretales illæ, quia nonnulli propter quorundam cupiditatem exspectatam non ferebant utilitatem, deinceps, quicunque beneficium curatum jam obtinens alterum etiam curatum receperit, ipso jure privatus sit priùs obtento; & si utrumque simul retinere contenderit, etiam secundo privetur. circa quod notat Pirh. *n. 149.* cùm hæc decretalis dicat, per assecutionem curati vacare ipso jure prius curatum, ac sic ad hanc vacationem requirat, ut utrumque sit curatum, per sensum contrarium rectè inferri, vi hujus decretalis non vacare priùs habitum non curatum, etsi aliàs residentiam requirat, aut aliter sit incompatibile per assecutionem secundi curati: similiter non vacare prius curatum per assecutionem secundi non curati, etsi aliunde residentiam requirentis aut incompatibilis. Item Barbosa. *ad cit. c. de multa.* & Lott. *l. 1. q. 20. nu. 31.* supra citati, cùm teneant, non loqui hoc *c. de multa.* de curatis minùs strictè talibus, hoc est, habentibus curam jurisdictionalem, seu fori externi tantùm, tenent non vacare (quantum est ex vi hujus *c. de multa.*) curatum strictè tale per assecutionem curati largo modo talis, contrarium tenente) Pirh. *n. 150.* Quartò: per *extravag. execrab.* idem quòad hoc statuitur; nempe ut per assecutionem (intellige pacificam quòad titulum & possessionem, juxta dicta aliàs) secundi curati vacet primum ipso jure, & si utrumque retinere contenderit, vacent ipso jure ambo: quæ tamen *extravag.* quoad hoc punctum, ut Pirh. *n. 153.* citans Garc. *p. 11. c. 5. n. 24.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 13. q. 1.* & Barbosa, in hoc strictior est, & severior quàm *c.* illud *de multa.* quòd procedat non solùm, dum quis duo strictè vel largè (hoc est cum jurisdictione fori contentiosi) curata obtinet; sed etiam, si quis beneficium strictè vel largè curatum obtinet cum dignitate, personatu vel officio sine cura.

2. Respondeo ad secundum: hodiedum post Trid. quæ quòad dictam vacationem constituta sunt in *c. de multa.* & in *Extravag. execrabilu.* in suo vigore perseverant, nimirum, quòd nemo obtinere possit plura curata, vel plures personatus, vel dignitates absque Sedis Apostolicæ dispensatione; sed ipso jure vacet præhabitum per assecutionem alterius, & si utrumque retinere præsumpserit, utrum-

utrumque amittat, seu ipso jure privatus existat utroque. Azor. *loc. cit.* dicens, hoc jure in præsens uti Ecclesiam, dum Trid. *sess. 7. c. 4.* hisce expressis innovat & roborat dictos illos textus: *Quicunque de cetero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia quocunque modo & titulo contra SS. Canonum & præsertim constitutionis Innocent. III. quæ incipit, de multa, dispositionem recipere, & simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, etiam præsentis Canonis (seu hujus decreti Concilii) vigore ipso jure privatus existat &c.* Quod Trid. decretum generaliter loquitur de quibuscunque beneficiis incompatibilibus vigore quorumcunque Canonum, nec restringi potest ad solum illud *c. de multa*, quia addit: *præsertim*, quæ dictio ampliativa est, & comprehendit alios quoque Canones, & vi eorum alia incompatibilia, ut sunt beneficia omnino simplicia uniformia sub eodem tecto, de quibus infrà; quorum unum vacat ipso jure per assecutionem alterius, vi *c. literas de concess. præb.* Pirh. *loc. cit. nu.* 150. citans Garc. *p. 11. c. 91.* In hoc verò omnibus istis antiquis Canonibus, utpote non loquentibus nisi de curatis, de dignitatibus, personatibus, officiis non curatis, vel de simplicibus uniformibus, seu similibus in eadem Ecclesia, esse rigidius & loqui universaliùs, quòd vi illarum particularum: *aut aliàs incompatibilia*, se extendat quoque ad simplicia residentiam requirentia, existentia in diversis Ecclesiis, v.g. duos Canonicatus, sentiunt Garc. *loc. cit. nu.* 84. Barb. cum aliis suprà citatis contra Navar. & alios censentes, Tridentin. solùm Canones innovare, non verò extendendo se ultra illos, comprehendere dicta simplicia; eò quòd particulæ istæ, *aut aliàs incompatibilia*, sic intelligi possint, ut præter curata significentur etiam dignitates, personatus non curati &c. de quibus loquitur *c. de multa.* Quin & particulæ istæ: *etiam vigore præsentis Canonis* satis indicare videantur, noluisse Concilium vacationem seu privationem novam ipso jure inducere; sed veterem confirmare & innovare, statuendo ut beneficia incompatibilia, quæ juxta jus antiquum ipso jure vacabant, etiam vacent juxta jus novum ipso jure. Quam Navarri sententiam valde probabilem & in praxi tutam, saltem ubi Tridentini hoc decretum in eo sensu & vigore non est receptum, ait Pirh. *cit. nu.* 150.

Quæstio 124. *Quas præterea incurrat pœnas, qui præsumit retinere plura curata, aut plures personatus, vel dignitates sine cura?*

Respondeo: præterquam, quòd ipso jure amittat utrumque, est inhabilis ad ordines, & aliud quodcunque beneficium Ecclesiasticum: ita expressè *Extravag. execrabilis.* ac proinde electio talis ipso jure est irrita. Laym. *ad c. dudum. de Elect. n. 9.* vel potius, etsi talis sit ineligibilis, electio ejus cassari debet. Pirh. *de præb. n.* 174. & 175. Porrò non extendit se hæc pœna inhabilitatis ad beneficia obtenta, sed ad obtinenda. Pirh. *loc. cit. n.* 153. Garc. *p. 11. c. 5. n.* 7. citans Hojed. Abb. &c. Item locum non habet in legitimè dispensato ad plura, qui illa recipit non canonicè; licèt enim is malè agat recipiendo illa sine titulo canonico, non tamen incurrit dictam pœnam, quòd plura simul obtineat, cùm ad hoc habeat dispensationem. Pirh. *loc. cit.* Garc. *nu.* 18. citans Hojed. *de incomp. p. 1. c. 17. n. 29.* Tusch. *concl. 69, lit. B. à n. 37.* Butrium *in c. dudum. de Elect.* qui tamen id limitat, ut procedat, si dispensatio concessa ad obtinenda, & hæc dein obtineantur non canonicè; secus si concessa ad jam obtenta, eò quòd si ea obtenta non canonicè, dispensatio ad ea simul retinenda sit subreptitia, ob non expressum in ejus impetratione vitium eorum, adeoque ad nihil prosit. Limitat etiam, ut procedat, si dispensatio concessa simpliciter ad obtinenda; secus si concessa cum hac clausula, seu sub hac conditione: *si aliàs canonicè conferantur*; eò quòd tunc, si conferantur non canonicè, deficiat conditio & forma expressa in dispensatione, adeóque ea nihil prosit. Quam tamen secundam limitationem improbat Garc. *n. 21.* cum Hojed. Tusch. *ll. cit. &c.* eò quòd dicta clausula non inducat formam & conditionem, sed sit expressio illius, quod tacitè inest: ut Thom. Sanch. *de matrim. l. 2. d. 11. n. 18. & l. 3. d. 33. n. 3.* quin & juxta Gomes. *ad reg. de Annal. q. 14.* dispensatio subreptitia & insufficiens excuset assequentem secundum curatum à dicta pœna; quod tamen intelligendum sibi videri, ait Garc. *n. 22.* nisi subreptio & insufficientia dispensationis esset clara. Neque dicta pœna locum habet in obtinente plures parochiales cum dispensatione, dum is ipso jure eas perdidit ob non promotionem intra annum vel aliàs. Garc. *n. 25.* citans Nav. *conf. 12. de rescrip. à n. 12.* Neque denique locum habere videtur dicta pœna inhabilitatis in retinente uniformia sub eodem tecto, aut aliàs incompatibilia; eò quòd pœna in dicta *Extrav.* statuta extendi non debeat ad ibi non expressa. Garc. *n. 30.* quamvis enim *nu. 31.* dicat, retinentem talia duo uniformia sub eodem tecto vel aliàs incompatibilia sine legitima dispensatione sit indignus & inelegibilis, juxta *c. dudum. de Elect.* non tamen verè dici possit irregularis, ut perperam Mandos. *de irregul. l. 3. c. 4.* & Henriq. *in sum. l. 14. c. 9. §. 1.* cùm id in jure expressum non sit; imò, ut Garc. *num. 33.* ut non sit ita inhabilis, ut collatio seu provisio ei facta sit nulla. Econtra locum habet dicta pœna inhabilitatis uti & amissionis, non tantùm, ubi retinentur duo curata, aut curatum cum dignitate, personatu, vel officio habentibus curam animarum, saltem fori contentiosi; sed sufficit retinere curatum, sive strictè, sive largè tale cum dignitate, personatu, vel officio sine ulla cura, vel duas dignitates, personatus, officia sine cura: aut dignitatem cum personatu vel officio sine cura. Garc. *n. 24.* citans Staphil. *de lit. gratia. tit. de var. mod. vacationis §. tertius vacationis modus.* Navar. *in c. si quando. de rescrip. excep. 6. num. 5.* Mandos. *in reg. 1. Cancell.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 13. q. 1.* Pirh. *n.* 150. citans Barbos. contra Hojed. & alios tenentes, non habere locum dictas pœnas, dum retinetur personatus vel dignitas absque cura cum curato.

Quæstio 125. *An, & qualiter dimittendum præhabitum, ut evitetur hæc pœna amissionis utriusque & inhabilitatis?*

Respondeo: præter dicta suprà de tempore, quo facienda hæc dimissio, esse dimittendum sub publico testimonio verbaliter, realiter, & cum effectu, ut inquit *Extrav. execrabil.* quo jure in præsens utitur Ecclesia, ut Azor. *loc. cit.* & hanc sententiam in rigore esse veram, quia verba illa *Extravagantis* sunt clara, ait Garc. *nu. 41.* cum Zerol. *in pr. p. p. 1. v. benef. §. 3.* Nihilominus, saltem

ex recepta & approbata jam consuetudine, non requiritur, ut adeptus secundum beneficium præhabitum resignet verbaliter sub publico testimonio, hoc est præsente publicâ personâ coram Ordinario; sed sufficit, quòd realiter & cum effectu, ac sine fraude illud, ejusque possessionem dimittat. Pirh. *n.* 154. Garc. *n.* 40. citans Zerol. *ubi ante*, Bellamer. *decis.* 754. *n.* 6. Staphil. Hojed. &c. His tamen non obstantibus requiritur adhuc, ut post pacificam secundi possessionem, vel postquam, quò minùs eam assecutus sit, per eum stetit, dimittat primùm liberè & absolutè, & non in favorem, aut ex causa permutationis, aut cum reservatione pensionis vel fructuum. Cùm enim tunc prius beneficium vacet ipso jure, non potest propriè resignari; sed demissio illa ad solum factum spectat, ut nimirum à se abdicet possessionem illius. Pirh. *loc. cit.* citans Garc. *cit. n.* 58. qui tamen ibi loquitur de decreto dimittendi, quod in gratia facta de aliquo beneficio habenti aliud incompatibile apponitur; quòd nimirum orator intra duos menses à die habitæ possessionis secundi, seu qua per eum stetit, quò minùs eam assequatur, primum dimittere, seu juri competenti cedere in manibus Pontificis omninò teneatur; alioquin ambo vacent ipso jure, utpote vi cujus decreti ne quidem ante adeptam possessionem potest in manibus resignare conditionaliter, vel ex causa permutationis, ut Garc. *n.* 62. Vide de his eundem *ibid.* & Paris. *l.* 3. *q.* 1. *nu.* 64. & 95. & de hoc decreto à nobis dicenda infrà.

Quæstio 126. *Qualiter reserventur Papæ vacantia ob assecutionem incompatibilis, & retentionem utriusque; & qualiter execrabilitas illa, seu assecutio illa & retentio probanda?*

Respondeo, ad utrumque satis responsum, ubi actum de reservatione, quam continet prima regula Cancellariæ.

Quæstio 127. *An, & qualiter incompatibiles sint duæ dignitates, vel duo personatus, curam animarum non habentes in diversis Ecclesiis?*

1. Respondeo ad primum: esse incompatibilia; sic enim statuitur *c. ad hæc.* ubi dicitur: *Omni ratione contrarium est, quòd unus Clericus in una vel diversis Ecclesiis plures dignitates vel personatus obtineat; cùm singula officia (intellige earum dignitatum & personatuum) in Ecclesiis assiduitatem perpetuam exigant.* & ut dicitur *c. cùm singula, de præb. in* 6. singula officia singulos ministros requirant; proindeque adversetur hoc juri non tantùm canonico, sed etiam divino ac naturali, habere plures istiusmodi dignitates, personatus, officia, sine legitima dispensatione Sedis Apostolicæ ex justa causa. Pirh. *de præb. n.* 128. adeóque nec ulla consuetudine id induci potest.

2. Respondeo ad secundum: esse incompatibilia primi generis, hoc est, quorum unum vacat ipso jure per assecutionem alterius. Circa quod videnda sunt, quæ de hoc dicta suprà de duobus curatis: pariformiter enim quoad hoc in *c. de multa.* in *Extravag. execrab.* in Trid. statuitur de dignitatibus aut personatibus, & officiis curam animarum non habentibus, & in diversis Eccles. s existentibus, ac de duobus curatis. Idem est quoad pœnam illam inhabilitatis per hæc jura inductam utrumque curatum retinere præsumenti. Pirh. *loc. cit. n.* 151. ac denique quòad ceteras limitationes hinc inde insinuatas. Observandum tamen, ut inducatur dicta incompatibilitas, vacatio & pœna inhabilitatis, debere esse officia & dignitates perpetuas. Garc. *cit. c.* 5. *n.* 161. De cetero multò magis jam dicta procedunt, dum ambæ dignitates vel officia essent in eadem Ecclesia; cùm longè magis horreant Canones pluralitatem beneficiorum in eadem Ecclesia, ut patebit ex mox dicendis.

Quæstio 128. *An igitur etiam extinguatur gratia, quam quis à Papa obtinuit de dignitate, personatu, vel beneficio curato obtinendo, per assecutionem alterius beneficii cum beneficio illo, ex dicta gratia habendo, seu exspectatio incompatibilis?*

Respondeo ad hanc quæstionem aliàs universalem affirmativè: sic enim in *Clem. gratia. de rescrip.* apertè statuitur universaliter, ut qui ratione gratiæ à Papa impetratæ beneficium exspectat, ipsam gratiam amittat; si consequatur pacificè possessionem alterius, quod cum illo exspectato licitè simul obtineri non potest: & sic jus ad beneficium aliquod extinguitur per assecutionem talis incompatibilis cum illo, ad quod jus habetur. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 13. *q.* 9.

Quæstio 129. *An, & qualiter duo beneficia simplicia uniformia seu similia, per se aliàs compatibilia, vel ex hoc ipso, quòd sint in eadem Ecclesia, sint incompatibilia?*

Respondeo primò: duo beneficia uniformia, non solùm dignitates aut personatus, sed etiam omninò simplicia, puta, Canonicatus, præbendæ, portiones, præstimonia, Capellaniæ sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia sunt incompatibilia. *c. de multa. de præb. c. literas. de concess. præb. Clem. ult. de præb.* Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 1. Pirh. *de præb. n.* 131. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 182. citans Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 121. Lamber. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 15. Wames. *cons.* 235. Tusch. *concl.* 64. & 66. *lit. B.* & alios quamplurimos cum communi. Rationem dat Pirh. *loc. cit.* quòd sic diminuatur numerus Canonicorum, Capellanorum, &c. talis Ecclesiæ, adeóque cultus divinus, dum unus habet duos Canonicatus, Capellanias, &c. porrò respõsio procedit, sive ista beneficia residentiam beneficiati requirant, sive non. Azor *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* citans Gregor. Lopez. *l.* 3. *tit.* 16. *p.* 1. Item sive sint sufficientia ad sustentationem, sive non. Garc. *nu.* 186. proinde cavendum à Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. beneficium.* §. 7. *concl.* 6. ubi is ait; quòd hodie per Trid. *sess.* 24. *c.* 17. possit quis habere duo beneficia conformia sub eodem tecto, modò sint simplicia, & non requirant residentiam, nec sufficientia. Garc. *cit. n.* 186. qui dicit hanc Zerolæ doctrinam esse falsam, & absque fundamento, cùm Concilium ibi nihil innovet, seu disponat circa hoc. Et quidem jure communi longè difficiliùs conceditur habere talia beneficia in una, quàm diversis Ecclesiis. Unde dispensatus à Papa ad habendum duo uniformia, non est dispensatus ad habendum ea in eadem Ecclesia. Azor. Pirh. *ll. citt.* quin & DD. ut Abb. *in cit. c. literas. n.* 2. Franc. *n.* 7. & Rota

& Rota *in Toletan. Capellaniæ.* 15. *Febr.* 1591. dicunt, jura magis abhorrere pluralitatem duarum præbendarum, seu beneficiorum similium sub eodem tecto, quàm duorum curatorum (subintelligè, indiversis Ecclesiis) Laym. *in c.* 1. *de consuetud. in 6. n.* 6. Garc. *n.* 190. de quo tamen vide eundem. *n.* 192.

Quæstio 130. *An obtineri saltem possint istiusmodi duo uniformia beneficia in eadem Ecclesia, dum unum eorum annexum est beneficio alicui difformi, v. g. duæ præbendæ, dum earum una annexa est dignitati; quemadmodum dictum fuit suprà, posse aliquem tenere duo curata, quando unum eorum venit per annexionem?*

1. Respondeo negativè: juxta limitationem tamen paulò pòst subjungendam. Garc. *nu.* 187. citans *c. literas.* & ibi Abb. *n.* 2. & alios: item *clem. fin. de præb.* & *ibi gl. ult.* & Cardin. *oppositi.* 4. alios: Prosper. & de Augustino. *ad sum Bullarii. v. beneficior. resign. causa.* 9. Hojed. &c. hinc dispensatus ad duo sub eodem tecto non potest adhuc obtinere duo uniformia, etiamsi alterum eorum esset annexum tertio beneficio difformi in eadem & Ecclesiâ. Sic docere id velle videtur Rebuff. *in pr. tit. de dispens. ratione ætat. v. etiamsi sub eodem tecto.* apud Garc. *n.* 188. quin & Gomes. *de exspectativ. n.* 45. apud eundem Garc. *n.* 191. Argumento *c. super eo. de præb. in 6.* censet duas præbendas sub eodem tecto, etiamsi altera sit annexa alteri, tertio difformi beneficio, esse magis incompatibilia, quàm dignitas cum Ecclesia Parochiali annexa præbendæ in Cathedrali.

2. Procedit responsio, etiamsi illud tertium difforme beneficium, cui annexum alterum ex dictis uniformibus sit situm in diversa Ecclesia, modò illud annexum sit in eadem Ecclesiâ cum suo simili. Garc. *num.* 189. ex Nav. *cons.* 23. *de præb.* ubi is consuluit, non posse aliquem retinere sine dispensatione beneficium simplex, seu præbendam alicujus Ecclesiæ cum Rectoria Ecclesiæ alterius, cui annexum beneficium simplex prioris illius Ecclesiæ.

3. Limitatur tamen dicta responsio, ut procedat, dum dicta annexio seu unio facta est æquè principaliter, vel ad tempus, seu vitam obtinentis tantùm (uti & in hoc solùm casu procedunt, quæ immediatè antè allata sunt ex Nav. Rebuff. Garc. *n.* 218. secùs si beneficium illud ex duobus uniformibus sit accessoriè tantùm unitum; quia tunc non habetur in consideratione; cùm sit per talem unionem suppressum & extinctum. Garc. *nu.* 216. & 217.) unio siquidem ad vitam inducit incompatibilitatem, saltem hoc vi Trid. *sess.* 7. *c.* 4. & *sess.* 24. *c.* 17. Garc. *n.* 219. citans Maudos. *de signat. gratiæ. tit. de unione.* Quintadv. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 12. Pariz. *l.* 12. *q.* 3. *n.* 49. Gonz. *gl.* 15. §. 7. *n.* 145. *&c.* & sic si quis in aliqua Ecclesiâ habens dignitatem ad sui vitam erectam, pro cujus dote eidem unita seu incorporata esset portio dictæ Ecclesiæ, non posset jam in eadem Ecclesiâ obtinere aliam portionem seu præbendam. Garc. *n.* 220.

4. Econtra responsio non procedat, dum alterum illorum uniformium ita unitur tertio difformi, ut per dictam unionem extinguatur & supprimatur titulus illius: quemadmodum, quia portio annexa accessoriè dignitati extinguitur, & titulum portionis amittit, potest quis (quantum est ad præsens) obtinens talem dignitatem, cui annexa sic est portio, obtinere insuper aliam portionem ejusdem Ecclesiæ absque eo, quòd vel sic obtineat vel obtinere censeatur duo uniformia in eadem Ecclesia. Garc. *n.* 198. unde etiam petenda est disparitas, cur obtineri possit curatum unum cum altero curato annexo alteri non curato, & obtineri nequeat præbenda cum dignitate, cui alia verè Canonicalis præbenda ejusdem Ecclesiæ annexa est; nimirum quia per annexionem seu unionem Ecclesiæ Parochialis factam præbendæ, cùm fiat accessoriè, extinguatur titulus Parochialis, perdatque nomen beneficii, & efficitur prædium præbendæ, ut Garc. hic *n.* 192. & *p.* 12. *c.* 2. *à n.* 12. juxta dicta & dicenda à nobis in fine hujus partis: neque talis præbendatus intitulatur ampliùs in tali Parochia annexa, sed in præbenda tanquam principali beneficio, ut Garc. *n.* 193. citans Franc. *in c.* 1. *de filiis presbyt. in 6. n.* 7. nec censetur habere curam, ut Garc. *n.* 194. ex Felin. *in c. in nostra. de rescrip.* Menoch. *de Arb. l.* 2. *casu.* 201. *n.* 67. Nav. *cons.* 14. *nu.* 4. *de reb. Ecclesiæ* &c. Quintadv. *l.* 4. *nu.* 70. adeóque talis Ecclesia possessa uti unita, & membrum alterius simplicis non inducit incompatibilitatem cum alio curato juxta dicta suprà. Garc. *nu.* 195. citans Gonz. *gl.* 5. §. 7. *nu.* 21. Quintadv. *ubi antè.* Mand. *ad Lap. Alleg.* 35. *addit. ult.* quia jam talis non dicitur habere duo curata, sed unum curatum & alterum simplex; hujus enim naturam Parochia illa annexa assumit. Garc. *n.* 196. citans Less. *de justit. l.* 2. *c.* 34. *n.* 148. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 20. *&c.* & aliquot S. Congregat. declarationes. Ecountra verò per annexionem præbendæ, nempe Canonicalis, quæ propriè præbenda dicitur, factam dignitati ejusdem Ecclesiæ, etsi fieri videatur accessoriè, non solet extingui & supprimi titulus, & nomen præbendæ & Canonicatûs, sed uti duo beneficia obtinentur; & hinc, ut dictum est, non possunt simul teneri in eadem Ecclesiâ duæ præbendæ Canonicales, etsi una annexa sit dignitati vel officio. Garc. *num.* 199. Porrò quòd hîc dictum de præbenda Canonicali, id quoque intelligendum de præbendis quasi Canonicalibus (nam de his quoque intelligitur *cit. clem. ult. de præb.* Garc. *n.* 200. juxta Bonifac. *in dictam clem. n.* 42. & Rota *decis.* 684. *p.* 1. *divers.*) præbenda autem quasi Canonicalis est, quam habens reputatur pro Canonico, vocem habet in Capitulo ut Canonicus, etsi Canonicus non sit. Garc. *n.* 201. citans *c. cùm in Ecclesiâ. de præb. in 6.* & Bonifac. *ubi antè. nu.* 46. quamvis *n.* 205. subjungat Garc. ex eo solo, quòd quis obtinens dignitatem talem habeat vocem in Capitulo; quin & sit de Capitulo (licet id sit admiculum aliquod) constare non dicetur, aliquem habere præbendam quasi Canonicalem, & reputari inter Canonicos; cùm licèt de jure id competat solis Canonicis (pro quo Garc. *n.* 206. citat quamplurimos) id tamen etiam de jure speciali, consuetudine, vel privilegio possit competere aliis, & ratione dignitatis, ut Bailig. *in director. electi. p.* 1. *c.* 2. *nu.* 2. Felin. Abb. Ferret &c. quos citat Garc. *n.* 207. & fusè Rota *in Callagurit. jurisdictionis.* 10. *Decemb.* 1599. quam decisionem recitat Garc. *n.* 209. Nequaquam autem intelligenda de aliis præbendis, multóque minùs de iis, qui tituli beneficiales non sunt, sed portiones quædam temporales, seu jus quoddam fruendi duplici reditu, adeóque non inducunt incompatibilitatem. Garc. *n.* 202. dicens ex Bonifac. *loc. cit. n.* 43. dum in aliquibus

quibus locis principalem dignitatem obtinens habet duas præbendas, vel duplicem portionem Canonicalem, una non est propriè Canonicalis; sed habetur solùm pro quodam jure & beneficio temporali. Quin &, ut de suo addit Garc. *n.* 203. neutra illarum sit præbenda propriè Canonicalis; nec consetur duplex titulus beneficii, sed unus, nempe ipsius dignitatis cum duplici reditu, præbenda, seu portione temporali, quæ dein exemplificat *n.* 213. & 214.

Quæstio 131. *Num igitur per dispensationem Episcopi, aut saltem consuetudine, potissimum immemoriali, induci possit, ut quis in eadem Ecclesia habeat duo pariformia simplicia, v. g. duos simplices Canonicatus seu præbendas?*

REspondeo negativè. Garc. *loc. tit. n.* 124. citans Lambert. *de jure patr. l.* 2. *p.* 1. *a.* 5. *q.* 6. Hojed. *p.* 1. *c.* 20. *nu.* 3. &c. Pirh. *de præb. nu.* 143. Garc. *n.* 184. uti & Pirh. expressè loquens de consuetudine immemoriali, & citans pro hoc gl. *in c. literas. de conces. præb.* ubi ait, quòd talis consuetudo magis censenda sit corruptela: cùm quot præbendæ sunt in Ecclesia, tot Canonici sint constituendi. Abb. *in cit. c. literas. n.* 2. & AA. communiter: item Gomes. *de exspectativ. n.* 44. Duenn. *reg.* 71. *n.* 5. *&c.* consuetudo siquidem talis, quæ ex radice ambitionis procedere solet, tendit in diminutionem cultûs divini, præbetque occasionem negligendi administrationem rerum Ecclesiasticarum, adeóque tendit in grave detrimentum Ecclesiæ. Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 132. *An, & qualiter vacet præhabitum, etiam simplex ad obtentionem alterius uniformis in eadem Ecclesia?*

REspondeo vacare ipso jure. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 6. *n.* 5. Azor. *loc. cit. q.* 3. citans Cardin. Abb. *in cit. c. literas.* Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *n.* 1. Rebuff. *in concord. Rubric. de mandat. Apost.* §. 1. Garc. *nu.* 182. dicens ipso jure vacare, etiam jure antiquo, juxta *c. literas.* Clem. ult. *de præb. c.* 1. *de consuet. in* 6. & citans quamplur. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 121. cum communi. Quia, esto, ex munere & residentia sint compatibilia; attamen quia jure ipso mutuò se excludunt ex *cit. c. literas.* & *clem. fin.* ipso jure sunt incompatibilia, & obtento secundo vacat primum ipso jure. Castrop. *loc. cit.* quin & si utrumque retinere præsumpseris, vacat utrumque ipso jure ex decreto Trid. *sess.* 7. *c.* 4. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 133. *In specie an, & qualiter duæ Capellaniæ in eadem Ecclesia censeantur uniformia & incompatibilia beneficia?*

REspondeo: duo altaria in eadem Ecclesia, quæ dantur in titulum, seu duas Capellanias sub eodem tecto esse beneficia incompatibilia tanquam uniformia, & non posse simul teneri absque dispensatione Papæ, & per assecutionem secundi vacare primum, tenet Garc. *cit. c.* 5. *n.* 221. citans Dominic. *in c.* 1. *de consuetud. in* 6. *n.* 14. & Franc. *ibid. n.* 8. Fus. *de visitatione. l.* 2. *c.* 11. *n.* 9. (qui etiam ait, non posse in eo dispensare Episcopum, & procedere in hoc casu Trid. *sess.* 7. *c.* 4.) & plures Rotæ decisiones *in Toletan. Capellaniæ*, quas fusè recitat *à num.* 222. tradit nihilominùs in contrarium Nav. *cons.* 16. & 22. *de præb.* duo altaria seu Capellanias in duobus altaribus ejusdem Ecclesiæ, quamvis uno eodemque generali nomine Capellaniæ dicantur, non esse tamen reipsa beneficia uniformia ad effectum incompatibilitatis, si habeant diversa & separata onera & munia, v. g. ut in uno altari in septimana bis celebret, & in altero ter aliis diebus: secùs si institutæ ad unum eundémque finem, ad eadem onera, munia seu officia, & unam congregationem. Navarrum sequuntur Castrop. *loc. cit. n.* 5. Mand. *de signat. gratiæ. tit. de dispens. ad beneficia sub eodem tecto v. ad duo.* Zerol. *in pr. Ep. p.* 2. *v. beneficium.* §. 13. Zechus. *de rep. Eccles. c. de beneficiatis. n.* 4. & *de beneficiis & pensionibus. c.* 5. *n.* 4. Prosper de Augustin. &c. quos citat Garc. *n.* 225. sequitur item Gonz. *gl.* 10. *n.* 34. & hanc Navar. sententiam probabilem esse, idque saltem licitum esse, si consuetudo sit recepta, ut unus Capellanus duas hujusmodi Capellanias in eadem Ecclesia habeat, quarum altera non est sufficiens ad sustentationem Capellani; & sic posse etiam rectorem seu Parochum alicujus Ecclesiæ præter Rectoriam suam, seu beneficium curatum simul retinere Capellaniam in eadem Ecclesia existentem, ait Pirh. *de præb. n.* 138. citans Laym. *Theol. mor. tract.* 2. *c.* 8. *n.* 7. & eundem Nav. *cons.* 16. *n.* 1. qui etiam *consil.* 22. *de præb. n.* 2. addat, quòd vi consuetudinis immemorialis possit quis etiam tales Capellanias in eadem Ecclesia retinere unà cum dignitate vel officio, quod obtinet; si dignitas vel officium illud non sit sufficiens ad decentem sustentationem. quin & Garc. ipso *nu.* 226. ait hanc Navarri sententiam videri servari in aliquibus Hispaniæ partibus, præsertim in Episcopatu Abulensi, dum obtinentur sæpe ab uno duæ tales Capellaniæ in eadem Ecclesia sine Papæ, imò etiam sine Episcopi dispensatione. Et ut ait *num.* 228. quamvis stante, quòd sint beneficia uniformia, consuetudo in contrarium non erit habenda in consideratione, uti nec dispensatio Episcopi, sicut nec Nuncii, utpote qui contra Concilia & Canones dispensare non potest: verumtamen, ut ait *n.* 229. cùm non sit jus clarum, esse beneficia uniformia, consuetudo tenendi in eadem Ecclesia duas hujusmodi Capellanias sine dispensatione Ordinarii vel Nuncii, videtur tolerabilis etiam post Trid. ubi illud quoad hoc non est receptum.

Quæstio 134. *An pari modo, quo dictum de duobus beneficiis uniformibus, etiam incompatibilia sint difformia, v. g. dignitas & Canonicatus, beneficium curatum & simplex, Canonicatus & Capellania in eadem Ecclesiâ, seu sub eodem tecto; vacetque eorum præhabitum ipso jure obtentionem secundi?*

1. REspondeo primò: non convenire in hoc AA. nam primò: quoad hoc esse paritatem quòd nimirum jura vetent habere duo etiam difformia sub eodem tecto; dum loquuntur generatim; ne quis habeat duo beneficia in eadem Ecclesiâ, tenent Innoc. *in c. cum jam dudum. de præb.* gl. *in c. dudum. 2. de elect.* Mand. *de signat. gratia. tit. de dispens. benef. sub eod. tect.* apud Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 2. qui dicit hanc sententiam esse probabiliorem oppositâ. Eandem sententiam tenet Hojed. *p.* 2. *c.* 20. *n.* 25. fisque decisum esse à Rota, testantur Puteus & Achill.

& Achill. de Graff. apud Gonz. *gl.* 10. *n.* 39. incompatibilem esse dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia; & sic decisum esse à Rotâ *in Lucana beneficiorum*, 4. Novemb. 1579. Archipresbyteratum cùm sit dignitas etiam sine præbenda esse incompatibilem sub eodem tecto testatur Garc. *n.* 232. ubi etiam dicit hanc sententiam esse communiorem per Nav. Contrarium, nempe solùm jure prohibitum esse habere duo uniformia, tenent Abb. *cons.* 926. *vol* 2. *dub.* 2. *n.* 1. Felin. *in c. ex parte. de conces. præb. n.* 30. Lap. *alleg.* 116. *n.* 5. Rebuff. *in pr. tit. de non promotis intra annum. n.* 76. apud eundem Azor, qui dicit hanc sententiam probabilem. Item Castrop. *loc. cit. n.* 6. cum hac tamen limitatione, si sint simplicia, & singula non sufficiant congruæ sustentationi. Item *n.* 7. cum ista limitatione, ut etiam istorum insufficientium esse non possint plura in eadem Ecclesia quàm duo; cùm triplicem esse in Ecclesia una, ipso jure prohibeatur, & absque Papæ dispensatione id fieri nequit juxta gl. *fin. in Clem. fin. de præb.* item apud Gonz. *loc. cit. n.* 35. Nav. *cons.* 16 *de præb.* ubi, quòd beneficia debeant esse uniformia ad hoc, ut sit locus incompatibilitati ratione ejusdem tecti, & *cons.* 21. *tit. eod.* ubi quòd de jure communi permittatur haberi simul dignitatem & Canonicatum in eadem Ecclesia Cathedrali aut Collegiatâ. & *cons.* 24. *eodem tit. n.* 4. & 6. apud Garc. *n.* 235. ubi, quòd de jure communi duo beneficia difformia ejusdem Ecclesiæ sibi alioqui non repugnantia propter onera utrique incumbentia eodem tempore non sint incompatibilia, etiam quoad retentionem; quia non facit ea incompatibilia necessitas residendi; nam, cùm consistant in eadem Ecclesiâ, potest quis in utroque residere regulariter, ut in dignitate vel Canonicatu. Eandem sententiam videri sibi veriorem de jure, eò quòd non sit textus aliquis, ex quo contrarium probetur, ait Garc. *loc. cit. n.* 237. quamvis idem Garc. *n.* 254. dicat ex eo, quòd dari non soleat dignitas Canonico; nec Canonicatus habenti dignitatem nisi cum narrativâ, quòd dignitas per unum ex ipsis Ecclesiæ Canonicis, etiam cum illius Canonicatu & præbenda absque dispensatione Apostolica obtineri consuevit, stylus habere videatur, dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia esse incompatibilem de jure, nec posse obtineri absque dispensatione, seclusâ consuetudine. Tenet eandem, & communiorem asserit Pasi. *l* 3. *q.* 1. *n.* 128. ubi etiam pro exemplo difformium ponit beneficium simplex (intellige præstimonium absque omni onere) & Capellaniam habentem onus celebrandi. Eandem tanquam veriorem & communiorem tenet expressè Gonz. *gl.* 10. *n.* 41. adeóque quantum quoad hoc, ut ait *n.* 43. teneri simul posse sub eodem tecto Rectoriam cum Capellaniâ, aut præstimonio, aut alio simplice. Item unam Capellaniam unius Capellæ & Congregationis cum aliâ Capellaniâ diversæ Capellæ & Congregationis seu muneris: sub hac tamen limitatione hæc tenet Gonz. *cit. n.* 41. & 42. modò illa difformia non sint talia, ut utrumque requirat præcisam residentiam ratione tituli, qualia quia hodie ex dispositione Trid. sunt omnes dignitates, Canonicatus, præbendæ, seu portiones in Cathedralibus & Collegiatis, vel hoc ipso ait esse incompatibilia, & eorum duo v. g. dignitatem & Canonicatum non posse haberi simul, cessante consuetudine vel dispensatione, saltem Episcopi: quæ tamen limitatio displicet; quia ut paulò antè dictum ex Nav. necessitas residendi non potest illa facere incompatibilia, quia dum sita sunt in eadem Ecclesiâ potest quis in utroque residere regulariter, ut in dignitate & Canonicatu; vel certè, ut ait Garc. *cit. n.* 135. si ratione residentiæ sunt incompatibilia v. g. dignitas cum Canonicatu in eadem Ecclesiâ, non magis ex dispensatione Episcopi simul haberi poterunt, quàm difformia duo in Ecclesiis diversis existentia, utpote ob residentiam incompatibilia.

2. Respondeo secundò: posito etiam esse istiusmodi beneficia ejusdem Ecclesiæ de jure incompatibilia, non tamen videntur esse incompatibilia primi generis, seu vacare ipso jure præhabitum per assecutionem alterius, sed ad summum obtinentem ea cogi posse ad dimittendum alterutrum: ita tenent ex citatis pro primâ sententia Hojed. Mand. *ll. cit.* & plures alii apud Garc. *n.* 231. & ita decisum esse à Rota, testatur Achill. de Graffis apud Gonz. *loc. cit. n.* 40.

Quæstio 135. *An, & qualiter ex statuto vel dispensatione Episcopali talia duo difformia sub eodem tecto simul haberi possint?*

1. REspondeo ad primum; si jure id vetitum est haberi istiusmodi duo, non potest per statutum statui contrarium. Garc. *n.* 233. citans Felin. *in c. quod super his. de major. & obed.* Rochum *in c. fin. de consuetud. sect.* 3. *à n.* 7. Bottæum *de synodo. p.* 3. *a.* 1. *à n.* 36. quamvis, ut subdit Garc. *n.* 234. ad hoc responderi posset, ideo adhuc valere tale statutum, quòd illud jus, quo dicuntur incompatibilia, non sit clarum, dum in contrarium sentiunt plures: & sic absolutè (nihil dicendo, an hoc vetitum jure) ait Pirh. *de prab. n.* 140. valere tale statutum.

2. Respondeo ad secundum: si jure id vetitum est, non posse in eo dispensare Episcopum; ita tenent consequenter AA. Primæ sententiæ, & nominatim Mand. Innoc. & gl. suprà citati apud Azor. *loc. cit. q.* 4. quamvis tamen velint aliqui, etiam ex illis, ut Achill. de Graffis apud Gonz. *loc. cit. n.* 40. esse incompatibilia ita, ut saltem requiratur dispensatio Episcopi, vel consuetudo. Et sic absolutè iterum ait Pirh. *loc. cit.* posse in hoc dispensare Episcopum. De cetero id absolutè concedi posse Auctoritate Episcopi (intellige absque eo, quòd propriè dispenset) docent AA. Secundæ sententiæ, & nominatim Abb. Lap. Rebuff. apud Azor. *loc. cit.* qui & ipse ibi ait: cùm opinio Abbatis in hoc puncto sit probabilis, videtur quoque probabile, auctoritate Episcopi concedi posse, ut quis in eadem Ecclesia simul habeat duo beneficia simplicia difformia.

Quæstio 136. *An, & qualiter valeat consuetudo, ut quis licitè retineat talia difformia, v. g. dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia?*

REspondeo: valere ejusmodi receptam consuetudinem; ita tenent plerique AA. tam citati pro prima, quàm pro secundâ sententiâ; & nominatim Azor. *loc. cit. q.* 2. Mandos. *ubi suprà* apud Gonz. *loc. cit. n.* 39. Achill. de Graff. *ibid.* Pirh. *cit. n.* 140. citans *c. eam te. de rescript. & c.* 1. *de consuetud. in* 6. Garc. *n.* 248. dicens, consuetudinem talem non esse periculosam; quidquid dicat Hojeda; cùm videatur rationabilis, & introducta, ut obtinentes dignitates decentiùs sustententur: Et sic, quòd dignitas cum Canonicatu in eadem Ecclesiâ, ubi est con-

consuetudo, absque alia dispensatione simul haberi possit, *n.* 246. ait decisum à S. Congregatione *in Valentina.* 1593. his verbis: *consuetudini permittenti, quòd in eadem Ecclesiâ dignitates cum præbendis Canonicalibus teneantur*, non est derogatum per Concilium *Trid. sess.* 24. *c.* 17. Item *n.* 245. citat aliam ejusdem Congregat. declarationem, quæ sic habet: *posse aliquem in una Ecclesia ex privilegio vel consuetudine fungi duplici officio, ut sit Thesaurarius & Canonicus, & propterea duplices lucrari distributiones; quia obtinet eas diverso jure, cum inter dignitates suppleat numerum dignitatum, & inter Canonicos suppleat numerum Canonicorum, nec eget substituto &c.* Item aliam similem fusiorem & claram decisionem ejusdem Congregationis recitat *n.* 247.

Quæstio 137. *An igitur etiam dicta consuetudo procedat in Canonico pœnitentiario, nimirum ut is insuper in eadem Ecclesia obtineat dignitatem?*

1. REspondeo: etsi id quandoque fiat ex speciali gratia & dispensatione Apostolica. Garc. *n.* 252. non tamen obtinet in hoc, seu procedit dicta consuetudo, Garc. *n.* 249. recitans pro hoc expressam S. Congregat. declarationem, & rationem addit *n.* 250. quòd nimirum pœnitentiarius habet officium pœnitentiarii, & insuper Canonicatum tali officio annexum; ut colligitur clarè ex Trid. *sess.* 24. *c.* 14. & præbenda per illam annexionem extincta non est, ut malè dicit Navar. *cons.* 4. *de rebus Eccles.* de quo vide eundem Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 756. Nec obstet, quòd officium pœnitentiarii de per se non habeat fructus, & beneficium sine fructibus seu de vento non inducat incompatibilitatem; quia sufficit quòd habeat fructus ratione adjuncti seu connexi canonicatûs. Garc. *n.* 251.

2. Hujus tamen contrarium est, seu procedit dicta consuetudo in Canonico lecturæ, & in Canonicatu Doctorali aut Magistrali; cùm in iis solùm consideratur Canonicatus & præbenda cum tali onere, & non tale officium, cui annexus sit Canonicatus, & sic isti Canonici juxta dictam consuetudinem poterunt simul obtinere dignitatem ejusdem Ecclesiæ, & ita practicatur. Garc. *n.* 253. citans seipsum *p.* 1. *q.* 762.

Quæstio 138. *An igitur, sicut valet consuetudo tenendi Canonicatum cum dignitate, & ei derogatum non est per Trid. ita etiam valeat consuetudo tenendi duo alia beneficia difformia v. g. beneficium curatum vel simplex cum Capellania in eadem Ecclesia, dum alias unde nihil obstat, ex quo specialiter sint incompatibilia?*

REspondeo: AA. plerosque ita videri sentire, dum loquuntur universaliter, difformia sub eodem tecto posse haberi simul; quamvis pro exemplo ordinariè adducere soleant dignitatem v. g. Præposituram vel Decanatum cum Canonicatu. Et sic tradit Azor *cit. q.* 2. quin & expressè ait *loc. cit. c.* 12. *q.* 6. posse Episcopum ex justis causis conferre alicui in eadem Ecclesia dignitatem, vel personatum, vel officium, vel beneficium curatum, & simul unum præstimonium vel Capellaniam, vel Canonicatum, vel portionem, modò unum non sufficiat ad clericum sustentandum; quòd si autem hoc fieri possit ex concessione Episcopi, multò magis ex vi receptæ consuetudinis. Garc. nihilominus *n.* 256. ait contrarium censuisse S. Congregationem in declaratione illa Abulensi, quam recitat *p.* 5. *c.* 8. *n.* 87. & posse esse rationem differentiæ; quòd præbenda & dignitas in eadem Ecclesiâ habeantur quasi loco unius, & in his videatur inducta ista consuetudo ex speciali illa ratione suprà memoratâ, nimirum ut obtinentes dignitatem decentiùs sustententur.

Quæstio 139. *An igitur etiam procedat & sustinenda sit consuetudo habendi præter dignitatem & Canonicatum seu præbendam aliud simplex beneficium, ita ut jam quis sit triplex in eadem Ecclesia?*

REspondeo negativè. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Garc. *n.* 138. citans *c.* 1. *de consuetud. in* 6. & *ibi* Dominic. *in* 5. & 12. Franc. *n.* 6. Put. *decis.* 446. *l.* 2. *n.* 3. Ferret. *cons.* 355. *n.* 4. &c. & declaratio S. Congregationis *de* 8. *Januar.* 1587. ubi: quòd Canonicus, cui injunctum est onus, seu officium pœnitentiarii, non possit obtinere insuper dignitatem in eadem Ecclesia; quia nemo potest esse triplex in eâdem Ecclesiâ, contra Bottæum *de Synodo. p.* 3. *a.* 1. *n.* 88. Item contra Navarr. *cons.* 22. *de præb.* & qui eum sequitur Zerol. *in pr. p.* 2. *v. conformitas.* apud Garc. *n.* 240. docentes, posse aliquem tenere duas Capellas cum dignitate in eadem Ecclesiâ ex consuetudine; dum dignitas non est sufficiens ad sustentationem. Neque in hoc potest dispensare legatus, nisi habeat speciale mandatum seu facultatem ad hoc; quam non solent habere maximè Nuncii, Garc. *n.* 242.

Quæstio 140. *An igitur si habenti jam duo istiusmodi difformia, vel etiam uniformia, vel aliter de jure communi incompatibilia, sive de consuetudine, sive ex dispensatione, conferatur tertium, collatio sit ipso jure nulla?*

REspondeo affirmativè. Pirh. *de præb. n.* 190. citans Franc. *in c. Ordinarii. de off. Ordinar. Jud. in* 6. *in principio.* §. *in conferendis*; ubi is: quòd habens plura incompatibilia etiam ex dispensatione, censeatur inhabilis ad aliud beneficium simile obtinendum. Fagn. *in c. cùm jam dudum. de præb. n.* 64. ac dicens id colligi ex Trid. *sess.* 24. *c.* 17. ubi, dum tribuit facultatem Ordinariis ad summum duo beneficia uni conferenda, consequenter prohibet collationem tertii, & tacitè irritat. Neque ait obstare, quòd Concilium ibi similiter prohibeat collationem secundi, dum primum est sufficiens, & tamen collatio secundi non est irrita, ut declarat S. Congregat. eò quòd ideo obtinenti unum possit conferri secundum; quia unum obtinere non est contra jus commune, ideóque illud obtinens non censeatur inhabilis ad aliud, etiam incompatibile, consequendum; quare Concilium solùm ibi prohibet collationem secundi, ita ut utrumque simul retineri non possit: at verò duo simul obtineri sit contra jus commune, ideóque plura obtinens non sit habilis ad aliud obtinendum sine dispensatione Papæ. Ita fere Pirh. citans eund. Fagn. *ubi suprà n.* 69. & 70.

Quæst.

Quæstio 141. *Quænam sit ratio, cur potius procedat consuetudo habendi duo difformia in Ecclesia eâdem, quàm habendi duo similia; & cur facilius concedantur duo difformia quàm similia?*

REspondeo: quia per hoc, quòd habeantur duo similia in eadem Ecclesiâ, magis diminuitur cultus divinus, & magis Ecclesia necessariis sibi destituitur ministris; dum enim beneficiorum similium certus est numerus, si uni conferantur duo Canonicatus, Ecclesia duorum Canonicorum consilio, operâ, ministerio privatur; dum autem idem obtinet dignitatem & canonicatum, utroque hoc officio fungi potest. Azor. *p.2. l.6. c.12. q.6.* citans pro hoc Jo And. Imol. & alios *in c. literas, de conces. præb.*

Quæstio 142. *Quandonam propriè beneficia dicantur esse sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia in ordine ad effectum incompatibilitatis?*

REspondeo: beneficia sita in capella, claustro, cæmiterio, seu ambitu contiguo Ecclesiæ, censentur esse in eadem Ecclesia; quia ista sunt pars Ecclesiæ illius: unde & polluta & interdicta Ecclesia, etiam Capella, claustrum, cæmiterium, ambitus sunt polluta & interdicta. *c. unicum. de consecratione Ecclesiæ. in 6.* & *c. si civitas. de sentent. excomm. in 6.* Si verò Capella, cæmiterium &c. non essent contigua Ecclesiæ, sed extra septa illius, beneficium in illis situm non censetur esse in Ecclesia majori, seu principali, licet habens tale beneficium haberet facere aliquod ministerium in Ecclesia illa majore, v.g. ibi interesse divinis, celebrare ibi in festivitatibus: attendendus enim est locus, ubi beneficium situm, erectum & fundatum; quamvis secus sit quoad effectum decreti Trid. *sess. 25. c.15.* quo filiis Clericorum prohibetur quoquo modo ministrare in Ecclesia Patrum seu paternâ. Ita ferè Garc *n.159.* citans Rotam *decis.6. de conces. præb.* Pacian. *de probatione l.1. c.62. n.31.* Gonz. *gl.10. n.24. & n.27.* citans pro hoc, vel potiùs remittens ad Covar. *in c. Alma mater. de sentent. excomm. in 6 p.2. §.1. n.8.* qui etiam ibi *n.16.* ait, decisum à Rota *decis.8. n.2. de præb. in antiq.* quòd si aliqui Canonici Ecclesiæ Collegiatæ veniant quotidie ad Ecclesiam Cathedralem, & in illa serviant, recipiant distributiones, & in ejus choro stallentur, non propterea eorum beneficia consistant partim in Cathedrali, sed solùm in Collegiatâ; cùm principaliter attendi debeat locus, in quo originaliter sunt Canonici, serviunt, & habent habitationem, & in, seu ex qua Ecclesiâ nomen recipiunt. Neque his obstat, quod dicitur in alia Rotæ decisione, nempe 9. *de præb. in antiq.* apud Gonz. *n.10.* ubi distinguitur & dicitur; si beneficiatus in claustro vel contineatibus ædificiis alicujus Ecclesiæ, extra corpus ipsius Ecclesiæ debet exercere actus, ad quos deputatus est in ipsa Ecclesia, v.g. quia ibi debet celebrare, interesse horis &c. censetur beneficium consistere in Ecclesia, quia non consideratur locus, in quo res est sita, sed ubi destinatur executio rei. *c. delecti. de foro comp.* si verò habet officium deputatum, ut serviat in loco beneficii, beneficium non censetur esse in Ecclesia, quia differunt beneficia corporis Ecclesiæ ab illis, argumento *c.1. de consecr. Ecclesiæ.* Si habet officium mixtum, quia partim habet exercere in Ecclesia, partim in cæmiterio seu Capellâ claustri, ibi dicitur consistere beneficium, ubi recipit proventus ratione officii & exercitii? & si in utroque servit & recipit proventus, dicitur ibi consistere beneficium, ubi dignius & frequentius officium exercet: Argumento *cap. ad apostolicæ, de decimis.* & juxta Mand. *in reg. de annal. q.32. n.22.* Gomes. *de exspectat. n.140.* hæc inquam non obstant, sive hæc decisio Rotæ non est contraria illi *decis.6. de conces. præb. suprà cit.* quia hæc intelligenda de Capella contigua: decisio verò illa 9. de capella non contigua, Gonz. *loc. cit. n.27.* vel dicendum utramque hanc decisionem intelligendam in suo casu, quoad diversos respectus & effectus, ut Gonz. *ibid.*

PARAGRAPHVS III.

De incompatibilitate beneficiorum regularium, & de decreto dimittendi præhabitum undecunque incompatibile.

Quæstio 143. *An religiosus plura simul obtinere possit beneficia regularia intra vel extra claustra; supponitur enim hic, de quo alibi, non minùs in domibus & Ecclesiis Religiosis seu regularibus dari dignitates, prælaturas, personatus, & beneficia regularia religiosorum, v. g. Abbatiam, Præposituram, Prioratus, Canonicatus regulares, quin & Monachatum (qui & ipse beneficium regulare simplex est juxta Nav.* in commentar. 4. de regular. n.25. *ex Host. & Abb. apud Pirh.* tit. de præb. n.177.) *quàm in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis sæcularibus dentur istiusmodi beneficia sæcularia clericorum sæcularium: supponitur item posse regulares etiam extra claustra habere beneficia regularia etiam curata.*

REspondeo negativè: prohibetur siquidem *c. cùm singula. de præb.* ne Monachi vel alii Religiosi pluribus Prioratibus, ut gl. *in cit. c. v. Prioratibus.* vel Ecclesiis curam animarum habentibus, etiamsi cura illa non per ipsos, sed per presbyteros sæculares Vicarios ad illorum præsentationem ab Episcopo institutos exerceri solet, absque sedis apostolicæ auctoritate seu dispensatione præesse præsumant; nisi fortè unus Prioratus vel beneficium regulare ab altero dependeret, vel ei annexum esset. Affertur quoque *ibidem in principio hujus cap.* ratio hujus, dum dicitur; quia singula officia singulis conferenda (non autem uni plura, cùm ut dicitur *c.3. de Cleric. non resid.* vix unum officium rectè quis implere sufficiat) Et quia dissolutionis & evagationis materia seu occasio præ cæteris auferenda est religiosis. Ita ferè Pirh. *loc. cit. n.178.* qui etiam inde infert, non posse Prælatum suum subditum regularem habilem reddere ad duo beneficia, etiam ejusdem ordinis vel monasterii simul acquirenda; eriamsi ea tantùm sint simplicia, sine Papæ dispensatione; cum quodlibet sit incompatibile cum primo, si conferatur in titulum religioso, & citat

citat pro hoc Sanch. *l. 7. mor. c. 29. n. 8.* Nav. *ubi antè n. 23. q. 7. vers. 5.* nisi unum beneficium esset annexum alteri, seu dependeret ab eo; tunc enim necessaria non esset dispensatio ad illa duo simul obtinenda; cùm hujusmodi duo Prioratus vel beneficia curata aut simplicia reputentur pro uno. Pirh. *ibid.*

Quæstio 144. *Num specialiter prohibitum, ne monachus, aliúsve religiosus obtinere possit duo vel plura beneficia regularia in diversis monasteriis vel Ecclesiis?*

1. REspondeo affirmativè: nam, ut *cit. c. cùm singula.* insuper prohibetur, ne Prioratus vel Ecclesiæ, vel administrationes seu officia unius monasterii, quæ per ejusdem monachos gubernari consueta sunt, deinceps sine Sedis Apostolicæ auctoritate alterius monasterii monachis committantur gubernanda, & quæ hactenus eisdem commissa, dimittantur; ut per eos, ad quos pertinet, liberè conferri & ordinari queant. Quippe, cùm monachis non liceat habere locum in diversis monasteriis, quorum unum ab altero non dependet, sive si ad invicem non sunt connexa; neque Prioratus, Ecclesias, administrationes, vel officia aliorum monasteriorum (nisi ad ea canonicè transferantur) liceat eis gubernare. Ita ferè textus *cit. c. cùm singula.*

2. Unde jam infertur, aliquem non posse esse monachum, seu professum in duobus monasteriis, etiam ejusdem ordinis ac regulæ. Pirh. *loc. cit.* citans Anchar. & Franc. *in cit. c. cùm singula.* Rebuff. *in pr. tit. de dispensat. cum regular. n. 9. & 10.* Navar. *ubi supra.* Si enim religiosus hac ratione haberet duo beneficia sui ordinis in titulum in diversis monasteriis, esset sub diversa obedientia, & diversis Prælatis subjiceretur, contra *c. ultim. de regular. domib.* Et cùm monachus emittendo professionem contrahat quasi spirituale matrimonium erga hoc monasterium, eique totaliter se tradat, juxta Abb. *in c. non potest. de regular.* non potest jus & titulum habere in duobus seu diversis monasteriis. Pirh. *ibid.* nisi duorum illorum monasteriorum unum ab altero dependeret, seu alteri subjectum esset; tunc enim posset quis in utroque simul sine dispensatione jus collegii & beneficii habere, v. g. ut in inferiore esset Prior subjectus alterius monasterii majoris Abbati, in quo est professus; in hoc enim casu non subest diversis, sed uni. Pirh. *loc. cit.* citans Rebuff. Nav. *ubi ante.* Laym. *in qq. de Elect. q. 202.* argumento *cap. cùm singula.* juxta Gl. *v. annexi.*

3. Porrò hæc ipsa dispositio de Monachis extenditur quoque ad Canonicos & Clericos Regulares, quòd neque ipsi possint esse professi, & habere beneficia vel officia regularia in diversis Ecclesiis, etiam ejusdem ordinis: Videntur enim omnia beneficia regularia, quoad hoc in *c. cùm singula.* adæquari, cùm loquatur universaliter de duobus officiis vel beneficiis in diversis locis vel monasteriis. Pirh. *loc. cit. nn. 181.* ex Nav. *Comment. 3. de regul. n. 43.* ubi etiam is generalem tradit regulam, quòd ea, quæ jure communi statuuntur de Monachis, quamvis alioqui odiosa sint, etiam de aliis Regularibus, Canonicis & Clericis statuta censeantur; si in iis eadem ratio locum habeat: uti contingit in præsenti; dum Regulares Canonici non minùs, quàm Monachi professionem edant ad stabilem locum, & in monasteriis suis jus collegii, atque cujusdam beneficii habeant.

4. Infert quoque ex his Pirh. *cit. n. 181.* quòd Prælatus spectato jure communi non potest cogere monachum vel religiosum, ut ad aliud monasterium, etiam ejusdem ordinis transeat; tum quia sicut monasterium solum, in quo est professus, tenetur illum alere, ita ipse illi soli servire tenetur; tum quia sicut beneficiati sæculares non possunt cogi ad relinquenda sua beneficia sine suâ culpâ, ita nec regulares possunt cogi ad relinquenda sua jura monasteriorum, in quibus professi, & alimenta sibi inde debita: citat pro hoc Laym. *ubi ante.* & Nav. *Comment. 4. de regular. n. 22.*

Quæstio 145. *Qualiter vacent illa beneficia regularia, & quæ statutæ præterea pœnæ, dum dictis dispositionibus contravenitur?*

1. REspondeo primò: Statuitur in *c. cùm singula. §. statuentes.* ut si religiosus Prioratum vel curatam Ecclesiam obtinens aliud simile beneficium recipiat, sit ipso jure privatus primo. Et si illud statim non dimittat, uti *ibidem* præcipitur, ab eo tempore sit ineligibilis, & tanquam ambitiosus ab utroque demoveatur. Eadem pœna statuitur illis, qui tempore dictæ constitutionis plures Prioratus vel Ecclesias curatas obtinebunt, si intra mensem à die, quo notitia hujus constitutionis ad eos pervenerit numerandum, unum ex iis, quod maluerint, non dimiserint.

2. Secundò statuitur *ibidem §. prohibentes.* quòd ij, qui imposterum Prioratum, administrationem, vel aliud ex prædictis beneficiis alienis monachis commiserint, vel commissa reliquerint, in pœnam eâ vice ordinandi seu committendi potestate sint privati, eáque ad Diœcesanum (si autem monasteria sint exempta, ad Sedem Apostolicam, vel Legatum de latere, si sit in provincia) devolvatur. Ij verò, qui prædicta beneficia vel officia alieni monasterii susciperè, vel jam suscepta detinere præsumpserint, ipso jure ineligibiles reddantur. Ità ferè textus *cit. c. cùm singula.* quòd posterius, nempe inhabilitatem ad hoc, ut eligatur deinceps, extendit Pirh. *loc. cit. n. 180.* ut quoque reddatur inhabilis, ut ei beneficium conferatur. Citat pro hoc Rebuff. *ubi suprà n. 3.* & Gl. *in cit. c. cùm singula. v. ipso jure.* Eò quòd, licèt aliàs ordinarie nomine *Electionis* non veniat collatio, id tamen fallat, nisi sit eadem ratio in utroque, uti est in præsenti. Et quia frequentius solent fieri Electiones, & Prioratus, & officia in Monasteriis, quàm eorum collationes, Papa *in cit. c. cùm singula.* utitur verbo *ineligibilis.* ut Rebuff. *loc. cit.*

Quæstio 146. *Quid circa illud decretum Papæ de dimittendo beneficium priùs habitum incompatibile cum eo, de quo providetur, apponi solitum in impetratione, & gratia de hoc secundo, quo (dum Papa dispensare non vult quoad retentionem præhabiti) jubetur ejus dimissio; quid inquam implicet, importet & operetur?*

REspondeo: decretum hoc, quo quasi in executionem illius, quod jura hac in parte statuunt, urgetur dimissio præhabiti ad provisionem secundi (cùm etiam ejus forma ferè desumpta sit ex *Extravag. execrabilis.* Lott. *l. 3. q. 23. n. 22.* vulo

ut

ut provisus de incompatibili cum præhabito intra duos menses (qui etiam aliàs de jure conceduntur, ut dictum suprà) primum dimittat in manibus ipsius Papæ, aliàs ipso jure utrumque vacet. Lott. *ibid.* Adeóque implicat duo, nimirum permissionem retinendi præhabitum per duos menses (numerandos, non à die provisionis, sed à die captæ possessionis pacificæ, aut etiam à die habitæ notitiæ de capta possessione; dum ea sumpta per Procuratorem; vel à die, quo per provisum stetit, quòminùs dictam possessionem assequeretur, ita ut verba decreti civiliter intelligantur. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 63. *nu.* 3. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *nu.* 106. juxta dicta à nobis suprà) & consequenter denegationem retentionis ultra id tempus, ad quam veluti effectus hujus decreti consequitur resolutio gratiæ retentionis usque ab initio, ex eo momento, quo terminantur dicti duo menses. Lott. *l. c. n.* 20. per quod tamen non impeditur provisus, quò minùs, si velit, etiam ante lapsum dictorum mensium dimittat præhabitum; benè tamen impediatur, ne impunè post dictum tempus retineat, ne quidem ad momentum, nisi ut dictum, adhuc incertus de assecutione secundi. Lott. *loc. cit. nu.* 23. & 24.

Quæstio 147. *Decretum hoc, ut intret, seu ut habeat effectum, quid indagandum, & justificandum impetranti?*

REspondeo: Idipsum non sine maxima facti indagine liquidari, ut inquit Lott. *loc. cit. n.* 34. adeóque primò justificandum initium adeptæ possessionis pacificæ per publicum instrumentum, unde possit præsumi ejusdem possessionis pacificæ continuatio. Dein negativa dimissionis, quæ aliter nequit probari, quàm per diligentias apud officiales; quippe ea dimissio sit in manibus Papæ cum adnotatione consensûs à tergo, ut Paris. *l.* 8. *q.* 7. *n.* 103. vel saltem apud unum ex Notariis Cameræ Apostolicæ; id enim sufficit pro evitandâ supradictâ pœnâ. Lott. *cit. n.* 34. & 35. Quin & qui impetrat secundum, ex intentione primi seu præhabiti contra decretum hoc de demittendo, tenetur justificare positivam & inexcusabilem reluctationem in dimittendo. Lott. *n.* 43. citans Lap. *alleg. n.* 6. *n.* 3. Cassador. *decis.* 1. *n.* 1. *de constitut.* Hinc jam contra impetrantes ex hoc capite, ubi res in judicium deducta, debet possessori decerni mandatum de manutenendo, non obstante, quòd tali decreto de dimittendo consueverit aliud irritans adjici, per quod tam titulus, quàm possessio detentatoris inficitur. Lott. *nu.* 36. tum quia decretum illud irritans venit accessoriè ad decretum de dimittendo, proindéque non intrat, nisi postquam constiterit, locum esse principali decreto de dimittendo Lott. *cit. n.* 36. citans Rotam apud Put. *decis.* 1. *paulò post initium.* & 301. *n.* 2. *l.* 1. Gonz. *gl.* 67. *n.* 55. Barbos. *claus.* 40. *n.* 47. Cùm autem contenditur, an sit locus principali decreto, vel secus, debet, qui possidet, manuteneri; ut Rota apud Mantic. *decis.* 202. *n.* 2. Lott. *n.* 37. tum quia decretum illud irritans verè ac realiter non est consecutivum ad decretum præcedens de dimittendo; sed ad virtutem reservationis in eventum dimissionis; ut nimirùm ubi contingat dimitti, alius non possit providere de dimisso, quàm Papa; ut in simili de decreto irritante posito in *Extravag. execrab.* quod non operatur contra dimittentem, sed contra provisum ab alio, quàm à Papa in eventum dimissionis. Lott. *nu.* 38. Quin etiam in casu inexcusabilis reluctantiæ in dimittendo præhabitum, licèt possessio non videatur esse manutenibilis, nihilominus non possit impetrans aliter procedere in promotione suæ gratiæ, quàm ipso citato propter possibilitatem dispensationis, vel alicujus excusationis legitimæ, etiamsi supponatur vacatio inducta ipso jure. Lott. *nu* 44. & 45. citans Gl. *in c. licet Episcopus. de præb. in* 6. *v. te non vocato.* Et *ibidem.* Franc. *n.* 8. Gemin. *n.* 12. Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 1. *q.* 6. *a.* 9. *n.* 3. & *a.* 10. *n.* 2. Sanch. *in Decalog. l.* 2. *c.* 26 *n.* 12. talem autem legitimam excusationem foreignorantiam facti, nempe adeptæ possessionis per Procuratorem, ait Lott. *n.* 46. quam excusationem non facilè posse elidi aliter, quàm si probetur certioratio de accepta possessione per procuratorem, addit Lott. *n.* 48. Unde patet longè difficiliorem esse proviuciam impetranti secundum vacans vi constitut. *Execrab.* vel decreti de dimittendo, quàm impetrantis primum vacans per assecutionem secundi; cùm in hoc casu impetrans illicò justificet gratiam suam ex facto assecutionis. Lott. *n.* 40.

Quæstio 148. *Quid, si ergo quis obtemperando huic decreto, aliisq. juribus de dimittendo præhabito post duos menses pacificæ possessionis dimiserit primum, ac dein priùs elapsis dictis duobus illis, vel etiam pluribus mensibus lis ei moveatur super secundo, illudq. evincatur, eò quòd v. g. tunc priùs pateat, collationem illius fuisse nullam, an inquam in eo casu præhabitum dimissum recuperabit, seu regressum ad illud habebit.*

1. REspondeo affirmativè: Tond. *p.* 1. *c.* 69. *à n.* 1. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 116. juxta *c. si beneficia, de præb. in* 6. Modò tamen confestim & sine mora id fiat, seu regrediatur, quando certus factus fuit de invaliditate collationis secundi. Tond. *loc. cit. n.* 4. citans Tiraq. *in l. boves ff. de verb. signif. limit.* 21. *n.* 7. Atque in hoc casu competunt remedia possessoria illi, qui ad primum illud beneficium regredi intendit. Tond. *n.* 5. citans Gonz. *gl.* 56. *n.* 146. ubi, quòd quando vigore *cit. c. si beneficia,* potest regredi ad primum beneficium, potest uti remediis retinendæ seu recuperandæ, ex quo nunquam primam possessionem amisit, sed semper illam in animo conservavit, ita ut contra illum non concedatur alteri dictum remedium possessorium.

2. Porrò intelligenda hæc sunt in terminis simplicis dimissionis, non autem, cùm agitur de resignatione (licèt enim obtinens beneficium incompatibile non satisfaciat decreto de dimittèdo, dum resignat in favorem præhabitum, ut dictum suprà ex Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 58. solet tamen quandoque dataria hujusmodi rigorem ex justa causa relaxare, & resignationem in favorem hoc casu admittere. Tond. *nu.* 7. ex Gonz. *gl.* 15. *nu.* 126.) quippe textus ille *cit. cap. si beneficia.* locum duntaxat habet in terminis simplicis dimissionis; non autem in terminis resignationis. Tond. *nu.* 8. citans Feder. de Senis *cons.* 156. §. *Nec obstat caput*; ubi, quòd dimissio non habet vim resignationis, & facilius reditus datur ad primum beneficium, quando simplex facta fuit dimissio. Vide de his

Rebuff. *in tr. de pacif. poss. n.*170. Porrò formam simplicis dimissionis vide apud Paris. *l.* 8. *q.* 7. *nu.* 103.

PARAGRAPHVS IV.

De vacatione beneficiorum per promotionem & translationem.

Quæstio 149. *An, & qualiter vacent beneficia promoti ad Episcopatum?*

REspondeo: Beneficia omnia promoti in Episcopum vacant: ita sine controversia constat ex *c. cùm in cunctis. de Elect.* & Trid *sess.* 7. *c.* 9. & *sess.* 23. *c.* 2. adeóque etiam beneficia illius simplicia. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 162. Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 3. citans Hojed. *de incompat. p.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 3. *q.* 6. *a.* 15. *n.* 9. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 76. ubi, quòd vacat quodcunque ejus beneficium, citatis quamplurimis. Rationem horum hanc dat Laym. *in c. cùm in cunctis. de Elect.* §. *cùm verò electus. n.* 5. quòd non deceat in hac altiore dignitate constitutos inferioribus officiis seu ministeriis deservire, argumento *cap. ad aures. de rescrip.* Vacantque omnia ipso jure. Ita expressè Laym. *ad c. si gratiosè. de rescrip. n.* 1. Idemque supponunt, etsi non exprimant ceteri AA. Unde jam etiam, licèt valeat collatio beneficii facta alicui, postquam is electus in Episcopum; neque etiam per illius assecutionem perdat jus quæsitum per electionem ad Episcopatum; vacabit tamen hoc ipsum denuò post ejusdem confirmationem, & possessionem adeptam. Garc. *loc. cit. n.* 47. Extendunt hoc ipsum Auctores ad pensiones. Garc. *ibid. n.* 110. Castrop. *cit. d.* 6. §. 5. *nu.* 1. citans Barb. *p.* 3. *de pot. Episc. alleg.* 57. *n.* 73. Germon. *de indult. Cardin. &c.* Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 8.

Quæstio 150 *An ergo etiam vacent beneficia & pensiones per promotionem ad Papatum?*

REspondeo affirmativè: Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 113. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *à nu.* 8. citans Hojed. *de incomp. p.* 1. *c.* 1. *n.* 11. qui dicat, hoc extendi etiam ad officia, & habere summam æquitatem. Grabr. *cons.* 200. *l.* 2. *n.* 12. qui dicat, usum & consuetudinem temporis immemorialem hanc sententiam approbâsse. Est namque & ipse Episcopus. *c. in illis. d.* 4. *c.* 1. *de constitut. in* 6. nititur hæc opinio æquitate; quia præbet exemplum aliis Prælatis, ut se abstineant à pluribus beneficiis. Paris. *loc. cit. nu.* 15. & quia, ut idem ait *n.* 14. ex Grab. *loc. cit. nu.* 10. inhonestum est, nec videtur carere scandalo, Papam tenere beneficia, vel frui pensionibus vel fructibus, quibus antea, seu in minoribus fruebatur. Nec obstat, quòd Papa sit solutus legibus; & iis non comprehendatur; nam etsi iis non teneatur, tamen secundum illas vivere debet; & nisi aliud dicatur, censetur uti jure communi, juxta *l. digna vox. c. de leg.* Paris. *loc. cit. n.* 16. Et astringitur lege humanitatis, ut D. Tho. 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. Paris. *n.* 17.

Quæstio 151. *An quoque vacent beneficia promoti in Episcopum in terris infidelium, seu suffraganeum titularem?*

REspondeo: per promotionem ad tales Episcopatus titulares in partibus infidelium, utpote quorum actualem administrationem non habent, nec possessionem assecuti sunt, ut C. de Luca; nec stetit per eos, quò minùs eam assequerentur, non vacant priora beneficia, & pensiones eorum. C. Luca. *de benef. d.* 4. *n.* 9. (ubi, quòd ita sit saltem de recepta consuetudine, ac proinde non sit opus ad hoc dispensatione, ex qua, ut jam dictum, resultaret alias appositio manuum Papæ inductiva affectionis) Pirh. *loc. cit.* Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 10. ex Gabriel, dicens, sic habere stylum inveteratum, qui jus facit; & plenius *n* 89. & Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 24. citans Nav. *cons.* 14. *de elect. n.* 3. Hojed. *c.* 4. *n.* 16. contra Cardin. *in clem. in plerisque. de elect. in fine.* & Rebuff. *super Concord. de Mand. Apostolic.* §. *statuimus.* apud Paris. *cit. n.* 89. Continétque hæc opinio magnam æquitatem, & fundatur in differentia maxima inter hos promotos ad tales Episcopatus nullatenses, & alios. Paris. *loc. cit. n.* 92. cùm neque, ut dictum, istorum Episcopatuum habeant administrationem, neque fructus aut reditus percipiant. Azor. Pirh *ll. cit.* Paris. *n.* 90. Quin nec ad diligentiam aliquam in possessione eorundem obtinenda teneantur, cùm si illa fieret, nihil operaretur. Paris. *ibid.* Neque intret incompatibilitas ulla. Paris. *nu.* 92. adeóque cesserent rationes, ex quibus deberent vacare, & ob quas per promotionem ad alios Episcopatus vacant priora beneficia. Paris. *cit. n.* 92. Proceditque idipsum, sive dictæ Ecclesiæ apud infideles sint Cathedrales, sivè Metropolitanæ. Paris. *cit. q.* 1. *num* 89.

Quæstio 152. *An igitur etiam promotus jam in Episcopum non titularem, non solùm amittat priora beneficia, sed etiã per hoc reddatur incapax obtinendi denuo beneficia?*

REspondeo affirmativè. Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 44. citans Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 16. Rodriq. *in sum. to.* 2. *c.* 10. *nu.* 7. *&c.* Pirh. *de præb. n.* 162. Castrop. *cit.* §. 5. *n.* 6. ubi etiam illud extendit ad beneficia quæcunque etiam simplicia, ita ut Episcopus nullum obtinere queat sinè dispensatione Papæ, etiamsi sit pauper, seu Episcopatus ejus tenuis & insufficiens: rationem dat hanc; quia esto, Episcopus expresso jure non sit factus inhabilis, sit tamen factus inhabilis tacitè, dum beneficia cum Episcopatu sunt incompatibilia: quia incompatibilitas hæc non tantùm respicit primum Episcopatûs ingressum, sed & illius perseverantiam, & durationem. Nihilominus contrarium quoad simplicia & compatibilia respectu Episcopi pauperis, quòd nimirum ea retinere possit citra dispensationem Papæ, æquè probabiliter sentiunt Pirh. *loc. cit.* citans Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. Less. *de justit. l.* 2. *c.* 34. *n.* 139 citans Nav. *l.* 3. *cons.* 3. *de concess. præb.* eò quòd, etsi amittat priora, non tamen existit jus, quo inhabilis reddatur ad futura simplicia. Idem cum Less. sentire videtur Garc. dum dicit; facto Episcopo de novo beneficia conferri non posse, nisi vel Papa dispenset, vel justa causa (puta dum reditus sufficientes ad se sustentandum non habet) id postulet.

Quæstio

Quæstio 153. *An, & quando Papa dispensare soleat cum promoto ad Episcopatum, ut priora retineat, vel etiam nova recipere valeat beneficia?*

REspondeo: solet quandoque Papa facere gratiam, & dispensare, ut beneficia à promoto in Episcopum retineantur, etiam præscindendo ab eo, an is pauper sit. Laym. *ad c. si gratiosè. de rescript. n.* 1. ubi: quòd tamen hoc ipsum odiosum est, utpote pluralitatem beneficiorum, & paucitatem ministrorum inducens, & ambitionem nutriens fit strictæ interpretationis. Per eam autem dispensationem super retentione illorum beneficiorum, eadem tanquam per appositionem manûs Papæ manere affecta Papæ, dictum est ante ex C. de Luca. *de benef. d. 4. n.* 9. Quin & beneficia incompatibilia aliàs cum Episcopatu posse ab Episcopo retineri, & multo magis de novo conferri ex dispensatione Papæ, ait Pirh. *loc. cit. nu.* 163. loquens de Episcopo paupere.

Quæstio 154. *An igitur etiam vice versa vacet Episcopatus per adeptionem beneficii alterius?*

REspondet Castrop. *loc. cit. nu.* 5. affirmativam sibi videri probabiliorem, eò quòd quodlibet beneficium sit incompatibile cum Episcopatu, ita ut retineri nullatenus possit, juxta *c. cùm in cunctis. de elect.* Concilium autem Trid. *sess.* 7. *c.* 4. inducat ipso jure vacationem beneficii incompatibilis præhabiti, adeóque vacet Episcopatus obtentione cujuslibet beneficii. Et efficaciùs procedat hæc vacatio, ubi beneficium de novo obveniens est curatum, dignitas, officium, personatus juxta *c. de multa.* cùm Episcopatus etiam sit dignitas, & quidem potissima. Neque obstet collationem beneficiorum citra dispensationem Papæ factam Episcopo esse nullam, juxta dicta paulò antè; adeóque non valentem inducere vacationem Episcopatûs. Nam, cùm stultus non debeat esse melioris conditionis, quàm prudens, si legitima obtentio beneficii incompatibilis inducit præexistentis vacationem, eam etiam inducere debet illegitima. Verùm contrarium, nimirum per obtentionem alterius beneficii, etiam dum hoc est dignitas, v. g. Abbatia, non vacare Episcopatum, tenent Pirh. *loc. cit. nu.* 164. citans Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *n.* 3. Garc. *loc. cit. n.* 43. citans Abb. *in c. cum nostris. de conces. præb. n.* 4. Rebuff. *in concord. tit. de mand. Apostolic.* §. *statuimus.* Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 10. *n.* 8. *&c.* eò quòd in materia odiosa nomine dignitatum vel personatuum, adeóque nec in *c. de multa* (uti & hoc *cap.* loquens de dignitatibus curatis locum non habere in Episcopatu, ait Nav. *cons.* 14. *de elect. n.* 3. Hojed. *c.* 4. *n.* 12. apud Garciam) non veniat Episcopatus ob specialem prærogativam. Et quòd Episcopatus sine speciali licentia non possit deseri. Pirh. *loc. cit.* Idem de Abbatia, quòd hæc nimirum non vacet per obtentionem alterius beneficii, tenent iidem AA. pro quo Pirh. citat Rebuff. *in pr. in reg.* 26. *Cancell.* §. *penulta* & Garc. Cosmam.

Quæstio 155. *Quandonam, seu à quo tempore beneficia promoti in Episcopum vacare incipiant?*

1. REspondeo primò: Non vacate illa ante confirmationem electi in Episcopum; cùm priusquam electio confirmata sit, electus jus nullum in Episcopatu habeat, & nomine promotionis intelligatur electio & confirmatio simul. Castrop. *loc. cit. n.* 1. quòd si electus in Episcopum administrasset de facto, vacare ejus beneficia asserit Abb. *in* §. 1. *cap. cum in cunctis. de elect. num.* 10. Ipsò tamen trimestri præfixo ad consecrationem. Verùm hanc sententiam Abb. procedere, ait Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 22. quando quis administrasset de facto ante confirmationem, qui esset consecratus, licèt illicitè (validè tamen, aliàs enim consecratio se haberet, ac si facta non esset. Garc. *ibid. nu.* 23.) eò quòd, si quis injustè se faciat in Episcopum consecrari, eodem modo vacent ejus beneficia, ac si canonicè consecratus esset, juxta gl. *in c. eum qui. de præb. in* 6. *v. obtinebat.* Garc. *cit. n.* 22. Quòd si autem electus intra trimestre confirmationem non petat, aut per ipsum stet, quò minùs confirmetur (idem est de non præstito intra trimestre consensu electioni) etsi amittat omne jus ad Episcopatum sibi per electionem quæsitum, juxta *c. quàm sit. de elect. in* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. non tamen per hoc vacabunt priora ejus beneficia.

2. Respondeo secundò: Spectato jure communi, non censentur beneficia vacare ante adeptam possessionem pacificam. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 5. citans quamplurimos. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 77. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12. Hanc possessionem debere insuper esse fructuosam tradit Pirh. *de præb. n.* 162. ubi: si promotus ad Episcopatum non percipiat fructus Episcopatûs; quia ii ex causâ ad certum tempus reservantur alteri, etiam post consecrationem, & obtentam possessionem beneficia promoti non vacant. citat pro hoc Garc. Quòd si tamen electus, confirmatus fuerit morosus in ea adipiscendâ, & intra 3. menses à confirmatione non fecerit se consecrari, vacabunt ipso jure ejus beneficia, juxta *c. cum in cunctis.* & ibi passim Auctores. Castrop. *cit. n.* 1. Illud tamen certum, illa beneficia, quæ promoti obtinent tempore promotionis, censeri vacare à puncto promotionis in ordine ad effectum, ne illa promotus renuntiare aut permutare possit; quia statim reservantur Papæ per *extrav. Ad regimen. de præb.* & per *reg.* 25. *Cancell.* promovendorum ad Episcopatus, aliásve Prælaturas à puncto electionis. Garc *loc. cit. n.* 30. (qui tamen *n.* 37. ait, hoc non observari in Hispania, ubi electi ad Episcopatus beneficia sua resignant in favorem illorum, quos rex nominat) Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Nav. Barb. Azor. &c. de cetero

3. Respondeo tertiò: Spectato stylo Curiæ, statim post promotionem, id est, post electionem confirmatam à Papa, ante captam etiam à confirmato possessionem vacant. Mandos. *ad reg.* 1. *Cancell. q.* 15. *n.* 3. & 4. Hojed. *de incompat. c.* 4. *nu.* 143. Lambert. de jure pat. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 6. *a.* 12. *n.* 12. Bursat. *l.* 4. *cons.* 351. *n.* 4. & 5. Gigas. Rebuff. &c. citati à Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 7. Verùm hoc procedit, ubi Papa in promotione, hoc est, in confirmatione decernit beneficia ex tunc vacare; si enim non adest expressum hoc decretum vacationis, statur juris communis dispositione (intellige, ut non vacent ante possessionem) & ab eo regulatur stylus curiæ. Garc. *loc. cit. n.* 9. Referens sic expresse decisum sæpè à Rota, & nominatim *in una Pharens. pensionis. coram ipso Clement.* 8. *quæ est decisio* 233. *p.* 1. *divers.* Idem tradit Castrop. *cit. n.* 1. ubi: spectato stylo curiæ, & receptâ consuetudine, Papa confirmans electionem solet decernere, beneficia habita

bita ab illo puncto vacare, & virtute hujus decreti vacabunt, providerique poterunt, & provisi de illis accipere possessionem, antequam confirmatus possessionem sui Episcopatûs accipiat; atque ita de stylo curiæ tantùm est, & praxi communi receptum, quòd beneficia in confirmatione censeantur vacare, sive quòd eodem consistorio Episcopus à Papa confirmetur, omniáque ejus beneficia, & pensiones vacare pronuncietur. Non verò est de stylo curiæ, quòd beneficia censeantur præcisè vacare per promotionem seu confirmationem. Garc. *cit. n. 9. ex c. eam te. de rescrip. n. 20* Nav. *in c. accepta. de restitut. spoliat. opposit. 10. n. 34.* Germon. Simonet. &c. licèt autem in illo casu talis decreti verè & effectualiter vacent illa beneficia, & de iis provisus capere possit possessionem ante adeptam à promoto possessionem Episcopatûs (ut Castrop. *loc. cit.* & Garc. *num. 10.* sentit contra Abb. & qui eum sequuntur, Mandos. *ad reg. 26. q. 4. nu. 5.* Burfat. *loc. cit. nu. 4.* Hojed. *loc. cit. n. 15.* & alii apud Garc. *n. 8.* censentes, quòd licèt promoti beneficia statim conferantur, tamen illa collatio non habeat effectum, & beneficia illa verè & effectualiter vacare non censeantur, nisi adeptâ à promoto possessione Episcopatûs; cùm quis providere non debeat primum beneficium, quamdiu secundum plenè non est assecutus, juxta *c. si quis jam translatus. 21. q. 2. & gl. ibi.*) quia ita velle videtur Papa in decernendo; si tamen promotus non posset capere possessionem Episcopatûs, posset redire ad sua beneficia etiam sine nova collatione; quia illud decretum Papæ intelligitur sub tacitâ conditione: nisi fortè provisus non posset consequi Episcopatum, Argumento *cap. si beneficia. de præb in 6.* Garc. *cit, n, 10.* Castrop. *cit. nu. 1.* ubi etiam, quòd ob causam ista beneficia non plenè & perfectè vacent, nec firmiter provideri possint, sed sub conditione, si promotio confirmati effectum habeat.

4. Respondeo quartò: Sicut illa beneficia ex dicto stylo curiæ (supposito nempe dicto decreto) vacant ante adeptam à promoto possessionem, ita etiam ante ejusdem consecrationem. ita videntur sentire iidem AA. Garc. Castrop. &c. & expressè Paris. *l. 3. q. 1. n. 77.* de cetero, præscindendo à stylo illo, si Episcopus statim à confirmatione consecratus ante consecrationem possessionem, vel statim, ac consecratus est, possessionem accepit, vacant eo ipso ipsius beneficia, adeóque etiam ante illos 3. menses elapsos, qui à jure conceduntur ad suscipiendam consecrationem, ita ut statim conferri possint. Si verò possessionem non accepit, nec ante consecrationem, nec statim post eam, non vacant, sed exspectandus est lapsus istorum 3. mensium, vel saltem donec consecratus possessionem consequatur, ut ea beneficia conferri possint. Azor. *p. 2. l. 7. c. 16. q. 12.* ex Panormit. & Jo. And. contra Imol. &c. qui indifferenter seu indistinctè tradunt, ea vacare statim à consecratione, etiam ante elapsos dictos 3. menses. Idem cum Azor tradit Garc. *loc. cit. num. 12.* dum ait: quòd attinet ad vacationem beneficiorum spectabitur solùm ad possessionem, num Episcopus eam sit adeptus, vel per eum steterit, quò minùs eam accepit: Confirmátque idipsum ex decisione Rotæ *in Toletan. Scholasteria. 22. Iunii. 1592.* quam fusè ibidem recitat: in qua dicitur, ad vacationem beneficiorum promoti duo requiri, adeptionem scilicet possessionis & consecrationis, vel hujus (hoc est consecrationis) loco lapsûs trimestris ad consecrandum, adeóque ultra consecrationem & possessionē, ut tenuit Hostiens. non esse exspectandum lapsum istius trimestris. Unde jam illud deduci videtur, post acceptam possessionem exspectandam esse vel ipsam consecrationem, vel trimestre datum ad consecrandum; adeóque posse vacare illa beneficia ante consecrationem, dùm nimirum ea differtur ultra dictum trimestre, è contra autem post susceptam consecrationem exspectandam esse possessionem, utpotè sine qua non vacant beneficia illa. quod ipsum tenet Rota in dicta decis. dum ait: non esse curandum, quòd plures teneant, non esse exspectandam apprehensionem possessionis post consecrationem, vel lapsum temporis ad consecrandum; eò quòd illorum Auctorum dictum tunc solùm procedat, ubi in promotione vel translatione Papa decrevit, beneficia vacare à confirmatione, etsi tale expressum decretum non adsit; standum dispositione juris communis. Videtur tamen eadem Rotæ decisio & Garc. *cit. n. 12.* & auctores passim indicare, quòd si per ipsum promotum steterit, quò minùs possessionem consequatur, sive si is absque justo impedimento negligat sumere possessionem, non impediri, quò minùs vacent beneficia ante adeptam reipsa possessionem, licèt terminum illius capiendæ non præfigant. vide dicta *in responsione secundâ.*

Quæstio 156. Quid hac in parte dicendum de pensionibus?

Respondeo tametsi, ut dictum sub initium *quæst. præced.* per promotionem ad Episcopatum vacent quoque pensiones, sicut ipsa beneficia, vacántque non nisi adeptâ pacificâ possessione, & secutâ consecratione, aut lapsu trimestris ad consecrandum, ut dictum jam de ipsis, Garc. *loc. cit. n. 25.* ex Germon. illud tamen circa illas speciale, quòd, etsi decerneretur juxta stylum curiæ, ut jam dictum, vacare beneficia, non factâ expressâ mentione de pensionibus, decretum illud se ad eas non extenderet; cùm sit exorbitans, & pensio non sit beneficium; maximè cùm sit diversa ratio quòad hoc in pensionibus & beneficiis; cùm in beneficiis illud decretum fiat, ut beneficia statim possint à Papa provideri; quæ ratio cessat in pensionibus Garc. *loc. cit. n. 27.* Quòd si expressè quoque in illo decreto decerneretur vacare pensiones, de iis pariter ac de beneficiis loquendum est, quòd vacent verè & effectualiter Garc. *n. 28. juncto n. 29.*

Quæstio 157. An, si cum promoto esset dispensatum, ut intra tempus à jure statutum non teneretur consecrari, sed ad annum v. g. differre consecrationem posset, durante illo tempore dispensationis vacent ejus beneficia?

1. Respondent negativè Abb. *n. 8.* Butrio. *n. 4. in c. cum in cunctis. de Elect.* eò quòd in dicto *cap.* secundùm communem illius intellectum dicantur vacare beneficia promoti in Episcopum in duobus casibus, nimirum si susceptæ consecrationi, aut tempus ad eam datum est elapsum, concurrente negligentiâ promoti; in casu autem hoc acceptæ dispensationis neutrum adsit, neque consecratio, neque ejus neglectus. Respondent item negativè. Garc. *loc. cit, nu. 14.* Felin. *in c. postulat. n. 13. limit.*

limit. 6. de rescrip. Cosm. Baisus. & alii ab eo citati. Item Sanch. *l. 8. de matrim. d. 1. nu. 24.* apud eundem, & apud Laym. *in cit. c. cum in cunctis. § cum verò electus. n. 5.* sed ex alio fundamento; nimirum, quòd licèt dispensatio aliàs sit stricti juris, adeóque non extendenda, comprehendere tamen debeat ea, quæ sunt accessoria, seu necessariò consecutura; adeóque ex eo, quòd sublata consecrationis suscipiendæ obligatio sequatur necessario, sublatam quoque censeri beneficiorum vacationem.

2. Respondent sub distinctione alii cum Jo-And. & aliis *in cit. c. cùm in cunctis.* apud eundem Laym. *loc. cit.* admittendo illud, si dispensatio illa facta à Papa motu proprio, secus si ad instantiam promoti, aut aliorum pro illo, quòd dispensatio tunc censeatur odiosa, ac proinde censenda non sit operari duo; nimirum relaxare legem accipiendæ consecrationis, & legem vacationis beneficiorum.

3. Respondet denique probabiliùs ipse Laym. præscindendo ab illo stylo curiæ, de quo *quæst. præced.* absolutè absque dicta distinctione affirmativè, eò quòd duo sint decreta, unum per se & principale, nempe ut vacent promoti beneficia; alterum accessoriè & accidentariè, nimirum ut vacatio illa incipiat à tempore consecrationis, aut lapsûs trimestris dati ad illam; adeóque, licèt hoc accessorium tollatur per dispensationem, non tamen ideo tollitur principale, utpote ab accessorio independens. Sed neque vacatio hæc dependeat ex solâ consecratione, aut ejus neglectu; sed ex ipsa quoque possessionis pacificæ assecutione, si ponatur consecratio non esse subsecuta. Ac denique, quòd non sit conveniens, ut deterior sit conditio Episcoporum, qui Ecclesiasticæ traditioni & Canonibus obtemperantes consecrationem accipiunt, quàm eorum, qui quocunque prætextu, postulatâ dispensatione, eam subterfugiunt.

Quæstio 158. *An, quod dictum hucusque de promoto in Episcopum, quòd vacent omnia ejus beneficia, locum quoque habeat in promotis ad Abbatiam, aliámve Prælaturam Ecclesiæ alicujus regularis vel sæcularis?*

1. REspondeo primò: Vacare omnia beneficia promoti ad Abbatiam regularem, adeptâ ejus possessione pacificâ, vel si per eum steterit, quò minùs eam adipiscatur. Paris. *l. 3. q. 1. nu. 95.* Castrop. *cit. §. 5. n. 7.* Garc. *loc. cit. c 7. n. 1.* citans pro hoc Hojed. *p. 1. c. 6. à. n. 1.* Zechum. *de benef. c. 5. n. 4.* Gigas *de pension. q. 58. n. 5.* Selva, *p. 1. q. 2 n. 49.* &c. Idque, etamsi non fuerit benedictus. Garc. *ibid.* Paris. *n. 96.* citantes Oldr. *cons. 14.* Hojed. *ubi antè. nu. 5.* Rebuff. Gigas &c. Idem est de similibus Prælatis Ecclesiarum Regularium, quocunque nomine vocentur, v. g. in Priore, Præposito; dum is est loco Abbatis, & est principalis prælatura in illa Ecclesia regulari, & in effectu est eadem dignitas. Paris. *loc. cit. nu. 100. & seq.* citans plures. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. nu. 5.* citans Hojed. *dicto c. 6. n. 2.*

2. Respondeo secundò: idem esse de Abbatibus & prælatis similibus sæcularibus. Garc. *n. 3.* citans Hojed. *ubi antè c. 5. nu. 2.* Paris. *nu. 99.* modò tamen talis Abbas aut alius prælatus habeat in Ecclesia illa sua collegiata generalem, & omnimodam, & quasi Episcopalem jurisdictionem; ita ut verè dici possit illius sponsus & Pastor: secus enim esset in aliis Abbatibus sæcularibus, dum horum beneficia non magis vacant per adeptionem Abbatiæ, quàm aliarum dignitatum. Garc. *loc. cit. nu. 4.* dicens ita videri usu & praxi receptum.

Quæstio 159. *Num eadem dicenda de promoto in Cardinalem?*

REspondeo: Negativè. imò de novo ei posse conferri beneficia, dùm Episcopus non est, modo residentiam non requirant. Laym. *in c. Ecclesia, de elect. n. 1.* Pirh. *ad tit. de præb. n. 164.* citans Abbatem *in cit. c. Ecclesia. de elect. n. 3.* Quòd si tamen beneficium est curatum, aut aliùnde requirens residentiam, aut personatus, opus est dispensatione Papæ, ut retineri, aut de novo obtineri possit. Abb. Laym. Pirh. *ll. cit.*

Quæstio 160. *An, & qualiter Episcopi, alteriusve Prælati translati ad aliam Ecclesiam, Ecclesia prior vacet ipso jure?*

1. REspondeo primò: Spectato jure communi per translationem prælati ad aliam Ecclesiam, vacat prior ipso jure. *c. in apibus. 7. q. 1. §. translatis. c. quanto. de translatione Episcopi.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* Gonz. *gl. 15. n. 49.* citans Rebuff. *in pr. tit. requisit. ad collationem. n. 52. &c.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 25.*

2. Respondeo secundò: hæc vacatio incipit etiam antè captam possessionem alterius Ecclesiæ. AA. iidem. Quàmprimùm translatus in translationem sui consensit; alioquin enim Episcopus foret sponsus duarum Ecclesiarum, & committeretur adulterium spirituale. Pirh. *ad tit. de translatione. nu. 17.* Vel etiam antè hunc ejus consensum; dum nimirum invitus in gravi & justa causa transfertur. Pirh. *ibid.* ubi etiam, quòd aliud sit in inferioribus dignitatibus & beneficiis (puta talibus, vi quarum non est, & dicitur quis sponsus alicujus Ecclesiæ) à quibus si quis transferatur, vel potiùs promoveatur, priora beneficia ordinariè non vacant antè obtentam possessionem, & plenum jus Episcopalis dignitatis; quia in his cessat prædicta ratio; cùm in illis non contrahatur matrimonium spirituale, à quo quis priùs absolvi debeat.

3. Respondeo tertiò: olim saltem non vacabat prior Ecclesia, priusquam expedirentur literæ apostolicæ super eâ translatione, eæque ostensæ fuissent capitulo; cùm tunc priùs & non antè administrationem secundæ Ecclesiæ habeat Prælatus. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *l. c. n. 49. & eâd. gl. §. 2. n. 80.* Barb. *cit. n. 25.* idque juxta textum *Extrav. injunctæ. de Elect. inter communes.* Addit etiam Castrop. *nu. 4.* debere hanc translationem esse fructuosam; cùm, si Episcopatus, ad quem transfertur, sit ex solo titulo, nullius beneficii præhabiti vacationem inducat. citat pro hoc Nav. *cons. 14. de elect. n. 3.* Paris. *l. 3. q. 1. n. 9. & 89.* Garc. *p. 11. c. 6. n. 24.* ubi tamen hi AA. plus non habent, quàm quòd dictum suprà de promotis ad Ecclesias titulares merè, existentes in terris infidelium.

4. Respondeo quartò: Verùm quidquid sit de hoc, hodiedum, etiam ante expeditionem dictarum literarum, videtur contingere dicta vacatio. Recitat siquidem Barb. *loc. cit.* uti & *in Collectan. ad c. 1. de translatione. n. 5.* declarationem S. Congregationis Cardinal. de die 14. Decemb. 1624. quæ sic habet: *S. Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum præposita, S. D. N. approbante censuit, Ecclesiam,*

clesiam, à quâ volens transfertur, seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ &c. Et postquam hujus absolutionis notitiam habuerit Episcopus, etiam ex testimonio seu documento Secretarii Collegii istius Cardinalium, illicò teneri abstinere ab exercitio jurisdictionis ordinariæ, eamque transferre in Capitulum tanquam sede vacante, nisi fortè Papa aliter disposuerit. Engels *ad tit. de translatione. n. 5.* ex eodem Barb. Si autem fortè dein nanciscì non posset possessionem dictæ Ecclesiæ, idem videtur dicendum, quod ante dictum de vacatione aliorum beneficiorum per promotionem ad Episcopatum primum.

5. Porrò si Episcopus propriâ auctoritate se transferret ab uno Episcopatu ad alterum, amittit prius habitum, seu privatur illo, non quidem ipso jure, sed per & post sententiam condemnatoriam judicis, argumento *c. si quis Episcopus. 7. q. 1.* adeòque remanet Episcopus prioris Ecclesiæ, & clerici ejusdem illi obedire tenentur, donec per sententiam illâ privetur. Pirh. *loc. cit. n. 12.* citans Abb. *in c. quanto. de translatione. n. 13.* Addit etiam *ibidem* Pirh. quòd illa utriûsque Ecclesiæ privatio tunc contingat, quando Episcopus & sine venia reliquit Ecclesiam primam, & sine venia etiam ad aliam transivit; aliàs enim privandum solùm illa Ecclesiâ, quam sine veniâ reliquit, vel solùm eâ, ad quam sine venia transivit. Eandem doctrinam, nimirum quòd post judicis sententiam priverur relictâ Ecclesiâ, tenere videtur Laym. ubi *in summario ad cit. c. quanto.* ait: Utroque Episcopatu carere debet saltem post judicis sententiam. Contrarium tamen tradit Azor *p. 2. l. 7. c. 16. q. 12.* ubi expresè: Si Episcopus auctoritate suâ ad secundam Ecclesiam & sedem se transferat, utramque ipso jure amittit, citans pro hoc idem *c. quanto.*

CAPUT TERTIUM.

DE VACATIONE BENEFICIORUM OB DELICTUM.

PARAGRAPHUS I.

De sententia privationis ob delictum in genere.

Quæstio 161. *Cùm beneficia vacent per depositionem, seu privationem ob crimen, ut habet communis sententia. Garc.* p. 11. c. 10. n. 1. *citans Selv.* p. 3. q 2. & 3. *Coras. de benef.* p. 1. c. 10. n. 1. *Rebuff. Mandos. &c. qualis hic nomine* sententiæ *intelligatur sententia, cui vacatio hæc beneficiorum subjacet?*

Respondeo: Venire non solùm sententiam hominis (prout ea juxta *l. 1. ff. de re judic.* est pronuntiatio judicis ad finem controversiæ aut absolvendo aut condemnando) sed etiam sententiam legis (cujus virtus non minus consistit in puniendo, quàm imperando & vetando) quatenus hanc suam vim puniendo exercet. Lott. *l. 3. q. 18. num. 1. & 2.*

Quæstio 162. *In quibus potissimùm differant ambæ hæ sententiæ in ordine ad præsens institutum?*

1. Respondeo ferè ex Lott. in sequentibus: Primò, quòd sententia legis majorem virtutem habeat; cùm enim vis illa sententiæ à ratione proficiscatur, quæ est cum cognitione causæ, feraturque sententia legis (utpote quæ, ut ait Papinian, *in l. 1. de ll.* virorum prudentum consultum est) majore cum cognitione causæ, quàm sententia hominis, ut Bald. *cons. 118. n. 2. l. 4.* majorem quoque sortitur virtutem, quàm quæ valeat attribui sententiæ cujusvis judicis, Lott. *loc. cit. n. 3.* citans Old. *cons. 227. n. 4.*

2. Secundò ac præcipuè, quòd sententia legis feratur perpetuò ex suppositio facti jam liquidandi; sententia verò hominis ex suppositio facti jam liquidi; unde illa semper exspectat probationem post se, hæc exigit probationem ante se. Lott. *n. 6.* ex Old. *loc. cit.* sicut enim judici priùs cognoscendum est, quàm condemnet. *l. 1. c. de exeq. rei judic.* quia potest decipi in sensu proprio; ita legi nusquam est intentio quenquam puniendi, qui non deliquit. *l. absentem. ff. de pœnis.* Unde etiam, cùm sententia legis feratur nonnisi ex suppositione delicti, & non aliter pœnam irroget, de ea dubitari non potest, quin justa sit. Econtra, cùm sententia hominis inniti debeat veritati facti, etiam sistendo partium allegationi, adeóque facilè sit, ut labatur, & decipiatur secundùm humanam conditionem, in statuenda illius justitia multùm hæremus. Lott. *à n. 13.* durante etiam hac hæsitatione, quamdiu ex judicato non conciliatur huic sententiæ præsumptio justitiæ. Lott. *n. 16.* ut enim aliquando sit finis litium, bono publico inductum est, rem judicatam pro veritate haberi. *l. res judicata. de reg. juris.* Et si cui liceret hanc judicato virtutem elidere prætextu injustitiæ, cederet hoc in manifestum spretum & vilipensionem magistratuum. Obtinetque hoc ipsum, etiamsi sententia transiit in judicatum ob omissam appellationem, in tantùm, ut non sufficiat dicere, eam non justificari ex actis juxta Theoricam Innoc. *in c. quoniam contra. n. 8. & 9. de probat.* ubi hoc adducit in materia incursionis censurarum. Lott. *n. 19. & 20.* Ex quibus concluditur cum plerisque, quòd postquam senten-

sententia transit in judicatum, non esse tractandum de illius injustitia. Lott. *nu.* 21. in specie citans Angel. *cons.* 302. *n.* 3. Zas. *consil.* 3. *n.* 3.

3. Tertiò quòd hinc profluit, & spectat utriusque sententiæ diversimodam executionem. Quòd lex sive pœnam inferri imperet, sive eam ipsamet irroget, semper intendit id fieri, seu dari executioni ministerio & auctoritate judicis, juxta Bald. *in auth. qui semel. c. quem, & quamdiu judic.* Lott. *nu.* 22. citans insuper Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. n.* 34. ita ut si lex jubeat privari, judex pronunciare debeat privandum, & non declarare privatum; hoc enim pronunciaret contra juris intentionem, idque, etiamsi factum esset notorium. Lott. *n.* 23. citans Felin. *ubi ante n.* 37. si autem lex ipsamet privet, judex pronunciare debet super facto, cujus causâ irrogata est privationis pœna; super hac autem minimè ejus sententia est necessaria, quia super hac lex ipsa pronuntiat. Lott. *n.* 24. Unde in primo casu sententia judicis est de essentia pœnæ, in secundo de essentia executionis tantùm. Lott. *nu.* 25. ex Bald. & Felin. Adeóque hæc sit ratio necessitatis istiusmodi declaratoriæ judicis super facto, dum pœna ipso jure imponitur, ita ut illius executio de facto aliter attentari nequeat. Lott. *nu.* 62. citans Gl. *in c. præsenti. v. constituit. de pœnis.* Jo. And. & Gemin. *in c.* 1. *de homicid. in* 6. Felin. *loc. cit. n.* 35. cum plurimis per hunc citatis. Unde dum pendet discussio, an sit locus privationi ipso facto inductæ, reus manuteneri debet in sua possessione. Lott. *n.* 28. citans Rot. *in Tullens. monasterij.* 15. *Febr.* 1610.

4. Quarta differentia est, quòd sententia legis nullâ provocatione seu appellatione suspendatur, quò minùs secum trahat executionem. *l. fin. ff. de appellat.* eam, non cognitore aliquo, sed mente ipsius legis promovente ac moliente. Lott. *nu.* 51. & 52. à sententia verò hominis detur appellatio. Vide de hoc dicenda pluribus post aliquot quæstiones.

Quæstio 163. *Num igitur etiam in pœnis, quæ non exigunt factum hominis ad exequendum, sit necessaria istiusmodi declaratoria?*

REspondeo: Esse id admodùm controversum inter Auctores. Negativam, seu quòd eâ opus non sit, tenent Bald. *in l. quæ sub conditione.* §. *ult. n.* 3. *ff. de condit.* Felin. *l. c. n.* 38. Prob. *ad monach. in c. sicui. n.* 6. Decius *cons.* 145. *n.* 4. & alii apud Lott. *loc. cit. nu.* 30. affirmativam tenent Gl. *in clem. ult. v. constiterit. de censibus.* Anchar. *ibid. n.* 4. & 5. Archid. *in c. felicis. n.* 14. Jo. And. *n.* 4. *&c.* quos citat, & quorum sententiam veriorem affirmat Lott. *nu.* 31. De cetero, ubi factum, ex quo concluditur delictum, est notorium, nullâ istiusmodi sententiâ declaratoriâ opus esse, conveniunt omnes, præcipuè scribentes in *c. cùm non ab homine. de judic.* Lott. *nu.* 32. citans in specie Abb. *ibid. n.* 29. Felin. *ubi suprà. n.* 37. Et sic quoque ait Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 36. dum privatio beneficii esset notoria, non esse opus sententiâ declaratoriâ delicti. sed ante hanc teneri delinquentem illud dimittere: datâ autem hac notoreitate, sufficere assignationem termini ad excusandum factum, ut mox, eo elapso, procedatur ad exactionem pœnæ, ait Lott. *n.* 33. ex Gemin. *in c. cùm secundùm. de Hæretic. in* 6. *n.* 3. licèt subdat *n.* 34. ex Felin. *ubi antè. vit. n.* 37. nec id præcisè necessarium, nisi ubi agitur de præjudicio irretractabili.

Quæstio 164. *Cùm* C. consuluit. 14. de appellat. *dicatur*: pleraque judicantur notoria, quæ non sunt; *unde constituatur hæc notoreitas?*

1. REspondeo primò: pro hac qualitate notoreitatis inducendâ exigi, ut non solùm rei veritas justificetur ex facto; sed cum hac ipsa qualitate, quòd ea notoria sit. Lott. *cit. q.* 18. *n.* 38. citans Rot. *decis.* 6. *de except. n.* 4. *in novis.* Surdum *cons* 188. *n* 13. *&c.*

2. Secundò notorium non esse, quòd simpliciter verum est, vel etiam manifestum; sed cujus veritas publicè, adeóque majori parti populi est patens, ut ideo nullo modo valeat celari. Lott. *nu.* 39. citans Surdum *ubi antè.* Paris. *cons.* 1. *n.* 34. subjungit tamen Lott. *n.* 41. id non adeò ruditer intelligendum, quò minùs ad constituendum simplex notorium facti sufficiat id gestum coram decem hominibus, juxta Cynum *in l. ea quidem. c. de accusat. n.* 1. & 2. cùm multitudo conficiatur ex turba, turba autem à numero decem hominum. *l.* 4. *ff. vi bonor. rapt.*

Quæstio 165. *Qualiter hæc notoreitas elidatur, & justificanda?*

1. REspondeo ad primum: Si is, contra quem intenditur hæc notoreitas, factum simpliciter inficietur, ex hac sola negatione diffluit hæc circumstantia, seu qualitas notoreitatis. Lott. *cit. q.* 18. *n.* 43. citans Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. nu.* 37. Unde

2. Respondeo ad secundum: Etsi aliàs satis sit, notorium allegare. Lott. *n.* 44. citans Franc. Gemin. Cardin. id tamen non sufficit; dum hoc ipsum in dubium revocatur. Lott. *ibid.* ex Felin. *in c. si clericus laicum. de foro comp. n.* 3. Nam ubi aliquid debet constare (uti debet in præsenti, dum irrogata pœna ipso jure, opus non est declaratoriâ judicis, debet constare de notoreitate facti) non sufficit id allegari. Lott. *n.* 45. qui etiam subdit *n.* 46. ex Jason. *in l. si verò. ff. qui satis non coguntur. n.* 12. vix excogitabilem esse casum, in quo evitari possit necessitas justificandi hanc notoreitatem, etiamsi illa plùs quàm vera sit; cùm licèt innotescat aliis, tamen adhuc non sit cognita judici tanquam judici. Quod ipsum ut præstetur, necessaria est causæ cognitio, prævia citatione partis. Lott. *n.* 47. citans Ferret. *cons.* 31. *n.* 35. & Rott. *decis.* 25. *n.* 8. *p.* 1. *divers.* Nisi agatur de notorio facti permanentis. Lott. *n.* 48. citans Abb. *in c. dudum. de Elect. n.* 6. Etsi itaque necessaria sit simplex justificatio notoreitatis, non tamen requiritur speciale pronunciatum super ipsâ hac notoreitate: Et qui id requirunt, potiùs id requirunt ad majorem cautelam, quàm ex necessitate. Lott. *n.* 49. citans Cardin. *in Clem. Pastoralis. de re judicat.* Atque hæc procedere, ait Lott. *n.* 50. ubi idem est cognitor delicti & executor sententiæ legis. Secus dicendum, si hi diversi sunt. Sic v. g. beneficio privatum ipso jure ob delictum, passúmque sententiam (intellige declaratoriam per judicem cognitionis, sive qui de delicto cognovit) adhuc pro spoliatione beneficii debere citari per judicem, ad quem pertinet privatio, etiamsi delictum per sententiam

dicatur

dicatur notorium: citat pro hoc Innoc. *in c. qualiter & quando. de accusat. n.* 10. Goffred *cons.* 47. *n.* 10.

Quæstio 166. *An, & qualiter interea, dum factum excutitur pro obtinenda declaratoria, ubi eâ opus, suspendatur executio sententiæ legis irrogantis ipso jure privationem beneficii?*

1. REspondeo: eam non suspendi interea juxta dicta *q.* 2. *hujus* §. ex Lott. sed à momento commissi criminis reipsâ amitti titulum, & jus omne in beneficio; cùm enim lex vacationem induxerit, eo momento, quo in eam commissum est, notat factum, non sententiam circa factum: & patet hoc ipsum in effectu; nimirum quòd reus ab eo momento nihil possit statuere de beneficio, & quòd reus frustra interea nitatur à se abdicare beneficium, & etiamsi moriatur, nihil per ejus obitum vacare intelligatur. Neque interea fructus faciat suos, sed perceptos teneatur restituere (ut præter Auctores paulò post pro ipsa principali responsione citandos. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 68. citans Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 87. Vivian. Chok. & alios) item (ut Card. de Luca *de benef. d.* 74. *n.* 4. Barb. *loc. cit. n.* 69. citans Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. n.* 52. Paris. Chok &c.) mox conferri possit. Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 58. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p* 2. § 8. *n.* 1. ubi: esto, requiratur sententia declaratoria criminis, ut privatio executioni mandetur; at à puncto commissi delicti ita infirmatur titulus & possessio beneficii, ut positâ sententiâ rescindantur omnes transactiones factæ tam beneficiorum, quàm fructuum, ipsumque beneficium non sit censendum vacare obitu delinquentis, sed privatione delicto annexâ. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 2. Gonz. *gl.* 15. *n.* 140. cum communi.

2. Hujus contrarium est, dum cessante hac legis sententiâ irrogante ipso jure dictam pœnam, pœna hæc aliter non infligitur, quàm ex pronunciatione Judicis; si enim interim, dum causa trahitur, reus cedat vel decedat, utique hinc vera resultabit vacatio, quamcunque prætendatur, eum omnino privandum fuisse. Lott. *ibid. n.* 61. citans Rebuff. *ubi antè. n.* 51. & latè Gabri. *cons.* 196. *n.* 1. *& per totum l.* 1. Sic in hoc secundo casu, quousque per tres sententias conformes, vel per unam, quæ transeat in rem judicatam, quis condemnatur, non magis potest privari fructibus post delictum, & ante sententiam diffinitivam acquisitis, quàm aliis bonis suis; quia justo & legitimo titulo eos acquisivit. Castrop. *loc. cit.* Paris. *l.* 3. *q.* 16. *n.* 7. Lott. *l.* 3. *q.* 33. *n.* 71. subdens etiam, quòd hæc obligatio de restituendis fructibus à die commissi delicti vix sustineatur in eo delicto, pro quo pœna privationis inducitur ipso facto, seu jure; citat seipsum *l.* 3. *q.* 18. *n.* 60. Covarr. *in Epitom. de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 8. Monet. *de distrib. quotid. p.* 2 *q.* 17. *n.* 8. *&c.* subdit tamen Lott. *n.* 73. fatendum nihilominus, si agatur per viam solennis accusationis per impetrantem, cui veluti habenti titulum aliquem jam possint tales fructus applicari, & delictum sit hujusmodi, ut quamvis propter illud non sit inducta vacatio ipso jure, inducta tamen sit irregularitas, posse sustineri sententiam Castrensis docentis, aliàs debere restitui fructus perceptos; quin & qui percipi potuerunt à die commissi criminis, pro cujus de cetero sententia quàmplurimos à Farinac. citatos perperam, utpote id non dicentes, vide apud Lott. *à n.* 74. Item firmiter & irrevocabiliter resignare potest beneficium; quia id illius est eò usque: verum de hoc secundo plenius infrà, ubi, an & qualiter criminosi resignare possint, de quo vide Paris. *l.* 3. *q.* 16. *per tot.*

3. Sed neque obstat, quòd in casu privationis ipso jure Judex pronuntiaret, se ob tale delictum privare (quod malè faciet excedendo fines; cùm duntaxat declarare, seu pronunciare deberet, aliquem esse privatum, ita ut neutiquam actus privationis illi sit attribuendus) utriusque enim talis formulæ (nempe quâ privatum declarat, & quâ se eum privare pronuntiat) idem est sensus & totum secundum juris intellectum refertur ad extrinsecam executionem, & illius consecutiva. Lott. *l.* 3. *q.* 27. *n.* 74. citans Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. n.* 34.

Quæstio 167. *Num igitur etiam committens crimen ob quod incurrit pœnam privationis ipso jure, ità statim amittat titulum, ut statim quoque teneatur illud in conscientiâ dimittere, etiam ante sententiam declaratoriam facti?*

1. REspondeo: in hoc valde inter se diffidere Auctores, etiam eos, qui aliàs concorditer cum communi sentiunt juxta dicta *in præced. quæst.* mox à commisso crimine amitti titulum, seu jus illud stabile, quod quis per legitimam provisionem antè obtinebat in beneficio, & vel hinc ex eo momento non posse fructus facere suos, disponere de beneficio &c.

2. Negativam, sive non teneri in hoc casu aliquem dimittere possessionem beneficii, sed eam cùm tota jurisdictione antea habitâ retinere licitè posse, & hanc usurpare usque ad sententiam declaratoriam commissi criminis; adeóque possessionem hanc post crimen admissum eo usque esse & manere veram possessionem juris, & non tantùm facti; cùm jus nullum obliget ad eam dimittendam, tenent Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 27. *n.* 22. ubi: in omnibus casibus, in quibus beneficii privatio inducitur ipso jure ex causa delicti, certum est, interim, donec rata sententia declaratoria facti, possessorem manutenendum esse. Idem habet Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 28. Item Less. *de justit. l.* 2. *c.* 29. *à n.* 63. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 3. Pirh. *ad tit. de concess. præb. n.* 25. citans Laym. *Theol. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.* 1. Vasq. 1. 2. *to.* 2 *d.* 168. *n.* 23. Suar. *de cens. d.* 27. *s.* 1. *n.* 8. & *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 43. *n.* 13. *& c.* 58. *n.* 2. Molin. *de justit. To.* 1. *tr.* 2. *d.* 96. Soto. *de Just. l* 1. *q.* 6. *a.* 6. Covar. *in* 4. *p.* 2. *c.* 6. § 8. *n.* 8. Nav. *in comment. de dat. & promiss. n.* 61. Henriq. *in sum. l.* 7. *c.* 36. §. 1. *lit. f.* & alii plures apud Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 8. sic in genere de lege pœnali ipso jure seu facto irrogante pœnam censent præter jam citatos quàm plurimi citati ab eodem Garc. *n.* 9. puta Nav. *in Man. c.* 21. *n.* 69. Bottæ. *de Synod. p.* 3. *a.* 2. *n.* 106. Guttier. *qq. canon. l.* 1. *c.* 1. *n.* 23. Rigol. *decision. tab.* 2. *c.* 6. §. 1. *n.* 21. Zerol. *in pr. Ep. v. privatio* Valet. *To.* 2. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 6. Cajetan. *22. q.* 62. *a.* 3. & *in sum. v. pœna.* Vega. *in sum. p.* 2. *c.* 33. *casu* 6. *&* 7. Sylv. Bannez &c. quòd, dum irrogata pœna consistit in mera privatione, & non requirit aliquam actionem, seu executionem positivam; sed primam rei acquisitionem impedit, obliget ad pœnam absque Judicis declaratione, ut contingit in excommunicatione, suspensione, irregularitate, inhabilitate & similibus, dum verò pœna requirit aliquam actionem seu executionem positivam, seu imponitur in re jam quæsitâ, & est privatio rei jam quæsitæ, & habitæ, non obligat in conscientia ante sententiam, saltem declara-

claratoriam. Quin & aliqui ex his AA. nempe Vasq. Molin. Soto. Guttier. Bannez &c. apud Garc. *n.* 10. tenent, quòd, dum quis ob delictum à lege privatur ipso jure bonis suis, ante sententiam non solùm retineat legitimam eorum possessionem, sed & dominium; aliis, puta Lessio *loc. cit. n.* 64. Valent. Vega. Cajet. & c. *ll. cit.* apud Garc. *n.* 11. sentientibus contrarium, nempe amitti statim in hoc casu ipsam rerum proprietatem & dominium, & illud acquiri fisco, relicto delinquenti solâ possessione & usu usque ad sententiam declaratoriam, executione tamen post hanc subsecutâ retrotractâ ad tempus commissi criminis. Quas sententias conciliare volens Garcias *n.* 12. ait, primam intelligi de dominio naturali, seu de jure naturali; secundam de dominio civili, seu de jure civili & canonico. Illudque de non amissione dominii, aut saltem possessionis in beneficiis Ecclesiasticis. Aliqui eorum, ut Molin. *cit. d.* 69. Soto *cit. a.* 6. Guttier. *loc. cit. n.* 28. Zechus, & alii apud Garc. *n.* 13. intelligi volunt, dum in sententia legis seu canonis non subjungitur aliquod verbum, unde constet, mentem Papæ esse, ut amittantur, nullâ exspectatâ sententiâ; v. g. dum post illa verba: *ipso facto privatus existat beneficio*: adderetur: *illúdque absque declaratione aliqua vacare censeatur*: vel *ac sine ulla monitione, citatione, Judicis decreto aut ministerio ipso facto privati existant*: vel ut Less. cit. *n.* 63. diceretur: *teneri in conscientia dimittere*: vel *non posse absolvi, nisi dimittat*: vel *beneficium eo ipso vacare, ita ut alteri liberè conferri possit*. Verùm neque tunc, cum diceretur: *privatus existat ipso facto absque alia declaratione*: teneri delinquentem in conscientia dimittere beneficium ante sententiam, tenent Covarr. Zerol. Vega. Vasq. Henriq. & plures alii citati apud Garc. *n.* 14. dictam clausulam: *absque ulla declaratione*, intelligentes de declaratione, quâ declararetur, pœnam esse incursam, non autem de ea, quâ declaretur, crimen esse commissum; quæ expositio, ait Less. *cit. n.* 63. etsi videatur nonnihil violenta, tamen usus eam confirmat: ita enim sunt usu receptæ leges istiusmodi, ut ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare. Imò tenet Covarr. *loc. cit. n.* 8. privatum per sententiam, vel privatum ipso jure, etiam secutâ sententiâ declaratoriâ, pergentem possidere non censeri intrusum, & non teneri adhuc in conscientia dimittere beneficium, donec spolietur ipsâ possessione, & beneficium ei adimatur, seu nisi ipsa executio fiat per sententiam. Covarruviam quòad hoc sequitur Lessius dicens, sic habere usum, ita ut per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam reus ipse privetur beneficio, non censeatur omnino privatus. Unde etiam istæ leges, quæ statuunt, ut beneficium ipso jure vacet, ut in *Extrav. ambitiosæ. de rebus Eccl. non alien.* non videntur in illo rigore receptæ, ut sponte se reus teneatur spoliare; sicut nec spoliatus ipso jure bonis suis tenetur pœnam exequi, & bona sua offerre fisco, etiamsi idipsum ei præcipiatur, ut Covar. & alii apud Garc. *n.* 16. In summa itaque locum habet, secundùm hanc sententiam, quòd supradictum ex Lott. quòd lex, sive pœnam irroget ipso jure, sive eam inferendam imperet, semper intendat, id fieri, seu dari executionem ministerio & auctoritate Judicis.

3. Contrarium seu affirmativam, nimirum, quòd ob delictum per sententiam legis ipso jure privatus beneficio in conscientia debeat illud statim simpliciter dimittere ante omnem sententiam, etiam declaratoriam, tenent Garc. *loc. cit. n.* 18. citans Abb. *in repet. c. extirpandi. de prab. n.* 24. Felin. *in c. nostra. de rescrip. n.* 12. & *in c. inquisitionis. n.* 7. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 67. Lorcam 1. 2. *d.* 24. *de ll. memb.* 2. §. *ult.* Item Tiraq. *in l. si unquam. c. de revocat. donat. v. revertam n.* 236. Alph. Castrens. *l.* 2. *de justa punit. hæreticor. c.* 7. & *l.* 2. *de lege pœnali. apud* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 3. Item Paris. *l* 3. *q.* 1. *n.* 58. citans insuper Ruin. *cons.* 4. *n.* 11. *l.* 5. & Hojed. *de incomp. p.* 1. *c.* 13. *n.* 61. quamvis Parisius expresè non addat ante sententiam. & *l.* 11. *q.* 10. *n.* 11. doceat cum communi in genere, non semper hoc ipso, quòd ipso jure amittatur dominium, amitti etiam possessionem. Pluribus id ipsum confirmat Garc. Primò: quòd licèt lex non debeat, aut etiam fortè non possit (eò quòd id intolerabile & moraliter impossibile) obligare in conscientiâ delinquentem, ut ipse sit executor pœnæ amissionis bonorum suorum, licet de cetero ad aliquas parvas pœnas rectè possit obligare in conscientia ante condemnationem. Garc. *n.* 19. citatus Navar. *in Man. c.* 23. *n.* 67. Molin. *loc. cit. d.* 95. Suar. *to.* 5. *d.* 6. *s.* 1. *n.* 10. Vasq. &c.) & sic per verba illa: *ipso jure*, seu ipso facto non censeatur ad hoc obligare; in bonis tamen communibus, qualia sunt beneficia, & officia publica, rectè potest delinquentem obligare ad illa dimittenda ante sententiam, cum illa particulariter dependeant à lege Ecclesiasticâ seu rep. vel principe, à quibus conferuntur, & sic possint ab iis dari vel aufferri, ut placuerit, maximè ex causa, ut apud Garc. *n.* 20. tenent Sylv. Sot. Guttier. Molin. Vivald. & specialiter Henriq. *in sum. l* 13. *c.* 56. §. 2. *lit. T.* ubi: quòd jus ob crimen possit Clericum titulo beneficii habiti, quod tanquam bonum commune pertinet ad dispensationem Ecclesiæ, privare ipso facto absque alia declaratione. Confirmat hanc rationem ex mente horum Auctorum Azor. *loc. cit. q.* 3. §. *accedit.* ubi: quòd beneficia sint bona Ecclesiæ data clericis sub hac conditione, ut à certis quibusdam delictis se contineant, alioqui beneficia amittant, & nullius valoris sint, quæ circa ea disposuerint. Verùm quòd Canones privantes ipso jure ob delictum sint dicto modo leges conditionales, negant *ibidem* apud Azor adversarii, id solùm admittentes eorum plures de canonibus privantibus ipso jure beneficio ob factum aliquod, quod omni culpâ vacuum est, & ideo teneri beneficiatum ab iis privatum beneficio in conscientia illud dimittere, etiam ante sententiam. Quales leges conditionales privantes beneficio ipso jure sunt, dum beneficiatus ducit Uxorem, fit religiosus, eligitur in Episcopum, & possessionem Episcopatûs capit &c. Secundò: quòd, si Canones seu Ecclesia in pœnam obligare possit ad dimittenda mox à commisso delicto beneficia, quòd ad hoc ipsum velit obligare in conscientia, satis significet per verba ista: *jure ipso*, vel *ipso facto*. Idque patet ex ipsa eorum vi, & significatione, & subjectâ materiâ. Si enim lex per sola illa verba in pœna excommunicationis, suspensionis, & inhabilitatis censetur obligare ad illam pœnam, seu ad habendum se pro tali v. g. excommunicato, inhabili, ante latam sententiam, non sit ratiò, cur id non censeatur per eadem illa verba velle quò ad dimissionem beneficiorum. Garc. *n.* 21. & 22. Tertiò: quòd, si beneficium, quo quis ipso jure privatus est, possit nullâ exspectatâ sententiâ, nec citato possessore, conferri & impetrari ab alio, ut Cardin. *in Clem.* 1. *n.* 15. *de pœnis*. Felin. *in c. ceterum. de rescrip. n.* 24. Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 6. *a.* 10. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 23. & *l.* 11. *q.* 10. *n.* 10. & alii

alii plures apud Garc. *n.* 23. Item Card. de Luca *de benef. d.* 74. *n.*4. Argumento *Extrav. ambitiosæ.* & constit. Sixti V. *de habitu & tonsura &c.* contra Lap. *alleg.*78. *ad* 4 *quæst.* tenen. non requiri ad hoc sententiam declaratoriam privatio. Ischinc inquam sequi videtur, quòd is, qui titulum c. s amisit ante sententiam, teneatur & illud ante sententiam relinquere proviso de illo. Garc. *d.* n. 23. Unde etiam is ait *n.*35. saltem tunc non admittendam sententiam contrariam de retinendo usque ad sententiam, ubi beneficium tanquam vacans per privationem ipso jure esset alteri collatum. Neque ex his infertur, quòd Clericus dimittendo beneficium suum cogatur prodere crimen suum; præterquam enim, quòd plures discedentes aliquantùm à rigore hujus sententiæ velint, non esse obligationem dimittendi beneficium ante sententiam, nisi ubi illud notorium esset; præter hoc, inquam, non semper eo ipso, quò quis beneficium deponit, se reum criminis declarat; præsertim cum diligenter curare possit, ut sibi denuo beneficium, quod facto tantùm, non jure possidet, conferatur, & cum Papa vel Præfecto Cameræ apostolicæ convenire, ut liceat sibi beneficium retinere; imò etiam fructus, vel certam eorum partem, & confirmare denuo resignationem, vel permutationem factam à die patrati criminis. Azor. *l. ult. cit.*

Quæstio 168. *An, quando beneficiatus ob crimen est privatus beneficio ipso jure, valeant, quæ ratione publici muneris & officii, quo fungitur, facit, v. g. dum qui crimen occultum admisit, ob quod ipso jure beneficium amittit, est parochus, & nihilominus absolvit pœnitentes: Canonicus, & eligit; Episcopus, & confert beneficia; an validæ sint istæ absolutiones, electiones, collationes?*

Respondeo in omnium sententiâ ea valere. Azor. *loc. cit. q.*4. Less. *de Justit. l.*2. *c.*29. *n.*64. & 67. Ratio istius ultimata est; quia nisi talia essent valida, sequeretur inde in rep. & populo Christiano perturbatio & incommoda maxima; omnes enim tales electiones, præsentationes, collationes, absolutiones, aliæve sententiæ à tali factæ deberent rescindi tanquam invalidæ. Ratio verò immediata & veluti à priori est, & quidem A A. primæ sententiæ, quòd licèt jus illud prius, quo illam jurisdictionem obtinebant, nempe titulum beneficii amiserit, habeat tamen adhuc jus possidendi & utendi eâ, donec per sententiam Judicis aufferatur. Less. *cit. n.*64. §. *ex his sequitur*: communis verò omnium quòad evitanda dicta incommoda, Ecclesia in hoc casu, nimirum quàmdiu delictum occultum, vel certè quàmdiu non constat, talem per legem esse privatum, etsi privarit titulo, in quo alias ea fundabatur, non tamen adimat jurisdictionem, vel potestatem illam eligendi, conferendi &c. Azor. *loc. cit.* vel potiùs, ut Less. *loc. cit. n.*65. §. *notandum.* ex Abb. Cajet. jus ipsum conferat tunc jurisdictionem extraordinariè ad singulos actus propter bonum commune. Item quòd error communis jus tribuat, & excuset, dummodo tamen beneficium tale aliàs legitimè seu auctoritate Superioris obtentum: quemadmodum & jus civile *l. Barbarius. ff. de offic. prætor.* constituit, ut quidquid facit is, qui magistratus vel Judex communi populi errore censetur, cùm reverâ non sit, pro rato & firmo habeatur, si ratione muneris & officii, quo fungi videtur, id fecerit. Azor. *loc. cit.* vide de his pluribus Less *loc. cit. dub.*8. *per totum.*

Quæstio 169. *In genere, quandonam sit locus privationi beneficii ob delictum?*

1. Respondeo primò in genere: non esse locum huic privationi, seu non esse imponendam privationem beneficii, nisi in casibus in jure expressis. Garc. *cit. c.*10. *n.*20. citans plures. Gonz. *gl.* 15 *n.*136. citans *c. is qui. de sent. excom. in* 6. qui etiam *n.*138. subjungit, quòd, quamvis contrarium dicant alii, ut Selv. *p.*3. *q.*3. *n.*2. & 3. Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. benef. n.*61. *per toxt. c. satis provisum, dist.* 56. id tamen intelligendum, si exprimatur à jure, aliàs non. Sic enim per latam sententiam super crimine non est quis privatus beneficio, nisi id fuerit expressum in sententia. Paris. *l* 3. *q.*16. *n.* 30. citans *c. qualiter. de accusat.* Bald. *in l. cum fratrem. c. quibus ut indignis.* Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. benef. n.*64. ac dicens esse communem. Eadem ferè habet Tond. *in qq. benef. p.*1. *c.*27. *n.*23. ubi: quòd, licèt quis fuerit condemnatus ratione delicti, ex quo non venit privandus ipso jure, non carebit suo beneficio, nisi expressè in sententia pœna privationis declarata fuerit; quia sententia est strictæ juris; & nihil continet, nisi quod in ea exprimitur. Si verò agatur de crimine, in quo pœna privationis ipso jure irrogatur, sequitur privatio ex sola sententia condemnatoriâ delicti, quamvis in sententia nihil dictum de privatione: citat pro hoc Campanil. *in divisione juris. rubric. c.*23. *n.*121. Hinc nulla condemnatio; quamvis sit ad perpetuos carceres, se extendit ad privationem beneficii, nisi exprimatur. Tond. *loc. cit.* Gonz. *loc. cit. n.*137. citans Felin. *in c. inquisitionis. n.*7. *de accus.* Mandos. *de monitoriis. q.*16. *n.*1. Ait tamen Garc. *n.*3. quòd, quia non omnia crimina comprehenduntur certâ diffinitione, debebit judex in his quæ similia sunt expressis, in quibus imponitur depositionis pœna, eandem regulam sequi; quia de similibus ad similia procedendum est; citat pro hoc Abb. *in c. at si Clerici. de judic. n.*34. Duaren. *de benef. l.*8. *c.*6. *n.*6. qui tamen dicant, non debere judicem attendere multùm ad Canones antiquos; quia illi de facili imponebant pœnam depositionis, hinc

2. Respondeo secundò: privationi huic locum non esse, nisi in magno crimine; Auctores immediatè antè cit. Paris. *l. 1. q.*15. *n.*30. & *l.*5. *q.*6. *n.*58. utroque loco dicens esse communem, & *l.*3. *q.*16. *n.*2. citans pro hoc *c. inventum.* 16. *q.*7. *c. tua. de pœnis.* & plurimos Auctores; si quidem privatio & amissio beneficii in materia beneficiali dicitur importare pœnam gravissimam, & ordinariam. Card. de Luca. *de benef. d.*35. *n.*10. seu dicitur pœna major, quæ in jure ordinaria dicitur assimilata pœnæ mortis in temporalibus; cùm sit mors civilis. Card. de Luca. *de benef. d.*75. *n.*4.

Quæstio 170. *Quandonam locum habeat privatio beneficii ipso jure?*

1. Respondeo primò: nullum crimen, etiam privatione dignum, inducit hanc pœnam privationis ipso jure, nisi ita expressè sit in jure cautum. Pirh. *de concess. præb. n.*26. Garc. *cit. c.*10. *n.*5. citans Felin. *in c.*2. *de rescrip. n.*3. Rebuff. *de pacific. poss. n.*318. Coras. *de benef. p* 3 *c.*6. *n.*12. Suar. *de relig. tr.*3. *l.*4. *c.*58. *n.*4. Hojed. Henriq. Mand. & plurimos alios. Verùm que hoc est, etiamsi crimen sit atrox.

Lest.

Lott. *l.* 3. *q.* 18 *n.* 201. ubi; non omnibus delictis atrocibus (qualia reputantur omnia, quæ capitalia sunt; capitalia autem censentur, pro quibus à jure imposita est pœna ultimi supplicii. Lott. *ibid. n.* 199. & 100. juxtà *l.* 2. *ff. de public. Judic.* & Menoch. *de arbit. casu* 265. *n.* 3.) eadem est per SS. Canones & constitutiones apostolicas privationis pœna ipso jure indicta, sed aliquibus duntaxat atrocioribus, prout vel sceleris immanitas, vel frequentior lapsus occasionem ita sentiendi legislatori dedit, ut inde nusquam prætendi possit privatio ipso jure ex sola atrocitate, nisi concurrat specialis legis determinatio, quod est regula in omni materiâ &c.

2. Respondeo secundò: in dubio, dum verba privationis non sunt clara, nunquam præsumitur privatio ipso jure, sed tantùm privatio per sententiam. Gonz. *gl.* 15. *n.* 153. citans Tiraq. *in l. si unquam v. revertatur. à n.* 168. (quietiam *n.* 136. tradit 76. limitationes hujus regulæ) Gamb. *de off. & pot. leg. l.* 5. *n.* 163. Garc. *cit. n.* 5. citans pro hoc eosdem, quos pro prima responsione citârat. Lott. *loc. cit. n* 203. Paris. *l.* 14. *q.* 2. *n.* 4. Pirh. *loc. cit.* Porrò casus, in quibus intrat privatio beneficii ipso jure, uti & in quibus intrat privatio solùm per sententiam, vide apud Gonz. *gl.* 15. *ferè per totum.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 18. 17. Less. *de justit. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 34. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 27. & alios apud Garc. *cit. c.* 10. *n.* 6. de quibus in particulari infrà.

Quæstio 171. *Vacatio ipso jure per quæ verba inducatur?*

Respondeo: Illa verba *eoipso* important privationem à lege ipso jure, & latæ sententiæ absque alio ministerio. Gonz. *gl.* 56. *n.* 30. (quamvis autem ibi loquatur de privatione alternativæ, quam incurrit Episcopus; par tamen est ratio de privatione beneficii; cùm ipse Gonz. *gl.* 15. de hac loquens huc remittat) citans pro hoc gl. *in c. quàm sit. v. eoipso. de elect. in* 6. & *ibid.* Franc. *super* §. *ceterum. n.* 4. Abb. *in c. deligentes. de foro compet. nu.* 8. Tiraq. *in l. si unquam. c. de revoc. donat. v. revertatur. n.* 142. *&c.* Item per verba *hoc ipso.* Gonz. *n.* 32. ex Tiraq. *ubi antè.* Item deficientibus verbis dictis *eo ipso*, vel *hoc ipso* per verba: *privatus existat*: Gonz. *ibid. n.* 33. citans gl. *in c. exstirpandæ. de præb. v. privatum.* & *ibid.* Host. & Innoc. &c. quia participium præsentis temporis regulariter pœnam ipso jure inducit. Gonz. *n.* 34. citans Abb. *in c. deligent. num.* 8. gl. *in c. quoniam. v. mucrone percussum. de off. Ordinar.* Corneum. *cons.* 246. *n.* 1. *l.* 3. Tiraq. *ubi antè. à nu.* 32. vide eundem Gonz. *gl.* 15. *n.* 154. ubi remittit ad Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. à n.* 24. ubi de hoc plenissimè.

Quæstio 172. *Circa privationem beneficii per sententiam, qualiter ad hanc pœnam procedi possit?*

Respondeo: Cùm sit pœna gravissima & ordinaria, ut dictum, hinc intrat criminalistarum propositio; quòd ad ordinariam pœnam procedi non potest, nisi contra legitimè confessum vel convictum. C. Luca. *de benef. d.* 75. *n.* 4. qui tamen subdit *ibid. nu.* 8. quòd, licèt de stricto jure, quoties agitur de privatione beneficii jam obtenti, requiratur plena & concludens probatio, & non sufficiat aliquem esse judicatum seu diffamatum; cùm id solùm attendatur circa inhabilitatem, vel positionem ad assequendum. Veruntamen vehemens diffamatio, ob quam apud populum tale delictum habetur pro certo (ut contingit, quando adsunt indicia indubitata) facilè operatur, ut judices, præsertim magna tribunalia, non improbabiliter dilatent arbitrium, & rigorosos juris Cancellos transcendant, potissimum ubi agitur de delictis adeò scandalosis (agit ibi de defloratione Monialis) sive ubi intrant alia motiva prudentialia. Similia habet *d.* 76. *nu.* 11. ubi, quòd ad consulendum delictis & scandalis, intret maxima: *Ordo est ordinem non servare*: ideóque exorbitans rigor adhibetur, in magnis præsertim tribunalibus, tanquam in casu exemplari juris cancellos aliqualiter transcendendo.

Quæstio 173. *Effectus seu executio sententiæ privationis beneficii ob delictum, dum ea aliàs à jure non intenditur ipso jure, an & qualiter suspendatur, vel non suspendatur?*

1. Respondeo primò: ab hac sententia tanquam à sententia hominis datur appellatio; sive is ex suppositione criminis notorii puniat. Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 53. citans Felin. *in c. Rodulphus. de rescrip. n.* 37. sive simpliciter declaret factum, ex cujus suppositione lex ipso jure pœnam irrogat. Lott. *n.* 54. citans Abb. *in c. pervenit. de appellat. n.* 6. neque in hoc casu sustinetur appellatio à gravamine legis; cùm lex perpetuò sit justa, & neminem gravet; sed tanquam à gravamine illato per judicem, qui potuit decipi circa factum. Lott. citans Alciat. *in l. si qua pœna*, quocirca interpositâ provocatione, hoc casu suspenditur executio, donec in judicatum sententia transierit. Lott. *num.* 56. quod ubi factum, dicitur sententia sortita suum effectum. Inter ceteros autem modos hunc effectum suspendendi præcipuus ferè est appellatio. Lott. *num.* 68. etiam temeraria juxta Bald. modò valida sit, id est, non peccet in forma, neque sit prohibita; qualiter in pluribus casibus ea prohibetur vel à lege, vel à rescripto Principis. Lott. *à n.* 69.

2. Respondeo secundò: In hoc casu prohibitæ appellationis, hac non obstante, procedi potest ad executionem, modò tamen illud jure sit liquidum, & nullo modo turbidum; cessante enim, aut turbidâ hac prohibitione appellationis, tenetur judex deferre appellationi. Lott. *à nu.* 74. & si is spretâ appellatione nitatur exequi tanquam destitutus auctoritate, non intelligitur procedere ut judex, sed ut privatus; cui proinde privatim & de facto resisti potest. Lott *n.* 76. citans Felin. *in c. si quando. de off. deleg. n.* 2. Innoc. *ibid. v. resistere.* Lancellot. *de attentat. appellant. ampliat.* 20. *n.* 1. modò agatur de judicio irretractabili & irreparabili. Lott. *n.* 77. citans Felin. *ubi antè.* Bald. *in l. ab executione. c. quorum appellat. non recip.* Contra facultatem tamen istam resistendi de facto sufficit velamen justitiæ. Lott. *nu.* 78. citans Bart. *in l. prohibitum. c. de jure fisci. num.* 6. neque admittitur illa resistentia de facto, nisi pro tuenda personâ, non autem pro tuenda re vel possessione, ità ut in articulo immissionis in possessionem resistentia illa sit impertinens, & à jure reprobata. Lott. *nu.* 29. citans Bart. *ubi antè.* Porrò quæ hîc dicta de appellatione, quòd ea suspendat executionem, locum etiam habent in casu supplicationis aut recursûs, ubicunque supplicatio vel recursus succedit loco

appellationis. Lott. *n.* 80. citans Bero. *conſ.* 113. *n.* 8. *vol.* 3. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 19. *n.* 33. aliàs ſecus ; regulariter enim prohibita non impeditur executio prætextu aut ſupplicationis, aut recursûs aut reviſionis. Lott. *à n.* 81. citans Lancell. *ubi antè n.* 19. *&* 16. Menoch. *de arbit. q.* 70. *n.* 23. ſicut nec nullitatis, aut extraordinarii remedii reſtitutionis in integrum deductio executionem ſuſpendit, ubicunque deducitur judicatum ex tribus conformibus, aut ex duabus ; ubi id ſtatuto ſpeciali inductum. Lott. *à nu.* 83. qualiter autem excipi poſſit à tribus vel duabus conformibus, & facultas ſit dicendi de null. tate, vide eundem Lott. fusè *à n.* 94.

Quæſtio 174. *An, ſi Epiſcopus vel alter judex competens propter delictum non tantùm atrox, ſed grave, pro quo beneficiatus veniat deponendus, ſeu privandus, in eum ferat ſententiam depoſitionis ad juris præſcriptum, an illico vacet beneficium, & quæ in ordine ad hunc effectum ſpectanda in dicta ſententia verborum forma?*

1. REſpondeo ad primum affirmativè. Lott. *d.* 3. *q.* 33. *n.* 42. citans Abb *in c. tuæ. de pœn. nu.* 3. *&* 4. Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. benef. n.* 61. Neque obſtat, quòd etiam in iis criminibus, pro quibus ſic ſtatutum, admittatur talis depoſitus, ſeu ſententiatus ad correctionem, juxta idem *c. cum non ab homine* : nam id non implicat ſuſpenſionem executionis privationis beneficii ; ſed ſolùm abnegationem poteſtatis laici judicis, ne is contra illum tanquam rejectum à foro Eccleſiæ in ſuum forum, procedat ; quæ rejectio non contingit aliter, quàm per actualem degradationem, juxta cit. *c. cùm non ab homine.* Lott. *loc. cit. n.* 44.

2. Reſpondeo ad ſecundum : Nil refert ſub qua forma concipiatur ſententia illa ; perinde enim eſt, ſive fiat per verbum *privamus*, ſive per verbum *deponimus*, ſive per verbum *ſuſpendimus in perpetuùm.* Lott. *ibid. n.* 43. citans Butrio in *c. at ſi clerius.*

Quæſtio 175. *Qualiter procedendum à judice Eccleſiaſtico contra beneficiatum in eo condemnando pro delicto, pro quo depoſitionis pœna à Canone non eſt juſſa ſeu ſtatuta, ſed in ejus arbitrio poſita?*

REſpondeo cùm de puniendo delicto ſimpliciter agitur, beneficiato legitimè convicto, concipienda eſt ſententia (ſi id exigat qualitas criminis) ſuper hoc articulo privationis, aut explicitè, aut implicitè pronunciando ſuper depoſitione, eò quòd, licèt pœna hæc immineat pro quocunque grandi delicto, ut Abb. Rebuff. &c. ſuprà citati : Neque, ut ait Lott. *l.* 3. *q.* 33. *nu.* 48. eſt, qui illud in dubium revocet, ut de homicidio &c. non cenſebitur tamen illata, quantumcunque etiam juſta ſit inferri à jure per ſententiã, ſi id in ea non expreſſum, juxta dicta paulò ſupra. Lott. *loc. cit n.* 50. Felin. *in c. inquiſitionis. de accuſat. n.* 7. Rebuff. *in pr. tit. de modo amit. n.* 64. Lamb. *de jurep p.* 1. *d.* 2. *q.* 6. *a.* 9. *nu.* 1. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. privatio. §.* 1. Gutier. *qq. can. l.* 2. *c.* 2. *n.* 29. Pariſ. *l.* 3. *q.* 16. *n.* 29. & alii citati à Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 98. ſic Rota *in Faventina. de anno* 1543. conſuluit referente eodem Garc. *n.* 99. quòd condemnatus de homicidio, ex quo in ſententia non erat poſita, ſeu expreſſa privatio beneficiorum antea obtentorum, etiam poſt talem ſententiam non erat privatus jure ſibi in illo beneficio ante condemnationem homicidii competenti. Neque *ex l.* 1. *ff ad turpill.* ubi : *Si autem pronunciaverit calumniatus, & condemnavit eum, & quamvis nihil de pœna ſubjecerit, tamen juris poteſtas adverſus eum exercebitur, &c.* inferre licebit contrarium, nempe quod in pœna inſi genda per ſententiam damnatus de crimine, de quo jure meretur privationem, eò ipſo privatus ſit beneficio, licèt in ſententia nihil exprimatur : Nam id intelligendum, dum crimen tale, cui à lege ipſo jure ſtatuta talis expreſsè pœna, v. g. privationis ; utpote in quo caſu judex non privat per ſententiam, ſed declarat delictum commiſſum, & ſequitur mox pœna privationis à jure, etiamſi in hac ſententia non exprimatur talis pœna incurſa, juxta dicta ſupra ex Felin. *in c. Rodolph. de reſcript.* non autem quando lex non privat ipſo jure, ſed mandat privari, ſeu imponit pœnam per ſententiam, in quo caſu ipſe judex privat, & licet factum notorium ſit, ſemper opus eſt hac ſententiâ judicis, quâ irrogetur ab eo privatio ; ita ut ſi in hoc caſu, vel etiam ubi condemnat ſimpliciter de crimine aliàs digno hac pœnâ privationis, in jure fortè non expreſsè juſſa inferri hæc pœna privationis ; etſi de ea in ſententia mentio non fiat, mox ſequatur, abſque eo, quod opus ſit novâ ſententiâ privationis, ſivè qua pœna privationis expreſsè imponatur ; quaſi in executionem iſtius ſententiæ condemnatoriæ ſimpliciter & generaliter latæ ſuper crimine, quod ultimum voluit Innoc. *in c. poſtulaſti. de foro competente.* apud Garc. *loc. cit. nu.* 104. Neque audiendus eſt hic Garc. dum *n.* 105. *&* 106. ait, videri poſſe conciliari has ſententias dicendo ; quòd dum judex ſimpliciter tantùm pronunciaret abſque ulla addita pœnâ ſuper delicto digno privari, v. g. dicendo : *condemno te de tali crimine* : vel *declaro te tale crimen admiſiſſe* ; ſequatur ſeu inducatur dicta pœna privationis ; non verò ſequatur ea, ſi de crimine digno privari, non tamen actu ipſo inducente privationem, condemnet, aliquam pœnam irrogando, abſque eo, quòd de hac pœna privationis mentionem faciat in ſententia. Multò minùs audiendus eſt, ſed ab eo cavendum, ut ait Lott. *loc. cit. n.* 58. dum ex ſuo tradit in hoc poſtremo caſu, dum nimirum judex ſuper tali delicto digno privari pronunciat, etiam imponendo aliam pœnam, induci privationem, etſi de eo mentio nulla facta in ſententia ; dum delictum eſt tale, quod inducit irregularitatem, v. g. homicidium, eò quòd tunc, quia talis irregularis eſt inhabilis, non poteſt remanere cum beneficiis, privatio non tam ſit in pœnam, quàm ratione inhabilitatis : Nam, ut ait Lott. ex Molin. *de juſt. & jure. d.* 78. *nu.* 2. (quem aliàs pro ſe citat Garc.) irregularitas hujuſmodi inducit quidem incapacitatem pro obtinendis in futurum beneficiis ; non tamen pro retinendis obtentis ; ſed ad ſummum exigat talem privandum. Similiter neque obſtat, quòd, cùm ab hujuſmodi gravioribus delictis ſeparari nequit infamia, canonizato per ſententiam delicto, ſatis inde colligatur mens juris, ne Superior Eccleſiaſticus patiatur hujuſmodi infamem beneficio Eccleſiaſtico potiri, ſed ut, quemadmodum præveniens infamia eum ab illo obtinendo arcet, ita ſuperveniens eundem ab obtento dejiciat. Lott. *à n.* 59. Nam hæc omnia procedunt non niſi ex ſuppoſito, ſi feratur in talem ſententia, per quam fiat hujuſmodi remotio à beneficio, ſeu applicetur ei pœna privationis ; ita tamen

men ut interim dum ea non applicatur, is licitè beneficium retinet, & sic expectatur, quòd renunciet, vel deponat, & sic tota vis in hoc articulo privationis attribuatur sententiæ. Lott. *à n.* 64. citans pro hoc Innoc. *in c. cum nostris. de conceſſ. præbend. n.* 1. Abb. *ibidem n.* 22. Bald. *in l.* 2. §. *miles. n.* 2. *ff. de his, qui not. infam.* Farinac. &c. Porrò qualiter procedendum, dum agitur de incorrigibilitate, vide de hoc Lott. *loc. cit. à. n.* 79.

Quæſtio 176. *An, & qualiter à judice laico procedi poſſit, ad, vel circa pœnam hanc privationis: & ſi is in eo negotio proceſſerit, qualiter ſe gerere debeat Epiſcopus?*

1. REſpondeo primò in genere: Nihil omnino in & circa hoc poſſe nec quoad cognitionem, nec quoad condemnationem, judicem laicum; nam cognitio de quibuſcunque delictis Clericorum ita competit magiſtratui Eccleſiaſtico, ut nihil prorſus in ea ſibi vendicare poſſit magiſtratus civilis ſeu ſæcularis. Conſtat idipſum non tantùm ex SS. Canonibus, omnem hac in parte magiſtratui ſæculari poteſtatem negantibus, ut *c. at ſi clerici. 6. cùm ab homine. de judic.* ſed etiam ita receptum à catholicis ſcriptoribus, ut nequeat in dubium revocari, niſi negando aliquod principium fidei. Lott. *l.* 3. *q.* 33. *n.* 1. *&* 2. ex Suar. *in Clyp. fid. cathol. l.* 5. *c.* 15. *nu.* 1. Nec obſtat conſtitutio Juſtiniani, quæ eſt *novella.* 83. ubi inſinuari videtur jure cæſareo, ſic quondam ſtatutum, ut pro criminibus Eccleſiaſticis; puta ſimoniâ, perjurio, ſacrilegio adiretur Epiſcopus, pro aliis civilibus, v. g. homicidio, furto, cognitio ad ſæculares pertineret; nam præterquam quòd ea conſtitutio, ut Suar. *loc. cit. nu.* 7. fuerit correcta & revocata, per jura canonica, ſed & per conſtitutionē Friderici *in auth. ſtatuimus. c. de Epiſcopis & clericis.* quin & à principio nulla, utpote contra jus divinum, & conſtitutiones piorum principum prædeceſſorum Juſtiniani ad favorem Eccleſiæ promulgatas, atque ita effectas irrevocabiles, oſtendit Lott. *à n.* 5. non fuiſſe conſtitutionem univerſalem, ſed privilegium, ſeu pragmaticam quandam editam per Juſtinianum ad petitionem Mennæ Patriarchæ Conſtantinopol. ne pro defectu judicum Eccleſiaſticorum non callentium jus civile crimina clericorum manerent impunita. Et ſic Juſtinianum per hoc nihil egiſſe contra jus divinum, vel etiam ſtatuta ſuorum prædeceſſorum; dum facultas iſta in cognoſcendo judicum ſæcularium jam non profluëret à Juſtiniano, niſi cooperante, ſed & expoſtulante id Patriarchâ, adeóque nec in minimo per hoc labefactata poteſtas Eccleſiæ, ut Suar. *loc. cit.* juxta *c.* 1. 2. 3. 4. *&c. cauſa* 11. *q.* 1. Lott. *n.* 6.

2. Quin nec reſpectu cujuſvis criminis ulla prætendi poteſt in contrarium conſuetudo, utpote nullius momenti, & tanquam repugnans non tantùm SS. Canonibus, ſed & juri divino; quo clerici, veluti qui res ſunt ſpiritualis, & ex toto corpus & animam dederunt in ſervitutem & ſortem Chriſti, ut dicitur *cap. clericus. cum duobus ſequentibus.* 12. *q.* 1. Eximuntur ab hac poteſtate ſæculari, & ſolius Papæ & conſtitutionum Eccleſiaſtic. judicio ſubſunt. Lott. *à nu.* 9. Unde jam etiam talis conſuetudo nullum ex quocunque tempore, aut Papæ conniventiâ robur ſumere poteſt; quò minùs dicatur merus abuſus, & cenſeatur ab Eccleſia condemnata. Lott. *n.* 12. Sed & fruſtra prætenditur immemorialitas; nam licèt aliàs juſtificatâ immemoriali, allegari poteſt privilegium Apoſtolicum, nec dubitari poteſt, ut cunque tandem hæc clericorum prærogativa proficiſcatur ex divino præcepto, non criminali, aut judiciali, quod ſublatum videri poſſet, ſed ex morali (quod, ut Card. *in c. perpendimus. de ſentent. excommunic. in* 6. Felin. *in c.* 2. *de major.* & *ibidem n.* 2. *juxta c. Si imperator, diſt.* 96. Papa in totum tollere nequit, ita ut leges humanæ ſuper hoc latæ cenſeantur juris divini relativæ, non autem novi alicujus juris inductivæ, juxta Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 20. Lott. *n.* 15.) quin ea aliquatenus poſſit elidi ex privilegio Papæ, ex cauſa juſtiſſima concedentis alicui principi, ut de certis delictis clericorum, puta, majeſtatis, falſæ monetæ, vis publicæ &c. (quæ propterea ſunt crimina privilegiata) per ſuos judices cognoſcat. Lott. *à nu.* 16. Difficultas tamen eſt in hac immemoriali juſtificanda; tum propter incapacitatem perſonæ, in qua non poteſt initiari aliqua poſſeſſio, & conſequenter aliqua præſcriptio, juxta dicta aliàs. Lott. *n.* 17. tum propter defectum quadragenariæ, quæ baſis & eſt fundamentum immemorialitatis; ut Lott. *hic n.* 18. *& l.* 1. *q.* 24. *n.* 226. hæc enim propter naturam materiæ ſubjectæ probatu eſt impoſſibilis, ex quo ſingulis annis interrumpitur per publicationem conſtitutionis Apoſtolicæ, quæ legitur in die cœnæ Domini. Lott. *nu.* 19. citans Felin. *in c. cum non liceat. de præſumpt. n.* 12. hinc jam

3. Reſpondeo ſecundò: Si tamen judici laico quòad hoc datum indultum pontificium, & is ex eo (citra illud enim nihil agit, ut ex jam dictis conſtat, & inſuper graviſſimis ſubjacet pœnis) per ſententiam ſuam condemnet clericum de crimine, pro quo de jure ſit actualiter degradandus (idem videtur de depoſitione, ſeu privatione beneficii, quamvis Lott. *n.* 31. ex Barboſ. *in collect. ad c.* 1. §. *ult. de homicidio in* 6. dicat, quòd pœna diſpoſitionis à dignitate vel beneficio, quæ in citato textu ipſo jure imponitur clerico aſſaſſinio, nihil commune habeat cum degradatione actuali) adhuc nihil fit; quin implorari inſuper pro actuali degradatione debeat Epiſcopus, & is ad eam devenire, cùm laicus aliter in hoc caſu habiti indulti Apoſtolici non intelligatur proceſſiſſe vel judicaſſe, quàm uti delegatus Apoſtolicus & non ſuâ, ſed delegantis dicatur uſus juriſdictione; ac ita timeri non poſſit læſio libertatis Eccleſiaſticæ. Lott. *à nu.* 20. citans Card. *in c. perpendimus. de ſentent. excom. n.* 8. Felin. *in c.* 2. *de major. & obedien. n.* 3. Aufrer. *in repet. c.* 1. *de offic. Ordinar. q.* 4. *n.* 6. *&c.*

4. Reſpondeo tertiò: Debebit autem tunc Epiſcopus requiſitus pro degradatione (idem eſt de privatione) expendere prius, qualiter ſe illud factum judicis habuerit, nempe perfecto & examinato proceſſu, per quem ſibi priùs conſtet de privilegio ſeu indulto Apoſtolico, tanquam fundamento juriſdictionis in actis regiſtrato (uti hoc hunc in finem præinſeri proceſſui neceſſe eſt) num tale reverâ exiſtat, an duret, num exceſſum in ejus uſu, tam circa validitatem, quàm juſtitiam. Lott. *à n.* 23. ex Carolo de Graſſis. *de effect. cleric. effectu* 1. *nu.* 34. &, ſi his minimè aut leviter ſolùm perpenſis judex Eccleſiaſticus procederet ad degradationem, utique graviter erraret: nam

5. Reſpondeo quartò: Præſcindendo à tali privilegio, cùm proceſſus per judicem laicum confectus ſit omnino nullus, quantumcunque exhibeatur, non poteſt in eo confingi aliqua juſtificatio deli-

delicti; super qua valeat judex Ecclesiasticus suum judicium firmare juxta expressum textum *c. at si clerici.* Lott. *n.* 26. idque etiamsi supponeretur clericum fuisse deprehensum in flagranti crimine juxta *c. cùm non ab homine. de judic.* Lott. *nu.* 27. Quamvis enim illa deprehensio excuset judicem, quò minùs, si deprehensum detineat, incurrat censuras, juxta *c. nuper. de sentent. excom.* Lott. *n.* 28. nihil tamen tribuit laico potestatis, utpote cujus jurisdictio in delicta clericorum non est prorogabilis; etiam in eo, quòd clericus ipse in eam consentiat, aut neget se clericum, vel profiteatur etiam se laicum, Lott. *n.* 29. citans Bald. *in c. si qua per calumniam. c. de Episcopis & cleric. n.* 5. Pacian. *de probat. p.* 2. *c.* 34. *n.* 74. Jo. Andr. *in c. si judex laicus. de sentent. excomm. in* 6. *in principio.*

Quæstio 177. *An, & qualiter privationem hanc infligere valeat Vicarius?*

REspondeo: Vicarium generalem Episcopi non posse absque speciali mandato Episcopi procedere ad hanc pœnam privationis infligendam. c. Luca, *de benef. d.* 11. *n.* 4.

Quæstio 178. *An inducatur vacatio beneficii per sententiam privationis nullam, & qualiter procedat exceptio nullitatis, & notoriæ injustitiæ?*

1. REspondeo ad primum negativè: Paris. *l.* 1. *q.* 7. *n.* 72. quia, quod nullum est, nullum præbet impedimentum. *c. illud. de jurepat.*

2. Respondeo ad secundum primò: eum, qui renunciavit appellationi, non censeri hoc ipso renunciasse facultati dicendi de nullitate. Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 94. ex Bald. *in l. unic. c. ne una eadémque causa provocare lx. §. ult. n.* 9.

3. Secundò: deductio nullitatis non suspendit executionem, ubicunque deducitur judicatum ex tribus conformibus, juxta *Clem. ut calumniis. de re judicata.* Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 83. Et sic, dum in hoc casu trium cõformium rescribitur super causa gravaminis vel nullitatis, vel restitutionis in integrũ, non rescribitur aliter, quàm cum clausula: *parito judicato:* cujus vis adæquata est dictæ *clem.* ut nimirum non audiatur sententiam passus, donec perfectè sit paritum judicato; sic enim rescriptum conceptum dicitur conditionale, ita ut illi, cui rescribitur, non acquiratur jurisdictio, nisi purificatâ hac conditione, seu *parito judicato.* Lott. *n.* 127. citans Socin. senior. *cons.* 99. *n.* 10 *l.* 3. Put. *decis.* 419 *per tot. l.* 1. Neque solet hæc clausula omitti, etiamsi processum fuerit per contradictas, nisi in continenti possit doceri ex iisdem actis de nullitate. Lott. *n.* 128. juxta decis. Rotæ. 256. *n.* 1. apud Veral. contra Staphil. *de lit. just.* §. *quando petitur commissio n.* 10. Importatque dicta clausula necessitatem restitutionis fructuum, & solvendi expensas. Lott. *n.* 130. quem vide. Unde jam, cùm excipitur de tribus conformibus ad effectum promovendi calumniam in adhuc provocante, aut dicente de nullitate, vel etiam implorante extraordinarium remedium restitutionis in integrum, hoc unum solum disquiritur: nempe, an existent verè tres conformes. Lott. *n.* 104. Hanc autem conformitatem metimur ab identitate subjecti, super quo pronunciatum est, ut Gl. *in cit. Clem. V. tres.* Lott. *cit. n.* 104. Quamvis circa idipsum sententiæ sint dividuæ, veluti, si non conveniant in articulo condemnationis ad expensas, ita ut tunc in ea parte, in qua sunt difformes, excludatur, vel suspendatur judicatum, ut Cravetta *cons.* 163. *n.* 4. Menoch. *cons.* 145. Lott. *n.* 105. In altera verò parte sustineri possit conformitas ad effectum dictæ *clement.* & sint exequibiles, ut Gloss. *cit. v. alicujus ex iis.* Cravetta *cons.* 183. *n.* 2. Covar. *qq. prac. c.* 25. *n.* 6. Surd. *cons.* 27. *n.* 11. Lott. *n.* 106. Neque pro constituenda hac conformitate ita adhærendum verbis, ut non magis attendatur conveniẽtia sententiarum in substantialibus. Lott. *n.* 107. citans Socin. jun. *cons.* 73. *n.* 1. & 2. *l.* 2. *thesauri*, & aliquot Rotæ decisiones. Proceditque dicta *Clem.* etiam in tribus conformibus, una difformi seu contrariâ sententiâ interpolatis; Neque enim requiritur ut dictæ tres conformes immediatè nullâ intermediâ contrariâ sibi succedant. Lott. *n.* 108. citans Covar. *ubi ante n.* 3.

4. Nihilominus elideretur in excipiente de nullitate post tres conformes dicta præsumptio calumniæ, & consequenter suspenderetur executio, si proponeretur nullitas ex jurisdictionis defectu. Lott. *n.* 109. citans Gig. *de pension. q. ult. n.* 20. Covar. *ubi antè. n.* 4. Barbat. *cons.* 44. *nu.* 1. Menoch. *cons.* 345. modò manifestus sit hic defectus; alias enim non amitteretur ejus deductio, nisi post executionem confirmatam. Lott. *à n.* 110. Estque id ipsum speciale in hac nullitate proveniente ex defectu hujus jurisdictionis nullatenus trahendum ad alias nullitates. Lott. *n.* 111. & 112. juxta Gl. *in cit. Clem. V. non obstante*; ratio hujus singularitatis est, quòd hujus nullitatis exceptio potiùs concernat publicam, quàm privatam utilitatem. Lott. *n.* 113. ex Anchar. *in cit. Clem. n.* 7. quæ ideo etiam non cadit sub dispositione rejiciente nullitates in genere. Lott. *n.* 114. citans Vant. *de nullitat. ex defectu jurisdictionis, n.* 3. & 4. Guttier. *in pract. qq. civil. l.* 1. *q.* 96. *n.* 8. Menoch. *cons.* 2. *n.* 152. Nec venit sub commissione sanatoria, quæ nullo modo pro ea datur. Lott. *cit. n.* 14. citans Staphil. *de lit. just. sect. commissio an detur super validitate proceß.* Sarnen. *in compendio utriusque sign. n.* 74. Facilius autem rejicitur nullitas, si quæ objiceretur non contra posteriorem sententiam, sed contra priorem confirmatam, parte non opponente, per duas sequentes. Lott. *n.* 116. citans Alex. *cons* 111. *nu.* 5. *vol.* 5. Felin. *in c. eam quæ. de sent. & rejudic. nu.* 2. Idque etiamsi proponatur seu objiciatur nullitas ex defectu jurisdictionis. Lott. *n.* 117. Dum autem quæritur de facto, an sit oppositum, non sufficit oppositio facta in genere ex clausula nullitatis; sed necessarium est, ut clausula hæc fuerit ad speciem deducta. Lott. *n.* 118. De cætero tamen admitteretur exceptio nullitatis cujuscunque, modò resultaret in actis, si executio esset irretractabilis. Lott. *n.* 119. citans Paul. de Eleazar. & Anchar. *in cit. Clem. calumniis.* Guidon. Papam. *decis.* 579. *n.* 4.

5. Pari quoque modo admitteretur exceptio notoriæ injustitiæ; licèt enim hæc diversum quid sit à nullitate, etiamsi resultaret ex iisdem actis, nisi sententia se referat ad ipsa acta; illi tamen ad hunc effectum impediendi executionem æquiparatur. Lott. *n.* 120. & 122. modò tamen ea verè sit notoria: sententia enim, cùm præsumatur ritè & rectè lata, adeóque justa, prout de jure fieri debuit; ut Gl. *in authen. generaliter. v. injustè. de Episc. & cleric.* Menoch. *cons.* 110. *n.* 6. cum communi; is,

is, qui se fundat super hujusmodi judicato, non debet probare justitiam, sed qui excipit, debet demonstare hanc notoreitatem injustitiæ, ita ut non possit ne quidem subtiliter disputando vitium obfuscari, sive referatur ad injustitiam, sive ad nullitatem. Lott. *à n.* 122. Et hæc quidem cum toto rigore *cit. Clement.* ubicunque exstant tres conformes; de cætero

6. Respondeo ad secundum tertiò: Dum deducitur judicatum ex duabus tantùm conformibus, aliquantò mitiùs proceditur; nam licèt præservetur executio, non tamen rescribitur cum dicta clausula: *parito judicato*, suspensivâ jurisdictionis; de qua sub initium responsionis præcedentis. Lott. *à n.* 132. Multóque minùs id fit, dum in hoc casu duarum conformium imploratur remedium extraordinarium; de quo *quæst. seq.* Et videtur idem in hoc casu dicendum de exceptione nullitatis, quod de petita restitutione in integrum in hoc casu dicetur *quæst. seq.* Licèt autem Lott. *n.* 84. dicat, idem esse in hoc casu duarum conformium, ubi ex statuto vel jure speciali hoc inductum, ut nimirum duæ illæ habeant vim trium, adeóque & in hoc casu militet dispositio *cit. Clement.* nimirum quòd nec agi, nec excipi possit de nullitate, nisi priùs factâ executione. Lott. *n.* 84. *junctis n.* 88. *& seq.* Subdit tamen idem Lott. *n.* 92. non satis videri perceptibile, qualiter in duabus tantùm conformibus militet dicta dispositio, cùm tanta, adeóque urgens suspicio calumniæ non sit contra excipientem de nullitate, qui unâ vel alterâ sententiâ succumbit, quàm qui tribus conformibus; neque ut Lott. *n.* 102. in diluenda hac præsumptione par sit ratio, dum in casu trium conformium hæc præsumptio calumniæ est juris & de jure (*in cit.* enim *Clement.* hoc supponitur, & super suppositio disponitur) in secundo verò casu duarum conformium est simplex præsumptio juris, proindeque illa prior præsumptio vix manifestatâ veritate in contrarium, credibilis est; posterior verò contrariæ probationi cedit, ut Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 3. Lott. *n.* 103.

Quæstio 179. *An, & qualiter privatus ob delictum restituendus sit, juvaríque possit remedio restitutionis in integrum?*

1. Respondeo primò: Privatus ipso jure ob delictum ipso jure non est restituendus in hoc sensu, quòd ei spoliato aliunde non competat actio spolii, nec debeat restitui ad beneficium. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *n.* 138. Quippe communis est sententia, quod is, qui possidere amplius nequit beneficium, non secus ac ei, qui possidere non potuit, v. g. laico, danda non sit ad illud restitutio; cùm clarè & notoriè constet de jure non potentis, & frustra tractatur de possessione illius, qui possidere non potuit, aut amplius non potest; Paris. *ibidem n.* 123. citans pro hoc plures, & id pluribus exemplificans, *à n.* 125. ut in intruso, in simoniaco, hæretico, &c. ac demum subjungens *n.* 137. id procedere, seu spoliatum non esse restituendum ad beneficium, ubi constat notoriè de defectu proprietatis, pro quo citat Cravet. *cons.* 790. *n.* 8. Menoch. *de remed. recup. possess. remedio* 5. *n.* 438. Mascard. *de probation. conclus.* 326. Econtra, ubi spoliatus non est ipso jure privatus ob delictum, potest restitui; sive crimina, quæ non privant ipso jure, non impediunt restitutionem. Paris. *loc. cit. n.* 40. citans Abb. *in c. item cum. de restit. spol. n.* 3.

2. Respondeo secundò: Justè privatus ob delictum, si postea restituatur, porrigitur hæc restitutio ad beneficium, ubi beneficium interim alteri collatum non est; aliàs secus, quia hæc restitutio est gratiosa, inter quam & restitutionem justitiæ est maxima differentia. Paris. *l.* 3. *q.* 7. *n.* 42. citans Bald. *in c. constitutus. de rescript.* Gemin. *in c. quamvis. eodem tit.* Abb. *in c. ex tua. de cleric. non residen.*

3. Respondeo tertiò: privatus injustè (intellige, quia delictum non merebatur tantam pœnam, vel hæc inflicta contra juris præscriptum; aut etiam penitus innocenti) debetur restitutio in integrum; hoc est ad beneficium & omnia, quæ priùs tanquam annexa ad beneficium habebat; puta ad stallum in choro, ad præbendam, dum canonicus est, ad jurisdictionem, si quæ beneficio annexa; Et hæc, etiamsi beneficium jam collatum alteri, quia hæc est restitutio justitiæ, in qua valet communis regula, tantum restitutio in integrum restituit, quantum læsio abstulit. *l. ult. ff. de restitut. in integ.* & restitutio in integrum justitiæ auffert jus alteri quæsitum, etiám plenè & perfectè; Paris. *loc. cit. n.* 46. citans Paul. de Castro. *ad l. gallus ff. de liber. & posthum. n.* 14. Et hæc juxta ea, quæ tradit Paris. *cit. q.* 7. *à n.* 43. *&* 75. de restitutione in integrum minoris resignantis graviter in hac resignatione læsi.

4. Respondeo quartò: Imploratio restitutionis in integrum non suspendit executionem, dum judicatum deducitur ex tribus conformibus, sed intrat dispositio *cit. Clem. ut calumniis.* & solet rescribi cum clausula *parito judicato*, secundùm dicta paulò ante de exceptione nullitatis. Lott. *l.* 3. *q.* 18. *n.* 83. 127. 133. ubi verò non sunt tres conformes (etiamsi aliàs ex statuto, vel alio jure singulari simpliciter esset remota seu prohibita appellatio, vel etiam facultas dicendi de nullitate, quia ista sunt remedia diversa, quibus subvenitur victo; sublato autem uno non censetur sublatum aliud. Lott. *loc. cit. n.* 134. citans Imol. *in cit. Clem. n.* 7. Oldr. *de restitut. in integrum. q.* 75. *nu.* 31.) suspenditur executio, & non rescribitur cum dicta clausula: *parito judicato*; ubi fuit præventum in petenda restitutione in integrum (idque etiamsi causa restitutionis sit turbida. Lott. *nu.* 136. Gabr. *de execut. rei judicat. conclus.* 1. *n.* 17. *&c*) secùs, si præventum in exequendo; tunc enim præservatur executio, & rescribitur cum dicta clausula. Lott. *n.* 135. dicens, sic observari in signatura. Ut autem dicatur in hac petitione restitutionis præventum, sufficit eam petitam esse. Lott. *n.* 137. citans Oldr. *ubi antè. q.* 42. *n.* 1. sicut econtra, ut dicatur præventum in executione, sufficit eam esse petitam, Lott. *n.* 138. citans Cæsar. de Graffis. *decis.* 20. *n.* 14. *post decis.* 277. *l.* 2. *&c.* cum hoc tamen discrimine, ut in petenda executione non sufficiat simplex petitio, sed requiratur illius admissio per decretum judicis; etiamsi non fuerit deventum ad ejusdem decreti executionem per actum extrinsecum, id est, per relationem executorialium; exinde enim, ubi nimirum judex decrevit executionem, dicitur inchoata executio, ut prætextu restitutionis non possit illius cursus denuò impediri. Lott. *n.* 139. *&* 140. citans aliquot Rotæ decisiones. Econtra in petenda restitutione, ut dicatur præventum, sufficit simplex petitio ipsius victi, per solennem tamen libellum coram eodemmet judice, qui sententiam tulit; etiamsi

etiamsi is sit delegatus: quamvis enim delegatus non possit restituere, ut Oldr. *loc. cit. q.* 32. *à n.* 139. tum tamen libellus implicat emissionem ad principem aut alium Superiorem, qui potest restituere; satis dicitur hìc præventum in petendo; cùm id sufficiat pro introductione causæ juxta Oldr. *loc. cit. n.* 142. Abb. *in c. 2. de offic. delegat. n. 3.* Lott. *n.* 141. *&* 142. De cetero, ubi ageretur de restitutione ad effectum impediendi executionem obligationis cameralis; cùm hæc æquipolleat tribus conformibus, intrat pro rejectione causæ, restitutionis dispositio. *cit. Clem.* &, si in vim illius decernatur executio, necessariò consequitur, inchoatam esse executionem, & sic sustineri potest, per præventionem in petenda restitutione in integrum non impediri executionem obligationis cameralis. Lott. *n.* 144. Porrò si quando signatura rescribat cum supradicta clausula: *parito judicato*, vel alia præservativa executionis, sed modificata arbitrio Rotæ, modificatio hæc operetur, ut victus possit audiri in deducenda nullitate vel injustitia, & tantisper, ut audiatur, suspenditur executio; cùm eadem æquitatis ratio emolliens rigorem juris in aperiendo audientiam contra judicatam suadeat, & sic inhiberi executionem judicati. Lott. *n.* 146. *&* 147. Si tamen nihil doceat, unde efformetur læsio (quæ est fundamentum restitutionis) illicò contra victum emergit præsumptio calumniæ. Lott. *à n.* 148. dicens, in hoc fundari stylum palatii, ne pronuncietur in articulo restitutionis expressè, sed tacitè; nempe si constet de causis restitutionis, aut ex injustitia, aut ex nullitate sententia revocetur, perinde, acsi appellatum esset; aut dictum de nullitate; sin secus, procedatur per eundem judicem, cui commissa est causa restitutionis. Atque ita, dum Papa mandat cognosci, non perimit judicatum aut actionem, quæ ex eo descendit; sed simpliciter suspendit effectum; adeóque non derogat regulæ de jure quæsito non tollendo. Sicut autem judex compertâ læsione, revocat sententiam, & non est locus dictæ regulæ, eò quòd tunc non potest videri judicatum; sic, si advertit cessare hanc læsionem, ne videatur præjudicatum juri quæsito ex judicato, illud simpliciter exequitur. Lott. *à n.* 151. Denique commissâ restitutione lis perpetuò redintegratur, reponiturque in eo statu, in quo erat ante judicatum. *l. 1. c. de restitut. in integ.* Lott. *à n.* 154.

Neque enim is, cui non est limitatum arbitrium, præcipuè si magistratus supremus est, censetur magis constitutus executor judicati, quàm cognitor; & sic in supremis tribunalibus magis spectatur æquitas in suspendenda executione, quàm rigor juris in exequendo judicatum in aliis tribunalibus, ubicunque detegitur injustitia. Lott. *à n.* 155. subjungens, sic servare Rotam, dum sententias extra eam latas non exequitur, nisi excussâ earum justitiâ; passimque eas qualescunque revocat, detectâ injustitiâ, sive ea nota sit, sive non. Et meritò, ut idem subjungit *n.* 159. quia læsio excludit præsumptionem calumniæ; hac autem præsumptione remotâ nihil est, quin debeat suspendi executio judicati, juxta *L. unicam. c. de in integrum restitut.* ne quid novi fiat; est enim restitutio actus suspensivus.

Quæstio 180. *Qualiter resolvatur vis omnis judicati quoad præsentem materiam privationis beneficii?*

1. REspondeo resolvi vim omnem judicati, primò, dum sententia lata fuit in contumaciam pro aliquo delicto, comparente nimirum reo infra annum, & docente de sua contumacia; Lott. *l. 3. q. 18. n. 163.* citans Farinac. *cons. 14. n. 6. juxta textum l. 1. §. ult. ff. requirend. reis.* sententia enim hujusmodi, cùm magis videatur lata propter contumaciam, quàm ob delictum, hac contumaciâ purgatâ, evanescit omnis sententiæ effectus. Lott. *n.* 165. citans Felin. *in c. ex literis. de constitut. n. 19.* Alciat. *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 22.* Farinac. *criminal. qq. q. 11. n. 90. &c.* Si verò patiatur annum elabi, etiamsi admittatur ad novas defensiones, non admittitur tamen, nisi cum clausula: *sine præjudicio bonorum fisco incorporatorum.* Lott. *n.* 164. dicens hanc clausulam trahi etiam ad beneficia Ecclesiastica, quæ eo ipso dicuntur incorporata, quòd sint alteri collata, ut Farinac. *loc. cit. n. 7.* Et licèt post annum purgetur contumacia ex principis rescripto, non tamen tunc intrat eadem ratio; quia ea non datur in præjudicium juris quæsiti, nempe illius, cui provisum de tali beneficio; tametsi enim neque in isto casu sententia contumacialis probet delictum, probat tamen factam privationem, quod sufficit pro probatione gratiæ alteri factæ de illo beneficio. Lott. *à n.* 166.

2. Secundò resolvitur vis omnis judicati, dum princeps ipsi restituit condemnatum plenariè; nihil enim est, quia Papa, in cujus potestate absoluta sunt omnia beneficia, ita possit restituere, etsi hac potestate utatur parciùs; utitur autem ob majus bonum, resolvendo effectum privationis præcedentis usque ab illius principio, etiam respectu possessionis. Lott. *n.* 170.

Quæstio 181. *Quæ sit vis & diversitas sententiæ condemnatoriæ & absolutoriæ in hac materia beneficiali?*

REspondeo in hoc, quòd condemnatoria (sub quo termino venit adjudicatoria & canonizatoria sententia) quòd illa tribuat jus victori; adjudicat enim beneficium, & jus in eo canonizat. Ac proinde exigit discussionem tituli, & justificationem omnium habilitatum, ne detur vitiosus ingressus in beneficium, ut Mandos. *ad reg. 18. cancellariæ. q. 3. n. 3.* Absolutoria verò simpliciter detur possessori vel reo ex non jure actoris, etiam excluso per jus tertii juxta Veralt. *decis. 133. n. 1. & 2. p. 3.* Lott. *cit. q. 18. n. 172. &* 173. Proinde pro obtinenda absolutoria opus non est, reum præmittere ullam probationem (onus enim probandi ad actorem, non ad reum spectat) nec intelligitur jus aliquod tribuere (intellige affirmativè per applicationem ad personam rei seu possessoris; respectu autem actoris, contra quem fertur, per negativam illi positivè detrahit apparentiam, si quam habuit, juris considerabilis) nam sive feratur adjudicatoria, sive simplex absolutoria, semper pronunciatur victo jus nullum competere. Lott. *à n.* 174. dum enim est adjudicatoria, id suggerit natura subjectæ materiæ; cùm beneficium non admittat duos titulares; dum est absolutoria, id suggerit status causæ, cùm ideo feratur sententia contra petitorem, quia

quia non constat de jure aliquo ipsius; atque ità actori imponitur perpetuum silentium, cum condemnatione in expensas. Lott. *à n.* 177. Sed neque impeditur hujusmodi absolutoria in petitorio ex possessorio non suspensa; ut Cæsar de Grass. *decis.* 103. *de rejudic. n.* 1. multóque minus ex mente actoris collitigantis, modò præmittatur citatio generalis contra sua interesse putantes, juxta Rotæ *decis.* 872. *l.* 3. *p.* 3. *divers.* Neque ex censurarum vinculo; & licet id constitutum sit ad favorem rei, idem tamen servatur favore actoris, si is possideat. Lott. *à n.* 180.

Quæstio 182. *A quo, & quibus conferri possint beneficia vacantia per privationem?*

1. REspondeo ad primum: quantum præcisè ex hoc est, quòd vacent per privationem, nisi aliunde specialis aliqua adsit hic & nunc reservatio, conferri possunt, sicuti & aliter vacantia. Nimirum reservantur per regulam mensium, si vacent in mensibus apostolicis, relinquuntur Ordinario, si vacent in mensibus Ordinarii. Gonz. *gl.* 15. *n.* 156. citans Nav. *cons.* 18. *de præbend. n.* 3. *& per totum.*

2. Respondeo ad secundum: dum beneficium vacat ipso jure, vel per sententiam (sivè ex dicta privatione ob delictum, sivè ob aliam causam) non possunt provideri de eo, nec à Sede Apostolica, nec ab Ordinariis, nec ab alio quocunque collatore illi, qui fuerunt judices civiles vel criminales, dictarum causarum; sive sint Cardinales, vel Rotæ Auditores, aut Referendarii, Patriarchæ, Archi-Episcopi, vel quivis alius similis, aut dissimilis judex. Neque etiam dictorum judicum nepotes, consanguinei seu affines, sollicitatores, procuratores, domestici familiares, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, conditionis fuerint, cum decreto irritante, ut sanctissimè constitutum fuit, ad obviandum fraudibus, & injustitiis, ac delinquendi occasionibus in privando aliquem innocentem, vel esse privatum declarando; ut aliquis ex præfatis personis de tali beneficio provideatur per Bullam Pii IV. quæ incipit: *cupientes.* Gonz. *loc. cit. n.* 157. eandem Bullam ad fusum recitans *n.* 158.

PARAGRAPHVS II.

De vacatione ex privatione ob delicta omissionis, &c.

Quæstio 183. *An, & qualiter vacent beneficia ob non factam publicationem resignationis?*

REspondeo de hoc agendum infra, ubi de publicatione resignationis: vide tantisper Lott. *l.* 3. *q.* 21.

Quæstio 184. *An, & qualiter vacet beneficium curatum ob non servatam in ejus collatione formam constitutionis Pii quinti, quæ incipit*: In conferendis. sub data 15. Kal. April. Anno 1566. *& est in Bullario* 82. *inter constitutiones hujus Pontificis?*

REspondeo: vacare ipsò jure, asserunt Barb. juris Eccl. *l.* 3. *c.* 14 *n.* 37. Chok. *ad reg.* 8. *cancel. n.* 18. *vers.* 31. Gonz. *gl.* 15. *n.* 88. verumtamen non tam de novo vacare ipso jure exinde talia beneficia, quàm tales eorum collationes, in quibus dicta forma non servata, nullas esse, & ea pergere vacare ac antè, satis demonstrant dictæ constitutionis verba, quæ lege apud eundem Gonz. *gl.* 6. *n.* 125. & Quarant. *in sum. Bullarii. v. beneficium parochiale. collat.* 4.

Quæstio 185. *An, & qualiter vacet beneficium ob non promotionem infra annum?*

1. REspondeo privari & vacare ipso jure. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 11. Gonz. *gl.* 15. *n.* 47. Vide fusè de hoc dicta *in tr. de elect.* Porrò tradit Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 29. *n.* 101. pœnam hanc privationis beneficii incurri ipso jure, ita ut ex communi sententia ante ullam sententiam declaratoriam teneatur talis se spoliare beneficio; eò quod licet pœnæ regulariter non obligent ad sui executionem ante sententiàm, saltem declaratoriam criminis, hæc tamen privatio non tam sit pœna, quàm defectus conditionis requisitæ à lege, ut collatio firmâ perseveret; ac proinde, deficiente hac conditione, rescindatur, & resolvatur collatio à principio valida, lege sic disponente. Quam sententiam quamvis Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 6. *n.* 6. dicat se approbare; quia communis est, ait tamen *ibidem* contrariam; pro qua citat Zerol. *in pr. p.* 1. *v. beneficium*, §. 4. non levi nitì fundamento; adeóque probabile esse non obligari aliquem ob neglectam illam promotionem cedere beneficio, quousque per sententiam obligetur; eò quòd hæc privatio revera sit propriè pœna, ut pro certo tenet Suar. *l.* 5. *de ll. c.* 5. *n.* 8. *& c.* 3. *n.* 10. tum quia irrogatur ob delictum neglectorum ordinùm; tum quia privat jure quæsito in beneficio, quod jus independens est à susceptione ordinum, ne aliàs teneretur non suscipiens ordinis restituere omnes fructus illo anno perceptos; quod est contra communiorem. Sed neque hæc obligatio deduci possit ex *c. licet canon. de elect. in* 6. dum ibi dicitur: *Quòd si infra annum promotus non fuerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam præmissâ monitione, sit præsentis auctoritate canonis privatus*: cùm, ut Garc. *p.* 11. *c. ult. n.* 30. ista verba: *nullâ præmissâ monitione*, referenda sint ad promotionem, non ad privationem, ita ut sensus sit, si promotus non sit intra annum, etiam nullâ præmissâ monitione, Ecclesiâ commissâ sit privatus. Adde, quòd & aliàs dici posset idem de privato ipso jure ob alia crimina, puta hæresis, simoniæ, beneficium concedi sub illa conditione, ne illa delicta committantur; illis verò commissis, beneficii collationem annullari, quod est contra communem.

2. Quò minùs verò incurratur hæc privatio, facit legitimum impedimentum, v. g. infirmitas vel absentia Episcopi (in quo tamen casu, si Episcopus det licentiam, ut ab alio Episcopo promoveri possis, te fore in culpa, si non promovearis.) Item quoties ex parte Episcopi provenit impedimentum, debere te ad vitandas lites protestari, te paratum esse ad suscipiendos ordines, ait Castrop. *loc. cit. n.* 9. Item si ob irregularitatem, vel aliud impedimentum canonicum, cujus dispensationem tentatam obtinere nequis, non promovearis, etiamsi talis irregularitas tuâ culpâ contracta, modò eâ intentione contracta non sit, ut ab Ordinibus suscipiendis impediaris; quia positâ irregularitate jam es legitimè impeditus, neque per te ipsum stat, quò minùs promovearis; quòd verò culpam commiseris in contrahenda irregularitate, est per accidens; cùm non contigerit ex intentione ea, ut ab Ordinibus impediaris: aliàs enim etiam privandus esses beneficio, si ob infirmitatem tuâ culpâ contractam

impediatis ab Ordinibus. Castrop. *loc. cit. n.* 19. citans Garc. *p.3.c.4.n.6.* Rebuff. *in pr. tit. de non promotis intra annum. n.*80. Less. *de just. l.2.c.*34. *n.*100. contra gl. *in citatum c licet canon*; Azor *p.2. l.7.c.*16. *q.*11. Diaz *pract. p.5.c.*53. *n.*3. apud eundem Castrop. censentes contrarium, ubi impedimentum canonicum tuâ culpâ contractum. Item, quòd ex dictis sequitur, si ob illiteraturam rejiciaris ab Episcopo ab Ordinibus, esto, in discendis literis negligens fueris; quia non ob negligentiam hanc, sed ob negligentiam immediatam suscipiendi Ordinis, privandus quis est beneficio. Castrop. *loc. cit. n.* 11. citans Garc. *ubi antè*, testantem sic respondisse S. Congregationem. Ac denique evitabitur dicta privatio, si tecum dispensatum quò ad obligationem suscipiendi intra annum; cessat enim tunc culpa, quam supponit ista privatio; *c. commissa. de elect. in 6.* Castrop. *loc. cit. n.*7. hanc autem dispensationem solus Papa concedere potest, & ex ejus commissione Episcopus in unico casu; nempe ob studium ad septennium, & tunc intra annum ordinari debet subdiaconus, & septennio completo intra annum sacerdos; Castrop. *loc. cit. n.*8. meritò dubitans, num hæc potestas subtracta Episcopis per Trident. quod se fusè disputâsse ait, *tr.7.d.3.p.9.§.9.n.*8. *& 9.*

Quæstio 186. *An, & qualiter vacent beneficia ob non residentiam?*

REspondeo: de hoc quoque satis dictum aliàs, ubi de residentia parochorum, vide Lott. *l.3. q.27. per tot.* & Hurtad. *integ. lib.*

Quæstio 187. *An, & qualiter vacet beneficium ob non gestationem habitûs clericalis?*

REspondeo; quidquid de hoc fuerit olim (dum jure communi non vacabat beneficium per delationem publicam, & continuatam habitûs vel vestium laicalium, sed tales, postquam moniti non cessâssent, suspendebantur duntaxat ad certum tempus, vi *Clem. II. de vita & honestate clericorum.* & Trid. *sess.*14. *c.*6. Gonz. *gl.*15. *n.* 55. citans Bern. Diaz. *in praxi criminali. c.* 75. *per tot.* Castrop. *l. paulò pòst citand.*) hodie tamen secus est; quia per constitutionem Sixti quinti incipientem: *cum sacrosanctam. sub dato* 5. *Idus Januar.* 1588. jubentur clerici beneficia quæcunque habentes etiam, alii clericali titulo pensiones super quibuscunque bonis Ecclesiasticis obtinentes gestare clericalem tonsuram, & habitum clericalem, & milites pensionibus, vel fructibus, vel aliis bonis Ecclesiasticis gaudentes, incedere in militari habitu regulari, sivè militiæ approbatæ convenienti; alioquin omni beneficio, pensione, vel jure, quod habent ad beneficia, privantur; & sine omni monitione, citatione, judicis decreto aut ministerio, ipso facto privati declarantur; ita ut ipsa beneficia vacare, & pensiones extingui, & fructus vel alia bona Ecclesiastica cessare dicantur, Azor. *p.2. l.7. c.*17. *q.*1. §. *decimum septimum.* Gonz. *loc. cit. n.*56. Lott. *l.3. q.27. n.*19. *& l.* 1. *q.*42. *n.*42. Castrop. *tr.*13. *de benef. p.*2. §.8. *n.*19. Barbos. *Juris Ecclesiast. l.*3. *c.*14. *n.*63. Licèt itaque ex suppositione, quòd contra dictam constitutionem peccatum sit, virtus illius in privando controverti nequeat sub prætextu, quòd ea non sit usu recepta, ut determinavit Rota *in Tullensi pensionis.* 21. *Aprilis*, 1621. Lott. *loc. cit. n.*92. contra Garc. *n.*7. *c.*1. *n.*24. licet etiam hujusmodi objectus utcunque in negativa consistens probari posset per testes, concludentes, fieri non posse quòd tales incessissent in habitu & tonsura; quin ipsi scivissent vel vidissent propter continuam conversationem (qui est legitimus modus probandi negativam per testes. Lott. *n.*93. juxta Bart. & cit. Rotæ decis.) nihilominùs tamen ad hunc effectum ita instruenda est probatio, ut concludat ad abjectionem, & quodammodo ad despectum Ordinis clericalis per incessum videlicet in habitu laicali, in locis publicis, & perpetuò frequentibus, & (ut addit Barbos. *loc. cit.* ex Farinac. *in praxi criminal p.*1. *q.*8. *n.*68. Navar. &c. tanto tempore, ut communi opinione reputentur laici) & sine rationabili causa. Barbos. *ibidem* Lott. *n.*96. & sic ferè explicatur in *cit. clement.* 2. *de vita & honestate cleric.* à qua non esse dubium, quin interpretationem accipiat sanctio illa Sixti V. ait Lott. *loc. cit.* Ac proinde jam facilè eliderentur hujusmodi probatio, ubi reus exciperet de rationabili causa aliqua, puta timoris, ut gl. *in cit. Clement. V. rationabilis.* Lott. *n.*97. *& 98.* Neque etiam attenderetur incessus in publicum in tali habitu laicali, si joco, aut amœnitatis gratiâ id contingeret; ut Cardin. *in cit. Clem. n.*4. Lott. *n.*99. Hinc inquam concludit, ut ait idem Lott. *n.*92. eum aggredi provinciam difficillimam, & fore inextricabilem, qui ex hoc capite, nimirum commissi delicti contra dictam Sixti V. constitutionem, impetraret beneficium. Requiri etiam, dum beneficium ex hoc capite impetratum, ut coram Executore apostolico citetur possessor beneficii; aliàs, esto, probetur illum publicè habitum laicalem detulisse, processus sit nullus, & possessor manutenendus in possessione, ait Barbos. *loc. cit.* probari fusè à Sperello paulò pòst citando *n.*20. *& seq.* Porrò tametsi clericus incedens in habitu laicali amittat beneficia (etiam ut Navar. *loc. cit. n.* 7. apud Barbos. ante sententiam declaratoriam; Quin &, ut Sperell. *decis. fori Ecclesiastici. decis. 66. nu.* 19. apud eundem Barbos. teneretur in foro conscientiæ dimittere beneficium; & ante illam dimissionem non sit absolvendus, etiamsi sit persona gravis, & promittat dimittere, vel imminet dies paschalis; vel sit spes obtinendæ dispensationis) requiri tamen sententiam declaratoriam ad hoc, ut amittat fructus, & quod hos ante dictam sententiam non teneatur restituere, tradit Barbos. *loc. cit.* ex Gratian. *discept. forens. c.* 441. Achil. de Grass. *decis. unica. de pœnis.* Vivald. *in candelab. aureo. tit. de habitu cleric. q.* 3. *&c.* Nec exinde, quod talis amittat beneficia, perdere etiam privilegium clericale aut canonis: *si quis suadente. ibidem*, ait Barb. citans Navar. *ubi antè. n.*8. *&* 10. Gonz. *gl.* 5. §. 5. *n.*7. nec incurrere inhabilitatem, ut possit præsentari. Barb. ex Navar. *loc. cit. n.*12.

Quæstio 188. *An, & qualiter vacent beneficia exinde, quòd is, qui habet incompatibilia, non vult Ordinario ostendere titulum dispensationis, quo illa possidet?*

REspondeo: vacare ipso jure per non ostensionem tituli seu dictæ dispensationis, postquam monitus fuerit juxta *c. ordinarii. de off. Judicis ordin. in 6.* asserunt Gonz. *gl.*15. *n.*62. Castrop. *cit. d.*6. *p.*2. §.8. *n.*13. Barbos. *loc. cit. n* 34. citans plures alios. Ad quos intelligendum notanda sunt sequentia. Quòd si justo impedimento cessante, requisiti intra tempus sibi juxta facti qualitatem præfigendum dispensationem papalem non exhibuerint, ordina-

rii

rii collatores beneficia illa tanquam non canonicè acquisita, & jure ipso vacantia conferre debent juxta *c. de multa.* Sic enim expressè disponit Gregor. X. *in cit. c. ordinarii.* Laym. *ibidem. in paraphrasi,* per quem textum mandatur Ordinariis (quo nomine hic veniunt, qui institutionem & destitutionem in beneficiis habent) ut ad istam dispensationem exhibendam districtè compellant sub dicta pœna; & licet textus ille loquatur solùm de retinente plures dignitates, Personatus, & beneficia curata; Concil. tamen Trident. *sess. 7. c. 5.* eandem constitutionem innovans expressè eam extendit ad alia quæcunque incompatibilia. Juxta quæ, dum juris præsumptio est contra possessionem, uti est in hoc casu retentionis plurium beneficiorum incompatibilium, cogi potest possessor ad exhibendam dispensationem (quidquid sit de eo, num ab Ordinario cogi possit ad exhibendum titulum, dum talis præsumptio non est, v. g. dum unum vel plura compatibilia possidet; de quo suprà, ubi de possessione) Laym. *loc. cit. n. 2.* citans Archid. & Ancharan. *in cit. c. ordinarii.* Et sic, si possessor præfixo sibi tempore dispensationem illam non exhibeat, præsumitur injustè detinere, adeóque per sententiam privari, aut privatus declarari potest; & beneficium alteri conferri. Laym. *cit. n. 2.* juxta eosdem Cardin. & Anchar. Potest siquidem, dum notorium est, aliquem incurrisse ipso jure privationem beneficii, vel pœnam aliam, ordinarius Judex statuere tempus ad excutationem afferendam; quam si non attuletit, absque alia sententia judicis sententia legis executioni mandari potest. Laym. *cit. n. 1.* citans Dominic. *in c. cùm secundum. de hæreticis. in 6.* & Alex. de Nevo. *in c. pervenit. de appellat.* Neque ad negandam hanc dispensationis ostensionem possessorem tueri se posse regulâ de triennali, eò quòd hæc regula non procedat in pluralitate beneficiorum ob titulum infectum (intelligè præsumptivè, dum nimirum, quia præsumitur deesse dispensatio, quæ sola reddit talem titulum non infectum) tradit Castrop. *tr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 13.* de quo vide dicta aliàs de possessione triennali. Veruntamen ex his omnibus patet, in hoc casu non tam ob non ostensam dispensationem induci hanc privationem, & vacationem ipso jure istorum beneficiorum, quàm jam inductam à jure ob retentionem istiusmodi incompatibilium.

Quæstio 189. *An, & qualiter vacent beneficia ob non solutas Cameræ apostolicæ annatas?*

REspondeo: beneficia, pro quibus solvendæ annatæ, ob earum non solutionem vacare ipso jure, ex variis Pontificum constitutionibus, ac præcipuè Pii II. quam postmodum confirmavit Innoc. VIII. in constitutione sua 3. de 13. Kal. Martii 1484. tradit Lott. *l. 3 q. 20. à n. 126.* occasione cujus cùm varii passim sordidissimè de his annatis loquantur, scripserintque plures valde injuriosè Sedi Apostolicæ, puta Cosmas Guimier *in sua glos. ad pragmaticam sanctionem, tit. de annatis in principio. v. annatarum.* existimans eas paulo ante tempora Joannis XXII. exigi cæptas ex fructibus cathedralium vacantium, & isto onere mox per Bonifac. IX. indifferenter omnibus beneficiis contra totius juris divini ac humani dispositionem impositas, adeóque earum usum simoniacum. Item Duarenus præ aliis audacior. *de benef. l. 7. c. 3.* aliíque apud Azor *p. 2. l. 7. c. 12. q. 1.* & Lott. *loc. cit. à n. 20.* Hinc inquam sit

Quæstio 190. *Quid sint annatæ &c. Vnde invectæ, quibus beneficiis impositæ, & qualiter solvendæ?*

1. REspondeo ad omnia breviter. Primò esse taxatam quantitatem aliquam fructuum, provenientium ex certis beneficiis primo anno vacationis vel obtentionis per modum vectigalis vel pensionis Papæ, vel Cameræ Apostolicæ solvi solitam & debitam; ita ferè ex Lott. *cit. loc. n. 1.* & Azor. *cit. c. 12. sub initium.*

2. Secundò: annatam hanc subrogatam loco decimæ, quæ olim in omnibus Christiani orbis provinciis colligebantur, ut notat Baron. *ad annum 1156. ad finem.* Lott. *loc. cit. n. 23.* Quod si verum, ut ait idem Lott. *n. 24.* necessariò sequitur, eam hodie deberi Papæ eodem jure, quo priùs illi debebatur decima vel redecima, cùm illa sit vis subrogationis, ut in eo, in quo non discrepant, subrogatum inducat naturam ejus, in cujus locum facta subrogatio. Ac proinde, si non jure divino positivo (quo summo sacerdoti in antiqua lege debita erat solvi decima decimarum à Levitis *Numerorum c. 18.*) ut sentit Cordubens. *in tr. de annatis.* apud Azor. *loc. cit. §. tempore Sixti.* & sentire visus Gamb. *de offic. & potestat. leg. l. 1. n. 416.* apud Lott. *n. 25.* saltem ex hoc jure divino scripto originem trahere. Azor. *loc. cit.* ex Eckio *in Enchir. locor. communium,* contra Luther. *tit. de annatis.* fatente annatam solvi Papæ juxta legis veteris institutum, idque non minùs in recognitionem universalis dominii, quàm in sustentationem Papæ ac Cardinalium egentium, ut Sarn. *in præfat. reg. de valore. in 6.* Mandos. *in opusc. annales casus, casu 37. n. 167.* aliíque apud Lott. *n. 26.* hac secundariâ intentione non tollente primariam; nempe dictæ recognitionis. Lott. *cit. n. 26.* Item quemadmodum affluentia divitiarum in persona, cui debentur decimæ, nihil de necessitate & justitia solvendarum ei decimarum remittit, ita etiam eædem in Papa non impediunt; quò minùs pergant ei deberi ex justitiâ annatæ. Lott. *n. 28. & 29.* dicens sic optimè doceri à S. Tho. *2. 2. q. 87. a. 4. ad 3.* Soto *de just. l. 9. q. 4. a. 4. in fine.* Moneta. *de decimis. c. 9. n. 4. & 2.*

3. Tertiò, quòd hinc sequitur, nullam in hac annatarum exactione committi nundinationem aut simoniam: Nam esto, sit simonia, dum aliquid pecuniæ exigitur pro collatione beneficii; esto, id etiam minimè excusetur ex eo, quòd id, quod exigitur cedat pro industria & ministerio ministrorum; id tamen malè applicatur exactioni annatarum, cùm essentia seu substantia simoniæ consistat in pacto & condicto ultra præexistentem obligationem; adeò ut actus collatoris ab objecto oblationis sibi factæ per collatarium moveatur quasi ex quadam negotiatione. Lott. *n. 30* Annata verò non exigitur tanquam debita ex condicto, sed tanquam debita ex antecedenter jam exstante lege (quid ni enim Papa sicut ferre potest legem absque ulla labe simoniæ, aut quòd per hoc vendat spirituale pro temporali; aut nundinationem exerceat; ut qui deinceps beneficium obtineat, fructus primi anni, vel eorum dimidiam partem solvat in subsidium hujus vel illius clerici, conventûs regularis, hospitalis &c. ita etiam ferre possit legem, ut iidem fructus solvantur, vel potius reserventur in communem

munem aliam utilitatem. Azor. *loc. cit.* §. *sanè*) seu etiam debita ex natura rei; cùm sit onus reale, hoc est, injunctum rei usque ab ejus origine, ut ideo, cùm exigitur à proviso, non exigatur tanquam debitum aliquâ personali obligatione ortâ in ipsius collationis articulo (quamvis nil vetet eo ipso articulo primitus sine ulla præexistente lege aut obligatione exigere seu reservare sibi, seu necessitatibus Curiæ suæ partem aliquam fructuum, non præcisè necessariam ad sustentationem provisi, dum quotidie id facit in gratiam & commodum aliorum; imponendo beneficiis, quæ confert pensionem in subsidium indigentium clericorum aliorum, absque eo, quòd dicatur eam pensionem exigere vel imponere simoniacè pro ipsa collatione, seu tanquam pretium illius. Azor. *loc. cit.*) sed tanquam debitum reale fructibus ipsis primi anni impositum, ut Coras. *de benef. p.4. c.4. n.53.* Et cujus proinde exactio aperta sit, ex momento vacationis, ut Campegius *de annatis. n.11.* Adeóque jam pleno iterum beneficio provisus teneatur solvere annatam, tanquam onus reale fructuum sequens quemcunque possessorem. Lott. *à n.34.*

4. Quartò: quod ex immediatè præcedente sequitur, nimirum quòd, cùm annata sit onus reale fructuum, ad eam solvendam non teneri, qui fructus ex beneficio suo non percipit. Lott. *n.39.* citans Monet. *de distribut. quotid. p.4. q.9. n.43.* Unde etiam decretum apponi solitum in indultis aliisque gratiis, quòd provisi teneantur intra 6. menses jura Cameræ, id est annatam, solvere, sub pœna resolutionis gratiæ; ita intelligendum, ut hi 6. menses inchoentur à die possessionis adeptæ, quo potuerunt fructus percipi. Lott. *num.40.* citans Put. *decis. 327. l.3.* Rotam *in Hispal. fructuum. 15. Maji. 1596.* Quin & propterea, dum sub narrativa intrusionis, eâ verificatâ, soleat indulgeri dilatio ad solvendum, donec depulso intruso possessionem fuerit assecutus. Lott. *n.41.*

5. Quintò: sed neque dum fructus beneficii usque adeo tenues sunt, ut non excedant valorem 24. ducatorum de Camera, nullam solvendam esse annatam ex constitutione Pii V. 39. Lott. *n.42.* nullámque etiam in hac re habendam rationem distributionum quotidianarum. Lott. *n.* 42. citans Gonz. §.7. *proœm. n.66.* Monetam *ubi antè n.25.* et iamsi omnes reditus consisterent in distributionibus. Lott. *n* 44. Monet. *loc. cit. n.29.* Quin & ipsis supplicibus (Executoribus literarum plerumque ad provisorum libitum deputatis) super hoc fides habeatur. Lott. *cit. n.44.* Quamvis, cùm plurimi non vererentur super hoc valore mentiendo fraudem facere annatæ; invecta sit demum regula cancellariæ 55. præcipiens exprimi valorem, sub pœna nullitatis gratiæ ipso facto incurrendæ. Lott. *n.45.* citans Gonz. 15. *nn.* 133. Chok. *ad dictam regulam. n.* 20. invecta quoque sit regula alia, nempe 22. præcipiens, verum valorem exprimi in unionibus sub pœna nullitatis unionis. Lott. *n.* 48. de cujus valoris exprimendi necessitate, modo, probatione, vi dictarum regularum, vide fusè Lott. *à n.51.*

6. Sextò: quòd iterum consequitur ex præcedentibus, si contingat plures vacationes ejusdem beneficii eodem anno fieri, unicam duntaxat exigi annatam. Lott. *n.* 107. Unde si is, qui secundo loco providetur de tali beneficio, de hoc moneat officiales, hi cõpertâ solutione semel factâ, per decessorem, ne prætextu exactionis hujus aliqua mora fiat expeditioni, notant à tergo literarum hæc verba: *pro annata nihil* Lott. *n.*108. ex Mandos. *opusc. de annat. casu 371. n.168.* Quin &, siquis se intruserit in beneficium, & is annatam solverit (intelligitur de annatis concessis inferioribus Ecclesiis) in vim statuti vel indulti Apostolici pro fabrica &c. Et mox, vel etiam post plures annos litis per canonicè provisum dejiciatur, hic non cogatur de novo solvere annatam illam. Lott. *n.* 109. citans Rotam *in Hispal. Quintorum 27. Novembr. 1627.* quod ipsum susè prosequentem vide Lott. *ibid. n.seq.*

Quæstio 191. *An, & qualiter per non expressum verum valorem vacent beneficia?*

REspondeo: per dictam regulam Cancellariæ, quæ est 61. *Innocentii VIII.* & 54. *Pauli V.* de exprimendo in impetrationibus valore vero beneficiorum, tam prius obtentorum, quàm de novo obtinendorum ob malam expressionem valoris, seu ob non expressum verum valorem non inducitur vacatio illa beneficiorum præhabitorum. Sed nec ulla inducitur vacatio nova, sed simpliciter tantùm resolvitur gratia de novo facta, seu impetratio illa secundi beneficii redditur nulla & irrita, & sic semper reservatur vacatio prior istius beneficii. Ità etiam, ut si in resignatione falsus valor sit expressus, nihil intelligatur vacare, sed jus illud, quod prius erat apud resignantem, durare apud eundem. Lott. *l.3. q* 20. *n.*102. citans Rot. *decis.* 417. *n.1. & 2. p.1. divers.* Chok. *ad dictam reg. nn.17.* occasione tamen cujus,

Quæstio 192. *Quando, & qualiter dictus valor exprimendus & justificandus?*

1. REspondeo ad singula breviter: primò regula hæc locum non habet in collatione Ordinarii, sed tantùm in gratiis Papæ, Legatorum, Cardinalium. Chok. *ad hanc regulam. n.15.* citans Mandos. *ad regulam 22 q.11. n* 3. Paris. *de resign. l.8. q.9. n.44.*

2. Secundò: locum non habet in Canonicatibus Germaniæ, & Hispaniæ, cò quòd hodie ex generali consuetudine & stylo curiæ Romanæ hi canonicatus rescribuntur omnes ad 24 ducatos, idque, ut vitetur annata, & ità habent Concordata Germaniæ; ut videre est apud Brandin. *super concordata Germaniæ, not ab.2.* Addíque solet clausula augendi & diminuendi in literarum expeditione, vel quòd verus valor, & vacationis modus habeantur pro expressis.

3. Tertiò: de cetero valor ille exprimendus est, etiam in beneficiis impetratis motu proprio; quæ olim tempore Innoc 8. excipiebantur. Chok. *ibidem n.14.* Lott. *cit. q.20. n.51.*

4. Quartò: in ordine ad reddendam gratiam nullam ità consideretur falsi valoris expressio, ut perinde sit, sive minor, sive major vero expressus sit. Chok. *n.22. citans* Guttier. *qq. canon. l.2. q.15. n.76.* Crescent. *decis.8. de præbend.* ac dicens sic servari de stylo Curiæ Romanæ. Etsi enim, dum major vero expressus valor, indubitatò quoq; Papa, & facilius quidẽ, concessurus fuisset beneficium, si valor verus minor expressus fuisset; quia tameu valor verus erat exprimendus, & valor ille sit pars gratiæ, & non causâ solius demõstrationis adjectus (ut voluit Covar. *l.1. variarum resolut. c.20. n.7.* & hinc gratiam in hoc casu non vitiari) sequitur, quòd gratia, etiam expresso majore valore, sit nulla & subreptitia. Chok. *n.25.* qui etiam *n.23.* ait, id procedere etiam, dum major valor expressus, citra

quod

quod opùs erat exprimi valorem ; citat pro hoc Mascard. *de probat. conclus.* 874. *n.* 6.

5. Quintò: valor expressus justificandus est, ita, ut ne quidem tunc remittatur ea necessitas probationis, dum nullus contradicat; Lott. *loc. cit. n.* 53. Neque contrarium sentit Felin. *in c. ad aures. n.* 4. nam intelligendus, quòd, dum proceditur extrajudicialiter sine contradictione, opùs non sit verificatione judiciali. De ceterò enim, dum proceditur judicialiter, etiam dum non est contradictor, Executor debet adhuc extrajudicialiter informari de veritate. Lott. *n.* 54.

6. Sextò: distinctè & non in confuso probandus. v.g. dum narratum unum beneficium non excedere 100. alterum non excedere 24. non sufficit probare ambo simul sumpta non excedere 124; sed probandum distinctè de singulis; nempe, quòd unum non excedat 100. alterum non excedat 24. Chok. *n.* 16. citans Garc. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 155 Item probandus plenè & concludenter, nec sufficit illum probari per publicam vocem & famam, dum agitur de perpetuo præjudicio. Chok. *ibid.* de quo paulò pòst *ad finem hujus quæstionis plura.* Item justificatio valoris debet concludere ad tempus gratiæ (quod tamen ad momentum non restringitur, seu probari debet tunc, quando fit gratia, tanti valere beneficium. Lott. *n.* 56. citans Felin. *ubi antèn.* 17. Oldr. *cons.* 58. *n.* 1. Verall. *decis.* 120. *l.* 2. ita ut nihil agat, probando valorem de annis aliquot remotis; cùm valor pro uno tempore non concludat ad valorem pro alio tempore. Lott. *n.* 51. citans Felin. *ubi antè.* Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 2. *n.* 17. Verall. *decis.* 330. *&c.* Idque, etiamsi deducatur ex confessione partis, quæ tunc demum attenditur, dum est contemporanea, hoc est, intra eundem annum, vel paulò ante, cùm excessus modicus duorum vel trium mensium non consideretur; eò quòd intra tam modicum tempus non præsumatur considerabilis alteratio valoris contigisse. Lott. *à n.* 58. sic neque circa hunc valorem justificandum aliquid concludit, qui simpliciter probat, tot fructus perceptos de isto anno gratiæ, & eos plus non valuisse; cùm id contingere potuerit ex singulari istius anni sterilitate, vel ubertate. Lott. *n.* 61. sed probandus valor uniformis per annos aliquot non minùs quam tres. Lott. *n.* 62. Verùm vide dicta à nobis de hoc alibi.

7. Septimò tam in exprimendo, quàm justificando valore omnis ille rigor relaxatur; dum ut consuevit, in supplicatione inseritur clausula facultatis augendi & minuendi: hujus enim virtus est, ut, etiamsi expressus fuerit falsus valor; non tamen ideo corruat gratia; nisi post consumptam vim dictæ clausulæ per expeditionem literarum validè factam. Lott. *n.* 65. citans Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 77. *&* 78. & circa justificationem adhuc remittitur sexta pars; ita ut hæc pro causando excessu non habeatur in consideratione. Lott. *ibidem.* Sed neque de cetero, ut ait Lott. *nu.* 66. in statuenda mensurâ probationis usque adeo scrupulosè fit indago; si enim agatur de valore beneficiorum obtentorum; cùm pro iis non solvatur annata (& expressio valoris facienda ad hunc tantùm finem, ne annatæ fraus fiat) adeóque jam cesset præsumptio doli, eò quòd jam nihil sperari possit utilitatis ex mala expressione valoris; hinc sufficit pro justificatione, non tantùm levis & minor, quàm semiplena, sed etiam quævis levissima probatio, v. g. sufficit unus testis de fama, & certioratio, etiam per literas familiares, modò tamen hæc probatio levissima in suo genere sit perfecta. Lott. *à n.* 67. citans aliquot Rotæ decis. Quin & prorsus remittitur hæc probandi necessitas, si offeratur dimissio, sive hæc dimissio fiat ex necessitate decreti de demittendo, sive ex mera voluntate ob simplicem incompatibilitatem. Lott. *à. n.* 71. Si verò agatur de valore beneficii impetrati; cùm nec in hoc casu verisimile sit, provisum pro modica utilitate, quam habere posset ex defraudata annatâ, voluisse se exponere tam manifesto periculo annullationis gratiæ; excessus etiâ valoris non facilè præsumatur, ut Bellamer. *decis.* 682. *n.* 2. sufficiet quoque in justificanda narrativâ semiplena probatio, ita ut sufficiat unus testis, modò is deponat ex certa scientiâ; aliàs semiplena non esset in ratione semiplenæ perfecta, sed egeret concursu adminiculorũ. Item testes deponentes de valore ex publica voce & fama; modò fama illa non sit vaga, vel alio quovis modo deficiat. Lott. *à n.* 74.

8. Denique hîc notandum, dicta hæc de expressione valoris minùs exacta & sufficientia probationis levioris, seu minùs rigidæ intelligenda, dum agitur de valore exprimendo ex præscripto dictæ regulæ Cancellariæ; quia longè alia est ratio expressionis valoris pro constituenda pensione, & in articulo objectivo, dum nimirum objicitur expressum fuisse falsum valorem in fraudem annatæ, & sic inducta nullitas gratiæ vi dictæ regulæ Cancellariæ, & ex hoc capite impetratur beneficium. Tum enim; quia versamur in materia odibili & pœnali, concludenter hic objectus justificandus ab impetrante, sivè plenè probandus est ab eo valor; ita ut concludatur ad fraudem, utpote super qua fundatur dicta regula Cancellariæ de exprimendo valore. Lott. *à n.* 89. &, ut ait idem *nu.* 96. exigitur probatio luce meridianâ clarior, nec permittitur conjunctio semiplenæ cum semiplenâ; nisi civiliter agatur. Unde hunc in finem, nempe ut impetrans ex dicto capite justificet concludenter gratiam articulandi valoris, practicam hanc Sarnensis ad *hanc regulam. q.* 12. (quam pluribus defendit, & à Rota observari ait Lott. *n.* 92.) nimirum, quòd beneficium tempore provisionis & oneribus deductis (neque enim audiendus hîc Ripa *in l.* 1. §. *si hæres. ff. ad trebell.* existimans onera, cùm non præsumantur, à reo, & non ab actore probanda. Lott. *n.* 97. dicens hanc opinionem à Rota merito rejectam; quin ut addit idem *nu.* 99. non sufficit positio aliquorum onerum, nisi facta sit taxativè) valet tantum importare, & quòd per 5. annos antè & pòst anno fertili cum sterili computato communi æstimatione tantùm valuit; & ita testis de tali beneficio notitiam habens dicit, se scire, & si plus vel minùs valeret, ipse non ignoraret. Hanc quoque practicam, nimirum valorem probandum per integrum dictum decennium continuum, sequuntur Garc. *p.* 1. *c.* 3. *num.* 229. item Mandos. *ad reg.* 22. *q.* 5. *nu.* 2. Mascard. *de probat. conclus.* 1403. apud Lott. *n.* 92. à quibus tamen cavendum ait, dum hi auctores hanc regulam generalem astruunt, confundentes hanc materiam odiosam cum favorabili, vel indifferente, adeóque non discernentes, in quibus terminis loquatur Sarnens. Et nisi dicta practica restringatur ad impetrantem ob non expressum verum valorem, foret impracticabilis in provisis, in quibus non cadit terminus habilis de annis 5. ante & post, ut ait Lott. *n.* 93. Porrò necessitas rigidæ hujus probationis

tionis pari modo astringit illum, qui gratiam Apostolicam super reservatione, & in quacunque demum alia impugnativa narrativæ valoris locum habet. Lott. *num. 95.* vide eundem de his pluribus *num. seq.*

PARAGRAPHVS III.

De vacatione ex privatione ob delicta commissionis &c.

Quæstio 193 An, & qualiter vacet beneficium ob apprehensam possessionem illius ante expeditionem literarum?

1. REspondeo primò: Siquis beneficii à Papa sibi collati possessionem apprehendat, ante expeditionem literarum, eo ipso vacat ipso jure beneficium hoc obtentum: imò & reliqua, si quæ habeat, juxta constitutionem Julii III. de 27. Maii, Anno 1553. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 6. p. 2. §. 8. n. 16.* Gonz. *gl. 15. n. 98.* Barbos. *juris Eccl. l. 3. c. 14. nu. 38.* vide de hoc plura à nobis dicta, ubi quando capienda possessio. Ultra quæ citra hanc constitut. Julii III. statutámque in ea pœnam notanda sunt sequentia.

2. Primò: quòd in hoc jus novum constituit, & jura antiqua, nempe decretum concilii generalis *in c. avaritiæ. de Elect. in 6.* & *Extrav. in cunctæ. de præbend. inter communes.* extendit, dum sub pœna privationis ipso jure vetat, non solùm electos & promotos ad consistorialia (ad quæ tantùm sub dicta pœna extendebant se dicta jura antiqua) sed etiam omnes provisos Apostolicos de quibuscunque aliis beneficiis eorum apprehendere possessionem ante expeditionem literarum. Lott. *l. 3. q. 19. nu. 2. & 17.* ratione ampliandæ hujus pœnæ respectu horum beneficiorum etiam inferiorum non existente aliâ, quàm quia pœna privationis, quæ respectu eorum immiuebat tantùm, ex sententia hominis in vim antiqui præcepti, parvi fiebat. Lott. *à n. 19.*

3. Secundò; quòd ideo in aliis, quàm in provisis Apostolicis locum ea constitutio non habeat; quia in his solis militat ratio contemptûs præcepti de expediendo literas; dum in inferioribus provisis non cadat illa necessitas literarum; siquidem, quantum est de jure communi, in collationibus beneficiorum non exigitur certa aliqua verborum forma, potestque fieri provisio per quemcunque actum, sive verbo, sive nutu, modò voluntas conferentis exprimatur. Lott. *n. 26. & 27.*

4. Tertiò: quòd incurratur dicta pœna etiam, dum capta fuisset invalidè & nulliter possessio; cùm lex consideret contemptum, qui in simplici facto consistit, & cujus proinde consideratio militat æquè in actu nullo ac invalido. Lott. *n. 31.* citans Aymon. *de antiq. temp. p. 4. num. 105. & conf. 291. n. 7.* Etsi stante hac nullitate, non incurratur etiam pœna privationis respectu obtentorum. Lott. *n. 32. in fine,* citans Rot. *in Verdun.: Parochial. 23. Junii. 1586.* & Verall. *decis. 98. n. 1. & 3. p. 3.*

5. Quartò: sed neque ad declinandam pœnam illam admittitur excusatio ex pœnitentia, & abstinentia ab ulteriori ingestione; consummato enim delicto intempestiva est pœnitentia pro evitanda pœna ipso jure inflicta, ut gl. *in Clem. 1. § quia verò. v. ipso facto. de statu Monacha.* Lott. *cit. n. 32.*

6. Quintò: quòd locum habeat dicta pœna, dum quis provisus à Papa, prætermissâ expeditione literarum, sub prætextu multiplicandi sibi titulum procurat sibi insuper provideri ab inferiore, & cum tali provisione ingreditur possessionem; quia videtur verius hic color quæsitus pro eludenda dispositione legis de expediendis literis, quam pro adhibenda majore cautela: Etsi enim titulus Apostolicus multiplicabilis sit etiam ex titulo ab inferiore, suppositâ tamen validitate tituli Apostolici à principio, si procuretur insuper alius, cautela dicetur nimia, quæ magis fraudem & dolum arguat. Et si in virtute istius superinducti tituli apprehendatur possessio, non potest imaginari alius finis istius multiplicationis, quàm evitandi præceptum de expediendo literas; quod est fraudem ab eventu colligere. Lott. *à nu. 40.* Neque adhuc in hoc casu evitaretur dicta pœna prætextu, quòd beneficium esset juris patronatûs laicorum; quia licèt constitutio indefinitè loquens non comprehendat hujusmodi beneficia, ubi tamen constitutio concepta est per verba generalia omnino, cujusmodi est hæc constitutio Julii III. utens hac clausulâ: *quandocunque, & qualitercunque qualificatorum:* quæ nimis effusæ & effrenatæ est significationis, contrarium dicendum est, modò tamen militet eadem ratio; aliàs enim parvi penditur cujusvis universalis & effusæ orationis ponderatio; quemadmodùm, quia dictæ constitutionis ratio, utpote fundata in suppositio meræ gratiæ, locum non haberet in hoc casu, dum nimirum præsentatus à patrono sine ulla necessitate, declinatâ auctoritate Ordinariâ curaret se institui à Papa, utpote quæ institutio non esset meræ gratiæ, sed potiùs de justitia; utique locum non haberet dicta constitutio. Lott. *à nu. 44.* Secus tamen est, seu non habet locum dicta pœna, ubi quis priùs inductus in possessionem auctoritate Ordinarii, & dein post novam provisionem obtentam à Papa, continuasset priorem illam possessionem ante expeditionem literarum. Gonz. *loc. cit.* (ubi ex Mandos. *ad reg. 27. de non judicando juxta formam supplicationis,* quòd dicta constitutio locum non habeat in eo, qui possessionem continuavit vigore collationis ordinariæ, sed in eo, qui possessionem ingreditur vigore supplicationis) Lott. *n. 35.* hanc *n. 36.* subdens rationem, quòd in tali deprehendi non possit aliud delictum, quàm simplicis negligentiæ, ex qua non infertur necessariò ad contemptum, prout hoc crimen distinctum est à negligentia, cujus potest esse causa, & non esse causa, adeóque ex ea utcunque punibili non concluditur ad dolum, sed potiùs locum habere videtur communis regula: præsumptio fit in meliorem partem.

7. Sextò: adhuc locum esse dictæ constitioni, & pœnis in ea contentis, dum quis obtentâ simplici provisione à Papa tanquam de vacante omissâ literarum expeditione, pro qua solvenda erat annata, tacitâ hujusmodi provisione jam sibi factâ beneficium impetraret certo modo, puta per devolutionem aut confictâ intrusione alterius, & sub hac techna, factâ simplice obligatione de solvendo annatam, quando foret possessionem assecutus literis expeditis, in earum vim possessionem occupabat; siquidem in hoc casu adhuc militat ratio contemptûs, utpote habens radicem in avaritia

pro

pro fraudanda annata. Nec potest videri satisfactum constitutioni, quòd iste sit adeptus possessionem virtute tituli Apostolici; cùm ejusmodi literæ piscatoriæ non dent titulum, sed simplicem actionem. Lott. *à n.* 52.

8. Primò: Quòd, qui ex hac vacatione impetrat, ostendere debet primò factum possessionis apprehensæ, adeóque non sufficeret ostendere, v. g. electum & confirmatum ante adeptam possessionem pro tali se gessisse, veluti si beneficia ad suam collationem pertinentia contulisset (quod est permissum *c. nosti, de elect.* Rebuff. *in pr. de Simon. in resign. ex n.* 25. Neque id vetat *Extrav. injunctæ.* in juribus namque incorporalibus pro eorum exercitio sufficit habere jus citra facti possessionem; qualiter & patronus in patronatu hæreditario validè præsentat, antequam missus in possessionem hæreditatis. Lott. *loc. cit. à nu.* 28.) cùm id ad contemptum non concludat. Lott. *nu.* 28. Deinde tenetur justificare negativam non expeditionis literarum. Lott. *nu.* 33. citans seipsum *l. c. q.* 48. *ex n.* 286. Est autem difficilis probationis ostensis literis justificare, eas non fuisse expeditas tempore adeptæ possessionis; cùm quandocunque hæ literæ expeditæ exhibentur, præsumitur expeditio illorum facta in tempore; tum pro evitando delicto, tum quia hoc ipsum inter alia est possessionis commodum. Lott. *n.* 34. qui etiam *n.* 35. hanc suggerit reo cautelam, ne detegatur intempestiva harum literarum expeditio: nempe ut caveat à productione literarum originalium (utpote in quibus consuevit adnotari per expeditores tempus, quo eæ missæ ad plumbum; ante enim plumbationem impossibile est fuisse expeditas) sed, si quo modo urgeatur eas producere, producat earum sumptum ex regestro Apostolico, cùm sumptum hujusmodi æquè plenam fidem faciat ac sumptum originale, & rameu non prodit defectum hunc; cùm dicta annotatio adjiciatur literis post registrationem, ac proinde manente semper hoc onere probandi negativam non expeditionis literarum factæ in tempore apud actorem, impossibile est ei, aliter justificare hanc negativam, quàm per diligentias apud officium plumbatoris, & alia aliorum officialium & ministrorum; ità ferè Lott. *cit. nu.* 35. Denique de cetero justificarâ semel impetratione ex hoc capite intrusus non solùm destituitur beneficio regularum *de annali & triennali*, verùm etiam, stante decreto irritante contento in dicta constitutione Julii, non potest excusari ex non usu, vel etiam ex capite ignorantiæ. Lott. *à n.* 57.

Quæstio 194. *An & qualiter inducatur vacatio ipso jure per factam violentiam in apprehendenda possessione, dum nimirum alius esset in possessione illius beneficii?*

REspondeo: etiam legitimè aliàs provisus, seu habens canonicum titulum beneficii, si violenter auctoritate, seu potiùs temeritate propriâ illud occupet, seu possessionem ejus accipiat, privatur eo ipso, seu jure ipso (hæc enim clausula *eo ipso*, est clausula latæ sententiæ. Lott. *l.* 3 *q* 22. *n.* 2. Jo. Andr. *in c. eum, qui. de præb. in* 6. *nu.* 1. Gemin. *n.* 5. Anchar. *n.* 3. Pavin. *tr. de off. & potest. capit. sed. vacant. in prælud. nu.* 10. Rebuff. *in pr. tit. de modis amitt. benef. c.* 9. *nu.* 28. Covar. *var. resol. l.* 3. *c.* 16. *num.* 6.) jure omni, quod habet in illo beneficio. Lott. *loc. cit. n.* 1. Castrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 2. *§.* 8. *nu.* 11. Gonz. *gl.* 15. *n.* 58. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *à n.* 208. *juxta c. eum, qui.* Quòd etsi in prima sui parte loquatur tantùm de dignitatibus & personatibus; procedit tamen idipsum in quibuscunque etiam aliis beneficiis, ùt patet ex ejusdem textûs lectura. Lott. *n.* 3. citans Abbat. Franc. *in cit. c. n.* 1. Pontan. *de spol. l.* 1. *c.* 9. *ex n.* 91. Menoch. *de recuper. possess. remed.* 9. *ex nu.* 277. *&* 306. *&c.* Privatur quoque jure, quod habet ad tale beneficium, v. g. præsentatus ante institutionem, electus ante confirmationem ingerens se, aut possessionem capiens; de quo vide fusè Garc. *loc. cit. à n.* 214. verùm ùt constat, hæc privatio juris ad beneficium vacationem non inducit. Castrop. *loc. cit.* Privatur item ipso jure beneficio præhabito, dum illud similiter ac secundum, cujus violentam capit possessionem, curatum est, textu *cit. c. eum, qui.* sic specialiter disponente, non verò aliis præhabitis. Castrop. *loc. cit.* Secus est de eo, nimirum, quòd non sit privatus jure in illo beneficio habito, qui apprehenderet propriâ auctoritate possessionem ab alio occupatam, non adhibendo violentiam ei, qui est in possessione; puniendum tamen, nec lucraturum fructus, nec manuteuendum in ea possessione, tradit Garc. *loc. cit. n.* 212. ex Rebuff. *in pr. de modo amittend. n.* 28. Porrò exigi declaratoriam violentiæ, occupationis (quod aliter intelligi nequit, quàm prævia cognitione causæ) non quidem, ut ante hujusmodi declaratoriam non possit beneficium impetrari ùt vacans, sed ut non priùs possit per hujusmodi impetrantem pro executione suarum literarum possessio apprehendi, tradit Lott. *loc. cit. nu.* 4. *&* 5. eò quòd licèt teneant plures, possessorem privatum ipso jure non esse citandum; contrarium tamen videatur ipsi verius; cùm dari possit instantia alicujus defensionis. De cetero, quandonam dicatur violentia adhibita, & alia circa hæc vide suprà, ubi actum qualiter propriâ auctoritate capi possit possessio. Quibus adde, quod ait *cit. q.* 22. *n.* 38. Lott. Semotâ lite formali, pœnam *cit. c. eum qui.* fermè esse impracticabilem; cùm semper in omnibus provisionibus Apostolicis hodie expediantur processus fulminati, in quibus decernitur immissio, atque ità semper excluditur qualitas illa temeritatis; cùm adsit tunc auctoritas judicis, id est executoris, in quo non distinguitur, an justè, an injustè processerit, quocunque enim modò is processerit, excludetur temeritas provisi juxta dicta suprà, adeóque pœna *cit. c. eum, qui.*

Quæstio 195. *An, & qualiter vacet beneficium ob violationem sequestri?*

1. REspondeo: ob violationem sequestri factam, nimirum à litigante, dum fructus sequestratos occupare præsumit; vel sequestrum ab Ordinario ponendum impedit, vacat ipso jure, & amittitur beneficium, super quo, seu in cujus causa impositum sequestrum; si in eo dictus violator jus habebat. Lott. *l.* 3. *q.* 22. *nu.* 40. Gonz. *gl.* 15. *nu.* 59. Castrop. *cit. §.* 8. *n.* 12. *juxta clem. unic. de sequestrat. poss. & fruct.* Quæ constitutio extenditur ad quælibet beneficia (comprehendendo etiam pensionem) quia est constitutio in favorem sequestri litigantibus utilis; & in executionem sententiæ diffinitivæ latæ. Castrop. *loc. cit.* Non verò extendit se ad beneficia, si quæ præter illud, super quo impositum sequestrum, habet talis violans; quia de illis citatus textus non loquitur. Castrop. *ibid.* Et sic illico potest Episcopus tale beneficium conferre; etsi sequestrum impositum sit in curia, cùm illico

inducatur hæc vacatio, eáque sub clausula generali *quo modo* comprehenditur. Lott. *à n.* 42. Proceditque idipsum, etiamsi prætendatur sententiam fuisse nullam; nam cùm non posit ante declarationem super nullitate evitari temeritas & spretus iste auctoritatis judicialis, ob quem dicta pœna imposita; adhuc militat dispositio dictæ *Clement.* si tamen ipsum sequestrum sit validum. Lott. *n.* 45. imò etiamsi à sententia fuisset appellatum. Lott. *n.* 46. Non verò procedit, ubi temeritas illa aliquâ ratione foret excusabilis, v. g. si ideo occupati fuissent fructus, quia non videbantur cadere sub sequestrum; eo quòd priùs fuissent collecti, vel etiam simpliciter à solo separati, cùm illud factum occupandi tunc fructus tenderet potiùs ad reprimendum excessum sequestri, quàm ad judicis contemptum; quia non desunt existimantes, sequestrarium non posse hujusmodi fructus accipere; cùm non dicantur fructus fundi vel beneficii, sed possessoris. Lott. *n.* 51.

2. De cetero, ut pœna dicta incurratur, debent intervenire sequentia: primò debet sequestrum imponi vigore sententiæ diffinitivæ, non interlocutoriæ, & quidem latæ in curia Romana, & non extra. Castrop. Gonz. *ll. cit.* Lott. *n.* 47. cùm sententiæ diffinitivæ majore cum maturitate proferantur, adeóque spretus ille auctoritatis judicialis sit major, ut Lott. *n.* 48. Et licèt in aliis casibus detur esse major ratio, dicta tamen *Clem.* sic statuens in hac parte à jure exorbitet, & hinc ad alios casus non extendenda, Lott. *n.* 49. Secundò: debet esse impositum in causa beneficiali super petitorio vel possessorio non in causa attentatorum, seu lata debet esse sententia contra possessorem, vel in petitorio vel in possessorio plenario, per quod plena & totalis possessio ab alio aufertur & alteri indiffinitivè adjudicatur. Lott. *n.* 50. Castrop. & Gonz. *ll. cit.* ex Lancellot. *de attent. p.* 3. *c.* 28. *n.* 243. Tertiò: debet esse impositum super ipso beneficio, & non super membro, & re ipsius beneficii. Castrop. *ibid.* citans Riccium *Collectan.* 223. Barbos. *alleg.* 54. Lott. *n.* 47. Quartò: sententia non debet esse lata contra possessorem triennalem; cùm contra hunc imponi nequeat sequestrum. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *ubi antè.* & Gonz. §. 2. *proœm. num.* 72. quem vide *ibidem* fusè *per totum* §. 7. de sequest. hoc, quod vi constitutionis Pii quarti sub die 26. Octob. 1560. quæ in Bullar. est 142. mandatum, imponi fructibus, reditibus, proventibus beneficiorum; ratione mensium aut aliàs reservatorum, dum inter provisum Apostolicum & provisum ab Ordinario desuper litigari contigerit, statim ut judex citatâ legitimè parte & citatione reproductâ cognoverit præfatam reservationem, etiam summariè & extrajudicialiter.

Quæstio 196. *An, & qualiter vacent beneficia eorum, qui scripturas spectantes ad cameram Apostolicam indebitè retinent, vel scientes ab alio retineri, & id non revelantes?*

Respondeo: Vacare ipso jure ex constitutione Julii 3. de ult. April. 1552. quæ est 24. & incipit *cum acceperimus.* Gonz. *gl.* 15. *n.* 99. Barbos. *juris Ecclesiast. l.* 3. *c.* 14. *n.* 41. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 8. *n.* 18. Idem est, si quis bona palatii Apostolici detineat, & non restituat, juxta *constitutionem* 6. *Alex.* 6. & *constitutionem* 1. *clem.* 7. Castrop. & Gonz. *ll. cit.*

Quæstio 197. *An, & qualiter vacent beneficia ob crimen falsi in literis Apostolicis commissum?*

Respondeo: Qui per se, vel per alium in literis Apostolicis vitium falsi fecerit, aliquid in eis delendo, interlevando, vel in hoc consilium, auxilium, mandatum dederit, præterquàm quòd excommunicationem incurrat, privatur seu privatus est beneficiis, si quæ habet; Gonz. *gl.* 15. *nu.* 37. Castrop. *loc. cit. n.* 40. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 170. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 1. §. *crimen.* juxta *c. ad falsarium. de crimine falsi*; qui textus, etsi id non exprimat, intelligitur tamen communiter ab auctoribus de privatione ipso jure. Azor. *loc. cit.* citans Rebuff. *de pacif. poss. num.* 265. & *in pr. tit. de mod. amitt. n.* 43. sic quoque privantur beneficiis & officiis, qui sub nomine Pontificis literis falsis ab alio impetratis utuntur. Item qui falsas literas impetrant. Castrop. *loc. cit.* Debere autem falsificantes literas Apostolicas super hoc priùs convinci in judicio, juxta quod denotant verba *cit. c. falsariorum: qui falsarii fuerint deprehensi.* Et quoad alios illos usurpantes, aut impetrantes literas falsas debere expectari sententiam declaratoriam, tradit *ibid.* Castrop. Notandum hic cum C. de Luca. *d.* 75. *n.* 13. quæstionem procedere de crimine falsificationis in literis Apostolicis commisso per jam possessorem, seu provisum de beneficio, quòd nimirum privetur is illo; secùs enim est, si crimen hoc jam commissum, & inquisitio de eo aderat tempore provisionis: nam tunc non privatur illo beneficio, sed inhabilis redditur ad illud assequendum; cùm crimen falsitatis non tantùm in literis Apostolicis commissum, sed etiam cujuslibet alterius ob infamiam, quam irrogat, hunc effectum inhabilitatis inducat: etsi de cetero alterius falsitatis crimen, seu crimen falsitatis in genere privationem beneficii jam obtenti non inducat.

Quæstio 198. *An, & qualiter vacent beneficia ob malam promotionem ad ordines?*

Respondeo: Malè promoti ad ordines (intelligo majores. Chok. *ad reg. Cancell. de malè promot. n.* 5. ex Mandos. *ad eandem regulam, q.* 1.) puta ob inhabilitatem ex aliquo vitio, seu crimine, vel per saltum, vel sine sufficienti titulo, aut dimissoriis; vel ante legitimam ætatem, extra statuta tempora, suspensi sunt ab omni ordinum exercitio, sublatâ eis facultate ascendendi ad alios ordines. Si nihilominùs in dictis ordinibus ministrare præsumpserin, non solùm efficientur irregulares, sed etiam dignitates & quæcunque beneficia ab illis obtenta vacant ipso jure per constitutionem Sixti V. redduntúrque per eandem constitutionem quæ incipit: *Sanctum & salutare*: sub dato Nonis Jan. 1558. ad illa & alia quæcunque perpetuò inhabiles. Gonz. *gl.* 15. *n.* 127. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. §. *decimum octavum crimen.* Veruntamen hodiedum pœna illa privationis locum non habet; quia dicta constitutio Sixti V. è medio sublata, ac ad terminos juris communis & Trid. & constitutæ Pii II. quæ incipit: *cum ex sacrorum*, & est in Bullario 6. (quâ non nisi privandus per sententiam veniebat talia faciens, id est, ministrans in ordinibus, ad quos malè promotus. Gonz. *loc. cit. n.* 228.) redacta per constitutionem Clem. VIII. emanatam 1. Kalend. Martii. 1595. Chok. *loc. cit. num.* 3.

Gonz.

Gonz. *cit. n.* 128. qui etiam *gl.* 5. §. 10. *ex n.* 22. specialiter, quòd non operetur dicta constitutio Sixti V. quoad suspensionem promotorum ad ordines sinè, aut cum ficto titulo.

Quæstio 199. *An, & qualiter vacent beneficia per alienationem rerum Ecclesiæ seu beneficii?*

1. REspondeo: Rectores Ecclesiarum seu beneficiorum, vel etiam commendatarii, aut administratores, qui bona Ecclesiæ vel beneficii sui, hoc est, ipsum dominium vel jus aliquod, sive per venditionem, sive donationem vel emphyteusin, hypothecam, pignoris locationem ultra triennium, similéve aliud pactum, per quod dominium transfertur, aut transferri consuevit, transferre in alium præsumunt (præterquam in casibus in jure permissis, vel de rebus in emphyteusin ab antiquo tempore dari solitis, & tunc in evidentem Ecclesiæ utilitatem, aut de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt) sinè Papæ consensu, dum sunt Episcopo, & Abbate inferiores, Prioratibus, Præposituris, dignitatibus, Personatibus, administrationibus, officiis, Canonicatibus, præbendis aliisque Ecclesiasticis, cum vel sinè cura beneficiis, quorum res & bona alienârunt duntaxat (non verò aliis) ipso facto privati existunt: illáque absque declaratione aliqua vacare censentur; possúntque per locorum Ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio spectat, liberè personis idoneis (iis exceptis, quæ propterea eis privatæ fuerunt) conferri; nisi fortè aliàs specialiter aut generaliter sint Papæ reservata. Si verò alienatores sint Episcopi aut Abbates, ingressus Ecclesiæ penitus illis interdicitur, & si per 6. menses immediatè sequentes sub interdicto hujusmodi animo perseveraverint indurato, lapsis iisdem mensibus à regimine & administratione Ecclesiæ suæ, vel Monasterii in spiritualibus & temporalibus eo ipso sunt suspensi. Præterea quòd ab ipsis, uti & aliis beneficiatis facta alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conditio, infeudatio nullius sint roboris & momenti. Ita Paulus 2. in *Extrav.* sua *ambitiosa. inter communes. de rebus Ecclesiæ non alienand.* Lott. *l.* 3. *q.* 25. *n.* 2. dicens hanc pœnam privationis esse latæ sententiæ, & qui in dictam *Extrav.* impegerint, censentur ipso jure privati beneficio. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 8. *n.* 14. qui tamen ait, ità esse, esto, in opinione plurium DD. ea recepta non sit, puta, pœna vel Extravagans. Engels. *ad tit. de rebus Eccles. non alienand. n.* 18. idem monens ex Nav. istas pœnas ipso jure incurrendas non ubique receptas esse; de quo vide dicenda ad finem hujus quæstionis. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 1. §. *septimum crimen*: qui tamen subjungit ex Cajet. *in sum. v. excommunicatio. c.* 75. & Armill. *v. eodem.* excommunicationem talibus inflictam non esse receptam ubique; & alibi, non ex toto, sed ex parte tantùm. ut ex Rocho de Curte *c. ult. de consuet.* esse consuetudine abrogatam.

2. Verùm circa hæc notandum primò: ad incurrendam dictam pœnam requiri alienationem cum effectu sumptam; si nimirum res Ecclesiæ de facto sit emptori tradita. Engels *loc. cit.* adeóque ab impetrante justificandum factum alienationis, hoc est, actum, per quem translatum fuit dominium; quale non est venditio secundùm se solam; adeóque hanc justificare non sufficit; sunt enim hæc duo compatibilia; aliquid esse venditum, & nihilominus non esse translatum dominium illius in emptorem; venditio siquidem & similes contractus, sunt quidem causæ transferendi dominium, sed non concludunt ad ipsum actum translationis; qui perficitur ex traditione rei, juxta *l. tradit. c. de pactis.* ità tamen ut nec nuda traditio aliquid operetur, nisi præexistat causa seu titulus habilis ad transferendum dominium. *l. nusquam. ff. de acquirend. rerum dominio.* Lott. *loc. cit. à n.* 3. qui etiam subjungit *n.* 8. non esse proinde in casu hoc inconsiderabilem clausulam constituti (de cujus vi & effectu vide Barbos. *de clausulis.*) eò quòd tametsi habeat vim traditionis pro acquirendo dominio & possessione; quia tamen id procedit per fictionem quandam, non esse secundùm rei veritatem, ut Menoch. *consil.* 792. *nu.* 3. Barb. *loc. cit.* quæ ficta traditio, ùt concernit jus, quod venit secundùm naturam contractûs, seu ùt Barbos. traditionem juris, non autem factum, in quo præsumitur executio obligationis, seu traditionem facti, ità ut non attendenda pro incursu dictæ pœnæ, cùm adhuc actus reputetur imperfectus.

3. Secundò: quod hinc sequitur, ad effectum incurrendi dictam pœnam non sufficere rem Ecclesiæ datam in hypothecam; licet enim prohibitâ alienatione, censeatur quoque prohibita hypoteca, quâ ad alienationem devenitur, uti id in terminis *citatæ Extravag.* est indubitatum) id tamen intelligitur respectu validitatis actûs, quo datur res illa in hypothecam, qui non minùs, quàm actus venditionis prohibetur & annullatur, in dicta *Extrav.* non autem respectu istius pœnæ, idque sivè hypotheca sit generalis, sivè specialis; sicut enim differt vis legis, quâ punit, à virtute legis, quâ prohibet; ità ab una ad alteram non rectè infertur, ubi diversa incurrit ratio; siquidem ubi agitur de puniendo ob alienationem, verbum alienationis sumitur strictè & propriè; & sic pro translatione dominii, ùt Alex. *cons.* 41. *n.* 5. & 7. *vol.* 6. Bald. *in l. final. c. de rer. alien. n.* 1. Castrens. *n.* 3. & DD. communiter. ità ferè Lott. *loc. cit. à n.* 13.

4. Tertiò; requiri, ut, præterquam, quòd res illa sit ad decorem & illustrationem Ecclesiæ, vel ex qua ministri alimenta percipiunt, ùt meminit & supponere videtur dicta *Extrav. in principio* in ipsa periodo actûs alienationis sub dominio Ecclesiæ; si enim tunc de facto jam fuisset alienata, & prælatus seu Rector ex suppositione invaliditatis actûs, aut rei devolutæ ad novam concessionem procederet, utcunque actus ille, qui sustineri posset quasi ex solito, seu quia tales res solitæ fuissent alienari, nullus foret; eò quòd negaretur illud solitum; adhuc tamen positâ illâ nullitate non infertur necessariò ad statum rei concessæ; nempe quòd ea tempore concessionis esset in dominio Ecclesiæ vere & realiter, & in consequens esse locum dictæ pœnæ. Lott. *à n.* 18.

5. Quartò: satis non esse, quòd bona illa quomodocunque spectent ad Ecclesiam, sed requiri ut bona illa sint actu incorporata Ecclesiæ, mensæ capitulari, conventui &c. non enim aliter constitui possunt in dominio Ecclesiæ (intellige, in ordine ad prohibitionem alienandi, & ex ea incurrendam dictam pœnam, quàm per incorporationem. Lott. *loc. cit. n.* 21.) bona enim legata, donata Ecclesiæ vel aliter ab ea obtenta (etiam ea, quorum Ecclesia non habet nisi dominium directum, dum ea ex causa aliqua quoad dominium quoque

utile revertuntur ad Ecclesiam, quamdiu ea incorporata non sunt eidem Ecclesiæ; quod ipsum pendet & colligitur ex circumstantia facti, maximè ex declaratione Prælati factâ, quòd ea nolit incorporare suæ mensæ. Tond. paulò post citand. n. 3.) quamdiu non sunt incorporata illi, alienari possunt sinè solemnitatibus aliàs de jure requisitis. Tond. *in resp. benef. p. 3. c. 87. n. 1.* citans Franch. *decis. 14. n. 16.* & AA. passim in *c. ut supra. de bonis Eccl. non alien.* de quo vide Barb. *in c. nulli. n. 9. eodem tit.* Quamvis subjungat Tond. *loc. cit. n. 5.* de bonis noviter acquisitis Ecclesiæ, veluti ex donatione, legato, hæredis institutione, aut alio simili titulo dubitari posse, an sint de mensa, & consequenter inalienabilia; an verò nondum unita mensæ, adeóque quia in tutiorem partem fieri debeat interpretatio, sanum esse consilium, ut non alienentur sinè solemnitatibus, ut Innoc. Abbas *in c. ut super.* Mascard. *de probat. conclus. 203. n. 6. & 7.* & se, ubi non adesset necessitas, non audere consulere; eò quòd, qui donat Ecclesiæ, aut eam hæredem relinquit, non aliâ intentione donet, quàm ut ea bona incorporentur Ecclesiæ; Incorporatio autem illa non censetur facta, dum capitulum vel ejus Superior declaravit, se nolle ea incorporare Tond. *l. c. n. 2.* citans Redoan. *de bon. Eccl. non alienand. q. 62.* Imò non censetur facta dicta incorporatio ex retentione illorum bonorum per annum, sed tunc demum, & non aliter quàm per declarationem, sive expliciram, sive implicitam ex descriptione illorum inter alia bona Ecclesiæ. Lott. *nu. 22.* citans eundem Redoan. *rubr. 1. c. 22. n. 29.* Bart. *in l. si vacantia. n. 8. c. de bonis vacantibus.*

6. Quintò: locum non esse pœnæ isti, vel etiam Extravaganti quoad prohibitionem, si res Ecclesiæ sint tales, ut ex illis commodum nullum perciperet aut percipere possit, v. g. quia essent terrulæ, de quibus *canon. terrulas 12. q. 2.* de quibus vide etiam C. de Luca *de benef. d. 86 n. 8.* concurrentibus juxta dispositionem dicti textûs hisce quatuor: necessitate præcisâ, exiguitate prædii, infructuositate, & longâ distantiâ, ut nequeant commodè ad cultum redigi. Lott. *n. 23. & 25.* vel si urgeret necessitas, & non posset peti vel exspectari à Papa licentia, Lott. *n. 24.* qui etiam *n. 26.* ait, arbitrari se, hinc declarandam sententiam aliquorum, puta Navar. *cons. 7. de rebus Eccles. non alienand.* Sayr. *in florib eodem tit. dub. 3.* Barbos. *collectan. ad cit. Extrav. ambitiosa. n. 30.* existimantium, incurri hanc pœnam privationis beneficii ex incisione arborum frugiferarum; nimirum ut reguletur circumstantiâ facti; videlicet intentione succidentis, ut si illa sit ad minuendum in perpetuum reditus Ecclesiæ pro implenda alienantis crumena in præjudicium suorum successorum ex valde notabili incisione incurratur dicta pœna; secus si succisio ea facta intentione bonâ, puta substituendi alias arbores meliores, aut alia de causa legitima, quorum plures vide apud Manticam *de tacitis & ambiguis contractib. l. 12. tit. 29. à n. 27.*

7. Sextò: non esse locum dictæ pœnæ, dum alienatio non fit de solo, seu bonis Ecclesiæ, sed de melioramentis, quæ ipse Rector Ecclesiæ seu beneficii fecit, eò quòd hæc melioramenta non veniant sub prohibitione alienandi. Card. de Luca *de benef. disc. 86. n. 9.*

8 Septimò: non esse locum extravaganti in ceteris casibus & bonis, in quibus ea licitè sinè solennitatibus alienari possunt, puta, in bonis, quorum Ecclesia habet dominium utile; dum nimirum Ecclesia tanquam manus mortua cogitur à domino directo bona noviter obtenta vendere: de quo vide Tond. *loc. cit. n. 11.* An verò per transactionem bona Ecclesiæ alteri remitti possint, & consequenter in eo evitetur dicta pœna, meritò dubitatur à nonnullis, & sentire videntur Nav. *cons. 44. 1. n. 21.* Alciat. *cons. 17. n. 8. l. 1.* apud Tond. *n. 9.* eò quòd non dicatur alienatum, quod penes adversarium dimittitur, & nunquam fuit ab Ecclesia possessum; ait tamen Tond. ipse, hanc sententiam esse contra mentem Rotæ, eo quòd, quidquid sit de patre, qui est legitimus administrator bonorum filii, quando agitur de tutore vel Prælato, qui non habent tantam potestatem, non possunt transigere, dimittendo rem apud possessorem, nisi servatis juris solennitatibus; citat pro hoc Surd. *cons. 451. n. 25.* Gratian. *discep. for. c. 476. n. 16.*

9. Octavò: notandum circa illud, quod in dicta Extrav. dicitur, non esse locum prohibitioni isti, & pœnæ, dum res aliqua ab antiquo tempore esset solita concedi vel dari in emphytheusin, illud *solitum* aliter constitui non posse, quàm vel ubi præcessit una concessio valida, vel exstant duæ cum cursu quadraginta annorum, juxta Seraph. *decis. 434. n 1.* ità ut excludatur hic numerus duarum concessionum ex identitate personæ, quâ posita, una tantùm concessio reputatur: & è converso cursus ille quadraginta annorum nihil operatur, si eæ formæ differant; siquidem alienationes rei Ecclesiasticæ debent esse conformes pro continuando cursu quadraginta annorum. Lott. *à n. 19.* Vide de hoc Tond. *p. 1. c. 119. à n. 12.*

10. Nonò: Dum dicitur in *cit. Extrav.* non posse locari res Ecclesiæ ultra triennium, triennium non esse computandum ratione annorum, sed ratione fructuum, hoc est, bona Ecclesiæ non esse locanda ad tempus, in quo percipiantur plures fructus quàm triplices. Hinc si res Ecclesiæ non nisi alternis annis fructus reddit, potest ad sexennium locari; si tertio solùm anno fert fructus, potest ad novennium locari; si autem singulis annis fert fructus, non potest nisi ad triennium locari, Azor. *p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. § ego in alia.*

11. Denique notandum, secundùm aliquos debere justificari ab impetrante ex hoc capite *Extravagentem* illam: *ambitiosa*, esse receptam in loco, ubi facta alienatio; idque plurimum momenti habere tam in foro interno, quàm externo secundùm Nav. *in man. c. 27. n. 150.* Molin. *de contr. tr. 2. d. 466. n. 9.* Gutt. *qq. can. l. 1. c. 8. n. 7.* & alios apud Garc. *p. 2. c. 1. n. 87.* Lott. *n. 38. & 39.* à quorum sententia quamvis Lott. *n. 40.* dicat se prorsus recedere; eò quòd fundamentum illius, nempe quòd lex usu non recepta non sit lex, valeátque contrario usu seu consuetudine abrogari, sit absurdissimum, dum agitur de lege Papæ, qui non à populo, sed à Deo immediatè in his Ecclesiasticis potestatem habet; ut ideo nec per mille annos extinguatur ejus vis per usum in contrarium, impertinénsque sit hæc istorum AA. deductio, cùm ista sanctio reperiatur impressa in volumine canonico, cum quo ubique locorum circumfertur. Nihilominus *n. 42.* ait idem Lott. se existimare, proprer materiæ objectæ odibilitatem in foro externo, si ex parte rei probaretur non usus dictæ Extravagantis, & positivus usus in contrarium, eum satis excusari, cùm hujusmodi legis

non

non usus, utcunque aliàs non allegabilis pro evitanda dispositione, excuset tamen pro evitanda pœna ipsius legis juxta doctrinam Bart. *in l. 1. §. apud Labionem. n. 1. ff. de edili edict.* Surd. *cons. 327. n. 51.* Gutt. *loc. cit.* quos citat *ibid.* Lott.

Quæstio 200. *An, & qualiter ob simoniam mentalem & conventionalem infligatur privatio beneficiorum?*

1. Respondeo primò in genere, veluti prænotando, nullam simoniam inducere pœnas juris ipso facto, nisi quæ committitur in ordinibus, beneficiis, Religionis ingressu. Castrop. *de simon. d. 3. p. 21. n. 2.* citans Suar. *de simon. l. 4. c. 55. n. 5.* Ugol. *tabul. 1. c. 12. & l. 4. c. 3.* Navar. &c. Less. *de just. l. 2. c. 35. nu. 130.* citans Sylv. *V. simonia. q. 19. &c.*

2. Respondeo secundò: Simoniam mentalem, hoc est, quæ absque externo aliquo contractu, pacto tacito vel expresso committitur, nequidem in dictis tribus ordine, beneficio, ingressu religionis pœnas ullas juris inducere. Less. *loc. cit.* ex communi DD. adeóque nullum ob eam commissam, ne quidem beneficio, circa quod committitur, privari, nec ipso jure, nec per sententiam. Azor *p. 2. l. 7. c. 17. §. si quæras.* citans Gomes. *ad reg. de trien. poss. n. 12.* Procedúntque hæc ipsa, sive simonia mentalis sit purè talis, sive mixta; dum nimirum datur aliquid cum intentione obligandi ad reddendum spirituale sinè ullo pacto externo.

3. Respondeo ad secundum primò: Simoniam conventionalem nullatenus inducere vacationem obtentorum ipso jure. Gonz. *Gl. 15. n. 70.* citans Put. *decis. 8. l. 2.* Caputaq. *decis. 3. de simon.* Sed neque privatur quis ex inde beneficio, super quo commissa. Azor. *loc. cit.* (licèt dicat privari illo per sententiam) citans Gomes. *ubi antè.* Less. *l. c. n. 149.* ubi quòd nulla simonia conventionalis, exceptâ confidentiali purâ, hoc est, quæ sistit in mutua conventione, & neutra ex parte completur per datione: vel etiam mixta, in qua datum quidem est pretium, sed nondum data res spiritualis, inducat illas pœnas juris positivi. citátque pro hoc Navar. *de simon. c. 23. n. 104.* ac dicens esse ferè communem DD. præsertim recentiorum. Idem de simonia hac incompleta adhuc ex utraque parte quoad executionem, nimirum non incurri propterea excommunicationem, nec ullas alias pœnas latas contra simoniacos, tradit Tond. *qq. benef. p. 3. c. 90. n. 10.* ex Sanch. *consil. moral. l. 2. c. 3. dub. 106. n. 4.*

4. Respondeo ad secundum secundò: ob simoniam conventionalem illam mixtam, in qua res spiritualis est tradita, v. g. beneficium collatum, resignatum, & pretium nondum solutum, induci pœnas omnes juris, perinde acsi utrimque completa esset, seu ac si simpliciter realis esset, eò quòd emptio & venditio videatur perfecta, quando res est tradita, etsi pretium nondum solutum, censent præter alios Sotus. *l. 9. q. 8. a. 5.* Cajet. *in sum. v. Simonia,* apud Less. *loc. cit.* Contrarium, nimirum simoniæ pœnas non incurri, sentiunt Less. *l. c.* citatque ab ipso Covar. *in Clem. si furiosus. p. 1. §. 1. n. 7. & p. 2. §. 3. n. 4.* Ugolin. Nav. &c. Item Sanch. *loc. cit.* apud Tond. *loc. cit.* & alii plures, eò quòd juxta stylum Curiæ Romanæ, de quo testantur Sanch. Navar. &c. non censentur incursæ pœnæ, nisi per simoniam realem utrimque completam, non obstante Bullâ Pii V. hac de re editâ, quæ non videtur recepta, ut Less. Cujus hæc videtur ratio, quòd pœnæ, præsertim graves, ipso facto incurrendæ, quantum fieri potest, sunt restringendæ: ac proinde pœnæ iis constitutæ, qui spiritualia emunt ac vendunt, restringendæ ad emptionem & venditionem completam (qualis non magis est, quando res est tradita, & nondum solutum pretium, quàm quando solutum pretium, & res nondum tradita; Less. *n. 150.*) nisi expressè contrarium significetur. Sentit tamen Less. *n. 151.* cum Nav. *de simon. c. 23. n. 104.* testante sic servari de stylo Curiæ & aliis, quòd si dicta simoniaca pactio postmodum utrimque compleatur in totum vel in partem (intellige pretii solvendi) incurrantur non tantùm pœnæ, sed retrotrahantur ad tempus pactionis: v. g. collator convenit cum Petro de centum aureis de dando illi beneficio, & statim confert; Petrus nondum solvat pecuniam promissam, neuter illorum adhuc incurrit pœnas juris, nec collatio est irrita; postea tamen post menses, vel etiam annos aliquot Petrus solvat pecuniam, jam incursa censebitur excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractûs, & contractus & collatio censebitur irrita & invalida; & sic collatio, excommunicatio, inhabilitas pendebant ab eventu futuro, ita ùt ante hunc collatio sit pendens, habeátque se veluti medio modo & indifferenti, neque absolutè valida, neque invalida. Less. *n. 152.* idipsum variis exemplificans v. g. in excommunicatione lata contra eum, qui pensionem beneficialem non solvit; quæ etsi sit latæ sententiæ, non tamen censetur incursa, nisi pensionarius declaret se velle, ut sit incursa; quâ posità declaratione retrotrahitur, ità ut censeatur incursa jam ab initio, quo cœpit alter esse in mora, juxta Nav. *sup.* & Gig. *de pension. q. 77.* Item in emphyteusis amissione incursa ob non solutam intra triennium pensionem; ita ut, si Dominus directus declaret, se velle, ut res illa sit amissa, censeatur esse amissa ab initio completi illius triennii. Unde jam etiam infertur primò, talem non teneri dimittere beneficium; quia collatio non est absolutè irrita, sed aliquo modo valida; etsi ab eventu futuro, quo posito ea resolvitur ab initio, & tenebitur ex tunc positi eventûs dimittere beneficium. Lott. *n. 153.* Secundò: ante completam pactionem per solutionem pretii celebrantem non incurrere irregularitatem; ad hanc enim incurrendam ob violationem censuræ requiritur, ut antè censura sit absolutè incursa. Less. *cit. n. 153.* Etsi de cetero hæc retrotractio faciat, ut, si interea collatum sit aliud beneficium, collatio sit invalida, ac si reverà jam tum fuisset excommunicatus & inhabilis, quia hæc acquisitio beneficii pertinet ad lucrum; irregularitas illa ad damnum; plus autem requiritur ad damnum incurrendum, quàm ad lucrum non reportandum. Less. *n. 154.* Veruntamen neque hæc retrotractio facta per quandam fictionem juris locum habet in foro conscientiæ secundùm aliquos, Less. *n. 155.* dicens hanc sententiam insinuari ad Nav. *c. 23. n. 104.* & doceri ab Henriq. *de excom. c. 19.* & sibi non displicere; quæ si vera, in foro conscientiæ non censebuntur incursæ pœnæ simoniæ, nisi à tempore, quo hæc completur, nec retrotrahentur, adeóque non tenebitur talis restituere fructus interea perceptos, nec censebitur fuisse inhabilis interea ad alia beneficia.

5. Respondeo tertiò: Qui beneficium confert alteri, vel procurat per simoniam realem (quam consistere seu consummari in actu illo, quo recipitur in executionem pacti præcedentis illud, quod promissum fuit, ait Lott. *l. 3. q. 29. n. 140. & 151.* sive quando processum est ad executionem conventionis, vel traditionem pretij, ut Tond. *qq. benef. p. 3. c. 90. n. 4.* Et quidem ad hoc, ut simonia sit realis, nimirum in ordine ut beneficium vacet ipso jure, necesse esse, ut ab utraque parte adimpleatur, & non sufficere, si ab una tantùm parte adimpleatur, tradit Gonz. *Gl. 15. n. 69.* juxta *decis. Rotæ 405. p. 1. diverf.*) procurando suffragium electoris, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, &c. etsi hoc ipso incurrat diversas pœnas: puta excommunicationem ipso facto, à qua nonnisi à Papa absolvi potest. *Extravag. cùm detestabile.* de simonia, Lott. *l. c. n. 147.* Less. *loc. cit. n. 137.* Castrop. *de simon. d. 3. p. 25. n. 2.* quam eandem excommunicationem ipso facto incurrunt mediatores, ut sunt parentes, amici, procuratores, & omnes, qui operam interponunt, ut beneficium simoniacè obtineatur. Castrop. *ibid.* Less. *loc. cit. n. 140.* hæc tamen non incurritur à committentibus simoniam circa officia ecclesiastica, pensiones, Vicarias temporales, & similia, quæ beneficia non sunt, conferendo, procurando. Less. *n. 137.* Castrop. *l. c. n. 1.* addens sic officium Inquisitoris, Legati, Vicarii, &c. absque aliqua pœna permutari, vendi, aut emi posse, etsi non absque peccato; & secus esse de Priorato, Provincialatu, Rectoratu, eò quòd hæc dicantur saltem quasi beneficia, & de iis expressa fiat mentio in *Extrav. 2. de simonia.* Item infamiam. *c. reperiuntur. 1. q. 3.* Lott. *n. 148.* suspensionem, *c. veniens. de simon.* Lott. *n. 143.* Item dejectionem à proprio gradu, *c. si Episcopus. 1. q. 1. c. ex multis. 1. q. 3.* Lott. *n. 144.* Unde & deponi jubentur. Gl. *in cit. c. si Episcopus.* v. suspendatur. Lott. *n. 146.* Etsi inquam, has pœnas incurrant, non tamen privantur ipso jure beneficiis, quæ obtinent; cùm hæc vacatio ipso jure nullibi ob dictam causam inducta legatur. Lott. *n. 140. & 150.* qui etiam *n. 155.* id adeò verum esse ait, ut licet ex decreto Trid. *sess. 24. c. 18.* Examinatores, qui occasione examinis habiti in concursu ad parochiales ante vel post aliquid receperint, simoniam incurrant; unà cum ipsis dantibus, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodolibet, etiam ante obtinebant (quin & ab ipsis illis beneficiis maneant ipso jure suspensi, ut Lott. *n. 158.* citans Navar. *conf. 63. nu. 1.* Paris. *de confidentiâ. q. 48. n. 5.*) & ad alia imposterum inhabiles reddantur: nihilominus ante dimissionem non possit videri inducta vacatio quasi ex sententia dicti Canonis Trid. qui hoc in specie decernit, pro quo citat seipsum *l. 3. q. 18. n. 202. & 203.*

6. Respondeo quartò: Sed &, qui beneficia per talem simoniam realem acquirunt, licèt pari modo ipso facto incurrant excommunicationem, sitque omnis talis collatio & provisio irrita & nulla ipso jure per jam dictam *Extrav. cùm detestabile.* Castrop. *loc. cit. n. 2. & 3.* Less. *loc. cit.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 17. q. 1. §. olim crimen.* Et licèt antiqui canones, ut volunt Rebuff. *in pr. tit. de simon. in resign. n. 6.* Paris. de resign. *l. 7. q. 2. n. 12.* Gutt. *qq. can. l. 1. c. 9. n. 3.* & alii passim videantur pœnam hanc privationis beneficii obtenti simoniacè non tam induxisse ipso jure, quàm mandasse solùm, privari talem simoniacum; id tamen referri debet ad privationem de facto; quia ex suppositione hujus delicti lex ab initio resistit acquisitioni, ità ut illa nunquam ad valorem afluxerit. Lott. *loc. cit. à n. 156.* Et quidquid sit de eo, quòd olim tali simoniaco occulto non adimebatur beneficium illud simoniacè obtentum, hodie etiam occultus ipso jure privatus existit tali beneficio. Azor. *l. c. §. item olim.* Idque verum, etiamsi simonia commissa à tertio. Castrop. *loc. cit. n. 3.* cujus tamen limitationem vide apud eundem. Licèt etiam ad beneficium illud simoniacè obtentum sit inhabilis, etiamsi, qui obtinuit illud, simoniam ignoraret, Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 97. n. 16.* Less. *l. c. n. 139.* quos vide. Item ad alia obtinenda, dum simonia sciente illo commissa. Castrop. *loc. cit. n. 7.* ubi etiam juxta constitutionem Pij V. dicit, hanc inhabilitatem incurri ipso jure; contrarium, nimirum eam non incurri ipso jure, tenente Navarro. *conf. 92. de simon.* Suar. Less. eò quòd dicant, dictam constitutionem hac in parte non esse receptã. Quinimo licèt etiam talis quoad alia beneficia jam præhabita citra simoniam sit ipso jure suspensus; & si est manifestus simoniacus, tanquam infamis, iis sit privandus, ut Azor *l. c. §. quæres.* non tamen ipso jure vacant alia ejus beneficia; quia nusquam respectu illorum jam legitimè obtentorum inducta illa privatio ipso jure. Azor *loc. cit.* Lott. *l. c. n. 161.* citans Innoc. *in c. inter dilectos. n. 1. de exceff. prælat.* Selv. *p. 3. q. 2. n. 34.* Navar. *conf. 62. n. 2.* Castrop. *de benef. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 8. n. 7.* Item *de simon. d. 3. p. 25. n. 4.* citans Ugolin. *de censur. tab. 4. c. 6. n. 3.* Suar. *l. 4. c. 58. n. 6.* Rodriq. *to. 2. in sum. c. 56. n. 6.* Tond. *loc. cit. n. 21. & 22.* ubi ait: Veritas est, quòd stante Bullâ Pij IV. & Pij V. quæ receptæ sunt in Gallia, simoniacum omnibus beneficiis privari, etiam iis, super quibus nulla simonia commissa (modò tamen simonia sit vera, & non interpretativa v. g. si pater, ignorante filio, in procurando ei beneficium simoniam commisisset) & quidem in tali vera simonia locus est privationi ipso jure, quoad beneficium, super quo simonia commissa; quoad alia verò verius est, non induci privationem ipso jure, &c. uti eandem sententiam docent plures alii apud Garc. *p. 8. c. 1. n. 5.* contra eundem Garc. Quin &, ut ait Lott. *n. 162.* verius est, in articulo privationis beneficiorum sinè vitio obtentorum nihil unquam decrevisse canones antiquos; adeóque ruit fundamentum Garciæ, nimirum, quòd licèt olim non nisi per sententiam immineret privatio beneficii ritè præhabiti, per dictam tamen *Extrav.* omnes pœnæ, quæ incurrebantur ex sententia, inflictæ fuerint ipso jure. Unde jam infertur primò, fructus beneficiorum obtentorum ante simoniam commissam, non esse ipso jure restituendos post admissam simoniam; habito enim & retento jure in illis beneficiis, habetur & jus in illis fructibus perceptis. Castrop. *loc. cit. n. 5.* citans Suar. *l. 4. de simon. c. 58.* Etsi iis per sententiam privari possit, non quia percepti post simoniam commissam; sed quia pro delicto simoniaco imponi potest etiam mulcta pecuniaria. Castrop. *ibid.* in quo casu sententia terminari debet ad ipsos fructus; nec sufficit, esse condemnatoriam & privatoriam beneficiorum, quia sunt distincta fructus & beneficia. Castrop. & Suar. *ll. citt.* Secundò: dum electus vel præsentatus committit simoniam pro confirmatione vel institutione non exinde annulari ipso

ipso jure electionem vel præsentationem ritè factam. Castrop. *loc. cit. n.* 6. Less. *l. c. n.* 138. Suar. *l. c. n.* 6. licèt electio illius, qui pro illius confirmatione simoniam admisit, veniat irritanda. Castrop. *ibid.* citans Ugolin.

Quæstio 201. *An & qualiter vacent beneficia ob simoniam confidentialem, seu crimen confidentiæ?*

1. REspondeo: primo loco prænotandum, de quo aliàs pluribus, confidentiam beneficialem aliam esse licitam, dum nimirum quis ordinatè confidit conferendum sibi vel fratri, vel alteri consanguineo beneficium, dignis tamen & modo debito. Paris. *de consid. benef. q.* 1. *n.* 20. citatis plurimis. Aliam illicitam, dum quis inordinatè confidit, quòd collator conferet, aut alius resignabit beneficium sibi aut alteri indigno, vel contra modum & formam. Paris. *ibid. n.* 23. *ex D. Thom. in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *&* 2. 2. *q.* 62. *a.* 7. Hæc confidentia illicita alia est non simoniaca, alia simoniaca. Non simoniaca est, dum quis inordinatè confidit, nimirum, quòd collator conferet beneficium ob parentelam, vel servitium, vel amicitiam indigno sinè tamen pretii pacti, modi, vel conditionis interventu; Paris. *loc. cit. n.* 24. *&* 25. ex D. Tho. *ubi ante*, Navar. *c.* 23. *n.* 109. *de simonia.* Verùm de hac confidentia non procedit quæstio. Alia simoniaca, seu species simoniæ, nempe conventionalis, ut Paris. *de confidentiis. q.* 58. *n.* 3.) quam relatis & rejectis aliorum definitionibus sic describit Paris. *l. c. n.* 49. Quòd sit quædam spes, quòd collator conferet, patronus præsentabit, eligens eliget, aliquis resignabit beneficium modo vel conditione expressâ vel tacitâ sibi vel alteri v. g. dum quis accipit beneficium per resignationem, collationem aut aliter, & promittit se velle illud retrocedere vel resignare certis temporibus conventis, vel promittat fructus aut pensiones. Vide Paris. *à n.* 50. hanc definitionem pluribus explicantem.

2. Respondeo secundò: Confidentia hæc simoniaca subjacet pœnis & censuris, etsi nondum sit completa; ut patet ex verbis constitutionis Pij V. ubi: *etiam sola dimittentis intentione receperit.* Tond. *in qq. benef. p.* 3. *c.* 90. *n.* 11. citans Bonacin. *de simon. d.* 1. *q.* 7. *p.* 1. §. 1. *n.* 4. Sanch. *consil. moral. l.* 2. *c.* 3. *dub.* 106. *n.* 5. Paris. *de confidentiis. n.* 150. ubi ait, confidentiam adimpleri per solam promissionem, & sic interpositionem fidei, cùm tota in spe posita sit, & *n.* 159. ubi, quòd eo ipso, quòd quis accipit beneficium in confidentiam, antequam impleat, quod promisit, est ipso jure excommunicatus; & collatio ei facta ipso jure nulla, & tenetur restituere omnes fructus perceptos.

3. Respondeo tertiò: Confidentia simoniaca (eo ipso nimirum, quòd quis accipit beneficium in confidentiam, ut Paris. *de consid. q.* 1. *n.* 159.) præterquam, quòd inducat utrique parti contrahentium ipso facto excommunicationem reservatam Papæ, Castrop. *de simon. l. c. n.* 8. Less. *cit. c.* 35. *n.* 147. Paris. *de confident. q.* 58. *per tot.* quem vide. Item juxta eundem Paris. *l. c. q.* 61. irregularitatem; contra Nav. *cons.* 35. *de simon.* Item inhabilitatem ad illud beneficium, super quo commissa hæc simonia, & cetera omnia obtinenda. Castrop. Less. *ll. citt.* Item reservationem istius beneficii, in quo hæc confidentia commissa, ità ut alius præter Papam non possit se in provisione illius immiscere: Castrop. Less. *ll citt.* & consequenter, si successor talis confidentialis simoniaci illud obtinuit ab alio, quàm Papa, non obtinuit illud canonicè; adeóque possit eo privari, nisi fortè per triennium fuerit in pacifica possessione. Less. remittens ad se ipsum. *c.* 34. *dub.* 9. præter has inquam, pœnas inducit quoque privationem beneficiorum, super quibus commissum hoc crimen. Castrop. Less. *ll. citt.* Paris. *l. cit. q.* 58. *n.* 1. sic expressè statuentibus Pio IV. in Constitut. sua *Romanum.* 109. *in Bullar.* Pio V. in Constitut. sua: *intolerabile.* 87. Et quidem ipso jure, sive facit, ut quæcunque illius provisio sit ipso facto irrita, & prorsus nulla; etiam ante implementum illius, quod à collatario vel resignatario promissum, AA. iidem. Paris. *n.* 10. contra Caputaq. *decis.* 201. *p.* 1. censentem solùm esse privandos, eò quòd crimen confidentiæ non sit nisi simonia conventionalis, propter quam hæc pœna non infligitur ipso facto. Exprimit idipsum apertè Pius IV. in constitut. sua, ubi ait: idcirco omnes & singulas Ecclesias etiam metropolitanas, & alias cathedrales ac monasteria etiam consistorialia, Prioratus, Præposituras, dignitates, etiam majores ac principales, etiam conventuales, &c. ipso jure à die receptionis eorundem vacavisse & vacare. &c. & Pius V. in sua constitut. ubi: *ut ipso facto vacarent Ecclesiæ, monasteria, ceteráque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunque etiam S. R. E. Cardinalibus &c. accepta.* Atque ità nulla, quoad hanc pœnam privationis incurrendam est differentia inter simoniam realem & hanc confidentialem. Paris. *n.* 11. Et quia pejor est omni aliâ simoniâ conventionali (per quam, uti dictum, non annullantur actus, seu incurritur hæc privatio, nec censura alia, usque dum ab utraque parte completa est, & sic ex conventionali evadat realis) graviùs punitur. Paris. *n.* 13. qui etiam *q.* 1. *de confident. n.* 160. dicit, ideo hoc crimen puniri graviùs, quia plurimùm frequentabatur ante Pium IV. & ratione frequentationis delictum reputari gravius. citat pro hoc Imol. *in Clem.* 4. *de sepul.* Gemin. *in c.* 1. *de vita, & honest. clericorum &c.* Unde jam tenebitur confidentiarius talis illud beneficium in foro conscientiæ dimittere, nec poterit illud resignare vel permutare, etiamsi nulla sententia declaratoria præcessisset, quia nunquam in eo fuit intitulatus, dum ipso jure omnis ejus assecutio & possessio annullata. Paris. *n.* 15. *& seq. &* 22. poteritque illud beneficium, stante hac privatione, conferri alteri, præsentari vel eligi ad illud alius. Paris. *n.* 18. citans Abbat. *in c.* 2. Hojed. *de jurepatron. parte* 1. *c.* 4. *nu.* 7. Quin & posse parochianos se subtrahere ab obedientia talis confidentiarii, ait Paris. *n.* 19. ex Anchar. *in c. ad Apostolica. de sentent. & rejudicata.* Tiraq. & conductores rerum dicti beneficii, utpote vacantis ipso jure, cogi non posse ad solvendum tali beneficiato confidentiario, ut Paris. *nu.* 20. citans Tiraq. *in l. si unquam. v. revertatur. n.* 36. *c. de revocan. donat.*

4. Respondeo quartò: Committentes simoniam confidentialem privantur non solùm beneficiis, super quibus ea committitur, utpote in quibus jus nullum quæsiverunt, sed etiam aliis ritè obtentis. Castrop. Less. *loc. cit.* Paris. *n.* 27. Quod expressè constituit Pius V. in sua constitutione, procedítque id ipsum in dignitatibus etiam maximis, Abbatiâ, Præpositurâ, Decanatu, Episcopatu, Archiepiscopatu, ut iis priventur committentes hanc

simoniam confidentialem, Paris. *n.* 29. Incurriturq; horum beneficiorum & dignitatum privatio ipso jure absq; omni sententiâ; verbum enim *privamus*, quo utitur Pius V. est præsentis temporis, adeóque inducit pœnam privationis ipso jure, & operatur, ut non requiratur sententia. Paris. *à n.* 31. dicens esse communiorem omnium Doctorum, & pluribus id probans ex verbis dictæ constitutionis Pii V. Ex quibus infert *n.* 39. satis videri, hanc pœnam expressam; contra quod in oppositum afferri solet, privationem ipso jure non irrogari, nisi ea expressa sit. Contrarium nihilominùs tenent Less. & Castrop. *ll. cit.* quorum hic etiam citat pro hoc Suar. *de simon. l.* 4. *c.* 43. *n.* 13. non teneri talem confidentiarium dimittere ista beneficia ante sententiam, saltem declaratoriam; eò quòd pœna, quâ quis privatur re suâ jam possessâ, non debeatur ante sententiam. Unde, si vera est sententia Paris. jam pari modo talia beneficia jam antè ritè obtenta, conferri poterunt, & deveniri ad electionem & præsentationem. Paris. *n.* 40. citans Abbatem *in c.* 2. *de feud. not.* 3. Card. *in Clem. 1. de pœnis, n.* 15. *&c.* Quin &, ut idem Paris. *n.* 41. collatio horum beneficiorum spectabit ad Sedem Apostolicam, non secus ac eorum, super quibus commissa est hæc confidentia. Incurri etiam hanc pœnam privationis ipso jure beneficiorum priùs obtentorum; item inhabilitatem; de qua paulò post, ceterásque pœnas, etiamsi iste contractus simoniæ hujus confidentialis ex neutra parte completus sit quoad executionem, sequitur ex dictis antè *responsione secundâ*. Contrarium tamen tenet Less. *loc. cit. n.* 148. citans Navar. & dicens, colligi ex ipsa Bulla Pij V. dum significatur beneficium debere esse simoniacè receptum. Idem cum Less. tenet Castrop. *l. cit.* dum ait, opus non esse, simoniam hanc compleri ex utraque parte, hoc est, ut beneficium datum in confidentiam iterum renuncietur; sed sufficit ut detur eâ conditione, ut resignanti denuo vel alteri resignetur, vel ejus fructus solvantur, & eâ intentione recipiatur. citat pro hoc Navar. *de simon. c.* 43, *n.* 13. Rodriq. *v. simonia, c.* 56. *n.* 7.

5. Respondeo quintò: Quemadmodùm committentes hanc confidentiam privantur ipso jure beneficiis, super quibus ea commissa, & obtentis antea, ità quoque ipso jure sunt inhabiles ad alia obtinenda in futurum. Paris. *loc. cit. n.* 43. dicens esse communiorem & receptam Doctorum sententiam etiam in praxi, ac citans pro hoc plures; eò quòd id disertè exprimat Pius V. in constitutione sua. §. *Sed neque quisquam.* dum ait: *præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, &c.* quod ipsum verbum *decernimus* inducere jus novum, & declarare antiquum ait Paris. *n.* 44. citatis pluribus. Contrarium iterum tenente Castrop. *l. c.* quòd nimirum hæc inhabilitas ad obtinenda postulet sententiam declaratoriam criminis juxta receptum usum. Idem ait Less. *cit. n.* 148. Unde jam tales committentes confidentiam etiam ante sententiam declaratoriam commissi delicti, si vera est prior sententia, vel saltem post illam, si vera posterior sententia, non possunt præsentari, eligi, aut iis conferri beneficia; quia inhabilibus dari non possunt beneficia. Paris. *n.* 45. & 54. ita ut, si illis conferantur beneficia per ordinarios, vel etiam Sedem Apostolicam, collatio nulla sit non factâ mentione de dicta confidentia, Paris. *nu.* 47. nisi fortè, qui commiserunt confidentiam, habeant dispensationem ad hoc, ut non obstante hac confidentiâ commissâ, impetrare possint deinceps beneficia. Paris. *n.* 52. Quam tamen dispensationem ex stylo Datariæ non solere concedi ad retinenda beneficia, super quibus commissa hæc confidentia, ait Paris. *n.* 55. ac ideo, ut idem *n.* 56. Pium V. in constitutione sua 69. incipiente: *in sublimi.* edita ad reformandum officium pœnitentiariæ, voluit, ut simoniacis realibus & confidentialibus non concedatur, ut possint retinere beneficia, super quibus commissa simonia. Quinimò in absolutionibus hujusmodi apponatur clausula; quòd uterque ad beneficium, super quo commissa simonia, perpetuò inhabiles existant. Procedítq; id ipsum, non solùm in simplicibus, sed etiam in curatis, dignitatibus, Personatibus, monasteriis, &c. eò quòd Pius V. postquam *l. cit.* locutus de omnibus prædictis jam obtentis, subdit: *& ad futura inhabiles esse decernimus.* quæ verba referuntur ad omnia proximè expressa. Paris. *n.* 46.

6. Respondeo sextò: Quod dictum de beneficiis, idem dicendum de Personatibus. Paris. *n.* 57. Castrop. *l. c.* Less. *l. c. n.* 147. Item de fructibus, Paris. *n.* 61. dicens id intelligendũ de reservatione fructuum reservatorum loco pensionis. Item de officiis Curiæ Romanæ, & aliis temporalibus, quæ dantur Cardinalibus, puta Vicecancellariatus, Camerariatus, Vicariatus, Pœnitentiariatus, & alia, ut Auditoriatus Rotæ Scriptorum, Abbreviatorum, &c. Paris. *n.* 62. exprimuntur enim hæc omnia in dicta constitutione Pij IV. *cit.* §. ubi: *nec non pensionibus, fructibus, officiis Curiæ Romanæ, & aliis officiis temporalibus privati sunt.* Ac deniq; beneficia, dignitates, &c. ob dictum crimen vacantia, reservantur collationi Papæ, ut Pius IV. & V. in suis constitutionibus. Paris. *n.* 66. Castrop. Less. *l. c.*

Quæstio 202. *An igitur etiam confidentia illa simoniaca inducat quoque dictas pœnas statutas in dictis illis constitutionibus Pij IV. & V. dum solùm utrimque tractatum & conventum sub confidentia v. g. de resignando vel conferendo beneficium, nullo prorsus adhuc secuto effectu, hoc est, absque eo, quòd in vim confidentiæ secuta resignatio, collatio?*

Respondeo: probabiliùs videri, quòd non; sive quòd tractatus super confidentia non commissa realiter non sit punibilis dictis pœnis; v. g. si ante resignationem vel collationem factam partes agnoscentes turpitudinem hujus criminis recessissent à conventione, lacerando etiam chirographum, si quod desuper confectum. Paris. *de confidentiis benef. q.* 39. *n.* 6. Tondut. *in qq. benef. p.* 3. *c.* 160. *n.* 13. ex Nav. *consil.* 48. *de simonia.* & hoc ipsum velle videtur Castrop. suprà. Constitutiones siquidem prædictæ loquuntur tantùm in casibus, in quibus confectus actus, puta collationis, renuntiationis, ut ex earum lectura patet, adeóque cùm non puniant conatum, standum est generali consuetudini, quâ etiam in atrocissimis non puniuntur affectus, non secuto effectu. Paris. *loc. cit. à n.* 7. Procedítque hoc ipsum, etiamsi secuta resignatio, collatio, &c. sed purè & liberè; seu non in vim confidentiæ. Navar. *loc. cit.* Paris. *nu.* 16. Quinimo procedit, etiamsi post tractatum talem confidentialem resignatarius, vel alius pro eo tradidisset

didisset resignanti chirographum continens promissionem illicitorum; cùm ex traditione illius scripturæ non videatur consummata confidentia; cùm id factum ad probationem promissorum: tradere autem scripturam pro probatione promissi, non est implere promissum: juxta quod Navar. *in manual. c. 23. n.* 105. Paris. *n.* 18. vide, & combina, quæ suprà dicta de alia simonia conventionali.

Quæstio 203. *An, & quomodo constare debeat de simoniâ commissa, vel etiam in specie de hac confidentia simoniaca in ordine ad hoc, ut iudex possit judicare vel declarare, hoc crimen commissum, vel etiam in ordine, ut ex hoc capite beneficium impetrari possit?*

REspondeo primò in genere: impetrantem beneficium collatoris ex hoc capite, quòd simoniacè contulisset, difficulter idipsum probare posse; cùm non solùm teneatur justificare pactum, in quo substantiatur simonia, sed etiam & sanè manifestò in executionem illius collatorem recepisse id, quod sibi promissum fuerat, juxta *cap. de hoc autem. de simonia.* Ac proinde talem impetrantem judicio suo oleum & operam perdere ait Lott. *l. 3. q. 29. n.* 150.

2. Respondeo secundò: ad probandum simoniæ crimen commissum requiritur plena & concludens probatio, dum agitur ad effectum privationis (secus tamen est, quoties ex hoc capite agitur ad repellendum aliquem, ab assecutione beneficii nondum obtenti; eò quòd tunc sufficiant probationes leviores. Paris. *de consid.*) quamvis aliàs agatur civiliter Paris. *de consideratá. q.* 64. *n.* 14. dicens esse communem citatis quamplurimis. Idem omnino quoad hoc dicendum est de confidentia. Paris. *ibidem n.* 13. & 15. & 34. dicens id ità receptum esse ex interpretatione & stylo Rotæ, ut ubi non adducitur talis plenè concludens probatio, Rota semper pronunciet, pro non commissa confidentia. Sic sufficiens in hac materia non erit probatio dictum unius testis cum fama. Paris. *n.* 20. aut etiam cum præsumptione, quæ oritur ex dicto alterius, qui particeps fuit criminis. Paris. *n.* 21. Unde nec admittitur dictum socii criminis. Paris. *n* 22. & *eodem tr. q.* 66. *n.* 21. veluti resignantis post resignationem dicentis, se resignâsse sub quibusdam conditionibus & modis. Paris. *n.* 24. Nec sufficit fama publica juxta Rotam *in Tullensi Parochialis.* 28. *Maii, anno* 1593. Paris. *n.* 23. Neque sufficit, testes deponere, audivisse se dicentem Titium, se futurum gratum; quia verba istiusmodi generalia non probant simoniam; Paris. *n.* 25. citans præter decis. Rotæ Sotum *de just. l.* 9. *q.* 8. *a.* 5. *concl.* 3. Neque sufficit testes deponere de solutione facta resignanti; quia potuit resignatarius solvere ex alia causa, & non constabat de pacto. Paris. *n.* 27. juxta *cit. Rotæ, decis. in Tullensi illâ:* aut etiam, si deponant de perceptione fructuum facta à resignante, probat confidentiam, nisi pariter deponant de præcedente conventione; quia potuit ex alia causa resignatarius solvere illos. Paris. *n.* 28. Neque ex mandatis reciprocis colligitur confidentia; cùm non constet de pacto; Paris. *n.* 30. Neque etiam constaret de simonia per supplicationem, in qua Titius petebat absolutionem ab ea; cùm talis per hoc non videatur confiteri simoniam; quia præsumitur id factum ad cautelam, & tollendum scrupulum; quia bonarum mentium est timere, etiam ubi non est justa causa. *c. 2. de observat. jejun.* Paris. *n.* 32. & 33. citans Nattam. *cons.* 161. *n.* 15.

3. Respondeo tertiò: de cetero simonia admittit omnes probationum species. Paris. *loc. cit. n.* 11. Puta, per notoreitatem, juxta *cap. manifesta. 2.* 41. Castrop. *de simon. l. 3. p.* 27. *nu.* 1. Paris. *cit. q.* 164. *nu.* 7. notoria enim & quæ aperta sunt judici non egent probatione. *l. 1. ff. de restit in integ.* & *l. si verò. ff. qui satis* &c. Paris. *n.* 8. & 9. Per evidentiam facti; cùm quis in crimine comprehenditur. Castrop. *loc. cit.* Paris. *n.* 12. Per confessionem partium, videlicet resignatarii, & resignantis probatur simonia & confidentia, Castrop. *loc. cit.* Paris. *de consid. q.* 68. *n.* 1. & 6. dicens esse communiorem. Lott. *l. 3. q.* 29. *n.* 68. ubi: confessio partis, si judicialis est, dubium non est, illam superfluere. Idque etiamsi confessio facta in judicio criminali. Lott. *loc. cit. n.* 69. Castrop. *loc. cit.* quòd autem confessio resignantis præjudicet sibi & resignatario, colligitur à DD. de confessione facta in judicio. Paris. *ibid. n.* 14. citans plures textus, ac dicens ex Mascar. *de probationibus. conclus.* 348. esse communiorem, & ideo Nav. *cons.* 66. *de simon.* tradere, quòd confessio resignantis dicentis & publicantis, quòd in tractatibus de resignatione intervenerint illicita pacta simoniaca ac confidentialia, non probat confidentiam; quia emanavit extra judicium, & nullus præter ipsum hoc testatur. Tradit quoque Lott. *loc. cit. à nu.* 70. non fore confessionem sufficientem, si non emanavit ab ipso principali, sed per procuratorem; cùm ea præjudicare nequeat principali, cujus respectu semper dicatur confessio ficta, non vera; habendam tamen pro confessione ipsiusmet principalis, si facta esset per nuntium, id est, per habentem mandatum certum ad confitendum vel faciendum aliquid sic & sic, ità ut videri possit organum mandantis, & ejus viva vox. De cetero confessio resignantis facta ante resignationem de confidentia nocet resignatario. Paris. *loc. cit. num.* 9. citatis pluribus Rotæ decis. contra quamplurimos alios. Confessionem verò resignantis post resignationem factam (etiam, dum illa confessio non tenderet ad commodum resignantis) non præjudicare aut nocere resignatario, sivè non probare nec simoniam, nec confidentiam, tradit Lott. *loc. cit. n.* 74. Paris. pluribus citatis. *à nu.* 21. *juncto nu.* 11. Idque etiamsi resignans post resignationem supplicâsset pro absolutione sui à simonia, vel confidentia commissa cum resignatario. Paris. *n.* 23. Imò nec talis confessio, quæ fit petendo absolutionem, contra ipsum resignantem, probat simoniam vel confidentiam. Paris. *n.* 23. Quamvis aliàs confessio resignantis, quandocunque facta contra ipsum resignantem inducat effectualem probationem. Paris. *n.* 12. citans C. Paris. *cons.* 58. *nu.* 8. *vol.* 1. Per famam. Per instrumentum, in quo adest promissio vel pactum, probatur confidentia, uti & alia simonia. Paris. *de consid. q.* 70. *nu.* 1. & 2. citans Sarn. *decis.* 4. *l.* 2. Mohed. *decis.* 124. Menoch. *consil.* 67. *nu.* 8. *l.* 1. Mascar. *de probat. conclusione.* 1305. *nu.* 2. siquidem & alia crimina probantur per instrumentum; quoties delictum consistit in facto incorporato vel connexo ipsi instrumento; ut in usura, hæresi. Paris. *nu.* 4. citans Clarum. *l. 5. recept. sent.* §. *ulti. q.* 54. & probatio per instrumentum dicitur propriè probatio *c. forus. de verb. signif.* Decius *in rubric. de probat. ex n.* 44. ac vera & firma, gl. *in c.* 1. *de censibus.* Paris. *nu.* 5. & 6. Quin

& in-

& instrumentum habens sua requisita, dicitur probatio probata, & veritas evidens, non probanda. Bald. *consil.* 176. *l.* 1. Paris. *n.* 7. & probatio firmior probatione per testes *l. hac consultissimâ, c. qui testamentum facere poss.* item est probatio omnium probationum præstantissima, adeóque de sufficiente justificatione pacti simoniaci per publicum instrumentum, non est ambigendum. Lott. *l.* 3. *q.* 29. *n.* 75. Per literas alias resignatarii scriptas resignanti vel alteri. Paris. *de consid. q.* 69. *nu.* 2. juxta Rotam *in Mindonien. Canonicat.* 25. *Octob.* 1551. teste Caputaq. *decis.* 212. si enim confidentia probatur per conjecturas & præsumptiones secundùm *Extrav.* Pii IV. & Pii V. sufficient & literæ, quæ satis clarè mentem nostram exprimunt. Paris. *loc. cit. nu.* 4. Nec obstat, quòd delictum non probetur semiplenis; id enim verum est, ubi delictum constat in facto separato à scriptura, ut homicidium, adulterium: secùs, si consistat in facto conjuncto cum scriptura, ùt hæresis, simonia, confidentia. Paris. *n.* 7. citans Clarum *ubi antè.* ac dicens, esse communiorem in praxi receptam. Veruntamen debent literæ tales, ut probent, esse recognitæ. Paris. *n.* 10. citans Card. Paris. *cons.* 54. *n.* 6. *vol.* 4. Item claræ, secùs est, si in cifra loquantur. Paris. *nu.* 12. juxta Rotam *in Britonoricen. commenda,* 12. *Decembris.* 1585. Per correspectivitatem, hoc est, quando unus actus fit propter alium, ut si renunciâsti beneficium mihi, & ego consensi in pensionem, vel aliam remunerationem in tui favorem feci coram eodem Notario, testibus, eodem die in continenti; facit enim hoc sufficientem præsumptionem simoniæ. Castrop. *loc. cit.* qui etiam ex Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 9. *à n.* 9. ait, id non esse sufficientem probationem, si diversis temporibus fiat.

4. Per testes probatur confidentia, estque hæc probatio naturalis, & congruit cum jure divino, & ob id aliis probationibus dignior & validior æstimatur. Paris. *de consid. q.* 65. *à n.* 1. Non tamen probant in hac materia confidentiæ absque juramento, sub quo astringi debent à judice, antequam perhibeant testimonium. Paris. *n.* 15. ex Gabriel. *cons.* 184. *nu.* 9. *l.* 2. debétque pars adversa citari in horum testium receptione. Paris. *n.* 18. ex eodem Gabriel, *loc. cit.* dicta enim testium pro nihilo reputantur, si pars, cujus interest, non fuit vocata. *c.* 2. *de testibus.* non tamen eâ citatione opus est, dum judex procederet ex officio, & sic praxis in hac materia observat in processu informativo. Paris. *n.* 19. ex Mascard. *de probat. tom.* 1. *q.* 87. De cetero opus non est testes citari ad perhibendum testimonium, sed sufficit, ut producantur ad judicem. Paris. *nu.* 20. Nec opus est ad probandam simoniam & confidentiam, ut testes sint omni exceptione majores; sed sufficiunt etiam criminosi & aliàs inhabiles. Paris. *de consid. q.* 66. *n.* 6. citans Mascard. *de probat. conclus.* 1306. *n.* 16. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 110. contrarium tenente Lott. *loc. cit. n.* 65. ubi: pro justificatione pacti simoniaci ex testibus, præparandi testes, qui non patiantur exceptiones considerabiles, quales essent excommunicati, vel eodem crimine simoniæ irretiti, vel instigatores. item contra alios, quos citat Paris. *n.* 4. Patet ex constitutione Pii V. §. *criminosi, & ceteri omnes &c.* Et sic in crimine simoniæ quælibet persona indistinctè admittitur in testem, & exceptiones cujuscunque generis & qualitatis repelluntur, præterquam capitalis inimicitiæ & conspirationis. Pirh. *ad tit. de simon. n.* 48. argumento *cap. licet Heli. de simonia,* & *ibi.* gl. Abbas. Felin. & DD. communiter; quia simonia, ut dicitur *dicto capite,* est majus crimen omnibus aliis (ob atrocitatem autem delicti licet quandoque transgredi jura, ut Innoc. communiter receptus *in c.* 1. *de constit.* referente Claro *l.* 5. *recept. sent.* §. 1.) & quasi majus hæresi, ad quam probandam quælibet persona, etiam criminosa & inhabilis, admittitur. Paris. *à n.* 7. Estque simonia & confidentia de iis criminibus, quæ solent occultè committi; quoties autem sumus in istis criminibus, & veritas aliter haberi non potest, testes minùs idonei fidem faciunt, *c. veniens il.* 2. *de testibus.* ratione enim difficultatis illi testes recipiuntur, qui aliàs à testificando rejiciuntur, ùt Roman, *cons.* 76. uti ideo laicus, qui aliàs ad accusandum vel ferendum testimonium contra clericum non admittitur, in criminibus exceptis, ùt sunt simonia, hæresis, crimen læsæ majestatis, admittitur contra clericum, si bono zelo justitiæ, non ex odio procedat. Pirh. *loc. cit.* citans Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 5. *nu.* 9. Abb. Butrio. Felin. & DD. communiter *in c. de ceterum. testibus.* & in criminalibus admittitur minor 25. annis, meretrices, lenones, aliique infames. Paris. *à n.* 11. Non tamen ad probandam simoniam, & confidentiam admittitur hæreticus Paganus, Judæus. Paris. *nu.* 17. citans Gloss. *in c. si Dominus. de simon. v. Catholicus.* Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 5. *n.* 13. neque admittuntur excommunicati, quia *cit. c. Heli.* loquiturtantùm de criminosis, non autem de excommunicatis, qui indistinctè repelluntur à testificando. *c. decrevimus. de sent. excom. in* 6. nisi in casibus specialiter in jure exceptis, ut quando agitur criminaliter in crimine læsæ majestatis & hæresis. Pirh. *loc. cit. n.* 49. citans Abb. *in c. Heli. n.* 10. neque admittuntur indifferenter criminosi omnes in simonia, sed solùm habentes qualitates requisitas in *c. per tuas, de simon.* quia unum crimen exceptum est magis privilegiatum quàm alterum. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. per tuas, n.* 6. Neque etiam admittuntur ad probandam simoniam & confidentiam socii criminis, dum hi etiam sunt socii muneris, ob rationem positam *in cap. veniens, il.* 1. *de testibus.* Castrop. *loc. cit. num.* 2. Paris. *n.* 22. juxta Rotam *in Pampilon. Parochial.* 13. *Julii.* 1552. teste Caputaq. *decis.* 244. *p.* 3. Procedítque, etiamsi ageretur de simonia civiliter. Paris. *cit. nu.* 22. citans Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 5. *nu.* 28. Item, etiamsi hi testes socii criminis & muneris, nihil recepissent; quia sufficit, quòd eis fuerit promissum. Paris. *n.* 23. juxta Rotam *ubi antè.* Secus tamen est, seu admittuntur socii criminis, dum non sunt simul participes muneris; speciale enim id est in his tribus criminibus exceptis; nempe hæresis, læsæ majestatis, simoniæ; quòd admittantur in testes socii criminis *c.* 1. *de testib. in* 6. *& ibi* DD. communiter Castrop. *loc. cit. n.* 3. Paris. *n.* 21. citans plures, ac dicens esse communiorem. vide eundem de hoc puncto *de resign. l.* 14. *q.* 10. Neque admittuntur ad probandam confidentiam testes inimici. Paris. *nu.* 25. juxta Rotam *in Aquens.* 17. *Maii.* 1593. uti &, qui nimis audacter deponunt, ac nimis animosè loquuntur, Paris. *n.* 26. cit. Anchar. *cons.* 227. *n.* 5. Cravett. *cons.* 1. *num.* 9. & Rotam *in Imol. confidentiæ.* 24. *Febr.* 1592. Neque probatur simonia per testes de auditu, etiam de publica voce & fama, etiamsi cũ hac publica fama & voce adsit unus testis. Paris. *n.* 27. dicens sic pluries resolutum à Rota. Porrò licèt aliàs testi unico non adhibeatur fides. *c. veniens. de testibus,* etiamsi is esset in maxima

xima dignitate constitutus. Bellam. *decis.* 628. & etiamsi causa commissa esset conscientiæ alicujus. Alex. *cons.* 209. *l.* 6. *colum. ult.* ac ità de jure communi quælibet præsumptio esset probanda per duos testes, conteſtes. Paris. *de consid. q.* 67. *à n.* 1. ad probandas tamen præsumptiones & conjecturas de confidentia positas in constit. Pii V. sufficiunt singuli testes, uti idipsum exprimitur in dicta constit. Pii V. §. *testes verò.* de quacunque re singulares singulas probare valerent conjecturas, & præsumptiones. Paris. *nu.* 5. idipsum autem, quòd sufficiat in hoc unus testis, operatur difficultas probandi; uti idem exprimitur in dicta constit. §. *si quidam.* Paris. *n.* 6. Adeóque jam etiam, licèt in criminalibus regulariter duæ probationes imperfectæ non jungantur ad faciendam plenam probationem; fallit tamen hoc in crimine hoc, in quo speciale est propter ejus gravitatem, ut probationes imperfectæ simul conjungantur ad constituendam probationem perfectam, sicut in civilibus junguntur. Paris. *n.* 7. & 8. citans plurimos. eóque facilius in præsenti casu probandæ simoniæ plures præsumptiones conjunguntur ad plenam probationem, quia hæ præsumptiones unaquæque semiplenè probat, nempe per unum testem. Paris. *à n.* 10. Et licèt etiam, ut dictum, conjectura quælibet ad minus per duos testes sit probanda; potest tamen Papa in certis casibus statuere, ut stetur dicto unius testis; etsi generaliter hoc statuere non possit in omni casu; cùm id sit de jure divino, ut duo testes requirantur. Paris. *à nu.* 21. & plura de hoc, num unus testis sufficiat ad probandam unam conjecturam. Paris. *de consid. q.* 72. *per totam.* Veruntamen advertendum est ad hoc, quod Paris. in fine *cit. q.* 67. adjicit: *hodie autem in septimo decretalium in hac parte reformatur hæc institutio, & statuitur, ut duo testes requirantur & optimâ ratione.* Idem ait *q.* 72. *in fine.* hanc constitutionem esse reducendam ad terminos juris communis, ut duo requirantur testes, & ideo die 5. August. 1593. in congregatione fuisse resolutum, reformandam in hoc hanc constitutionem, quam reformationem ad fusum vide apud eundem *q. ult. de confident.* unde ait Lott. *loc. cit. nu.* 66. non sufficiunt testes singulares; cùm in hac materia simoniæ singularitas adeò detrahat fidem testibus, ut nequeat conjungi cum semplena probatione, puta, famâ, nisi concurrant alia adminicula.

5. Denique ad probandam Simoniam & confidentiam sufficiunt conjecturæ & præsumptiones & signa, exprimiturque id in constitutione Pii V. estque communis & recepta in praxi omnium sententia. Paris. *de consid. q.* 71. *n.* 1. & 2. & 19. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Lott. *l.* 3. *q.* 29. *n.* 54. Siquidem probatio, quæ fit per conjecturas & præsumptiones, est vera & propria probatio. Paris. *ibidem. n.* 28. Et hac probatione probari solent sufficienter, quæ secreta inter amicos tractari consueverunt. Paris. *n.* 5. Lott. *loc. cit.* Item quæ fiunt dolo ac fraude; eò quòd hæc & similia sint difficilis probationis, ut pluribus exemplificat Paris. *à n.* 6. Simonia autem, & magis confidentia sunt de his, quæ secretò, dolo aut fraude fiunt. Paris. *nu.* 14. & 15. Item etiamsi in criminibus requirantur probationes luce meridianâ clariores. *l. sciant cuncti. c. de probat.* in hoc tamen sufficiunt conjecturæ & præsumptiones propter ejus atrocitatem; cùm sit de criminibus exceptis, simonia etiam commissa tantùm in beneficio. Paris. *à n.* 23. Castrop. *cit. nu.* 2. Unde jam ex præsumptionibus & conjecturis potest judex procedere ad condemnationem, & declarare collationem & præsentationem confidentiariam aut aliter simoniacam; & committentes incidisse in pœnas constitutas constitutione Pii V. Paris. *n.* 42. dicens ità communiter per omnes observari & practicari. Quoties enim præsumptio est posita à lege (ut est in præsenti) potest ex ea sequi condemnatio, etiam capitalis juxta communiorem; Clarus *l.* 2. *recept. sent.* §. *ult. q.* 20. licèt aliàs regulariter ex præsumptionibus, etiam indubitatis, non debeat quis condemnari juxta communiorem, apud eundem Clarum, & Decium *cons.* 175. *n.* 8. Paris. *n.* 43. Probatur autem confidentia per conjecturas & præsumptiones positas in constit. Pii V. §. *ad probandum.* ubi in 4. casibus Pius V. ex verisimili præsumit, & habet pro veritate & confidentia illud factum, donec probetur contrarium. Paris. *n.* 44. Ut verò conjecturæ, & præsumptiones, & signa probent confidentiam & simoniam, debent esse evidentes, claræ, sufficienter concludentes, & reum de crimine convincentes. Castrop. *loc. cit.* Paris. *à n.* 53. citans plures AA. & Rotæ decisiones; adeoq; violentæ, ut Lott. *loc. cit. n.* 57. ex Alciat. *cons.* 2. *n.* 41. *l.* 1. Debent etiam esse necessariò importantes simoniâ, ità ut nihil aliud importare possint. Paris. *n.* 56. Neque sufficit unica conjectura vel præsumptio probata per unicũ testem, ad plenam probationem confidentiæ vel simoniæ, ut judex possit devenire ad condemnationem; sed ad minimum requiruntur duæ per singulares testes probatæ. Paris. *de confident. q.* 73. *num.* 1. & 5. citans Nav. *in man. c.* 23. *sub. nu.* 110. Mascard. *de probat. concluſ.* 1306. Castrop. *loc. cit.* juxta quod exprimitur, in ipsa constitutione Pii V. §. *testes.* ubi: *Plures hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam faciunt probationem in prædictis.* Additque Castrop. quòd quælibet præsumptio & conjectura debeat esse in suo esse perfecta & omnino convincens, & aliàs fore nullius momenti. hinc ait Lott. *loc. cit. à n.* 58. ex Alex. *cons.* 64. *n.* 4. unamquamque probandam ad minus per duos testes omni exceptione majores, ità ut inde resultet evidentia facti, quæ uti regulariter exigitur ad convincendum reum, ità & in hoc atrocissimo crimine sit præcisè necessaria, ut Clarus §. *Simonia.* Neque jungendæ præsumptiones, ità ut ex pluribus illegitimis probationibus una convalescat. Castrop. *loc. cit.* citans Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 46. Lott. *loc. cit. n.* 62. ex Alciat. *loc. cit.* dicens ab hac regula non recedi, etiamsi agatur civiliter. Mascard. *de probat. tom.* 3. *concl.* 1224. *n.* 33. & *ſ.* ac proinde in conjecturis ac præsumptionibus appositis in constitutionibus Pii IV. & V. ad probandũ crimen confidentiæ convenire DD. non quamlibet ex iis rectè probatam inducere probationem evidentem commissi criminis, sed quamlibet ex iis rectè probatam inducere præsumptionem, & aliis concurrentibus conjecturis plenam probationem: Quamvis dicat Paris. *nu.* 6. singulare esse in hoc crimine, ut probationes imperfectæ (qualis de jure communi est quælibet conjectura imperfectè probata, nimirum per unum testem) simul jungantur ad plenam probationem. Nihilominùs etiam, dum una præsumptio seu conjectura foret probata per duos testes, sufficere in hoc casu pro plena probatione, docent plures his motâ rationibus. Primò: quòd Pius V. dum plures requirit præsumptiones, intelligat id de his, quæ probantur per unum testem. Secundò: quòd major sit probatio, quæ fit per unam præsumptionem formiter,

miter, scilicet per duos testes probatam, quàm quæ fit per duas conjecturas per testes singulares probatas; cùm regulariter de jure communi tantùm probent mille testes singulares, quàm unus, & duobus testibus contestibus plus credatur, quàm mille testibus singularibus, ut Bald. *in l. jusjurand. c. de testibus.* Alex. *cons.* 8. *column. ult. l.* 4. Card. Paris. *cons.* 57. *column.* 2. *vol.* 1. & alii apud Parisium *num.* 9. Tertiò: quia in crimine simoniæ una præsumptio, si est violenta, sufficit ad condemnandum: ut Abb. *in c. insinuatum. de simon. num.* 4. Felin. &c, Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 6. *nu.* 35. apud Paris. *num.* 10. & 11. dicentem esse communiorem opinionem; eò quòd præsumptio violenta habeatur pro concludente probatione, etiam in criminalibus; modò non agatur de pœna corporali infligenda, ut DD. communiter *in c. affecto. de præsumpt.* Adeóque jam, si ad probandam simoniam sufficiat una violenta, sufficiet in confidentia probanda una præsumptio per duos testes probata; cùm stante dictâ Bullâ Pii quinti minor requiratur in crimine confidentiæ, quàm simoniæ: ut Paris. *n.* 11. quibus tandem consentit Paris. *n.* 15. & concludit, vel unam illarum præsumptionum probatam per duos testes contestes, sufficere & probare confidentiam, vel duas probatas per testes singulares, & hoc, donec septimus liber decretalium publicetur, ubi in hoc dicta constitutio Pii quinti reformatur.

6. Porrò præsumptiones, quæ movere possunt judicem ad pronunciandum pro non confidentia, sunt probitas & optima conditio dantis, resignantis, recipientis beneficium: nam hæc faciunt præsumere, non esse verisimile, illicitè illud beneficium acceptarum: & receptum est, bonam famam excludere præsumptiones malas, ut Tiraq. *de pœnis temperandis. causa* 15. *nu.* 2. Paris. *de confid. q.* 74. *n.* 1. & 2. Item qualitas dantis, ut quia est Episcopus, Archiepiscopus; & parva quantitas, ut Gabri. *cons.* 127. *n.* 14. *l.* 2. Paris. *n.* 4. vel etiam quia dans vel recipiens est dives; quo casu non est præsumendum illud crimen admissum, cùm potiùs pauperes propter egestatem id cogitent. Paris. *nu.* 5. Qui tamen addit has similésve circumstantias debere quidem movere judicem, ut sit circumspectus ad credendum testibus, ad dandas remissorias & sententiam ferendam; non tamen sint tales, quæ in totum elidant conjecturas. Sed neque in contrarium amicitia & sanguinis conjunctio resignantis & resignatarii faciunt præsumere commissam confidentiam. Paris. *de confid. q.* 75. *n.* 2. dicens esse veriorem & communiter receptam, & probans id pluribus. Denique num admittatur probatio in contrarium contra præsumptiones expressas in constitutione Pii V. & qualis, de hoc vide Paris *de confid. q.* 76. & 77. *per totam.* Vide de his aliisque pœnis potissimùm ob simoniam inflictis Paris. *de resign. l.* 14. *q.* 8. 9. & *seq.* Redoan. *de simon. p.* 4. *c.* 6. Mascard. *de probat. conclusione* 1304. & *seq.*

Quæstio 204. *An, & qualiter vacet beneficium ob excommunicationem, & insordescentiam in ea?*

1. Respondeo primò: licèt excommunicato valide conferri nequeat beneficium, juxta ea, quæ diximus *de electione.* de quo vide Garc. *p.* 7. *c.* 13. *à n.* 1. Item licèt excommunicato, quia inhabilis est ad beneficia obtinenda, non competat jus optandi canonicatum, dignitatem seu novum titulum; etsi secus sit de optione illa, quâ non acquiritur novus titulus; utpote quæ quia consistit in solo facto, quod fit in vim tituli jam præhabiti, per excommunicationem non minuitur, nec tollitur. Tond. *p.* 3. *c.* 126. *n.* 8. citans Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 7. *n.* 4. Gonz. *ad regulam* 8. *glos.* 34. *nu.* 65. Monet. *de optione. c.* 4. *q.* 2. *num.* 30. Et vel hinc canonicus in excommunicatione præbendam optare possit; quia non acquiritur novus titulus; de quo vide Laym. Lott. paulò pòst citandos. Licèt etiam excommunicatus acceptans sibi in absentia ante contractam excommunicationem collatum beneficium, nullum jus seu quasi dominium in illo acquirat, *si tibi absenti. de præb. in sexto.* ità etiam ut si is, qui in excommunicatione acceptabit illud beneficium, moriatur ante absolutionem, beneficium illud non vacet per mortem illius. Laym. *in c. cum in tua. de consuetud. in sexto.* citans Suar. *de consuetud. d.* 13. *sec.* 15. *num.* 17. Sed dicta acceptatio facta in excommunicatione sòlùm declarat ejus voluntatem, quæ si revocata non fuit, sed virtualiter maneat, prodesse potest; ut post absolutionem ab excommunicatione ejus vigore beneficium acquisitum censeri debeat. Laym. *ibidem.* Non tamen propter excommunicationem incurritur privatio beneficiorum obtentorum. Garc. *p.* 7. *c.* 13. *n.* 90. C. de Luca. *de benef. d.* 74. *n.* 2. Tond. *loc. cit. n.* 1. & 2. citans Barb. *in c. proposuit. de Cleric. excomm. nu.* 7. Abb. *in c.* 1. *de judic. nu.* 24. Ricciullum *de person. extra grem. Ecclesiæ existent. l.* 4. *c.* 13. *n.* 8. *&c.*

2. Respondeo secundò: neque ob insordescentiam in excommunicatione per annum & ultra inducitur ipso jure privatio beneficiorum obtentorum. Lott. *l.* 3. *q* 33. *n.* 91. C. de Luca. *loc. cit. n.* 5. Gonz. *loc. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 18. §. *secundò quæritur.* dicens esse constantem sententiam omnium. Gonz. *gl.* 15. *n.* 104. & 107. contra Felin. *in c.* 1. *de judic.* 8. apud Lott. *loc. cit. n.* 97. & Menoch. *de arb. p.* 2. *centur.* 5. *casu* 416. *n.* 52. apud Gonz. quem tamen defendit Lott. de quo paulò post. Nullibi enim reperitur in jure textus dicens, insordescentem privatum beneficiis; & insordescentia solùm operatur, quòd insordescens habeatur pro confesso vel convicto de crimine, aut causa, de qua accusabatur. Gonz. *loc. cit. cit. n.* 104. & 105. Unde vel procedetur contra insordescentem in excommunicatione lata pro crimine inducente vacationem ipso jure; & jam non vacabit ipso jure beneficium ratione insordescentiæ, seu perseverantiæ hujus in excommunicatione; sed ratione ipsius delicti. Vel procedetur contra talem excõmunicatum ob crimen, pro quo non est privatus ipso jure, sed venit privandus; sed nec tunc, ùt patet, inducitur vacatio seu privatio ipso jure ob dictam perseverantiam. Gonz. *num.* 106.

3. Respondeo tertiò: potest tamen excommunicatus (etiamsi excommunicatio illata ex civili causa: ùt Lott. *loc. cit. n* 92. ex & cum Menoch.) ob insordescentiam privari beneficiis, ex ratione, ut in privatione non consideretur causa excommunicationis, sed novum delictum ex perseverantia, & pertinacia, nimirum contemptus interpretativus clavium Petri. Lott. *loc. cit.* ex Menoch. suprà cit. (quem ait, id solùm voluisse, & non docuisse illum, talem ipso jure privatum, pro qua sententia ab aliis citari solet) dicens esse veriorem, & in Curia Romana magis receptam. Card. de Luca. *de benefic. d.* 74. *n.* 7. Paris. *de resign. l.* 4. *q.* 3. *n.* 36.

dicens

dicens esse communiorem. Azor. citans Gl. *in c. 1. de judic.* Selva. *p. 3. q. 4. n. 50. &c.* & adducens illud Trid. *sess. 25. c. 3. siquis excommunicatus obdurato animo per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi potest; unde perspicuum sit, esse grave delictum in excommunicatione obdurato animo per annum persistere.* Quapropter, ùt ait Azor. si clericus monitus esset, ut ad certum tempus in judicio se sistat, vel in quavis alia re obediat, alioqui in eum excommunicatio feretur, & beneficio, quod habet, spoliabitur, nisi comparuerit; excommunicatio in eum justè ferri potest, in qua si per annum permanserit, meritò beneficio dejici potest, &c. Contra Gonz. *gl. 15. nn. 107.* in quantum ibi dicit, perseverantem in excommunicatione lata in eum ex civili causa, etiam ad plures annos, nec esse ipso jure privatum beneficiis, nec debere iis privari. Porrò ad hunc effectum privationis requiritur, excommunicationem fuisse justè latam, seu esse validam, & insordescentiam cum animi pertinacia, quæ redoleat dolum, & contemptum clavium. Secus enim est, si ob necessitatem, quia nimirum quis non haberet modum solvendi debitum (ob quod lata in eum excommunicatio) vel quòd institerit pro absolutione, aut aliàs constet de exclusione doli & pertinaciæ. Card. de Luca. *loc. cit.* citans Barb. *ad Trid. sess. 25. c. 3. nu. 33.* Ricciull. *de personis extra grem. Eccl. existentibus. l. 4. c. 8. n. 3.* Rotam. *decis. 73. n. 3. p. 3. recent.* Lott. *loc. cit. n. 113.* In eo verò, num talis, qui in excommunicatione (idem est de aliis censuris) perseveravit per annum, mox privari possit ac debeat, mox ut elapsus est annus, an verò exigatur diuturnior perseverantia, quæ concludat ad contemptum, non conveniunt auctores: Affirmativam tenent gl. *in c. cùm bonæ, de ætate, & qualit. v. spoliari.* Innoc. *ibid. n. 2.* & Abb. *n. 7.* Ricciul. *loc. cit. c. 7.* Barb. *in c. 1. de judic. n. 2.* Alciat. *ibid. n. 37.* & DD. frequentiùs. Bonacin. *de censuris. d. 2. p. ult. propos. 2. n. 2.* apud Lott. *loc. cit. à num. 94.* argumento *c. concursus. 11. q. 3.* Econtra negativam, seu expectandum esse per triennium, tenent Decius *in c. 1. de judic. lectura 2. n. 45. & 83.* Abb. *in c. postulastis. de Cleric. excom. n. 4. & nu. 7.* quem tamen non figere pedem, hoc est non constare sibi, ait Lott. *n. 98.* Lott. ipse *num. 104.* ubi ait, quòd huic sententiæ prorsus adhæreat usus Curiæ Romanæ, eò quòd, ubi prætenditur vacatio, ex hoc capite concipiatur narrativa sub hac forma: *quod N. beneficium tale obtinens, & excommunicationis sententiâ ritè innodatus existens suorum salutis & honoris immemor, Deique timore postposito, in dicta excommunicatione per triennium & ultra insorduerit &c.* ait etiam Lott. *n. 98.* idipsum probari ex textu *c. cùm bonæ. de ætate & qualit.* in quo supponitur insordescentia per triennium, & à cujus textûs dispositione præscindendo, nullibi in jure cautum reperiatur ex perseverantia in excommunicatione incurri pœnam privationis beneficii, aut per sententiam juris, aut per sententiam hominis, ùt observat Cardin. *in c. perpendimus. de sententia excommunicationis. n. 26.* & quòd *c. rursus.* (ubi statuitur, ut intra annum excommunicationis quis audietur, eo autem elapso, quasi contemptor ab audientia rejiciatur) loquatur, non in terminis simplicis excommunicationis, sed excommunicationis inductæ ad purgandum delictum, pro quo imminebat pœna privationis, ait Lott. *n. 99.* Nec etiam in contrarium facit, quòd in *c. ultimo de pœnis.* ex perpessione censurarum per annum infertur ad contemptum, & privationem feudi; quia hoc ipsum, quod ibi statuitur contra principem laicum in materia feudi, speciale est, non trahendum ad alios casus; etiamsi de cetero detur, magis clericos quàm laicos ligari censuris. Lott. *à nu. 101.* Neque denique obmoveri posse videtur illud Trid. quòd contra insordescentem per annum procedi possit tanquam suspectum de hæresi; nam advertendum privationem beneficii in insordescentem dupliciter deduci posse, nimirum consecutivè ad præsumptam ex hac insordescentia hæresin; & tunc necesse non est, perseverantiam in censura expectari per triennium. Vel principaliter propter insordescentiam ipsam; & de hoc casu procedit ista expectatio triennii. Lott. *n. 112.*

Quæstio 205. Num idem dicendum de suspenso?

Respondeo: quamvis suspensus privandus sit beneficiis, quæ in suspensione accepit; cùm suspenso beneficium, vel officium Ecclesiasticum validè conferri non potuit. Laym. *ad c. cùm bonæ. de ætate & qualit.* beneficiis tamen præhabitis ante suspensionem non est privatus: Sed si in contumacia perseverans intrà statutum tempus (nimirum, ùt dictum de excommunicatione) Ecclesiæ satisfacere, & absolutionem petere neglexerit per contumaciam, privandum esse etiam iis beneficiis, tenent Joan. Andr. Butrio. Innoc. *in citatum c. cum bonæ.* apud Laym. *ibid. num. 2.* Ait tamen Lay. id, quod hac in parte dictum de insordescentibus in excommunicatione, extendi non posse ad suspensionem sinè juris textu; tradit tamen Gonz. *gl. 15. n. 82.* eum, qui se ingesserit administrationi tempore suspensionis, ipso jure privatum esse beneficio, à quo suspensus, juxta *c. 1. §. finali. & c. cupientes. §. ceterum. de Elect. in 6.*

Quæstio 206. Qualiter ab impetrante ex hoc capite insordescentiæ justificanda narrativa juxta clausulam paulò ante positam.

1. Respondeo primò in genere: Licèt non exigatur pro justificatione dictæ narrativæ exactissima probatio, qualis aliàs necessaria est in criminalibus. *l. ult. c. de probat.* sed sufficiat ordinaria; debet tamen ea esse plena, & quæ objectum bene concludat. Lott. *cit. q. 33. n. 105.* citans Rot. *decis. ult. de rescripto. in novis.* & *decis. 189. n. 1. p. 2. divers.*

2. Respondeo secundò: Istiusmodi probationem debere concludere duo; nimirum primò excommunicationis sententiam fuisse ritè, hoc est, validè latam: cùm alioqui non liget, & per consequens non detur ejus contemptus; hoc tamen postremum intelligendo juxta distinctionem, quam desuper scribentes tam Theologi quam Canonistæ dant. Lott. *n. 106.* Alterum innodationem, quæ consistit in scientia ipsius excommunicati de sententia excommunicationis in eum promulgata; sit à ut scientia hæc debeat concludenter, & non præsumptivè, probari, & quidem per intimationem, adeo, ut non attendatur alia notitia, seu scientia præsumpta. Lott. *n. 107.* cit. Mascar. *decis. 4. nu. 3. de probat.* Ruinum. *cons. 66. n. 19. l. 3.* Aymon. *cons. 193. n. 9.* quamvis, ubi daretur plurium præsumptionum & conjecturarum de hac notitia concursûs, videatur per hoc constitui sufficienter illius

probatio. Lott. *cit. n. 107. in fine.* citans Aymon. *conſ. 73. n. 19.* & *conſ. 178. n. 1.* & Rotam in Oſcenſi Archidiacon. 10. Junii. 1602. Juſtificatis autem hiſce duobus ſatis verificatur, quòd excommunicatus ſuorum ſalutis & honoris immemor, Deique timore poſtpoſito, in excommunicatione inſordeſcat; cùm totum id jam ex temporis lapſu conſequatur, & ex contumacia deducatur contemptus, conſiſtens in duritia. Lott. *n. 109. & 110.* Neque jam in hoc caſu præterea exigitur, ut excommunicatus poſt annum excommunicationis ſuæ fuerit citatus ad ſe purgandum, juxta terminos textûs *c. cum contumacia. de hæreticis. in 6.* Lott. *n. 111.* cùm hæc citatio ſolùm exigatur, dum proceditur ad privationem excommunicati conſecutivè ob præſumptam hæreſin. De cetero enim, dum principaliter, directè ob inſordeſcentiam irrogatur privatio, adeóque expectandum triennium, nihil per hoc, quòd citatus non fuerit poſt primum annum, præjudicatur tali inſordeſcenti; nam ſicut inſordeſcens citatus ad ſe purgandum contra ſuſpicionem hæreſis liberatur per purgationem, ità, ſi poſt perſeverantiam in cenſura per triennium pulſetur pro privatione beneficii, liberabitur quoque ille, ſeu evitabit ſententiam, quantumcunque duraverit innodatio, oſtendendo, ſe non ſpreviſſe ſeu contempſiſſe cenſuras: veluti, ſi probaverit, ſe petiviſſe abſolutionem, & eam ad certum tempus obtinuiſſe cum reincidentia. Quinimò ſi ſimpliciter juſtificaret, ſe pro illa inſtitiſſe, & quantùm in ſe fuit, feciſſe pro ea obtinenda; unumquodque enim horum ſufficit ad excludendum contemptum, niſi fortè probetur, petitionem abſolutionis fuiſſe ſimulatam, quod ipſum ferme erit impoſſibile; ita ferè Lott. *n. 113.* qui & *n. 114.* inde concludit, ſibi videri eum, qui ex hoc capite impetraret, poſſe facillimè ſubmoveri propter naturam materiæ odioſæ, & cujus deductio pendet à contumacia illa, & quidem uniformi per integrum triennium, adeo ut ex illius curſu ſemel interciſo, aut per obtentam vel petitam ſolummodò abſolutionem non detur conjunctio temporis ad illud integrandum, ut ex mente ſacræ Congregationis reſpondit Rota apud Serap. *deciſ. 1285. n. 5.* eatenus enim præſumitur pertinacia ex tempore, quatenus intrà illud nihil actum ſit, aliàs ſecus, velut ſi inquiratur de judice, inſtetur pro abſolutione, vel offeratur ſatisfactio, vel quid ſimile tentetur; unde colligatur animus aliò intentus, quàm ad contemptum cenſurarum. Navar. *conſil. 7. de hæreticis. n. 3.* Jo. And. *in c. cùm contumacia. ante n. 1.* Franch. *n. 12.* Gemin. *n. 10.* quos citat Lott. *n. 115.*

Quæſtio 207. An, & qualiter privetur quis fructibus beneficii ob excommunicationem, vel inſordeſcentiam in ea?

1. Reſpondeo: In hoc non convenire Auctores: nam negativam, ſeu talem non privari ipſo jure fructibus beneficiorum priùs obtentorum, dum id in ſententia excommunicationis non exprimitur, ſed ad ſummum iis eſſe privandum, tenent apud Garc. *p. 7. c. 13. n. 91.* Gl. *in c. paſtoralis. v. ſubtraherentur.* Petrus Nav. *de reſtit. l. 2. c. 2. n. 243.* ubi, quod præcisè ratione cenſuræ non eſt privatus reditibus, quiſcunque beneficiatus excommunicatus vel ſuſpenſus ab officio, ſive curatus, ſive canonicus, ſive ſimplex habens beneficium, modò tamen officia exequatur, licèt cum peccato; Avila *de cenſur. p. 2. c. 6. d. 6. dub. 1.* dicens, excommunicatum, ſi officium præſtet, lucrari fructus, nec teneri eos reſtituere ante ſententiam & condemnationem judicis; quod ſatis probabile dicit Sanch. *de matrim. l. 3. d. 51. n. 12.* & Vaſq. apud eundem Garciam, dicens, quòd in *c. paſtoralis. §. dudum.* non dicatur, quòd excommunicatus ſit ipſo facto privatus fructibus, nec alibi in jure habeatur, ſed quòd meritò hi ei auferuntur.

2. Affirmativam, nempe quòd licèt ſuſpenſus ab officio nullibi ipſo facto privetur fructibus, excommunicatum tamen privari ipſo jure fructibus beneficiorum, eóſque nec lucrari, nec ſuos facere, quamdiu eſt in excommunicatione, nempe majore, etiam occultâ; licèt id in ſententia non exprimatur, tenent Pariſ. *de reſign. l. 5. q. 6. n. 76.* dicens eſſe communiorem, & *l. 4. q. 3. n. 52.* (ubi tamen id ſic limitat; niſi in proviſione facta in favorem excommunicati aut ſuſpenſi apponatur clauſula apponi ſolita in literis apoſtolicis: *Téque à quibuſvis ad effectum præſentium aſſequendum duntaxat:* utpote quæ clauſula tollit impedimentum proveniens ex cenſura) Garc. *loc. cit. n. 92.* citans inter alios quamplurimos Suar. *to. 5. d. 13. ſ. 2.* Sayr. *de cenſuris. l. 2. c. 5. n. 24. & 30.* Tol. *in ſum. l. 1. c. 13.* Ugolin. *de cenſuris. tab. 2. c. 12.* Gutt. *qq. can. l. 1. c. 1. à n. 90.* Ledeſm. *in ſum. p. 1. de excom. c. 6.* Jul. Clar. *l. 5. q. 37.* Gig. *de penſion. q. 64.* Covar. *var. l. 3. c. 13. n. 8.* Mandoſ. *de ſignatur. grat. tit. de abſolut. ab excommun.* Abb. Franch. Imol. *in c. paſtorale. §. dudum. &c.* ac dicens, id bene probari ex *cit. §. dudum.* juxta Suar. Ugol. Abb. *loc. cit.*

3. Extenditque hoc ipſum primò Garcias *n. 93.* ut procedat, etiamſi excommunicatus non maneat in contumacia, ſeu non dormiat in ſententia, nec ſit in mora petendæ abſolutionis: eò quòd id non fundetur in mora & duratione contumaciæ, ſed ſit effectus ipſius excommunicationis ob culpam & contumaciam latæ: citat pro hoc Suar. Tolet. Ledeſ. ubi ante contra Sayr. Sylv. Henriq. Zechum. Vegam. quin imò ait *n. 92.* contra Suar. non lucrari fructus, à quo injuſtè ei negaretur abſolutio; eò quòd ad hoc ſufficiat ab initio juſtè excommunicatum fuiſſe, cujus juſtæ excommunicationis effectus hîc non tollatur per injuſtam judicis dilationem, ſed ſolùm ea efficiat, ut contra illum injuſtum dilatorem vel impeditorem abſolutionis habeat jus & actionem ad fructus pro illo tempore amiſſos, & ad reſarcitionem damnorum ex illius culpa ſubſecutorum.

4. Secundò, ut quamvis depoſito & ſuſpenſo à beneficio ob crimen, & non in contumaciam ſint alimenta exhibenda ex reditibus beneficii, ſi non habeat aliàs, unde vivat, ne mendicare cogatur; ſecus tamen ſit in excommunicato, etiamſi egeat, cùm poſſit à contumacia reſipiſcens abſolutionem conſequi. Garc. *loc. cit. n. 98.* citans Covar. Clarum, Gutt. Ugol. Suar. Tolet. Ledeſm. *ubi ante.* Nav. *in manuali. c. 25. n. 124.* Surd. *de alimentis. tit. 1. q. 82. & tit. 7. q. 36.* ac dicens, eſſe communiorem Doctorum contra Sayr. *ubi ante.* Sylv. *v. clericus. 4. q. 25.* Henriq. *l. 13. c. 13. §. 4.* ubi is, quòd excommunicatus, etiamſi fuit in mora, retinere poſſit fructus ſuæ ſuſtentationi neceſſarios; & alibi, quòd excommunicatus manens contumax, ſi horas reciter, & faciat officium parochi vel canonici, retinere poſſit fructus ſuo ſervitio reſpondentes; quod verum non eſſe, ait Garc.

n. 110.

n. 110. eò quòd servitium illius, qui alias non habet jus ad fructus beneficii, quia est illis privatus, non est sufficiens titulus, ut ratione ejus possit fructuum partem recipere, sed alius interea sumptibus illorum fructuum beneficio inservire, & ejus munera obire debeat; ùt Ugol. *loc. cit. n.* 3. Suar. *loc. cit. n.* 24. Quemadmodum, ùt idem Garc. *n.* 101. contra Nav. *consil.* 2. *n.* 5. *de filiis presbyt.* Henriq. *l. c. c.* 3. §. 3. Suar. *d.* 13. *s.* 1. *n.* 3. Avil. *l. c. c.* 6. *d.* 6. Rodriq. *to.* 1. *c.* 29. *n.* 5. *in fine.* etiam in eo, qui non habet legitimum titulum beneficii, servitium non est sufficiens titulus, ut possit partem fructuum pro suo arbitrio retinere, maximè si erat intrusus malâ fide; cùm illud servitium sit exhibitum gratis sinè titulo beneficii, aut ex alia parte non sit conductus ad illud. Quamvis, ùt Garc. *n.* 103. remittens ad se ipsum *p.* 6. *c.* 3. *à n.* 116. is, qui non habet legitimum titulum, percipere possit distributiones quotidianas & alia emolumenta similia, quæ dantur pro labore, & ministerio personali, incerta tamen; nam distributiones certas & assignatas perceptas teneretur restituere. Uti hoc idem, quòd percipere posset distributiones quotidianas & emolumenta de excommunicato, tradit Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 126. *n.* 3. De cetero quòd excommunicatus ab illo tempore, quo recessit à contumacia, & non potuit habere absolutionem, possit recipere ex fructibus beneficii pro sustentatione sui, admittit Garc. *n.* 104. citans pro hoc Nav. *cons.* 37. *de sent. excom. n.* 10. Gutt. *loc. cit. n.* 101. Surd. *de alimentis. tit.* 1. *q.* 82. *n.* 10. Suar. *l. c. n.* 16. uti &, ubi citra hanc recessionè à contumacia in extrema necessitate. Garc. *n.* 105. citans Gutt *n.* 120. Surd. n. 9. Ugol. *l. c. n.* 41. *&c.*

5. Tertiò: Ut excommunicatus amissos fructus recuperare aut retinere non possit post absolutionem; cùm absolutio solùm tollat impedimentum respectu fructuum futurorum, non verò respectu fructuum jam amissorum; & certè si post absolutionem hi fructus retinendi forent, esset occasio diutiùs perseverandi in excommunicatione. Garc. *à n.* 106. citans Abb. *in c. pastoralis.* §. *dudum. n.* 22. Franc. *n.* 2. Bald. *n.* 20. Tolet. *ubi suprà.* Suar. *ubi antè nu.* 20. Sayr. *ubi suprà n.* 24. *&c.*

6. Quartò: Ut procedat, etiam ubi ante excommunicationem creditori ipsius beneficiati fuissent assignati fructus percipiendi; cùm illa assignatio intelligatur, si beneficiatus illos lucratus fuerit, & cùm illi fructus non sunt excommunicati, non potest illos habere creditor; cùm eos debeat habere ex persona beneficiati. Adeóque ex hoc non fiet creditori injuria; & licèt ex eo, quòd in fraudem creditoris excommunicatus perseveret in excommunicatione, fieret injuria creditori, non tamen sequitur, quòd beneficiatus, aut creditor ejus nomine debeat eos percipere. Garc. *à n.* 109. juxta DD. *in c. pervenit. de fidejuss.* & Rotam *in Mediolanens. fructuum.* 20. *Iunii*, 1597. quam vide apud illum *n.* 113. contra Sayr. *ubi antè. n.* 25. & Ugol.

7. Quintò: Ut etiam procedat in pensionario, nimirum quòd is non lucretur reditus pensionis pro tempore excommunicationis. Garc. *n.* 114. citans Suar. *ubi antè n.* 21. & remittens ad se ipsum *p.* 1. *c.* 5. *à n.* 131.

8. Sextò: ut excommunicatus sit insuper privatus administratione bonorum beneficii, Garc. *n.* 115. citans Abb. *in cit.* §. *verum. n.* 18. Franch. *n.* 17. Decium *n.* 22. uti & Suar. *loc. cit. n.* 6. Sayr. *n.* 31. Ugol. Nav. &c. dicentes excommunicationem suspendere ab officio & beneficio.

9. Econtra limitatur responsio primò: ut non procedat, ubi excommunicatio est nulla; quod enim nullum est, nullum producit effectum. Garc. *n.* 116. Tond. *l. c. n.* 12. ità tamen, ut onus probandi nullitatem incumbat excommunicato. Garc. *n.* 117. juxta Rotam *in Salmaticens. censurarum.* 1. *Iunii.* 1594. Portò injustitia & nullitas excommunicationis (uti & interdicti à choro) consistit in hoc, quòd præcipitetur sine causæ cognitione, nullis legitimis informationibus prævijs, sub prætextu delicti notorii, & in spretum appellationis interpositæ, antequam reus super delicto, de quo accusatus, se purgasset, Episcopus eundem suspendisset. Ac denique ad excommunicationem ejúsque declarationem ac denominationem publicam devenisset; hæc enim omnia manifestam arguunt injustitiam; cùm Episcopus ejúsve Officialis tenebantur deferri appellationi interpositæ; quæ dum præcedit excommunicationem, habet effectum suspensivum; etsi aliàs à sententia declaratoria excommunicationis non detur appellatio suspensiva. *c. licèt. de sent. excom. in* 6. ut Sanch. *cons. moral. l.* 3. *c. unico. dubio* 32. *n.* 217. Quin & à declaratione interdicti aut excommunicationis datur appellatio suspensiva, si lata ob non paritionem præcepto facto sub comminatione interdicti vel excommunicationis, à quo præcepto & appellatione fuerat appellatum, ut Abb. *in c. delicti. de appellat.* Ità ferè Tond. *l. c. à n.* 13.

10. Secundò: ut non procedat in excommunicato injustè. Garc. *n.* 118. citans Gl. *in* §. *verum. v. subtraherentur.* Bald. *ibid. n.* 20. Felin. *in c. Apostolicæ. de except. n.* 12. Ugol. *c.* 12. *n.* 4. Surd. *loc. cit. n.* 14. Suar. *loc. cit. sect.* 2. *n.* 20. Tolet. Clar. *ll. cit. &c.* qui etiam dicunt debere injustè excommunicatum ad instaurationem legitimè impeditorum habere quotidianas distributiones, ùti hoc ultimum tradit quoque Tond. *loc. cit. n.* 6. cum Barb. *de Episc. alleg.* 53. *n.* 174. sub hac limitatione, si eo tempore, quo excommunicatio injusta in eum lata fuit, erat præsens in loco sui beneficii, erátque aliàs ante impedimentum excommunicationis solitus divinis officiis interesse. Item si fuerit absens, ex justa tamen causa v. g. pro necessitate suæ Ecclesiæ, aut necessaria sui defensione. Quin & distributiones illas adjudicatas & traditas aliis ab iisdem excommunicato injustè reddendas esse; cùm illis nunquam per talem injustam excommunicationem privatus fuerit; tradit Garc. *à n.* 119. contra Ugol. *loc. cit.* Sayr. *n.* 27. Suar. *l. c. n.* 23. idque etiam in casu, ubi injustè excommunicatus fuisset culpatè in mora accipiendæ absolutionis; eò quòd, si injusta excommunicatio ex se non habet hunc effectum, non habeat etiam illum in dicto casu. Garc. *n.* 124. contra Ugol. *loc. cit. n.* 4. Sayr. *l. c. n.* 25. Quamvis secus dicendum asserat *n.* 125. in fructibus & distributiouibus, quæ residendo, & divinis interessendo lucrifiunt; si per eum stetisset, quò minùs absolutus fuisset, & ità divinis interesse potuisset, & citat pro hoc Rodriq. *in sum. to.* 1. *c.* 23. *n.* 6. *&c.*

11. Tertiò: ut non procedat, si alicubi est consuetudo, ut excommunicati fructus non amittant; Tond. *l. c. à n.* 13. dum enim id est juris positivi, dubium non est, posse ei per consuetudinem derogari; Garc. *n.* 128. citans Rebuff. *in repet. in c.*

pastoralis. de cler. excom. notabil. 2. *n.* 84. Ugol. *l. c.* Suar. *cit. sec.* 2. *in fine.* & *n.* 129. testans in Hispania videri esse talem consuetudinem, dum ibi nunquam visum vel auditum, beneficiatum aliquem excommunicatum tam à jure, quàm ab homine restituere fructus temporis, quo fuit excommunicatus; aut ab eorum perceptione & administratione abstinere, nec ad id per Superiores cogi, sed solùm in cathedralibus & collegiatis quasi in usu esse, ut non computentur seu numerentur Canonici & beneficiati excommunicati quoad distributiones & fructus, quos habent in mensâ seu massa communi, sed ponantur extra calendarium. Unde jam etiam infert Garc. *n.* 131. stante hac consuetudine, non posse etiam talem perceptis in excommunicatione fructibus privari per sententiam, etiam alio petente; cùm jus nihil aliud statuat, quàm privationem illorum ipso jure, cui per dictam consuetudinem derogatum; quamvis addat idem Garc. *nu.* 133. quòd talis excommunicatus (loquitur autem de excommunicato à jure, cujus proinde excommunicatio vel ejus declaratoria, quia non fuisset intimata punctatoribus, atque ità non positus extra calendarium, lucrari etiam potuisset fructus & distributiones istius temporis) si interfuisset divinis, in pœnam possit privari fructibus (intellige, quos habet in massa illa communi, seu qui habent rationem distributionum) & distributionibus tunc lucratis. Porrò ad illud, quod pro complemento peti poterat, ad quem nimirum spectent fructus amissi ob excommunicationem.

12. Respondet idem Garc. cum communi, quòd sint convertendi in utilitatem Ecclesiæ; citat pro hoc Ugol. *loc. cit. n.* 3. Surd. *l. c. n.* 16. Sayr. *l. c. n.* 28. (qui idem dicat de suspenso) Nav. *consil.* 37. *in fine. de temp. ordinat.* Felin. *in c. Apostolicæ. n.* 12. *de except.* Suar. *ubi sup. n.* 24. sentit etiam cum Suar. Navar. *c.* 25. *n.* 123. *&c. ibid.* Garc. *n.* 135. sub Ecclesiæ utilitate venire subventionem pauperum. Negat tamen *n.* 137. contra Suar. id necessarium esse, ut pars aliqua (nempe ea, quam secundùm prudentis arbitrium beneficiatus ipse non excommunicatus, si convenienter dictis fructibus uteretur, deberet impendere in eleemosynas) expendatur in pauperes; eò quod nec ratio, nec lex aliqua ad id cogat. Hanc autem istorum fructuum amissorum propter excommunicationem, expensionem debere fieri ex auctoritate Superioris & judicis; dum res est publica, præsertim deducta ad forum contentiosum; si verò occulta, ab ipso excommunicato, ejúsque arbitrio, ut *n.* 135. ex eodem Suar. tradit Garc. distributiones verò quotidianas & fructus, habentes rationem distributionum, quos amittit excommunicatus, pertinere ad eos, ad quos aliàs pertinere solent, quotiescunque amittuntur à non residente, ait Garc. *n.* 138. remittens ad se ipsum. *p.* 3. *c.* 3. *dub.* 13. *à n.* 36. Denique reditus pensionis amissos ob excommunicationem remanere ipsi titulari, & ipsi esse restituendos; cùm ab ipso solvantur, & sint onus ei impositum, à quo manet liber pro tempore excommunicationis, ait Garc. *n.* 139. remittens ad se ipsum. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 133.

Quæstio 208. *An, & qualiter vacet beneficium ob irregularitatem?*

1. REspondeo: Tametsi irregulares nequeant Ecclesiæ & beneficiis inservire. Paris. *l.* 5. *q.* 6. *n.* 98. cum communi, sintque propterea inhabiles ad beneficia obtinenda. Paris. *n.* 99. (cùm irregularitas sit nota, seuimpedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens, quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos ordines promoveri, & in iisdem ministrare. Paris. *l.* 5. *q.* 3. *nu.* 178.) adeóque ei conferri nequeat beneficium, seu arcetur à beneficiis obtinendis. *c. is, qui. de sent. excom. in sexto.* Tond. *in qq. benefic. p.* 1. *c.* 90. *n.* 20. citans Selv. *p.* 3. *q.* 2. *n.* 21. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 18. citans Abc. *in c. ult. de excess. prælat.* Felin. *in c.* 2. *de rescript. column.* 3. *in fine.* Ità ut collatio ei facta non valeat. Paris. *ibid.* 181. citans C. Parisium *consil.* 136. *n.* 41. *vol.* 4. Rebuff. *de nominat. q. ult. vers.* 4. Idque ipso jure, quia irregularitas privat ipso jure ab obtinendis: Tond. *p.* 3. *q.* 185. *n.* 17. Paris. *cit. n.* 181. citans Nav. *in manual. c.* 25. *c.* 27. *n.* 25. & dicens esse communiorem; Irregularitas tamen quocunque modo superveniens beneficio jam obtento non inducit privationem illius beneficii ipso jure. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 182. citans Innoc. *in c. cùm nostris. de conces. præb.* Felin. *in c. inquisitionis. de accusationibus.* Nav. *ubi ante n.* 250. Castrop. *tr. de benef. d.* 6. §. 8. *n.* 4. Tond. *loc. cit.* citans Ugolin. *de irregular. c.* 65. §. 2. item. *p.* 1. *c.* 90. *n.* 21 & *c.* 97. *n.* 10. citans Rebuff. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 47. citans quamplurimos. Card. de Luca *de benef. d.* 74. *n.* 11. ubi: irregularitas non inducit privationem beneficiorum; sed apta esse potest, ut judex ad eam procedat loco pœnæ, juxta decis. Rotæ. 73. *n.* 23. *p.* 7. *recent.* apud Bursat. *decis.* 306. *n.* 7. idem habet de pensionibus *d.* 49. *n.* 3. ubi, quòd beneficia Ecclesiastica non vacent per crimina inductiva irregularitatis. Vide dicenda *quæstione seq.*

2. Potest nihilominùs quis ob aliquam irregularitatem privari beneficio jam obtento v. g. ob bigamiam, ob homicidium (de quo paulò post) & in genere, qui irregularis ob notorium crimen enorme dignum deponi. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 183. citans Jo. And. & Card. *in c. cum nostru. de conces. præbend.* C. Paris. *ubi antè. c.* 40. C. Luca *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* ubi, quòd beneficium ante irregularitatem obtentum retinere potest, antequam privetur per sententiam, per quam tamen illo privatur, quando irregularitas secuta est ob ejus culpam; unde etiam talis irregularis, etiam Episcopus, cogi potest ad resignandum. Paris. *ibid. n.* 185. citans D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 4.

3. Quod attinet ad pensiones Ecclesiasticas, idem de his dicendum, quod de beneficiis, dum hæ datæ sunt non per modum stipendii, sed per modum beneficii, nimirum earum obtinendarum incapacem esse irregularem, non verò obtentis privari, tenet Riccius *in prax. fori Eccles. decis.* 185. *n.* 178. apud Tond. *p.* 1. *c.* 90. *n.* 22. qui tamen dicit, eundem Riccium tenere contrarium *in suis decis. Archiep. Neapol. l.* 2. *decis.* 71. *p.* 101. Quoad ipsum, nimirum etiam talium pensionum obtinendarum incapacem non esse irregularem, tenet ipse Tond. *ibid.* juxta declarat. sacræ Congregationis, quam recitat Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 136. Idem tenet Card. de Luca *de pension. d.* 49. *à n.* 4. ubi: licèt pensiones Ecclesiasticæ reservatæ sunt tanquam tales pro clerico assimilentur beneficiis, eorúmque jure censeantur; attamen certum est, faciliùs in criminoso tolerabilem esse retentionem pensionis, quàm beneficii; cùm illa non percutiat substantiam beneficii, neque jus spirituale tribuat: sed solùm temporale super fructibus, cujus laici de jure sunt

capaces

capaces, necessitas verò clericatûs potiùs resultat à stylo Curiæ, ità interpretante voluntatem Papæ reservantis pensionem, & consequenter multò minùs amittuntur pensiones, quàm beneficia ob aliqua qualificata delicta, vide dicenda *quæst. seq.*

Quæstio 209. *An, & qualiter homicidium, mutilatio, vulneratio, percussio inducat privationem seu vacationem beneficii?*

1. REspondeo ad primum, primò in genere: homicidium, etsi, quatenus inducit irregularitatem, arceat ab obtinendis. Castrop. *loco paulò post citando.* juxta dicta *quæst. præced.* Item licet homicida propter irregularitatem privatus sit ipso jure exercitio seu executione ordinis sacerdotii. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 44. dicens hoc, & non aliud, velle textum illum *c. miror. dist.* 50. ubi: *sacerdotio privatus existat*, citátque pro hoc Suar. *to.* 5. *de cens. d.* 44 *s.* 4. Item licèt privandus sit per sententiam *cap. cùm non ab homine. de judic.* Garc. *loc. cit. n.* 30. Azor. *loc. citand.* §. *secundò.* non tamen, nisi concurrat circumstantia majoris alicujus atrocitatis, de quo paulò infrà (etiam voluntarium, & animo deliberato factum, ut expressè Lott. *l.* 3. *q* 33. *n.* 67. cum Farinac. *q.* 119. *n.* 65.) privat ipso jure beneficiis obtentis; cùm nullus sit in jure textus hanc pœnam clarè inducens; sed si qui eam inducere videntur, potiùs eam ferendam, quàm latam indicant. Tond. *p.* 1. *c.* 97. *n* 26. citans Sanch. *cons. moral. l.* 2. *c.* 20. *du.* 14. *n.* 6. Item *c.* 27. *n.* 3. Card. de Luca *de benef. d.* 73 *n.* 3. Castrop. *de beneficiis: d.* 6. *p.* 3. §. 8. *n.* 4. Lott. *loc. cit.* Garc. *loc. cit n.* 40. citans Diaz. *in praxi criminal. n.* 94. Covar. *in Clement. si furiosi. p.* 2. §. 3. *n.* 6. Gutt. *can. qq. l* 2. *c.* 5. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 18. *q.* 1. Suar. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 15. *n.* 79. procedítque id ipsum in homicidio qualificato (puta quo quis occidit patrem, fratrem, clericum vel alium, per proditionem vel insidias, ùt expressè Azor) nimirum quòd non inducatur ipso jure vacatio, nisi quatenus id expressum reperitur in jure, ùt paulò pòst dicetur de homicidio Episcopi, Rectoris Ecclesiæ. Gonz. Suar. Azor. *ubi ante.* Tond. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 3, ubi etiam expressè ait de eo, qui patrem suum spiritualem occidisset; ex Gabr. *concil.* 196. *n.* 7. *vol.* 1. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* citans Coraf. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 3. Roffiniac. *de benef. c.* 1. *n.* 59. Gabr. *consil.* 196. *l.* 1. & *consil.* 187. *l.* 2. contra Felin. *in c. inquisitionis. de accusat. n.* 5. negantem id de homicidio qualificato apud Garc. *n.* 42. & contra eundem, & Rebuffum *in pr. tit. de mod. amittendi benef. n.* 42. & Coraf *p.* 3. *c.* 6. *n.* 15. id negantes de parricidio. Proceditque responsio etiam hodiedum adhuc stante Trid. *sess.* 14. *c.* 7. cùm verba illa Concil. dum non exprimunt contrarium, & agat ibi præcipuè de incapacitate homicidæ ad beneficia de novo acquirenda, accipienda sint secundùm jus antiquum, Garc. *loc. cit n.* 45. citans Rodriq. *qq. regular. to.* 1. *q.* 24. *a.* 16. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 6. *dub.* 83. Molin. *de Just. tr.* 3. *d.* 78. *n.* 2. & præcipuè Suar. *ubi antè, s.* 7. contra Majolum *de irregularitate l.* 5. *c.* 48. *n.* 1. Proinde jam, cùm beneficium homicidæ non intelligatur vacare, sed is retinere possit beneficium habitum ante homicidium usque ad sententiam. Garc. *loc. cit. n.* 47. Lott. *n.* 69. nec is aut alio delicto notatus interea respectu illius, aut juris in eo destituitur remedio possessorio. Lott. *n.* 69. Quin & possit renunciare, quantumcunque crimen supponatur notorium, Lott. *n.* 70. citans Paris. *l.* 3. *q.* 16. *n.* 31. faciet quoque fructus interea perceptos irrevocabiliter suos, donec per sententiam eo privetur. Garc. *n.* 48. citans Felin. *in c. de quarta. de rescrip. n.* 33. Paris. *ubi antè. n.* 7. Gonz. *gl.* 15. *n.* 150. Azor. *ubi antè q.* 2. Molin. *loc. cit.* Suar. *cit. d.* 40. *s* 2. *n.* 10. *&c.* sive, etiamsi sequatur sententia super privatione, non tenetur fructus perceptos ex die commissi delicti restituere. Lott. *n.* 71. (qui etiam addit, multò minùs teneri ad restitutionem fructuum, qui interea percipi potuerunt, citátque *n.* 78. Boerium. Innoc. Felin. Corneum, &c. contra Castrensem *in l.* 1. *n.* 3. *c. de his, quibus ut indign.*) contra Diaz. *in pr. criminal. c.* 131. Clarum. *l.* 5. *q.* 73. *n.* 9. Zerol. *pr. Epis. p.* 2. *verbo irregularitas.* §. 4. Covarr. *in.* 4. *p.* 2. *v.* 6. §. 8. *n.* 7. Gutt. *ubi antè, c.* 5. *n.* 8. & alios apud Garc. *n.* 49. & Lott. *n.* 72. ubi, quòd restitutio tam perceptorum quàm perceptibilium à die commissi criminis vix sustinetur in eo delicto, pro quo lata pœna privationis beneficii ipso jure, aitque Lott. *n.* 78. errasse proinde Castrensem, & *n.* 74. non debere quemquam moveri à numerositate doctorum, qui in comprobatione sententiæ Castrensis cumulari solent, maximè per Farinacium; cùm plerique eorum dicant vel contrarium, vel quid planè diversum ab eo, ut ostendit *ibidem* Lott. *n.* 77. Ac proinde in rebus seriis non fidendum multitudini Doctorum, sed videndi ipsi in fonte, & non standum, ut dicitur, in bona fide parentum.

2. Respondeo ad primum secundò: vacare tamen jure beneficia primò occidentium S. R. E. Cardinalem, Castrop *loc. cit. n.* 5. Garc. *loc. cit. n.* 55. Azor. *loc. cit.* §. *tertium.* Gonz. *loc. cit. n.* 74. Barb. *juris. Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 54. citans Paris. *l.* 11. *q.* 10. *in principio*, & *n.* 24. Vivian, &c. Idémque est de eo, qui Cardinalem hostiliter persecutus, vel percusserit vel ceperit, aut se socium adjunxerit his, qui tale quid fecerunt, vel consilium, auxilium, aut mandatum dederit, aut suo nomine factum ratum habuerit, aut suo nomine id facientes postea receperit, vel defenderit, prout hæc omnia exprimuntur, & dicta pœna illis statuitur *c. felicis. de pœnit. in sexto.* Castrop. Azor. *ll. cc.* redduntúrque tales insuper inhabiles ad beneficia obtinenda vi *citati c. felicis.* Castrop. *loc. cit.* qui addit, etiam dictas pœnas extendi ad horum delinquentium filios ac nepotes, pro quo citat Farinac. *in pr. crimin. q.* 112. *n.* 121. & Barb. Secundò: occidentes Episcopum ipso jure privantur beneficiis, quæ habent in Ecclesia, cui talis Episcopus præest, Garc. *loc. c. n.* 56. citans Molin. *de just. tr.* 3. *d.* 65. *n.* 7. Gonz. *gl.* 15. *n.* 75. Castrop. *cit. n.* 5. (qui addit, id intelligendum de Episcopo confirmato, non vero de electo tantùm; eò quòd is Episcopus non sit) Barb. *loc. cit. n.* 55. juxta *citatum c. Felicis. & clem.* 1. *de pœnis.* Idem est de Episcopum percutientibus, capientibus, proscribentibus, & qui his mandatum dederit, vel consilium, aut auxilium, aut qui horum socius fuerit, aut facta rata habuerit, aut facientes defenderit, receperit scienter, Azor. *cit. c.* 17. *q.* 1. §. *quartum est.* juxtà *cit. clem.* 1. Tertiò: occidentes per se, vel per alium beneficiatum, Rectorem Ecclesiæ, seu alium conbeneficiatum vel habentem beneficium, in Ecclesia, ubi occisor habet beneficium; ipso jure amittet illud beneficium; secus est de aliis beneficiis, quæ habet in aliis Ecclesiis; hæc enim non vacant ipso jure. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 57. Gonz. *loc. cit. n.* 77. Barb. *loc. cit. n.* 56. citans plures alios juxta textum *cap. in quibusdam. de pœnis.* contra Felinum. *in c. inquisitionis. de accusat. n* 3. id negantem eò quòd, ut dicit textus *citati cap. in quibusdam.* tantùm loquitur de beneficio temporali, feudo &c. Et Azor. *loc. cit. n.* 18. *q.* 1. §. *de-*

inde.id negantem; quia in citato textu non dicitur: *ipso jure amittant*; sed simpliciter *amittant*; quod verbum non importat sententiam ipso jure latam, sed judicis sententiâ ferendam. Verùm, ùt patet, textus loquitur de utroque tam beneficio verè ecclesiastico, quàm de temporali officio & feudo; Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 57. citans Rebuf. *in pr. de mod. amitt. benef. n.* 45. Tolet. Gregor. Gabr. &c. Neque dicitur in citato textu simpliciter: *amittant*, sed *prorsus amittant*: quod quia æquivalet: *omni modo, seu totaliter amittant*, importat idem, quod *ipso jure*, vel *facto amittant*. Castrop. citans Tiraq. *in l. si unquam. c. de revocand. donat. n.* 71. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 35. *n.* 8. Garc. *n.* 58. citans Abb. *in cit. c. n.* 7. gl. *in c. final. de præscrip. in* 6. *v. ipso jure*. Felin. *in c. Rodolphus. de rescrip. n.* 34. & alios. In simili de dictione *penitus*, de quo vide Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 5. Quartò: occidentes, vulnerantes, vel quoquo modo offendentes, in Curia Rom. litigantes, eorúmque judices, advocatos, Procuratores, Notarios, ipso jure amittunt sua beneficia, juxta Constitut. Alex. VI. quæ est 11. & incipit; *In eminente*; quam latè explicat Puteus *decis.* 102. & *seq. l.* 1. Castrop. *cit. n.* 5. Gonz. *glos.* 15. *n.* 100. Barb *juris Eccles. l.* 3. *c.* 14. *n.* 60. citans Mandos. *consil.* 60. & 6. Vivian. Chok &c.

3. Respondeo ad secundum; de cetero præscindendo à percussione dictarum jam personarum, percussio simplex aliorum, vel etiam vulneratio cum effusione sanguinis, vel mutilatio non causat hanc privationem beneficiorum ipso juro. Et licet percussio clerici ipso facto inducat excommunicationem, de hoc loquendum, sicut de aliis excommunicatis. De his tamen expressè ait Garc. *cit. c.* 10. *n.* 178. percutientes clericum, & sic sacrilegium committentes, non sunt privati ipso jure, imò nec regulariter privandi beneficiis, sed incurrunt excommunicationem. Licèt etiam mutilatio membri, seu vulneratio, ex qua mors sequatur, inducat irregularitatem, de hac pariter loquendum, sicut paulò antè, de irregularitate ex homicidio aut alia. Ita colligere licet ex Tond. *p.* 1. *c.* 97. *n.* 25.

Quæstio 210. *Quid sit assassinus, & qualiter committentis assassinium exinde vacent beneficia, & qualiter in ordine ad hunc effectum vacationis justificandum assassinium?*

1. Respondeo ad primum: assassinos dici constituentes & conductos pretio ad effundendum sanguinem, seu occidendum christianum. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 1. §. *octavum*. Lott. *l.* 3. *q.* 31. *n.* 34. qui etiam ibidem crimen illud numerat inter ea, quæ ob atrocitatem sui, ob specialem oppositionem, quam habent cum naturâ humanâ, vocantur recessus, seu apostata à natura. Porrò de essentia assassinii esse, ut fiat interveniente pecuniâ, aut alio promisso, quod esset loco pecuniæ, ait Tond. *p.* 1. *c.* 27. *n.* 8. ex Farinac. *de homicidio, q.* 123. *n.* 19. & *seq.* & *n.* 41. & 153. sic Paris. *l.* 14. *q.* 7. *n.* 33. & 34. citatis pluribus dicit, assassinium committi, non solùm datâ pecuniâ, sed etiam solâ promissione. Idem habet *eod. l.* 7. 10. *n.* 42.

2. Respondeo ad secundum: assassinium inducit privationem seu vacationem omnium beneficiorum ipso jure tam respectu conducentis quàm conducti, utì & respectu omnium, qui assassinum receperint, defenderint, occultârint, ita ut liberè ea beneficia conferri possint ab iis, ad quos spectat collatio, ita expresè *c.* 1. *de homicidio. in* 6. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 14. *n.* 27. citans plures. Azor *loc. cit.* Lott. *loc. cit. n.* 35. Tond. *loc. cit. n.* 4. Garc. *cit. c.* 10. *n.* 54. Gonz. *gl.* 15. *n.* 76. Castrop. *loc. cit. n.* 4. Proceditque id ipsum, licèt reipsâ effectus seu mors secuta non fuerit, Azor. Castrop. *ll. cit.* Tond. *p.* 1. *c.* 97. *n.* 33. addens id præcipuè verum, ubi ad actum proximum deventum fuerit, ac citans Carol. de Grassis. *de effectu cleric. effectu. n.* 700. Farin. *de homicidio. q.* 122. *n.* 104. & *seq.* Lott. *loc. cit. n.* 38. dicens, id esse ob atrocitatem illius singularem; unde proximum sit crimini læsæ majestatis (quod est Apostasia à principe per offensam ejus majestatis) ac proinde in eo ac in crimine læsæ majestatis æquè puniri affectum quàm effectum. Quòad receptores verò assassini, ut hi incurrant dictam pœnam, requiri in receptatione dolum & malam intentionem, tradit Tond. *cit. q.* 27. *n.* 7. ex Farinac. *de consultor. q.* 133. *n.* 55.

3. Respondeo ad tertium: ad probandum assassinium non exigi testes citatâ parte, ubi ageretur ad effectum privationis beneficii, etiam cessante periculo moræ (super quo periculo videtur fundata dispositio illa *cit. c.* 1. *de homicidio*. in deferendo probabilibus argumentis, ut explicat Rota apud Crescent. *decis.* 2. *n.* 7. *de testibus* Lott. *loc. cit. n.* 40.) tenet Farinac. *in pr. crimin. q.* 72. *n.* 122. cum pluribus ab eo congestis, ut refert Lott. *loc. cit. n.* 39. quam sententiam, etsi Idem Lott. dicat ibidem minimè recipiendam; præcipuè ubi de hoc ageretur ad effectum privationis. Subjungit tamen *n.* 41. verum esse, quòd ob immanitatem criminis sufficiant probabilia argumenta, ùt loquitur textus *cit. c.* 1. citat pro hoc Gemin. *ibidem*, *n.* 10. Archid. *n.* 2. Franch. *n.* 15. Decian. *in tr. crim. p.* 2. *l.* 9 *c.* 30. *n.* 22. Impetranti verò ex hoc capite duo necessario præstanda; Primò: justificanda formalitas assassinii, nimirum ex simultanea conventione de occidendo hominem christianum pro pecunia datâ vel promissâ, nihil tale ab ipso occisore metuentem. Lott. *n.* 41. ex Farinac. *cons.* 10. *n.* 1. Alterum, ut dum constituitur, seu fit probatio per argumenta, hæc debeant esse probabilia, ùt ait textus, id est, talia, ex quibus oriatur judicium indubitatum. Lott. *n.* 43. citans Farinac. *in pr. q.* 87. *n.* 43. & 48. Nullatenus verò suffragatur tali impetrationi sententia declaratoria commissi assassinii per alium, quàm per judicem Ecclesiasticum lata; cùm certum sit, sententiam super hoc scelus latam à judice laico contra clericum nullam esse ex defectu jurisdictionis. Lott. *n.* 44. & 45. citans Farinac. *q.* 8. *n.* 83. & Cardinal. Albanum, *consil.* 13. Unde etiam, dum hoc crimen impingitur fratribus, militibus, religiosis, donatis, servientibus, servitoribus aut presbyteris sæcularibus in eorum Ecclesiis servientibus Religionis Hierosolymitanæ, ejus cognitionem spectare ad judices Ecclesiasticos, nimirum ad Superiores illius Religionis adjuncto Episcopo privativè ad quoscunque alios, sancitum esse à Clem. VIII. *in constitut. ejus* 37. *sub dato* 18. *Decemb.* 1595. testatur Lott. *n.* 47.

Quæstio 211. *An, & qualiter inducatur privatio beneficii per procurationem abortûs?*

Respondeo: præterquam, quòd sceleratissimi hi à natura Apostatantes (ut eos vocat Lott. *cit. q.* 31. *n.* 52.) teneantur *l. cornelià. de siccariis*, utpote veri homicidæ, dum fœtus animatus est, & ex dispositione juris civilis pœnâ capitali plectantur, *l.* Ci-

l. Cicero ff. de pœnis. si beneficiati sunt, qualescunque demum sint, ipso jure privantur quibuscunque beneficiis. Lott. *n.* 48. & 52. quæ pœna, uti & aliæ contra eos latæ à Sixto V. *in constit. quæ est* 87. *sub dato* 4. *Calend. Novemb.* 1588. ut manifestiùs & distinctiùs intelligatur, pluribúsque circa hoc dubiis respondeatur, lubet hic ipsa verba constitutionis dare. Relatâ igitur specie tam detestandæ contra naturam humanam rebellionis, & ab ea apostasiæ, sic inquit Pontifex: *Omnes & quoscunque tam viros quàm mulieres, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, & conditionis, etiam clericos sæculares, vel cujuscunque ordinis regulares, quâvis dignitate aut præeminentiâ Ecclesiasticâ, vel mundanâ fulgentes; qui de cetero per se, aut per interpositas personas abortûs, seu fœtûs immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati vel informis, ejectionem procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribúsque mulieri prægnanti impositis, aut aliàs etiam incognitis vel maximè exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scientes præmissa fecerint; pœnas tam divino, quàm humano jure, ac tam per canonicas sanctiones & apostolicas constitutiones, quàm civilia jura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu & reipsâ patraverint, propositas, & inflictas (quorum omnium tenores his nostris literis pro expressis, & ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere hac nostrâ perpetuò valiturâ constitutione statuimus, & ordinamus ipsas pœnas, leges & constitutiones ad casus præfatos extendimus.* Et §. 2. *eos verò, qui clerici fuerint, omni privilegio clericalis ordinis, officiis, dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuò reservamus, ipso facto privamus, adeò ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus ac ii, qui suâ voluntate, homicidium perpetrarint, juxta Conc. Trid. decreta, etiamsi crimen id nec ordine judicario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint; nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine, & beneficio, & officio perpetuo careant, &c.* Unde patet in ordine ad declinandam hanc privationis pœnam, aliásque frustra obtendi distinctionem fœtûs animati & inanimati. Neque etiam posse prætendi causam aliquam, quæ excuset, etiam impudicitiæ tegendæ. Lott. *loc. cit. n.* 58. ex Graffio *decis. aureâ. p.* 1. *l.* 2. *c.* 63. *n.* 27. & Joanne de Anania. *cons.* 1. *n.* 10. Quidquid sit de eo, ut inquit Lott. *n.* 55. qui aut medicus, aut medicorum consilio adhibito id tentâsset, pro servanda vita matris, modò fœtus verè necdum sit animatus animâ rationali. Citat pro hoc Covar. *in relect. Clem. si furiosus. p.* 2. §. 3. *sub n.* 1. Graff. *loc. cit. n.* 24. Nav. *in man. c.* 25. *n.* 62. Sayr. *in clavi. reg. l.* 7. *c.* 12. *n.* 19. Item, ut ait idem *n.* 56. quidquid sit de eo, qui aliud agens, præter intentionem dedit causam abortui, v. g. clerico adultero, qui fuit in causa, ut maritus sic percusserit uxorem, ut inde dispersus fuerit fœtus. Citat appendic. ad Nav. *consil.* 35. *de homicid.* Ac denique non videtur his pœnis subjici, qui dedit remedium impeditivum conceptionis. Lott. *cit. n.* 56. remittens ad Bellet *disquisit. cleric. p.* 1. *tit.* 1. *de disciplin. cler.* §. 5. *n.* 27. & 28.

Quæstio 212. *An, & qualiter inducat sodomia privationem beneficii?*

1. REspondeo: inducere privationem & vacationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum ipso jure. Gonz. *gl.* 15. *n.* 83. Lott. *l.* 3. *q.* 31. *n.* 59. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 8 *n.* 23. Lay. *in c. cùm in cunctis. de Elect.* §. *inferiora. n.* 17. Garc. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 191. *juncto n.* 196. citantes Rebuff. *de mod. amit. benef. n.* 38. Non quidem, quantùm est de jure communi; quia in eo textus nullus, qui hanc pœnam statuat (quin nec in eo expressum, quòd irregularitatem inducat, ùt Nav. *in man. c.* 27. *n.* 249. Ugol. *de irregularit. c.* 43. §. 2. *n.* 4. Tolet. *l.* 1. *c.* 74. *n.* 3. Avil. *de censur. p.* 3. *d.* 5. *dub.* 3. contra Covar. *in Clem. luxuriosus. p.* 1. §. 1. *n.* 6. Clar. Lamb. apud eundem Garc. *n.* 194.) Id solùm in eo expressum, quòd tales sint privandi & deponendi: nempe, *c. clerici. de excess. prælat.* Gonz. Castrop. *ll. citt.* Garc. *n.* 192. citans Diaz. *in pr. crim. c.* 86. Menoch. *de arb. c.* 286. Mandos. Clar. Licèt aliàs hic unus ex præcipuis casibus, in quo concessa est Ordinariis facultas actualis degradationis, desumptâ ratione ex *Levit. c.* 20. & ex Constitut. Constantii, & Constantis, *in l. cùm vir. c. ad l. Juliam. de adulterio.* Lott. *n.* 61. Verùm ex perpetua constit. Pii V. quæ est illius 72. sub dato 3. Calend. Septemb. 1568. & incipit: *horrendum*; in qua Clerici hoc infandum scelus exercentes omni privilegio clericali, officio, dignitate, beneficio Ecclesiastico, auctoritate ejusdem Constitutionis privantur; ità ut per judicem Ecclesiasticum degradati potestati statim sæculari tradantur. Adeóque hodiedum ipso jure privati beneficiis, & in effectu irregulares existunt; Laym. Gonz. Castrop. *ll. cit.* Garc. *n.* 196. qui etiam *n.* 197. subdit, id procedere in foro interno, & in occulto, saltem quoad privationem executionis officii, & inhabilitatem, seu quò ad irregularitatem in effectu, pro quo citat Nav. *ubi antè n.* 9. contra Ugol. Tolet. Suar. *to.* 5. *d.* 13. *s.* 4. *n.* 22. & alios, quorum sententia, ait Garc. *n.* 197. posset procedere solùm in privatione beneficiorum, nimirum quòd ea non respiciat forum internum & occultum. Sic quoque ait Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q. ult. in fine.* ex Nav. juxta responsionem dicti Pontificis hanc pœnam etiam privationis ipso jure respicere utrumque forum. Dictam quoque constitutionem procedere non solùm in Clerico masculorum concubitore, sed & in eo, qui fœminam præposterâ venere cognosceret. *n.* 287. ex Prosp. de S. August. *in additione ad summ. Bullarii*, Quaran. *v. sodomia. limit.* 1. & aliis, quos citavit *n.* 162.

2. Porrò cùm memorata constitutio dicat *hoc crimen exercentes*, quod verbum indicat usum, & consuetudinem, dictam pœnam privationis & alias non habere locum in iis, qui semel iterúmve hoc crimen perpetrârunt, sed solùm in iis, qui quasi ex usu continuato & quotidiano illud exercent (& ita, ut Garc. labuntur in hoc crimen, ut arbitrio boni viri dici possint exercitatores illius, tradunt Azor, Castrop. *ll. cc.* Garc. *n.* 198. citans Suar. *ubi ante n.* 20. Sayr. *de cens. l.* 7. *c.* 12. *n.* 23. Rodriq. *regular. qq. to.* 1. *q.* 30. *a.* 19. Ugolin. *ubi suprà.* & Nav. *ubi antè*, qui etiam dicat, sic sibi respondisse Gregor. XIII. & Matthæum Contrarellum, ejus Datarium; Lott. *loc. cit. n.* 66. citans insuper alios contra Caval. *q.* 228. *n.* 4. Salced. Azevedo. apud Garc. *n.* 199. tenentes, locum esse dictæ Constitutioni etiam in eo, qui semel hoc crimen patravit; eò quòd sic videatur statui in constitutione anteriore alia ejusdem Pii quinti, quæ est 5. in ordine, cujus meminit hæc posterior, in qua adhibetur verbum *perpatrarit*, quod non exposcit criminis iterationem. Ad quod tamen respondet Rodriq. *loc. cit.* quòd licèt pœna istius prioris Constitutionis comprehendat perpatrantes; pœnæ tamen hujus posterioris consti-

tutionis, quæ sunt graviores, comprehendunt solùm exercentes. Exigi insuper ad incurrendas dictas pœnas dicti usûs & exercitii notoreitatem, ait Lott. *n.* 67. ac citat pro hoc Graff. *decis. aurea. l.* 2. *c.* 90. *n.*13. Barb. *de Episc. alleg.*46. *n.*27. & *in Collectan. ad c. Clerici, de excessib. prælat. num* 9. Cúmque hoc crimen inhabilitet ad consequenda beneficia, si occultum, & ad forum contentiosum deductum non est, posse absolvere & dispensare quoad hanc inhabilitatem Episcopum per concessionem Trid. *sess.*24. *c.* 6. aliàs non, propter infamiam juris, quam secum fert, tradit Laym. *loc. cit.* Idem ferè habet in *c. cùm pridem. de renunciat.* §. *intueri. nu.* 5. ubi: *si Episcopus post Canonicam institutionem ob crimen v. g. Sodomiæ, juxta Pii V. constit. incurrat pœnam depositionis, aut suspensionis in perpetuum, si crimen occultum est, adeóque infamiam annexam non habeat, proprius Episcopi confessarius absolvere eum poterit propter Trident. loc. cit.* & *adjunctam ibi declarat. S. Congregationis Cardinal.*

3. Observat etiam idem Lott. *nu.* 68. ex communi. Barbos. *l. ult. cit. n.* 7. in curia Romana non practicari morem impetrandi beneficia aliorum, ex hoc spurcissimo capite. Observandum denique, quod tradunt Castrop. Azor. & alii. *ll. cit.* non videri hanc Pii constitutionem quoad has pœnas usu receptam. De quo puncto suam sententiam promere non audet Garc. dum ait *n.* 197. an autem hæc constitutio in foro conscientiæ usu recepta sit, an non, quod posterius ait Ugolin. & in quod inclinat Henriq. Avil. Prosp. à S. August. res facti est, seu quæstio de facto, ad quam respondere non est juris consulti.

Quæstio 213. *Quid sit in exercentibus pollutionem extraordinariam, seu extra vas, & bestialitatem?*

REspondeo: Nec hos, nec illos comprehendi dictâ constitutione, adeóque etsi digni sint privatione beneficiorum; non tamen eam ipso facto incurrunt. Castrop. *loc. cit.* de utroque crimine loquens. Garc. *loc. cit. n.* 205. ubi quod exercentes bestialitatem non comprehendantur dictâ constitutione, saltem quoad pœnas ipso jure impositas Sodomitis; eò quòd, licèt sit scelus gravius Sodomiâ, attamen species distincta à Sodomia, & in pœnalibus non fiat extensio etiam ex identitate & majoritate rationis; præsertim cum pœna ipso jure imponitur, juxta *reg. odia. in sexto.* & *c. pœna. de pœnitentia. d.* 1. & juxta DD. plurimos, quos citat *ibidem* Garc. Sed neque incurri propter bestialitatem irregularitatem, tradit Garc. *in fine, n.*206. ex Bannez. *de just.* 2. 2. *q.*46. *a.* 8.

Quæstio 214. *An, & qualiter defloratio monialis inducat privationem beneficiorum?*

REspondet ad hoc Card. Luca. *de benef. d.* 75. *num.* 3. quòd inter alias pœnas inflictas contra hujusmodi sacrilegos stupratores monialium videatur ista pœna privationis beneficiorum imposita vel ipso jure, vel quòd per sententiam ad eam procedi possit, juxta *c. si qua monacharum.*27. *q.* 1. remittit insuper ad Farinac. *de delictis carnis. q.*146 *n.* 26.

Quæstio 215. *An, & qualiter adulterium inducat privationem beneficii?*

REspondeo: ob adulterium aut aliam incontinentiam non concurrente concubinatu, de quo paulò pòst, non est locus impetrationi, vel privationi beneficii (intellige ipso jure, quia illud importare videtur *Tò impetrationi.* sub disjunctione additum privationi) Tond. *p.* 1. *c.* 97. *num.* 17. testans sic ex mente S. Congregationis tradere Barbos. *c. sicut. de cohabit. cler. & mulier. n.* 4. addit tamen Tond. in adulterio tamen & aliis gravioribus incontinentiæ delictis datur pœna depositionis adversus clericum, pro quo citat Salcedo *in pr. crim. c.* 85. *v. detruditur.* & Bermundum. *tr. de public. concub. tit. de adulterio. n.* 26. de qua tamen pœna depositionis tradit Lott. *l.* 3. *q.*33. *à nu.* 34. quòd licèt adulterium referatur inter gravissima crimina, ùt Menoch. *de arb. casu* 419. *nu.* 2. Neque aliâ pœnâ quàm depositionis coëceri debeat; nihilominus quia lex pœnam hanc præcisè non imponit, ità ut jussu legis, quæ secum excommunicationem trahat, hanc sententiam depositionis ferre tenetur Episcopus; sed sit id in arbitrio Episcopi, ità, si contra adulterum ferat sententiam suspensionis vel depositionis, sit restituibilis per Episcopum peractâ pœnitentia, juxta *c. at si cler. de judic.* Et vel exinde adulterium non censetur ex criminibus majoribus, hoc est, quæ ideo majora dicuntur, quia signata sunt in hoc à lege, nimirum *c. non ab homine. de judic.* Ut sunt homicidium, furtum, perjurium, statuente pro iis depositionis pœnam præcisè, non verò qua aliàs adulterium reputetur minus crimen comparatione illorum. Lott. *nu.* 33. Adeóque jam quoad hanc pœnam depositionis eric par ratio in adulterio & fornicatione simplice. Lott. *loc. cit. n.* 37.

Quæstio 216. *An, & qualiter concubinatus inducat privationem beneficii?*

1. REspondeo primò: in fornicatione (idem est de concubinatu, quia hic non videtur differre quoad hæc à fornicatione continuata seu repetita, sive cum una, eadémque, sive cum diversis) non esse locum privationi beneficii, nec ipso jure, nec per sententiam; nisi sit notoria & scandalosa ex diuturna continuatione; atque ità ferè incorrigibilis. Lott. *l.* 3. *q.*33. *à nu.* 166. citans C. *quam sit. de excessib. Prælat.* ac Butrium *in c. at si clerici. de judic.* Sic de concubinariis non notoriis & publicis intelligendus Garc. *cit. c.* 10. *n.* 181. ubi ait, concubinarios non esse privatos, nec privandos seu deponendos, sed suspensionis pœnâ puniendos, citans pro hoc Felin. *in c. at si clericus. n.*14. Imol. *n.* 11. Berojum. *n.* 165. Corset. *in singul. verbo fornicatio.* Selv. *p.* 3. *q.* 3. *n.* 7. Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 9. *a.*20. Clar. *l.* 5. § *fornicatio, nu.* 3. Gutt. *qq. Canon. l.* 2. *c.* 7. *n.*54. Notorius autem concubinarius est, qui talis per sententiam vel confessionem judiciali ter factam declaratus fuit, aut sanè, qui talis est, ut controverti de eo non possit, aut aliquâ legitimâ oppositione celari, aut etiam, quando clericus post legitimas sui Superioris admonitiones mulierem scandali causam è domo sua dimittere renuit aut negligit; vel etiam in domo cujusdam amici vel conductitia retinet. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 97. *num.* 1. & 12. citans Rebuff. *in concord. tit. de public. concubin.* §. *publici autem.* Neque quoad hoc differentia facienda est inter concubinam, focariam, & mere-

meretricem. Lott. *n.* 150. quæ aliàs ex juris civilis dispositione valde inter se differunt, ità ut concubina dicatur ea mulier, quæ domi retinetur liberorum procreandi causâ ex animi destinatione, & affectione quâdam maritali. *l. concubina, ff. de concubinis.* ità ut si retineatur extra domum, non dicatur concubina, ùt Barth. *in loc. cit. nu.* 1. Lott. *loc. cit. n.* 121. Focaria verò ea, quæ non ex animi destinatione gratiâ procreandorum liberorum, sed simpliciter pro explenda libidine retinetur; sic dicta à foco; quia prætextu ùt plurimum artis coquinariæ, cujus instrumentum præcipuum est focus, tales mulierculæ solent haberi. Lott. *nu.* 135. meretrix verò, quæ multorum libidini patet, sic vocata à merendo; quia pro mercede se prostituit. Lott. *num.* 146.

2. Respondeo secundò: Concubinatus, quantumcunque scandalosus & notorius, non inducit pœnam privationis ipso jure (intellige, præscindendo à statuto aliquo vel jure singulari; nam dum jure aliquo singulari sic statutum est, ùt rector Ecclesiæ propter concubinatum ipso jure destitutus sit beneficio, videntur talia statuta seu jura singularia præservata esse per Trid. decretum, paulò pòst subjungendum. Lott. *loc. cit. n.* 155.) sed ea est imponibilis & imponenda per judicem. Castrop. *tr. de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 8. *n.* 72. pro quo Garc. *num.* 184. citat decis. Rotæ *in Tullens. monasterii, S. Mansueti.* 27. *Jun.* 1597. in qua resolutum, quòd clericus concubinarius etiam publicus non est ipso jure beneficiis privatus, nec venit privandus, nisi quando post legitimas monitiones indurato animo in concubinatu persistat. Quo etiam facit, quod Lott. *loc. cit. n.* 117. eandem Rotæ decis. citans ait: *repugnat manifestæ rationi, clericos concubinarios raptim & festinanter sententiam privationis subire oportere.* Proinde

3. Respondeo tertiò: tametsi clericus concubinarius notorius puniri possit absque aliqua monitione *c. tua nos. de cohabit. cleric. & mulieris.* ad privationem tamen beneficiorum deveniri non potest, nisi prævia monitione, juxta *c. sicut.* & *c. si autem. de cohabi. cler. & mul.* ex Trid. *sess.* 25. *c.* 14. Tond. *loc. cit. n.* 3. & 4. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 182. Sed neque clericus publicus concubinarius ipso jure suspensus est à divinis, & eâ suspensione durante ministrans incurrit irregularitatem, ut ea de causa privandus sit beneficiis citra monitionem, ùt volunt aliqui, nimirum Diaz. *in pr. crim. can. v. concubinarii. c.* 47. Gregor. *in institut. rei benef. c.* 25. *nu.* 7. Tolet. *in instruct. Sacerd. l.* 1. *c.* 25. & præcipuè Guido Papa *decis.* 1558. apud Tond. *loc. cit. n.* 7. & 8. quia contrarium est probabiliùs, talem non esse à divinis suspensum, nisi fortè tantùm quoad se, sicuti quilibet existens in mortali suspensus est quoad se à celebratione, non quoad alios. Tond. *loc. cit. n.* 9. Qua de re vide Garc. *p.* 7. *c.* 14. *à n.* 19. ubi materiam hanc de suspensione concubinarii fusè tractat; & inter cetera ostendit, quòd etsi talis publicus concubinarius suspensus esset ab officio, non tamen ideo suspensus sit à beneficio: Quin etiam dato, talem incurrere irregularitatem, ideo tamen non privaretur beneficiis obtentis, sed solùm arceretur ab obtinendis. Tond. *n.* 10. citans Rebuff. *de pacif. poss. q.* 25. *n.* 280. juxta quæ tradit Garc. *cit. c.* 10. *nu.* 42. citatis pluribus. vide dicta paulò supra de irregul.

4. Respondeo quartò: Ut cum tali publico concubinario procedi possit ad privationem beneficiorum, hodiedum debet præcedere trina monitio ex decreto Trid. *sess.* 25. *c.* 14. Garc. *cit. c.* 10. *n.* 183. Tond. *n.* 6. Castrop. *nu.* 22. qui tamen addit, si judex in sua præsentia delinquentem moneat, unicam monitionem trinæ æquivalere ex textu *l.* 2. *c. quomodo & quando judex.* Verba dicti decreti Trid. ferè hæc sunt: *Prohibet S. Synodus quibuscunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo vel extra detinere, aut unà cum illis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis à SS. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quòd si à Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri loco pro Episcopi arbitrio applicetur. Si verò in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perseverantes secundæ monitioni non paruerint, non tantùm fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum ac pensionum eoipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam beneficiorum suorum administratione quoad Ordinarius, etiam uti sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi nihilominus eas non expellunt, aut cum iis etiam versentur, tam beneficiis, portionibus ac officiis, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles & indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, officiis, in perpetuum reddantur: donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cùm iis ex causa visum fuerit dispensandum &c.* Circa quam tamen pœnam privationis fructuum ipso facto impositam ait Garc. *nu.* 190. non videri eam receptam in conscientia ante condemnationem eò, quòd nunquam viderimus aut intellexerimus concubinarium talem, etiam bis vel pluries monitum, eos restituere, quamvis nihilominus judices deberent eam pœnam exequi. Neque dicta pœna privationis fructuum se extendit ad distributiones quotidianas, quas ratione Canonicatûs aut dignitatis divinis interessendo percipit talis concubinarius, præter fructus ipsius præbendæ. Garc. *n.* 186. juxta declarationem secundam *cit. c. Trid.* Neque etiam hæc pœna locum habet in clericis, si primò deliquerint; etiamsi edicta generalia Ordinarii præcesserint; sed incurritur, ubi secundò deliquerint; pro prima autem vice puniri debet aliis pœnis à SS. Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis. Garc. *loc. cit.* juxta eandem declarationem.

5. Respondeo quintò: Oportere trinas illas monitiones specialiter eisdem intimari. Tond. *n.* 11. Garc. *n.* 186. De cetero pro inducenda incorrigibilitate nullam esse necessariam præexistentem condemnationem; sed ab ipsa monitione inchoari, & nisi talis ad secundam vel tertiam comminationem fornicariam à se dimiserit, eandem de cetero contempturus, licere Episcopo eum, appellatione sepositâ, beneficiis spoliare, ait Lott. *loc. cit. n.* 119. juxta *c. si autem. de cohabit. cler. & mul.* Neque necesse est, fieri has monitiones in visitatione, sed & aliis temporibus fieri possunt. Garc. *num.* 186. juxta declarat. 2. *ad cit. c. Trid.* tempus verò, quod inter utramque monitionem intercedere debet, arbitrio Episcopi relinquitur. Garc. *ibid.* juxta eandem declar. vide hac de materia aliàs declarationes S. Congregation. Item Barb. *ad cit. locum. Trid.* & Bermund. *in tr. de concubinariis publicis.* ex quibus tamen & aliis observanda hîc sunt sequentia; primò: posse etiam Ordinarium procedere contra concubinarios secundùm dispositionem

nem juris communis : nimirum c. *si autem.* non expectatâ seu servatâ formâ dicti decreti ; hoc enim positum est in arbitrio judicis ; cum Concil. expresse præservet alias pœnas à SS. Canonibus impositas. Garc. *n.* 186. Lott. *n.* 154. juxta declar. 1. *ad cit c. Trid.* Neque tamen confundi debet quo ad executionem hic uterque modus procedendi, vel secundùm formam juris communis ; vel ad formam Tridentini gradatim ; si enim eligat procedere secundùm formam decreti, unica sufficiet monitio pro unoquoque gradu comminatæ pœnæ ; si autem eligat procedere secundùm formam juris communis ad pœnam per illud statutam, quæ est privationis beneficiorum propter incorrigibilitatem. c. *si autem.* non est dubium, exigi trinam monitionem, ùt clarè in illo textu declaratur, & in c. 2. *de cohabit. cler. & mul.* Lott. *nu.* 153. Secundò observandum ex Castrop. *loc. cit.* & qui ab eo citatur Guttier. *can. qq. l.* 2. *c.* 7. *à n.* 13. quòd hæc procedant in concubinatu cum ea, quæ vinculo nullo consanguinitatis, affinitatis, religionis ligata ; aliàs enim, si aliquam ex his circumstantiis habeat, non esse necessariò dictum ordinem observandum, sed deponi posse tales & beneficiis privari. Tertiò observandum etiam, quod graviter conqueritur Garc. *à n.* 187. quòd etsi Pius V. in sua constitutione in Bullario 5. locorum Ordinariis in virtute S. Obedientiæ præcipiat, ut juxta Trid. statuta procedant contra concubinarios, reddituris sibi ac Deo, si id non fecerint, rationem ; hi tamen ea non observent, seu observari curent, sed semper contra eos utantur pœnis pecuniariis etiamsi bis, tertiò, aut pluries deliquerint, ità ut censum annuum à concubinariis extorquere allaborent ; quia nullam reus pertimescit culpam, maximè concubinarius & carnalis, quam redimere nummis potest.

Quæstio 217. *Qualiter probandus concubinatus, & qualiter admittatur accusatio contra tales?*

1. Respondeo ad primum : Primò ad effectum privationis necessaria est plena & concludens probatio concubinatûs, etsi civiliter ageretur ; nec sufficit probatio de publica voce & fama. Tond. *loc. cit. nu.* 13. Garc. *loc. cit. n.* 184. juxta decis. Rotæ suprà cit. *in Tull. monasterii.* Secundò : etsi, ut sufficienter dicatur probatus concubinatus, multa requirat Farinacius, *de delictis carnis. q.* 138. *n.* 8. *& seq.* non tamen ea omnia requiruntur in clerico ; sufficit enim probare consuetudinem peccandi in domo propriâ vel alienâ. Tond. *loc. cit.* citans Riccium. *in pr. fori Ecclesiast. decis.* 361. *n.* 6. Farinac. *ubi antè n.* 86. & Rotam, *decis.* 55. *n.* 1. *&* 139. *nu.* 1. *p.* 5. *recent.* Tertiò : pro justificatione hujus objectûs non sufficit probare cohabitationem, sed debet probari ipse concubitus. Lott. *nu.* 148. citans Natt. *conf.* 559. *n.* 3. non tamen necesse est justificare, quòd fuerit domi propriæ detenta, aut etiam affectione quâdam maritali ; etsi enim in hoc deficit proprietas hujus nominis *concubinatûs* secundùm jus civile : non tamen deficit forma concubinatûs ad effectum punitionis. Lott. *n.* 149. & 150. citans Decian. *tr. crim. p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. Diaz. *in pr. crim. c.* 79. & Rot. *in Metensi juris corrigendi.* 19. *April.* 1627.

2. Respondeo ad secundum primò : qualitercunque moveatur actio super concubinatu, aut alio vitio carnis, etiam ubi urgeret jus singulare mandans dejici clericum à beneficio, nisi ea actio in tempore proponatur, facilè elideretur præscriptionis exceptione, cùm vitia carnis in foro externo quinquennio præscribantur, juxta cit. Rotæ decis. *in Metensi.* & per *l. si mariti.* §. *præterea. ff. ad legem Iuliam. de adulterio.* & in specie de concubinatu, Farinac. *conf.* 80. *n.* 18. *l.* 1. Lott. *n.* 154.

3. Secundò : parochiani ratione sui interesse in percipiendo à tali Sacramenta, & patroni, etiam laici, quia vellent præsentare alium, omnino admittuntur ad accusandû. Garc. *cit. n.* 186. Lott. 155. juxta declar. 1. *ad cit loc. Trid.* Neque quoad hoc iis obstat, quòd sint laici aut viles personæ ; nam super alio non insistunt, quàm ut removeatur à beneficio, & ad id relinquunt accusationem suam & actionem ; nihil est, quò minus hujusmodi accusatio & actio sit legitima, ùt ex Federico de Senis. Lott. *n.* 156. est enim actio popularis, quæ, dum civiliter intentatur, nititur solo interesse, ut propterea non tantùm cuilibet de populo, sed etiam cuilibet habenti interesse ex vicinia competere possit. Lott. *cit. n.* 156. citans Ferret. *conf.* 18. *n.* 2. apud Mandos. *ad Lap. allegat.* 11.

Quæstio 218. *An, & qualiter inducatur privatio seu vacatio beneficii ob perjurium?*

1. Respondeo primò : Licèt perjurus sit inhabilis ad beneficia obtinenda, ità ut collatio & institutio perjuro facta sit ipso jure nulla. Paris. *l.* 4. *q.* 3. *num.* 10. & 11. juxta c. *querelam. de jurejurand.* c. *constitut. de appell.* c. *cum nostris. de prabendis.* quos textus, uti & Decium. *in c. dilectus. de except.* & Villalob. *in coll. communium opin. l. p. n.* 76. citat Paris, nullum perjurium, quamvis gravissimum, inducit privationem beneficii ipso jure. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 8. *n.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 18. *quartò perjurus.* Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 160. citantes pro hoc Covar. *in c. quamvis pactum p.* 1. §. 7. *n.* 3. Abb. Felin. *in c.* 2. *de rescrip.* Selv. *p.* 3. *q.* 2. *num.* 7. Suar. *de relig. tom.* 2. *tr.* 5 *l.* 3. *c. ult. nu.* 6. 17. 21. ac dicentes, esse communiorem contra Rebuff. *de pacif. poss. à n.* 269. *aliàs* 223. sed privari potest. Garc. Azor. *ll. cit.* Paris. *l.* 5. *q.* 6. *n.* 65. dicens esse communiorem, & citans Felin. *in c. ex parte. de rescript.* Jul. clar. *l.* 5. *recept. sent.* §. *perjurium.*

2. Respondeo secundò : sed neque ob perjurium quodcunque privandus quis est beneficio, sed solùm ob perjurium judiciale, seu factum in judicio. Castrop. Azor. *loc. cit.* Garc. *nu.* 168. citantes Rebuff. *ubi antè.* Staphil. *de liter. grat. tit. de var. mod. vacationis.* §. *quando quis veniat privandus. à n.* 6. Diaz. *in pr. crim. c.* 92.

Quæstio 219. *An, & qualiter inducatur vacatio propter blasphemiam?*

Respondeo : quidquid sit de jure communi, quo olim privabatur beneficio blasphemus, *c. si quis per capillum.* 22. *q.* 1. non quidem omnis, sed qui nefariis maledicti generibus Deum, vel Sanctos impetebat. Castrop. *loc. cit. nu.* 9. Azor. *loc. cit.* §. *qui maledictum.* Paris. *l.* 5. *q. c.* 6. *n.* 65. Quiquid inquam sit de jure illo antiquo, quod aliqui quoad hanc privationis pœnam consuetudine abrogatum contendebant. Azor. *loc. cit.* hodiedum Leo X. constitut. sua edita *in Concil. Lateran. sess.* 9. de eo sic statuit, ut quicunque Deo palam seu publicè maledixerit, contumeliosisque & obscœnis verbis D. N. Je-

D.N. Jesum Christum vel B. Virginem expresè blasphemaverit; si sacerdos vel clericus fuerit, eo ipso die, quo de ejusmodi delicto fuerit convictus, beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur pro prima vice; pro secunda verò, si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur, si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd si tertiò ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus, & beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eáque ulteriùs retinenda inhabilis reddatur, eáque liberè impetrari, & conferri possint, &c. Quam pœnam contra blasphemos acriùs intendit Pius V. in constitut. sua 5. *sub dato Calend. Aprilis 1566.* ità ut pœna illa privationis, quæ vi constitutionis Leonis X. erat respectu beneficiorum, & dignitatum, restricta ad casum tertiæ vicis, incurratur respectu beneficiorum in secunda vice, solaque dignitates tertio lapsui reserventur; Lott. *l. 3. q. 28. n. 113.* addens *n. 114.* dubium non esse, quin hæc Pij constitutio sit latæ sententiæ; etsi adhibeat hæc verba: *beneficiis ipsis privetur*, quæ aliàs futurum tempus recipiunt; eò quòd expresè innovet decretum Concilii Lateran. sub Leone X. in quo decreto dicitur: *eo ipso*: unde verba illa inflectuntur ex subjectæ materiæ naturâ; ità ut sicut verba præsentis temporis, hac ratione nonnunquam minimè sint latæ sententiæ, ità quandoque verba, quantumcunque in futurum concepta sunt latæ sententiæ; unde clericum ipso jure privatum beneficiis tam ob blasphemiam hæreticalem, quàm ob blasphemiam non hæreticalem, & utrumque æquiparari hæretico, ait Lott. *n. 105.* Castrop. tamen *loc. cit.* ait ex dictis id illa constitutione Leonis X. patere, blasphemum nunquam privari ipso jure beneficiis, quousque hujus criminis declaratoria sententia accedat: quod non negabit Lott. si referatur declaratoria ad executionem seu spoliationem de facto, uti dicit de hæretico.

Quæstio 220. *An, & qualiter sacrilegus privetur beneficiis?*

REspondeo: Etsi sacrilegus impediatur consequi beneficium, *c. venerabilem. de elect.* Paris. *l. 4. q. 3. n. 23.* Garc. *cit. c. 10. n. 174.* citans Coras. Rebuff. &c. sitque infamis & irregularis, *c. infames. q. 1.* AA. ijdem. Castrop. *cit. §. 8. n. 6.* non est tamen ipso jure privatus beneficiis, cùm nullus sit textus annectens hanc pœnam cuilibet sacrilegio. Garc. Castrop. *ll. citt.* sed solùm est privatione dignus; & venit privandus juxta *c. si quis presbyter. 50. dist.* Castrop. *loc. cit.* Garc. *n. 173.* citans Rebuff. *tit. de mod. amitt. benefic. n. 65.* & *de pacif. possess. n. 248. aliàs 202.* Diaz. *in pract. c. 87. nu. 2.* Porrò de sacrilegis in specie ob percussionem vel occisionem Cardinalis, Episcopi, Clerici dictum suprà.

Quæstio 221. *Quid hac in parte dicendum de furibus, usurariis, incendiariis, ac similibus?*

REspondeo in genere: Propter hæc & similia crimina, dum non sunt de exceptis, regulariter non vacant beneficia ipso jure, sed duntaxat per judicis sententiam, & privationem. Et quidem nonnisi, ubi talis pœna exprimitur à jure. Tond. *p. 1. c. 27. n. 2.* citans Rebuff. *in pr. de mod. amitt. à n. 50.* & communiter nullum crimen inducit privationem ipso jure, paucis exceptis, de quibus in antecedentibus. Paris. *l. 3. q. 16. n. 5.* citans Selv. *p. 3. q. 2. n. 9.* & requiri sententiam declaratoriam in omni crimine magis commune, dicit Paris. *ibid. n. 6.* citans Bursat. *consil. 14. n. 18. v. 1.* Eadem habet Paris. *l. 7. q. 2. n. 9.*: ubi regulariter nullum crimen inducit privationem ipso jure absque declaratione. Gabr. *cons. 196. l. 1.*

Quæstio 222. *An beneficium incarceratus clericum, usque dum ei resignet beneficium suum, vacet ipso jure?*

REspondeo affirmativè: Gonz. *gl. 15. n. 81.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 14. n. 50.* citans Vivian. Chok. juxta *Clem. multorum. de pœnis.*

Quæstio 223 *Quid dicendum ad hoc de ijs, qui non initiati presbyterio missas dicunt, & pœnitentium confessiones audiunt?*

REspondeo: Vi constitutionis Clem. VIII. quæ est illius 18. & quâ is nefarios istiusmodi homines jubet à judicibus S. inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiæ misericordiâ indignos à foro Ecclesiastico abjici, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habent, ritè degradatos statim Curiæ sæculari tradi debitis pœnis puniendos; ante hanc degradationem non videtur inducta vacatio beneficii, si quod habent; factâ tamen illâ degradatione, de illa vacatione non est dubitandum, cùm actualis degradatio implicet avulsionem personæ ab altari. Lott. *l. 3. q. 31. à n. 16.* dicens *n. 18.* in hoc ampliatam esse pœnam antiquorum canonum, vi quorum tantùm suspendebantur, permissâ Episcopo potestate super beneficio dispensandi. Neque in hoc locus est expectationi corrigibilitatis, ut patet ex dicta Constitutione. Lott. *n. 19.* qui etiam subjungit *n. 23.* pœnas privationis beneficiorum, aliásque usque ad degradationem statutas contra sollicitantes in confessione, vel ejus occasione fœminas vel pueros ad turpia vi constitutionis Gregor. XV. quæ est 34. sub dato 30. Aug. 1612. esse remissas arbitrio judicum. Vide de his Lott. *à n. 20.*

Quæstio 224. *An ob crimen simulationis, dum nimirum quis alium se simulans pro obtinendo beneficio, se ipsum supponit pro aliis id etiam ignorantibus examini, ut beneficia obtineat, & sic postmodum cum iis de istis beneficiis tractat, etiam per simoniacam pravitatem, vacent ipso jure omnia beneficia istius simulantis?*

REspondeo affirmativè; sic enim expresè statuit Paulus IV. in Constitutione sua 33. quæ incipit *Inter ceteras*, editâ 16. Nov. 1557. Castrop. *Ar. §. 8. n. 20.* Gonz. *gl. 15. n. 89.* ad fusum recitans dictam constitutionem Pauli IV. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 14. n. 59.* Lott. *l. 3. q. 29. à n. 110.* quem vide. Idem esse in eo, qui dum potestatem conferendi habet, adeóque sibi ipsi beneficium conferri nequit, alium suo loco ponit vel substituit, ut hic substitutus ei beneficium conferat; tradit ibidem Lott. *n. 111.* Item idem est in eo, qui pro se ipso impetrat beneficia cum intentione illa mox resignandi in favorem, reservatâ, vel non reservatâ pensione. Lott. *ibidem.* Gonz. *l. cit. n. 90.*

Item

Item in iis, qui annuas pensiones offerunt, aut impetrant beneficia pro aliis, ut ab iisdem aliquid consequantur; Gonz. *n.* 89. hos enim simulatores omnes ferit dicta Constitutio Pauli IV. tanquam simoniacos (intellige confidentiales) Lott. *n.* 110. Etsi enim aliud commodum nullum temporale appareat, in tali constituto collatore, quàm quòd fuerit facta illa substitutio per concessionem potestatis conferendi; quin & in altero casu recipientis beneficium, ut illud alteri resignet, sufficiat commodum illud, quod est in eo, quòd quis satisfaciat voluntati suæ in gratificando amico, ità ut nec ideo minùs in hisce arguatur præcedens pactum simoniacum; concessâ nimirum argumentatione pacti præambuli ab effectu secuto; quod admittitur etiam ad præsumendum delictum. Lott. *à n.* 111. His itaque omnibus in dicta constitutione ultra excommunicationem latæ sententiæ soli Papæ reservatam, & nullitatem talium provisionum, & inhabilitatem ad omnia beneficia, imponitur pœna privationis omnium beneficiorum obtentorum eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrenda. Gonz. *loc. cit. n.* 90. dicens, ut ad hanc vacationem attendatur, quia paucis est nota, & quia plures incidunt in pœnas dictæ constitutionis, se constitutionem ipsam hîc inserere.

Quæstio 225. *An, & qualiter inducatur privatio & vacatio beneficiorum ob crimen læsæ majestatis humanæ commissum?*

1. REspondeo: Incurritur propterea à beneficiato pœna privationis beneficiorum ipso jure Castrop. *cit.* §. 8. *n.* 3. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 52. Gonz. *gl.* 15. *n.* 72. Lott. *l.* 3. *q.* 30. *n.* 71. *&* 72. citans insuper Rebuff. *in pr. tit. de modo amitt. n.* 32. Mareschot. *var. resol. l.* 2. *c.* 35. Porrò hoc crimen duplici modo patratur, nempe directo vel indirecto, prout nimirum, qui machinatur seu aggreditur quid cedens directè vel indirectè in turbationem seu læsionem securitatis Reipub. Sic directo modo patratur, cùm quis hostili animo adversus Rempub. vel principem (neque enim respectu hujus criminis resp. à principe, aut is ab ea separandus, ità ut ex læsione unius sequatur læsio alterius, & hinc, dum volunt aliqui solùm illum perduellem esse, qui in personam principis insurgit, id aliter intelligi nequeat, quàm de persona principis, prout in principe ipsa Resp. repræsentatur, Lott. *n.* 72. *&* 73. & sic quoque rejicienda eorum sententia, qui tradunt, non committi perduellionem ab illis, qui ex odio præcisè personæ principis in ejus personâ machinantur quid: Lott. *à n.* 16.) animatur seu insurgit, in quo casu crimen hoc nomen specificum perduellionis sortitur, Lott. *loc. cit. n.* 65. & per illud indubitatò dictam pœnam ptivationis ipso jure induci, ait Lott. *n.* 71. citans Ferret. *cons.* 31. *à n.* 8. Et sic perduellionis reus censetur is, qui lædit securitatem Reip. turbando ejus tranquillitatem, sive immediatè per occupationem alicujus arcis, urbis, aut territorii (qualiter in Constitutione Leonis X. quæ est in Bullario 13. declarantur rei læsæ majestatis ex hoc capite, quicunque etiam Reges ac Principes, qui terras vel loca mediatè vel immediatè ad Romanam Ecclesiam spectantia invadunt, & si clerici sunt, privantur ipso jure absque omni citatione aut declaratione criminis vel privationis omni beneficio, officio, administratione, dignitate, Episcopatu, Cardinalatu) aut per alias hostiles incursiones; seu mediatè offendendo personam principis, ex quo talis offensa reflectit in eandem Reip. perturbationem securitatis. Lott. *à n.* 80. Circa quam tamen principis offensam, ait idem Lott. *n.* 85. per contumeliosa dicta jactata in principis personam committi quidem crimen maledicti, non tamen læsæ majestatis: Dum verò aliàs offensa fertur quidem in personam principis, citra tamen turbationem tranquillitatis publicæ, eò quòd offensa talis sit, ut neque affectus, neque effectus eò quoque, hoc est, ad dictam perturbationem se valeat extendere; ut si corrumpatur, vel dehonestetur principis imago, committitur quidem crimen læsæ majestatis, sed distinctum à perduellone Lott. *à n.* 86. sive dicitur lædi majestas per obscurationem tantùm. Unde licet cusores falsæ monetæ efficiantur rei læsæ majestatis; non tamen plectuntur pœnâ statutâ perduellibus. Lott. *cit. nn.* 86. atque ità

2. Respondeo secundò in specie primò: Falsificantes literas Apostolicas sunt rei læsæ majestatis, etiam ex mente *L. Juliæ*; quin & dicta falsificatio cedit in turbationem publicæ tranquillitatis, dum sub fide publica tali modo quis decipitur, ac vel hinc dictæ beneficiorum privationi ipso jure subjiciuntur. Lott. *à n.* 90. Secundò: committitur hoc crimen non solùm per eos, qui vitam principis veneno vel ferro petunt, sed & qui in vulgus spargunt de instante obitu principis, non ut solùm ejus splendor obscuretur, & detrahatur majestati, sed & ut læsio talis publicam perturbet tranquillitatem. Lott. *à n.* 94. Hinc expresè Urban. VIII. in constitutione sua, quæ est in Bullario 113. & incipit: *Inscrutabilis*, clericos beneficiatos hujus criminis reos (sive qui divinationis prætextu ex astris, aut aliis hujusmodi imposturis, de salute, vita & morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejúsque consanguineorum usque ad gradum tertium inclusivè, vel aliter de mutatione statûs Reip. enuntiant, aut hujusmodi enuntiantes ariolos, aruspices, vaticinatores, astrologiam exercentes consuluerit, sive eorum judicia proguostica, prædictiones, etiam sibi oblatas receperit; illisq; quomodolibet usi fuerint, vel scienter apud se retinuerint, &c.) inter ceteras pœnas huic privationi beneficiorum ipso jure incurrendæ subjacet. Lott. *à n.* 95. insereus ad fusum dictam illam constitutionem. Tertiò: hoc crimen committunt, seu maximè lædunt majestatem Pontificis summi, quà princeps temporalis est, eodémque contextu labefactant securitatem Reip. qui prætexendo causas apparentes persuadent Papæ alienationem alicujus partis temporalis ditionis contra decretum Symmachi *c. non liceat.* 12. *q.* 1. cùm vel sic redditur princeps despectus populo, & maximè iis, qui quasi servi & mancipia alienantur. Lott. *n.* 103. Hinc Pius V. in Constitutione sua, quæ est in Bullario 35. & incipit: *admonet nos*, tales declaravit reos læsæ majestatis, & perduelles, & inter alias subjecit privationi beneficiorum omnium ipso jure incurrendæ. Hanc quoque Bullam verbotenus recitat Lott. Quartò: hoc crimen majestatis læsæ, quin & perduellionis committit, qui vel unius Cardinalis personam hostiliter fuerit insecutus, juxta *c. felicis. de pœnis in* 6. & hinc jure ipso privatus existit beneficiis, pœnâ hac respiciente in hac hostili insecutione dictum crimen perduellionis (quippe Cardinales lateri Pontificis immo-

immediatè adhærentes, dicuntur unum cum hoc suo principe efficere spiritum) non autem sacrilegium, dum pro sacrilegio, ùt dictum, pœna hæc privationis nullibi statuta, nisi in certis casibus; puta percussione Episcopi, occisione vel mutilatione Rectoris Ecclesiæ juxta dicta superiùs. Lott. *n.* 109. & *n.* 110. Quam pœnam Leo X. in constitutione sua in Bullario 16. extendit ad eos, qui dum habentur comitia pro eligendo Papa prætextu assumptæ personæ alicujus Cardinalis in Pontificem, in illius ædes irruerent, ùt aliàs fieri consueverat. Nec non ad eos, qui sceleris hujusmodi essent quovis modo participes, aut fautores. Lott. *loc. cit. nu.* 109. Quintò: hoc crimen perduellionis non minùs incurrit is, qui magistratum aliquem, quàm qui personam ipsius principis offenderet; consistente hâc offensâ magistratûs in eo v.g. quòd quis ejus auctoritate spretâ lites ac controversias, sive criminales, sive civiles foro velit dirimere, aut provocando ad singulare certamè adversarium, aut vindictam propriis manibus, etiam contra innocentes sumendo. Lott. *à n.* 117. Unde emanavit Constitutio Pij IV. quæ in Bullario est 21. per quam declarantur duellantes omnes criminis majestatis rei, & quæ obtinent beneficia Ecclesiastica, ipso jure ijsdem privati, ità ut, qui ex hoc capite impetraret, minimè teneatur probare formalitatem duelli, ùt Farinac. *in pra. crim. q.* 119. *n.* 24. Lott. *n.* 119. Item Constitutio Pauli II. quæ est in Bullario 4. contra sumentes vindictam, quam transversalem vocant, quos eodem reatu, eisdémque, quibus duellantes, pœnis teneri declarat; cùm tales per violentiam hanc & factiones turbent publicam tranquillitatem; Lott. *n.* 120. Item Constitutio Pij V. 145. declarans eos reos læsæ majestatis, & privatos ipso jure omni beneficio officióque Ecclesiastico, qui deferunt arma Sicariorum, dum per hoc resultat trepidatio inter cives; nec tuti sunt sub auctoritate Magistratuum, necesse est securitatem, & tranquillitatem maximè per hoc turbari. Lott. *n.* 121. & 122. Item, quia eadem magistratûs offensa contrahitur, & turbatur tranquillitas publica per hoc, quòd quis motâ judicialiter controversiâ adversarium suum, aut alterum pro eo litem sequentem aut procurantem, sive advocatum aut procuratorem, judicem, testem, Notarium, vel Scribam minis afficere, invadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios talia procurare aut exequi quomodolibet præsumeret; etiamsi mutilatio vel mors indè non sequatur: nec non qui eundem reciperet, defenderet, occultaret, eique consilium, auxilium, favorem publicè vel occultè, directè vel indirectè præstaret; hinc, inquam, hujusmodi omnes Alexand. VII. in Constitutione sua 11. decernit reos læsæ majestatis, & in consequens sententiam depositionis à quocunque honore, dignitate, ordine, officio & beneficio ipso facto incurrere. Lott. *n.* 123. dicens, quòd Constitutio hæc habita semper pro materia favorabili; & hinc quamvis loquatur de causis pendentibus in Curia Romana, complectatur tamen etiam factum hujus violentiæ non tantùm extra Curiam, sed etiam extra statum Ecclesiasticum, modò tamen occasione litis pendentis in Curia commissum; & cùm verbum illud *præsumeret* denotet dolum, & temeritatem, illum, qui impetraret innixus huic Constitutioni, deberet talem dolum & temeritatem probare, tradit Lott. *n.* 124. subjungens *n.* 125. dolum hunc, ac ità præsumptionem & temeritatem excludi, si appareat de alia causâ quàm litis, cùm sicut aliâ causâ non apparente, præsumitur offensa facta occasione litis, ità aliâ causâ cessante, cessat hæc præsumptio, vide de his eundem Lott fusè. Item quia apertiùs in Magistratus insurgeret, qui eorum jussu apprehensus se in alicujus potentis ædes proriperet, Franchisiam acclamando, hic unà cum defendentibus & eximentibus eum per Constitutionem Julii III. 17. & pluries in Constitutione Greg. XIII. 11. declaratur reus læsæ majestatis in primo capite, hoc est, perduellionis; & si beneficiatus fuerit, subjicitur pœnæ privationis beneficiorum ipso jure. Lott. *n.* 140. subjungens *n.* 141. idem esse in Constitutione Greg. XIII. 65. innovatoria Constitutionis 37. Leonis X. & 27. Pij 4. de receptatoribus capitaliter bannitorum, vel receptionem curantibus, vel capturam eorundem impedientibus, captósve eximentibus, vel ipsis judicibus eorúmve ministris eos persequentibus, offendiculum aliquod objicientibus. Denique crimen læsæ majestatis pœnásque pro eo statutas incurrit, qui Imperatoris (idem, etsi fortè magis specialiter de Imperatore ob majorem ejus cum sede Romana confœderationem seu connexionem, videtur esse in alio supremo Principe feudum Ecclesiæ recognoscentis, ùt Lott. *cit. q.* 30.) Majestatem offenderet, non quidem directè, sed per quandam consequentiam; nimirum vi dictæ confœderationis (de qua multa Lott. *in prima parte quæst. illius* 30.) ità ut læso Imperatore sic quoque læsa videatur majestas Papæ. Lott. *n.* 142. citans pro hoc Barth. Menoch. &c. occasione hujus,

Quæstio 226. *An igitur, & qualiter Clericus hoc crimen læsæ majestatis principis alicujus sæcularis, v.g. per proditionem patriæ vel Principis, vel falsificationem monetæ incurrere possit, & exinde prædictis pœnis subjici; cùm non sit subditus jurisdictioni sæculari seu laicali; siquidem ad hoc, ut crimen hoc committi possit, requiritur subjectio; ùt pluribus ostendit Martha de jurisdict.* p. 4. cent. 2. casu. 133. à n. 4.

1. REspondeo ad primum: Clericus offendendo majestatem principis alicujus supremi, committit hoc crimen, Lott. *cit. q.* 30. *n.* 144. citans Farinac. *ubi suprà q.* 112. & 232. Præpositi. *in c. in primis.* 2. *q.* 1. *n.* 3. Idque secundùm *c. si quis Laicus.* 22. *q.* 5. quod ait, à dictis AA. ad hoc ponderari & non esse paleam, ùt volunt aliqui, sed verum textum desumptum ex generali Concilio Toletano 16. *n.* 9. Et dato quòd sit palea, totum tamen decretorum librum unà cum paleis approbatum ab Eugen. III. tenent omnes, ùt Martha *loc. cit. n.* 32. Sed etsi ad dictum crimen requiratur subjectio, seu, ut quis sit subditus ratione originis, non tamen ratione feudi, ùt ostendit idem Martha. *l. c. à n.* 10. hæc tamen subjectio non necessariò respicit jurisdictionem laicalem seu imperii, seu non est subjectio, quâ clericus dictæ jurisdictioni subjacet; cùm per clericatum ab ea sit solutus; *c. cùm non ab homine. de judic.* & ibi DD. Covar. *pract. qq. c.* 31. *ex n.* 1. Surd. *consil.* 301. *n.* 16. Suar. *in clyp. fidei. cath. l.* 4. *ex c.* 3. *per tot. eum librum*, sed respicit subjectionem respectu participationis Reip. & integritatis corporis illius, semélque

præstiti juramenti fidelitatis, cujus nexus nihil habet commune cum jurisdictione. Lott. *à n.* 147. Neque enim laicus effectus clericus per clericatum desinit esse civis vel pars populi ac Reip. nec districtualis. Lott. *à n.* 150. citatis pluribus.

2. Respondeo ad secundum: ob læsam majestatem principis secularis (saltem præscindendo ab isto effectu dictæ confœderationis illius cum Sede Apostolicâ, ùt Lott *n.* 155. non videtur quis ipso jure esse privatus beneficiis; cùm *cit. canon. si quis laicus.* non utatur verbis, quæ sententiam juris important, & dum dicit, & statuit, ut clericus conjurans contra principem degradetur & deponatur, intelligitur communiter de degradatione verbali. Lott. *cit. n.* 55. Martha *loc. cit. à n.* 31. quin & *n.* 34. ex Afflictis subdit, se nunquam vidisse clericos privari beneficiis ob rebellionem commissam in Dominum secularem. Item esse arbitrarium Episcopo, an velit illum privare beneficiis; quia non reperitur in jure certa pœna diffinita contra clericum rebellantem adversùs Dominum temporalem. Ac denique *n.* 35. quòd tanta posset esse injuria illata principi per clericum, ut posset privari beneficiis. De cetero illum esse deinceps inhabilem ad beneficia, quia infamis. Addit quoque Lott. quòd si judex laicus laicum damnet majestatis læsæ, non propterea eum censeri privatum jure patronatûs; citat pro hoc Gl. *in Clem.* 2. *de sent. & de re judic. v. subjectæ.* & Rotam *in Agathensi jurisp.* 4. *Martij.* 1602.

Quæstio 227. *Quis sit competens judex in cognoscendo crimine læsæ majestatis respectu Clerici?*

Respondeo: Non esse alium, quàm judicem Ecclesiasticum. Argumento *c. si laicus.* Lott. *n.* 153. citans Gigas de crimine læsæ majest. Rubric. *de crim. læsæ majest. cognosc. post n.* 12. Farinac. *q.* 8. *n.* 29. Martha *loc. cit. n.* 27.

Quæstio 228. *An, & qualiter hæresis inducat privationem, seu vacationem beneficiorum?*

Respondeo: Ob hæresin incurritur privatio beneficiorum jam obtentorum, seu præhabitorum ante hæresin ipso jure. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 34. *n.* 4. Castrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 3. §. 8. *n.* 2. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *nu.* 32. Gonz. *gl.* 15. *n.* 65. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 1. Lott. *l.* 3. *q.* 28. *n.* 28. & 32. ubi multos pro hac sententia refert Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 60. citans quàm plurimos. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 14. *n.* 46. contra Alphon. de Castro. *tr. de justa hæretici punit. l.* 2. *c.* 6. Simancam *tr. de cathol. instit. tit.* 46. *n.* 72. Lopez ad Diaz. *in pr. crim. l.* 3. *c.* 13. *q.* 8. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. privatio. &c.* tenentes, hæreticum solùm venire privandum per sententiam; eò quòd nusquam in jure inveniatur hæc pœna constituta verbis significantibus sententiam ipso jure, quorum sententiam in rigore juris disputando posse defendi, censuit teste Lott. *loc. cit. n.* 24. Barb. *de offic. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *& in collectan. ad c. ad abolendam. n.* 6. Sed neque responsio nostra ultra manifestam juris rationem destituitur textibus hanc pœnam privationis ipso jure irrogantibus. Lott. *cit. n.* 28. Nam præterquam, quòd pro eo allegetur à Coras. *de benef. p.* 2. *c.* 4. Azor. *loc. cit.* Rossinian. Duareno, & aliis textus *c. cùm secundùm. de hæretic. in* 6. In quo licèt nullâ mentione beneficiorum factâ, solùm bona hæreticorum ipso jure confiscantur; verbo tamen *bonorum* comprehendi etiam beneficia Ecclesiastica, ex Rebuff. *in pr. tit. de simon. in resig. n.* 31. & Quintadven. *l.* 2. *Eccles. n.* 3. & 93. tradit Garc. *n.* 66. addens, quòd quamvis in beneficiis locum non habeat confiscatio; quia tamen sunt transitoria ad fiscum, habere tamen locum privationem. Item à Gonz. Azor. Quintad. Parisio, & aliis allegatur textus, *c. ad abolendam. de hæretic.* ubi; *omni officio & beneficio spoliatus Ecclesiasticus, secularis relinquitur arbitrio potestatis.* Quominùs tamen verbum illud *spoliatus* importat executionem, & hinc denotet privationem ipso jure facere verba illa immediatè præcedentia: *totius ordinis Ecclesiastici prærogativâ nudetur*; quæ important privationem per sententiam; tradit Garc. *n.* 64. præter hos textus, aliósque similes, est clarissima desuper constitutio Nicol. III. 5. Non. Martii. 1280. quæ incipit: *Noverit universitas.* ubi sic dicitur. §. 21. *hæretici autem & receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorúmque filii usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur, quòd si secus autem fuerit, decernimus irritum & inane; nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis, volentes, ut tales & habitis perpetuò careant, & ad similia nequaquam imposterum admittantur*; ubi verba illa: *ex nunc privamus:* hujusmodi esse privatos ex sententia juris, seu ipso jure denotant; quippe quæ præveniunt quamcunque judicis declarationem: Lott. *n.* 29. citans Suar. *de ll. l.* 5. *c.* 7. *n.* 7. Sayr. *in clav. reg. l.* 3. *c.* 8. *n.* 27. Monet. *de distrib. p.* 3. *q.* 7. *n.* 37. Barbos. *claus.* 118. *n.* 7. Porrò hanc Constitutionem, licèt non sit inserta libro 6. decretal. non esse tamen per procœmium istius libri 6. abrogatam, ait Garc. *n.* 7. cùm constitutiones editæ super negotio hæreticæ pravitatis non contrariæ constitutionibus ejusdem libri 6. reserventur *in c. fin. de hæretic. eodem lib.* ut notat Gl. *in cit. procem. v. reservantur.* Est item constitutio Pauli IV. in Bullario 19. edita 15. Kal. Martii 1559. & incipit: *cùm ex Apostolatûs officio*, quâ diffusiùs & expressiùs istiusmodi inter alias pœna privationis ipso jure talibus irrogatur. Ejusdem tenorem ad fusum vide quoque apud Lott. *à n.* 34. Proinde non obstat responsioni nostræ *c. ut commissi. de hæretic. in* 6. ubi inquisitoribus & Episcopis Bonifacius VIII. indulget facultatem istiusmodi privandi, vel privatos denunciandi beneficiis Ecclesiasticis, siquidem hoc canone posterior est dicta Constitutio Pauli IV. Quin & optimè concordat cum dicta Constitutione Nicolai III. quâ posterior est iste canon; quippe quòd in eo de privatione facienda dicitur, refertur ad spoliationem de facto; quandocunque enim canon mandat aliquem spoliari beneficio, necessariò supponit eundem jam privatum à jure, refértque eam spoliationem ad executionem de facto. Lott. *à n.* 30. juxta doctrinam Butrii *in cit. c. ult. de postul. sub n.* 15. quam doctrinam Butrii passim ab Auctoribus recipi, & speciatim à Rebuff. *tr. de pacif. possess. sub n.* 228. ait Lott. *n.* 31. De cetero in hoc casu hæreseos semper exigi sententiam declaratoriam criminis, antequam deveniatur ad spoliationem de facto juxta *c. cùm*

cum secundùm, de hæretic. in 6. tradit idem Lott. *n.* 37. citans Burſatt. *conſil. 14. n. 18. l. 1.* Surdum. *deciſ. 247. n. 2.* Et ſic, licet ante hujuſmodi declaratoriam poſſunt beneficia veluti vacantia impetrari, ante hanc tamen non teneri hæreſeos poſtulatum abdicare poſſeſſionem, tradit Barboſ. citatis Pariſ. *l. 1. q. 3. n. 2.* Sanctarell. Decian. &c. Lott. *n. 38.* citans Menoch. *de arbit. cap. 416. n. 62.* Sanch. *in ſum. c. 26. n. 1.* & plures apud Barb. *in collect. ad c. ad abolendam. n. 8.* ac dicens, ſic declarari à Suar. etſi is viſus ſentire contrarium. *Tom. 1. in 3. p. d. 43. ſ. 1. n. 4.* unde ſequitur, non poſſe proviſum ex hac vacatione poſſeſſionem capere, intruſo non citato & negotio cum eo diſcuſſo. Lott. *n. 39* cit. Gomeſ. *ad reg. de annali. q. 52.* & Rotam. Quod verò attinet irregularitatem, adeóque inhabilitatem, quam incurret hæreticus ad obtinenda beneficia, de hoc vide Garc. *à n. 80.* & dicta à nobis aliàs *de electione.*

Quæſtio 229. An comprehendantur dictâ pœnâ privationis ipſo jure hæretici occulti, & qui mox ab hæreſi reſipiſcunt?

1. REſpondeo ad primum: indubitatum eſſe non incurri eam pœnam per hæreſin ſolâ mente conceptam, cùm Eccleſia occulta mentis peccata non puniat. Azor *citato c. 17. §. primò quæritur.* Sed neque dum hæreſis eſt exterior, ſed occulta, incurritur hæc pœna ſecundùm quoſdam, ùt tacito eorum nomine refert Azor *ibidem*; ſed ſolùm ob hæreſin manifeſtam; vel per ſententiam judicis, vel evidentiam facti, vel propriam rei confeſſionem in judicio (quippe manifeſtus hæreticus dicitur, ſecundùm gl. *in c. ad abolendam.* qui ſe talem eſſe profitetur, & aſſerit; vel qui pro tali damnatus eſt, vel qui prædicat dogma hæreticum, aut aſſerit vel defendit) contrarium ſentientibus aliis apud eundem Azor.

2. Reſpondeo ad ſecundum: delictum illud hæreſeos pro incurrendis pœnis non conſumitur in errore contra fidem, ſed in pertinacia. Lott. *n. 40.* citans Turrecrem. *in c. dicit Apoſtolus. ex n. 5.* Cardin. *in c. excommunicamus. il primo de hæreticis. n. 2. & 3.* Farinac. *de hæreſ. q. 173. n. 16.* C. Pariſ. *conſ. 1. n. 199. l. 4.* Hinc impediri hunc incurſum pœnæ, ſi è veſtigio, ut quis de hæreſi arguitur, ſponte errorem ſuum recognoſcat; cùm talis inſimulatus è veſtigio reſipiſcens eo ipſo cenſeatur reverſus ad priſtinum ſtatum; & per pœnitentiam reincorporatus Eccleſiæ, ante ſententiam declaratoriam non ſit hæreticus, & ſic impediatur ſententia illa declaratoria; Lott. *n. 48. & 41.* remittens ad Rebuff. *in pr. p. 3. in principio. ex n. 5.* ubi ponit requiſita ad hoc, inter quæ requiſita illud eſt ait poſtulatus hæreſeos mox agnoſcat errorem ſuum, poſitivè fatendo delictum; nam de cetero ad effugiendam pœnam illam non ſufficere, quòd, ubi quis citra propriam confeſſionem diceret omnia quæ ſibi adſcribuntur, ſe non eo ſenſu feciſſe vel protuliſſe, ut diverſus ab Eccleſia abiret, ſed ſemper credidiſſe & credere, quidquid credit S. mater Eccleſia (poteſt ſiquidem non confeſſus condemnari) tradit *ibidem* Lott. *n. 42. & 43.* Qui etiam indè infert *n. 49.* talem hæreticum mox, ut inſimulatus, reſipiſcentem juvari regulâ de annali, eò quòd nondum ſecutâ declaratoriâ ſuper pertinaciæ facto, nihil ſit, quin regula locum habeat; quippe quæ contentatur ſimplici detentatione de facto, cui detentationi, quò minùs hæreticus incumbat, nihil contrarium à jure deciſum; malè autem ex eo ſenſiſſe Sarnenſem, fauturam quoque regulam Judæis & fœminis detinentibus beneficia, rectè oſtendit Lott. *n. 55.* nam quòd quis ſit judæus vel fœmina, eſt notorium per demonſtrationem facti permanentis, & ſic per evidentiam: Unde & conſequitur incapacitas perſonæ, etiam quoad ſimplicem detentationem, quod applicari nequit hæretico nondum declarato per ſententiam. Econtra non favere hanc regulam poſtquam talis per ſententiam declaratur, eò quòd regula non defendat eum, de cujus non titulo conſtat notoriè; ſed ſatis notoriè conſtat de non titulo hæretici declarati per ſententiam tradit Ricciullus *de jure perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium. l. 5. c. 19. n. 17.* apud Lott. *cit. n. 55.*

Quæſtio 230. An, & qualiter dicta pœna privationis comprehendat receptatores & fautores, & filios hæreticorum?

1. REſpondeo ad primum: quidquid ſit de jure communi decretalium, in quo nihil de privatione ipſo jure horum receptatorum &c. ſed ſolùm eos privandos per ſententiam beneficiis obtentis ante hæreſim, & privatos nunciandos illis, quæ poſt hæreſin obtinuerunt. Garc. *loc. cit. n. 68. & 69.* Jure tamen ſpeciali & novo, nimirum ſtante dictâ Conſtitutione Nicolai III. & Pauli IV. dubium non eſt, comprehendi quoque receptatores, fautores, & defenſores hæreticorum (qui ùt Caſtrop. hæreſeos ſuſpicionem juridicam contrahunt) Garc. *loc. cit.* Azor. *loc. cit.* Lott. *n. 36.* contra Caſtrop. *loc. cit. n. 2.* Covar. *l. 2. variar. c. 8. n. 4.* & qui de hoc dubitavit, Sanch. *cit. c. 36. n. 16.* de quibus ait Lott. eos id nunquam revocaturos in dubium, ſi obſervaſſent ſeu reflexiſſent ad illam Nicol. III. conſtitutionem.

2. Reſpondeo ad ſecundum: filii hæreticorum uſque ad ſecundam generationem, ùt ſtatuitur *c. 2. de hæreticis in 6.* ab Alex. IV. (quod ipſum in *c. ſtatutum. eodem tit. & lib.* à Bonifacio octavo extenditur quoque ad deſcendentes per lineam fœmininam uſque ad primam tantùm generationem, dum priùs ante hanc decretalem ne quidem filii mulieris hæreticæ huic pœnæ ſubjicerentur) non ſolùm inhabilitantur ſimpliciter ipſo jure vi dictorum textuum ad omnia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Lott. *n. 59.* Idque ſive legitimi, ſive illegitimi, ne plus conſequatur luxuria, quàm caſtitas. Lott. *n. 71.* citans Sanch. *in ſum. l. 2. c. 27. n. 1.* Surd. *conſ. 386. n. 6.* Barb. *ad c. cit. ſtatutum. n. 14.* Item ſivè ſint nati ante commiſſum delictum, ſive poſt illud. Lott. *n. 72.* citans Menoch. *de præſump. l. 5. præſump. 33. n. 14. & n. 73.* ſubjungens ex Sanch. *cit. c. 27. n. 28.* Ad hoc nihil exigi, quàm quòd in judicio legitimè conſtet, parentes fuiſſe hæreticos, vel fautores, defenſores aut receptatores eorum, & cum hac qualitate deceſſiſſe (ſecus enim eſt, ſi conſtaret eos, antequam decederent, emendatos, & reincorporatos Eccleſiæ unitati. ùt Lott. *n. 74.* nullâ etiam factâ in hoc diſtinctione inter relapſos & non relapſos, ùt pluribus oſtendit Lott. *n. 77.*) quantumcunque non probetur eos ſuper hæreſi non fuiſſe ſententiatos; dummodo hoc notoriè liqueat, id eſt, per evidentiam facti, vel ex propria judiciali confeſſione. Vide de hac inhabilitate ad obtinenda plura dicta à nobis in 1. part. ubi de qualitatibus requiſitis in beneficiato. Verùm etiam privati videntur jure ipſo beneficiis præhabitis. Lott. *n. 81.* dicens in hoc modò

dò sublatam esse omnem dubitationem, per dictam Constitutionem Nicol. III. (quam postmodùm innovarunt aliæ aliorum Pontificum constitutiones; ut Rota fusè *decis. 123. p. 2. recent. n. 16.* ubi etiam *n. 12.* id extendit ad pensiones ex lata significatione tantùm beneficii) sic in individuo decidentis; cùm relativum illud, *prædictos*, ùt Lott. *n. 86.* nimis notæ sit significationis, ut repetat omnia expressa cum suis qualitatibus. Tenent eandem Garc. *n. 72. & 74.* citans pro ea Jo. And. Dominic. Franc. & Auctores passim *in c. ut commissi*; Gigas *de crim. læsæ majest. l. 7. tit. de pœnis, quas filii incurrunt; q. 11. n. 3.* Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. q. 9. a. 6. n. 7.* qui etiam illud ad pensiones priùs obtentas à filiis hisce extendit juxta decis. Rotæ paulò pòst citand. & *n. 77.* dicens, hanc sententiam tanquam magis de jure veram & communiter receptam amplexam esse Rotam, *in Conchens. pension. 6. Martii. 1568.* quam quia, ùt ait, optima, & hanc sententiam exactè probat, ad fusum subjicit *n. 79.* In qua decisione Rota priùs præmirtit, prout necessariò ad hanc sententiam defendendum, supponendam ait conclusionem communiorem, nempe filios natos ante hæresin patris, pœnis canonicis affici & comprehendi; prout id ipsum defendunt Gomes. *to. 3. variar. c. 2. n. 16.* Menoch. *de præsumpt. l 5. præsump. 33. n. 17.* Gutt. *can. qq. l. 2. c. 30. à n. 37.* Roxas. *de hæretic. p. 2. n. 354.* Lopez. Penna, Velasq. & alii apud Covar. *l. 2. variar. c. 8. n. 5.* contra Molin. *de primogen. l. 4. c. 11. n. 55.* Ugol. *de irreg. c. 36. §. 1. n. 6.* Molin. *de just. to. 3. d. 658. n. 21.* Rodriq. *in sum. to. 1. c. 129. n. 5.* Ledesm. Cevall. & alios apud Garc. *n. 78.* Nihilominùs sententiam contrariam, nempe quòd filij & nepotes hæreticorum non sint privati, nec privandi beneficiis antè obtentis tenent Abb. Felin. *in c. vergentis.* Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. n. 25.* Covar. *ubi antè n. 4.* Tolet. *in sum. l. 1. c. 69. n. 9.* Suar. *to. 5. d. 43. sec. 3. n. 2.* Tholosan. Aufrerius & alii apud Garc. *n. 75.* Quin & Lott. *n. 90.* ait, se existimare respectu descendentis per fœminam, etiamsi sit in primio gradu, nimirum filius matris hæreticæ, nunquam censeri aliquem privatum ipso jure beneficiis ex Constit. Nicol. III. utpote quæ loquitur de descendentibus ex masculo; & licèt masculinum concipiat aliàs seu comprehendat fœmininum, maximè dum agitur de nomine communi utrique sexui, etiam in materia stricta, odiosa & pœnali, ùt latè Tiraq. *de retract. ligna 9. §. 1. gl. 9. ex n. 205.* & tamen militat eadem ratio respectu matris, quæ respectu patris in afficiendo eâdem pœnâ filium; dum nimirum filius, ùt suadet ratio naturalis, fœminâ non concurrente ad generationem, magis assimiletur patri, cujus pars est & natura, ut Aristot. minùs impellat filios in mores maternos, quàm paternos; quod tamen sœpè fallit. Lott. *à n. 90. juncto n. 66. & 69.* Nec obstat quòd *cit. cap. statutum.* expresè comprehendat filium matris hæreticæ: nam textus ille tantùm loquitur de inhabilitate ad obtinenda, quam ob atrocitatem criminis ad talem filium extendit; non verò de privatione ipso jure jam obtentorum. Lott. *n. 94.* articum hunc, nimirum, quòd filius matris hæreticæ non incurrat hanc privationem, non esse omnino clarum; & siquis impetraret beneficium talis ex suppositione hujusmodi privationis ipso jure ob hæresin maternam, satis fundare intentionem suam super implicita declaratione istius dubii factâ per Papam, cui circa modum vacandi ex juris dispositione omnino stat; quantumcunque enim crimen, quod supponitur, non inducit vacationem ipso jure, si tamen in literis apostolicis aliud innui videatur, stat literis, & sustinetur veritas talis vacationis in assertione Papæ juxta celebre Ancharani consilium *293. ex n. 6.* quod secuta fuit Rota, & Felin. *in c. 2. de rescrip. n. 4.*

Quæstio 231. An, & qualiter eadem pœna privationis ipso jure beneficiorum obtentorum comprehendat quoque apostatas & schismaticos?

1. REspondeo ad primum: de apostasi, intellige à fide christiana, idem dicendum, quod de hæreticis; nimirum, quòd ipso jure amittant omnia beneficia; cùm & ipsi sint hæretici, & plus quàm hæretici. Azor. *p. 2. l. 7. c. 17. q. 1.* Gonz. *gl. 15. n. 66.* Garc. *n. 147.* ubi citat Abb. *in c. 1. de apostat. n. 3.* Rebuff. *in pr. tit. de modo amitt. benef. n. 47. & 149.* quàm plurimos alios. Secus verò est de aliis apostatis, puta à religioso Ordine; quia hæc pœna in illos lata nullibi in jure exprimitur; Garc. *n. 148.* Rebuff. *ubi antè.*

2. Respondeo ad secundum quoque affirmativè: Azor *ubi antè.* Rebuff. *loc. cit. n. 29.* Paris. *l. 3. q. 1. n. 36.* Lott. *cit. q. 28. n. 35.* inquiens illos, qui negarunt sententiam privationis ipso jure porrigi ad schismaticos, non tam facilè id negaturos fuisse, nullibi id cautum, si attendissent ad Constitutionem Pauli IV. suprà citatam. Negat tamen id ipsum de schismate non conjuncto cum hæresi Garc. *n. 151.* eò quòd nullibi sit expressum, talem privari ipso facto; cùm textus, qui afferri solent, nimirum *c. nos consuetudinem. 12. dist.* loquatur de hæreticis; *c. quia diligentia. De elect.* verò non agat de privatione antè obtentorum; veruntamen constitutio illa Pauli IV. loquitur indistinctè de schismaticis, de cetero, an & qualiter schismatici incurrant excommunicationem, & nequeant, etiamsi ad unitatem Ecclesiæ redierint, sinè dispensatione imposterum obtinere beneficia, vide Garc. *à n. 153.*

Quæstio 232. An, & qualiter pro justificatione hæreseos sufficiat impetrantem ostendere latam contra talem sententiam contumacialem?

REspondeo: id ipsum non sufficere (utì nec talis sententia contumacialis contra patrem lata nocet filio in ordine ad dictam pœnam incurrendam; Lott. *n. 98*) nisi hæresis antecedenter positivè probata fuisset; tunc enim absens non tam dicitur condemnatus propter contumaciam, quàm propter malam causam. Lott. *cit. q. 28. n. 99.* vel nisi per incrementum contumaciæ simplex suspicio criminis transierit in violentam præsumptionem ex annali tolerantia censurarum. Licèt enim esse possit talem contumacem etiam in veritate non esse hæreticum, tamen propter contemptum, qui post annum contumaciæ superadditur, inducitur contra eum præsumptio juris, & de jure, ità ut omnes pœnas hæreticis inflictas sustinere debeat, ùt Hostien. *in c. excommunicamus. sub n. 3.* modò tamen ab initio tanquam suspectus, excommunicatus & monitus se purgare, intrà annum id non curârit. Lott. *à n. 101.* qui tamen addit *n. 104.* quòd si, dum pendet annus, alteri beneficium conferatur, ipse verò mox abjuret, & absolvatur, recuperet beneficium, cùm talis abjuratio censeatur purgativa; ùt Achill. *decis. unica de hæretic. n. 1.*

Quæst.

Quæstio 233. *An, & qualiter vacent beneficia obtenta ad preces hæreticorum?*

REspondeo: vacare illa ipso jure, Barb. *juris Eccl. l.3. c.14. n.50.* citans *c.2. de hæretic. in 6.* Azor. *p.1. l.3. c.18.* Chok *ad reg.8. gl.7. n.13.* Vivian. *in pr. juriſp. l.5. c.5. n.69.* Gonz. *gl.15. n.68.* addens illos, qui scienter illa receperint, præter amissionem seu vacationem illorum beneficiorum, ipso jure effici inhabiles ad alia obtinenda per eundem textum *citati capitis 2.*

CAPUT QUARTUM.

DE VACATIONE PER RESIGNATIONEM, SEV DE RESIGNATIONE BENEFICIORVM &c.

PARAGRAPHVS I.

Quid & quotuplex resignatio, quæ ejus vis ad inducendam vacationem, revocationem procuratoris, amissionem fructuum, liberationem ab oneribus beneficio impositis, item quoad pariendum jus vel obligationes & præjudicia resignatario, &c.

Quæstio 234. *Quid sit resignatio seu renunciatio beneficii?*

1. REspondeo: est dimissio spontanea proprii beneficii coram legitimo Superiore id acceptante. Laym. *ad tit. de renunc. ad initium.* Tond. *qq. benef. p.2. c.4. §.7. n.1.* Azor *p.2. l.7. c.19. q.1.* Paris. *l. 1. q. 1. n. 34.* nisi quòd hi omittant posteriores illas particulas, *id acceptante.* Paris. insuper addat: *facta ex justa causâ.*

2. Dicitur primò *dimissio*: quod est verbum proprium huic materiæ, utpote quo frequenter utuntur canones de beneficiorum renunciatione loquentes, ùt videre est ex *c. si beneficia. de præb. in 6.* Extravag. *Execrabilis* Paris. *loc. cit. n.42.* & stat loco generis, utpote complectens quemcunque actum, per quem quis proprium jus à se abdicat, idque tam in spiritualibus, quàm temporalibus. Paris. *n.40.* Idémque est, & sonat, quod *depono, relinquo,* seu *derelinquo,* ut Paris. *n41.* Item quod *cedo, depono.* Azor. *loc. cit.* Castrop. *de benef. tr.13 d.6. p.2. §.1. n.1.* Et verba hæc *resignare, renunciare, cedere,* in præsente materia, confunduntur, & sumuntur pro eodem. Paris. *n.71.* Quamvis aliàs *renunciare* potiùs quàm *cedere,* denotet liberè & nemine compellente factam depositionem, seu derelictionem beneficii; unde & renunciatio beneficii sit necessariò coram Superiore; non item simplex cessio; Laym. *ad c. quidam. de renunc. n.2.* quin &, ut Tond. *loc. cit. dimissionis nomen non nisi sumptum latiùs, comprehendat resignationem permutationis gratiâ, seu in favorem alterius: strictè vero sumptum simplicem desertionem beneficii significat.* Qualiter autem de cetero verba hæc, *cedere, resignare* sint æquivoca in aliis materiis, vide apud eundem Paris. *n.67. & 68.*

3. Diciter secundò: *spontaneæ vel liberæ*; debet quippe fieri sponte & liberè, & esse actus voluntarius, ut Lamb. *de jurep. l.1. q.6. a 6. n.21.* Paris. *n.43. & 46.* & sic per hoc verbum excluditur vis, dolus, metus, & omnis coactio; dimissio enim coacta non est propriè cessio. Paris. *n.44.* estque resignatio coacta nulla; actus autem nullus propriè non est actus; juxta *l.2. §. condemnatum. ff. de sent. & re judic.* Paris. *n.45.* Item excluditur per verbum illud legitima privatio; dimisso enim quæ sit, lege in pœnam delicti cogente relinquere beneficium, non est spontanea, Paris. *n.47.* Engels *ad tit. de renunciatione. num.1.*

4. Dicitur tertiò: *beneficio proprii* seu obtenti, hoc est, in quo quis jus habet; nemo enim juri alieno, vel juri, quod non habet, cedere vel renunciare potest. Paris. *à n.50.* Hinc etsi quis renunciare possit jure sibi quæsito per Electionem, vel præsentationem, non est ea tamen renunciatio beneficii, sed solùm juris ad beneficium; & talis juris dimissionem potiùs cessionem, quàm renunciationem dici posse; si veram & propriam verbi significationem attendamus, ait Barbos. *juris Eccl. l.3. c.15. n.3.* Et qui dimittit possessionem beneficii, quo jam jure ipso privatus est, sivè in quo jus nullum ampliùs habet, non est dimissio beneficii, de qua hic.

5. Dicitur quartò: *facta coram legitimo Superiore*; requiritur enim ad valorem resignationis (intellige expressæ) ut fiat coram legitimo Superiore, & facta sinè auctoritate Superioris nullius est momenti. Barbos. *loc. cit. n.16.* ex Paris. *l.7. q.1. n.9.* de quo plura inferiùs.

6. Dicitur denique; *& ab eo acceptata,* siquidem resignare propriè, seu beneficium & munus serviendi Ecclesiæ à se abdicare, non consistit in sola beneficiarii voluntate, sed simul ad Prælatum spectat; utpote cujus est, ponderatis omnibus inspicere, utiléne sit Ecclesiæ dimissionem admittere, an repudiare? dum in collatione initus quidam quasi contractus, per quem beneficiatus obligatur Ecclesiæ, & hæc ad beneficiatum pro servitio alendum, astringitur, Barb. *loc. cit. n.14. & 15.* sed & de hoc inferiùs ex professo.

7. Verùm, ut data definitio comprehendat tam ex-

expressam quàm tacitam, verba ista posteriora *facta coram legitimo Superiore, & ab eo acceptata*, videntur potiùs omittenda ; cùm resignatio tacita non magis requirat auctoritatem Superioris, quàm cessio juris acquisiti per præsentationem vel electionem. Paris. *n.* 58. & 59. Quòd si etiam lubet breviùs definire resignationem, possit dici: *legitima beneficii dimissio*, quia, ut Barb. *loc. cit. n.* 2. *Tò legitima* videtur cetera comprehendere; dum excludit dolum, vim, & coactionem; dimissionem beneficii non sui, quin & factam coram non Superiore.

Quæstio 235. *Quotuplex sit resignatio?*

1. Respondeo, dividitur primò in tacitam, & expressam: resignatio tacita seu præsumpta est; quæ citra verba (intellige formaliter vel æquivalenter talia, qualia sunt scriptura & nutus) ex actu seu facto aliquo ad renunciandum accommodato à jure ipso inducitur per quandam juris interpretationem; ità ferè Barbos. *loc. cit. n.* 40. Paris. *l.* 1. *q.* 1. *n.* 10. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 3. & sic melius ea describitur, ut patebit ex paulò pòst dicendis, quàm si dicatur cum Az. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 1. Castr. *tr.* 13. *de ben. d.* 6. *p.* 2. *n.* 2. & aliis. Quòd sit ea, quæ ex juris dispositione inducitur, ob actum contrarium retentioni beneficii exercitum à beneficiato, sivè quæ jure fieri censetur absque ullis verbis expressis ; eò quòd ex ipsius juris interpretatione, & ex actu directè contrario retentioni beneficii per consequentiam colligitur, dum quis facit, quo posito, ex ipsius juris constitutione amittitur beneficium, seu retineri nequit, eidem tacitè seu ipso facto renunciare censetur. Atque ità exemplum tacitæ resignationis est, dum quis consentit suum beneficium conferri alteri. Lott. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 5. Paris. *loc. cit. n.* 23. qui *n.* 24 addit, idem esse in eo, qui patitur beneficium suum ab alio per triennium possideri. Neque tamen etiam in hoc casu mera taciturnitas & conniventia sufficeret ad constituendam tacitam resignationem; seu præsumendam resignationem ; sed requiritur factum extrinsecum consensum talem necessariò importans. Lott. *loc. cit. n.* 6. Item pro tali exemplo adduntur à Barbos. & Pirh. *ll. citt.* & aliis passim ex *c. transmissa. de renunciatione*; dum clericus bona sua, quæ Ecclesiæ sæculari, in qua beneficium obtinet, donârat (intellige citra hoc, quòd ea assignata in dotem beneficii, seu ex iis erectum beneficium) iterum repetit; ex tali enim repetitione colligitur, illum tacitè voluisse ipsi beneficio, quod in ea Ecclesiâ habebat resignare, uti constat ex citato textu *c. transmissa*. Repeti autem potuerunt ea bona donata Ecclesiæ, & ab ea restitui non de jure, sed facto, aut ex æquitate; quia fuerint donata solùm mortis causâ; vel sub conditione, si perpetuò in illa Ecclesia manerer; sivè accessoriè ad personam. Pirh. *loc. cit.* juxta gl. *in cit. c. transmissa*. & Abbat. *ibidem n.* 5. Econtra pro exemplo tacitæ resignationis minùs rectè assignari videtur à Paris. *loc. cit. n.* 11. Castrop. Azor. *ll. cit.* aliisque passim in beneficiato minorum Ordinum contrahente matrimonium, aliisque similibus; qui exercentes tales actus statui beneficiali necessariò contrarios, & quibus annexa ipso jure absque ulla alia declaratione vacatio beneficii, censentur hoc ipso beneficium dimittere. Barb. *loc. cit. n.* 38. cùm totum hoc (quod est separatio beneficiati à beneficio) in hoc casu non tacitæ beneficiati voluntati seu resignationi tribuatur, sed potestati & voluntati legis, potentis ac volentis, ut beneficiatus mox, ut contrahit matrimonium de præsenti, emittit professionem &c. jus omne, quod habet in beneficio, ipso jure amittat. Sed neque lex ista inducens hanc beneficii amissionem ipso jure fundat se in aliquo actu ad renunciandum ordinato seu accommodato, in quo intentio renunciandi verisimiliter deprehendatur; quod, ùt dictum, ad tacitam renunciationem necessarium est ; unde talis ex tali actu suo non tam probat conjecturam, seu facit præsumptionem, quòd velit renunciare beneficio suo; quàm velle se pati, seu paratum esse ad patiendum illam privationem, & amissionem beneficii sui, & sic non tam tacitè resignat quàm à jure privatur suo beneficio. Barb. *cit. n.* 38. Pari modo quia accipiens possessionem secundi beneficii incompatibilis cum præhabito per istam acceptionem possessionis non tam intendit resignare præhabitum, quàm pati illius amissionem & privationem à lege inductam; adeóque censeri non potest hoc ipso tacitè resignare præhabito ; sed potius à lege (indirectè tamen voluntariè; quia directè volita dicta possessió) privatus beneficio, ùt Nav. *in c. accepta. de restitut. spoliat. oppos.* 8. *n.* 4. Hinc inquam minùs rectè idipsum adducitur ab aliis auctoribus passim pro exemplo tacitæ resignationis Barb. *loc. cit. n.* 39. Patet quoque hæc differentia inter istiusmodi privationem & tacitam resignationem in eo, quòd quamvis beneficiatus talem actum retentioni beneficii contrarium committens protestaretur expressè, se per hoc non intendere dimittere illud beneficium ; protestatio illa nullius sit momenti, possitque beneficium illud, eâ non obstante tanquam vacans conferri. Econtrà verò valeret talis protestatio ad impediendam illam vacationem & collationem, si vacatio illius beneficii penderet à tacita voluntate protestatoris, & non ex sola juris dispositione. Barb. *loc. cit. n.* 14. Neque his obstat *Clem. gratia. de rescriptis*, ubi de tali capiente possessionem secundi dicitur, quòd videatur per hoc renunciare; nam, ut Barb. ex Nav. *loc. cit. n.* 7. à renunciatione exspectativæ, per quam quis solùm jus ad rem consequitur, non valet argumentatio ad renunciationes beneficii, seu juris in re, nempe in beneficio; dum etiam ex nudâ taciturnitate colligatur actus resignandi respectu juris ad rem; non verò juris in re. Lott. *cit. q.* 14. *nn.* 7. præterquam ùt idem Barb. si rectè expendantur verba *dictæ Clem.* neque de renunciatione tacitâ, neque de expressa intelligenda veniunt ; sed de quadam privatione à lege inducta; quæ quoad effectum, de quo loquitur *dicta Clem.* vim renunciationis habet, & hinc dicitur : *renunciare videris* : quod improprietatem denotare videtur. Porrò illud observandum, quod monet Pirh. *loc. cit. n.* 5. non facilè ex facto aliquo præsumendum, aliquem suo beneficio renunciasse; sed diligenter inquirendam talem ejus voluntatem præsumptam; siquidem nemo facilè juribus suis & commodis renunciare censetur. *c. verosimile. de præsumpt.* (præsertim beneficio multis fortè impensis & laboribus quæsito *c. super eo. de renunc.*) & nemo facili de causa donare, seu propria jactare præsumitur, juxta *l. cùm de indebito. ff. de probationibus*. renunciatio autem est remissio juris, adeoque species quædam donationis: Hinc, etiamsi quis ex literarum seu instrumentorum, in quibus continentur jura ejus, actiones debitorum, & similia &c. traditione, legatione, donatione censeatur per hoc resignâsse suo juri, donâsse vel legâsse tales actiones, ùt pluribus ostendit Pirh. *cit. nn.* 5. Nihilominus

lominus tamen si clericus literas provisionis sui beneficii tradidisset, nisi expressâ illâ intentione resignandi eas tradidisset Superiori suo, ut juri suo vel beneficio renunciaret, præsumendus non est, per hoc tacitè renunciâsse. Pirh. *ibid.* ex Tolos. *in institut. rei. benefic. c.* 28. *n.* 4. Vide apud eundem Pirh. *à nu.* 6. plura istiusmodi exempla invalidæ sive apparentis tantùm istiusmodi tacitæ resignationis. Resignatio expressa dicitur illa, quæ fit verbo vel scripto voluntatem renunciandi, seu liberè dimittendi beneficium declarantibus, juxta formam à jure præscriptam. Barb. *loc. cit. nu.* 42. Pirh. *nu.* 10. Azor. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Resignatio expressa subdividitur in puram, absolutam seu simplicem, & in conditionatam: pura est, quæ fit sinè ulla conditione, pacto, modo; dum nimirum quis beneficium suum simpliciter & purè in manibus Superioris dimittit, ut is, qui illud conferre habet, possit illud conferre, cui voluerit absolutè Barb. *cit. nu.* 42. Pirh. *n.* 11. dicens hanc esse propriè renunciationem. Paris. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 2. *ac n.* 5. dicens, hanc esse naturam resignationis, ut sit libera & pura, absque pactatione & modo, juxta *c. in transmissa. de renunc.* Resignatio conditionalis, seu non pura est, quæ fit sub certa conditione, conventione, vel modo. Auctores iidem. Et tales resignationes conditionatas, etsi olim tempore Alex. III. & Innoc. III. & Bonifacii VIII. & Clem. V. quando compilatæ fuerunt decretales & clementinæ, non essent in usu, & hinc in illis nulla fiat earum mentio. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 2. Gonz. *gl.* 14. *n.* 4. quin etiam etsi fortè olim reprobatæ à jure. Barb. *cit. loc. n.* 43. juxta gl. *in c. ex parte. de officio. deleg. v. dimittere.* Hodiedum tamen fiunt quotidie in manibus Papæ juxta stylum à multis jam seculis servatum. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 6. ex Navar. *in* manual. *c.* 25. *num.* 107. Barb. *loc. cit.* Et tales resignationes conditionales pendere potissimùm à voluntate Superioris, nempe Papæ, ait Paris. *ibid. n.* 13. auctoritate suâ & sententiâ excusantis simoniam, quæ aliàs iis à jure communi inducta inest. Barb. *loc. cit. n.* 44. De quo vide Azor. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 21. *q.* 1. in utramque partem disputantem, an contineat simoniam resignare beneficium coram Ordinario in favorem, seu sub ea conditione ut conferatur Titio, & non aliàs.

3. Hæ autem conditiones etsi multiplices esse possint, reducuntur tamen ferè ad hæc 4. capita. Primò, dum quis resignat, ut beneficium conferatur Titio, & non alter, & hæc dicitur resignatio in favorem, in qua resignatione etsi clausula illa, *& non aliàs*, non apponeretur, vocatur tamen, & est resignatio conditionalis; quia subintelligitur hæc clausula proinde in supplicatione non videtur necessaria. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 21. 22. *&* 24. Quin imò, dum quis coram Papa resignat non in favorem, sed absolutè, alter tamen in eadem supplicatione, quâ quis resignat, supplicat pro collatione, adhuc dici resignationem conditionalem in favorem; eò quòd, dum in eadem supplicatione unus renunciat, & alter supplicat pro beneficio resignato, omnia videantur correspectivè facta, ait Paris. *nu.* 23. *&* 24. citans pro hoc plures decis. Rotæ & Cassad. *decis.* 10. *n.* 10. *de concess. præbend.* qui etiam dicat, quòd, quando renunciatio fit in manibus Papæ, quomodocunque, sit concepta, videatur de stylo facta in favorem intelligendo juxta dicta, dum alter in eadem supplicat pro eodem beneficio. Secundò dum quis resignat eâ lege, ut resignatarius vicissim resignet sibi suum beneficium, & hæc resignatio, dicitur permutatio, quæ continet duplicem resignationem conditionalem. Tertiò: siquis resignet eâ lege, ut sibi beneficii fructus reserventur seu reddantur integri, seu ex toto, vel ex parte, vel reservando vel constituendo sibi pensionem aliquam annuam ex seu in beneficio, vel in persona resignatarii. In quo casu, dum quis nimirum resignat in favorem reservatâ sibi pensione vel fructibus, dici resignationem in favorem qualificatam; dum verò resignatur in favorem absque ulla reservatione, dici resignationem simplicem in favorem, ait Paris. *cit. q.* 2. *à n.* 31. Quartò: Si resignet quis eâ lege, ut regredi possit, sive resignet, reservato sibi jure regrediendi ad beneficium resignatum, dum resignatarius præmoriatur; vel etiam reservato jure ingressûs; hoc est, ut siquis collatum sibi beneficium antequam ejus possessionem accipiat resignet alteri eâ lege, ut si hic resignatarius præmoriatur resignans possit illud ingredi seu accipere ejus possessionem propriâ auctoritate: vel cum jure accessûs, hoc est, dum beneficium destinatum primò ob ætatem ejus adhuc incapaci resignatur, & confertur alteri tantisper eâ lege, ut post legitimam ætatem possit ipse propriâ auctoritate accedere & occupare tale beneficium, ùt Rebuff. *in pr. de resignationibus.* Pirh. *cit. n.* 11. Castrop. *loc. cit. n.* 3. Paris. *cit. q.* 2. *à n.* 15. An verò hi modi resignandi sub his & similibus conditionibus sint omnes liciti, & à jure approbati, dicetur infrà.

Quæstio 236. *Dum in dispositione aliqua fit mentio resignationis, quænam veniat resignatio?*

1. Respondeo: Nisi materia subjecta aliud postulet, venire solam simplicem, & non conditionatam resignationem. Gonz. *gl.* 14. *n.* 5. Hinc quando reservatur regressus, per cessum vel decessum alicujus, intelligitur de cessu puro tantùm, Gonz. *ibidem. n.* 7. citans Pute. *decis.* 314. *nu.* 1. *l.* 1. Item facultas uniendi beneficium primò vacaturum etiam per resignationem, v. g. quam Trid. concedit *sess.* 23. *c.* 18. intelligitur de resignatione simplici, & non de conditionali in favorem certæ personæ, ùt declaravit S. Gregor. Gonz. *n.* 8. *&* 9. Paris. *l.* 10. *q.* 7. *nu.* 17. Item privilegium supprimendi canonicatum primò vacaturum per cessum vel decessum non habet locum in resignatione ex causa permutationis; quia est cessus in favorem. Gonz. *n.* 12. ex Gabr. *cons.* 199, *num.* 1. *vol.* 2. Item privilegium concessum conferendi beneficia vacantia per cessum vel decessum non comprehendit vacantia per resignationem. Gonz. *à num.* 16. item reservatio vacaturi per resignationem procedit tantùm in vacatione ex simplici resignatione, & non ex conditionali ex causa permutationis, aut alterius conditionalis in favorem. Gonz. *n.* 13. citans Cassad. *decis.* 1. *n.* 1. *de rerum permutat.* & *n.* 29. citans Paris. *l.* 1. *q.* 4. *n.* 29. & Put. *decis.* 262. *n.* 4. *l.* 2. Item dum Trid. *sess.* 24. *c.* 18. dans facultatem uniendi beneficia vacantia per obitum, vel resignationem locum non habet in vacantibus ex resignatione in favorem. Gonz. *n.* 9. juxta declarat. S. Congregationis. Paris. *l.* 10. *q.* 7. *num.* 14. *&* 15. Item expectativa beneficii primò vacaturi non capit resignationem ex causa permutationis. Gonz. *n.* 15. juxta *c.* 1. *de rerum permutat. in* 6. Et horum

omnium ratio est, quia resignatio in favorem est conditionalis, adeóque nisi conditio impleatur, & beneficium conferatur illi, ad cujus favorem resignatum, nihil fit, & beneficium remanet ut priùs apud resignantem. Gonz. *n.* 20. de quo latè Paris. *l.* 1. *q.* 3. *per tot.*

2. Nihilominùs dum in *reg.* 8. *Cancell.* sivè *de mensibus & alternativâ* excipiuntur à reservatione pontificia vacantia ex resignatione, per illa verba: *aliàs quàm per resignationem*: resignationis nomine venire tam puram & simplicem, quàm conditionatam & in favorem; cùm regula loquatur generaliter & indistinctè verbis accommodatis ad utramque resignationem, & cesset prædicta ratio allata pro casibus illis aliis, tradit idem Garc. *loc. cit. n.* 29. Ac ità posse Episcopum ac quemliber Ordinarium conferre beneficia, quorum collatio ad eum spectat in quolibet mense anni vacantia per resignationem simplicem, seu puram coram ipso factam ex causis contentis Bullâ Pii V. 58, sub dato Calend. April. 1568. de quibus infrà. Item posse quolibet mense coram Episcopis permutari beneficia, & ea ab illis conferri permutantibus, ùt idem Gonz. *nu.* 32. quia omnis dispositio loquens de resignatione regulariter in se includit etiam resignationem ex causâ permutationis, eò quòd hæc permutatio est vera resignatio reciproca. Gonz. *n.* 41. *&* 42. Et sic regula de publicandis resignationibus locum quoque habet in resignatione permutationis gratiâ; quod tamen ne obstet prædictis, intelligendum de dispositione loquente de resignatione generaliter, ubi prædicta ratio non habet locum.

Quæstio 237. *Num resignatio sit favorabilis vel odiosa?*

1. REspondeo primò: resignatio facta ob utilitatem & necessitatem Ecclesiæ, puta quia resignans inservire nequit, ùt requirit necessitas Ecclesiæ, vel ut beneficium habeat utiliorem Rectorem, est favorabilis & coadjuvanda: quia per eam providetur potiùs beneficiis, quàm personis. Paris. *l.* 1. *q.* 18. *n.* 5.

2. Respondeo secundò: facta in favorem præcisè personæ est odiosa, cùm tunc fiat, non quidem respectu beneficii, sed personæ. Paris. *loc. cit. n.* 7. citans Card. *in clem.* 2. *de offi. Ordinarior. n.* 13. Felin. *in c. ad aures. de rescrip. n.* 14. licèt enim recipere resignationes sit meræ gratiæ, ùt Rebuff. *de nominat. q.* 17. *n.* 76. Papa tamen de stylo illas recipit ad vota resignantium, adeóque sicut alia impetratio, ità etiam hæc impetratio per resignationem est ambitiosa, ùt Cassad. *decis.* 13. *n.* 3. *de præb.* Paris. *loc. cit. n.* 8. *&* n. 4 Hinc restringenda. Paris. *cit. n.* 4. citans Oldr. *consil.* 324. *n.* 4.

3. Respondeo tertiò: regulariter tamen materia resignationis dicitur odiosa. Paris. *n.* 15. ex Cephal. *cons.* 62. *nu.* 49. *l.* 1. Adeóque non continet, nisi quod expressum est. Paris. *nu.* 16. citans eundem Cephal. *cons.* 58. *n.* 22. *l.* 1. estque strictæ interpretationis. Paris. *nu.* 17. citans Decium. *cons.* 495. *n.* 19. *&* 20. Cravett. *cons.* 200. *n.* 10. Bursat. *cons.* 147. *n.* 20. *&c.* imò strictissimi juris. Paris. *num.* 18. citans Gabr. *cons.* 60. *n.* 6. & *cons.* 90. *n.* 39. *vol.* 1. cùm sit quædam donatio, ùt Tiraq. *in l. si unquam. v. donatione. q.* 8. *c. de revocat. donat.* apud Paris. *nu* 19. vide tamen dicenda infrà de permutatione, ubi dicitur, hanc non esse odiosam.

Quæstio 238. *An, & qualiter resignatio, & in specie simplex seu pura, inducat vacationem beneficii resignati?*

1. REspondeo primò: in genere per resignationem inducitur vacatio beneficii: est omnino communis. Paris. *l.* 1. *q.* 4. *nu.* 4. citatis quàm plurimis juxta *c. susceptum. c. admonet. c. quid in dubiis. c. super hoc. &* c. *ultimo. de renunciat.* Estque hæc vacatio non minùs vera vacatio, quàm quæ contingit per mortem naturalem. Paris. *l.* 1. *q.* 4. *a n.* 2. cùm resignans quoad beneficium resignatum habeatur pro mortuo, utpote remittens omne jus, quod habet in beneficio, & resignatio admissa & perfecta sit quædam mors civilis. Paris. *loc. cit.* Tond. *p.* 3. *c.* 179. *num.* 2. Item æquè vera, quàm quæ contingit per privationem à sententia legis vel Superioris inducta ob delictum. Paris. *num.* 7. Imò major privatio causatur ex voluntaria cessione, quàm illa, quæ fit in invitum, ùt Card. Paris. *cons.* 135. *vol.* 4. Paris. *n.* 9. Item est hic modus vacandi ex dignioribus ac præcipuis, ut Mandos. *ad reg. de annal. q.* 46. *n.* 2. apud Paris. *cit. q.* 4. *nu.* 12.

2. Respondeo secundò: resignatio simpliciter seu pura, sivè facta fuerit coram Ordinario, sive coram Papa (qui etiam tunc expressè decernit beneficium vacare. Lott. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 11. Paris. *l.* 8. *q.* 7. *sub n.* 103. *in fine.*) abdicat omne jus in beneficio, ità ut resignans maneat sine titulo, etiam colorato, & beneficium tanquam habitum pro derelicto, & ut vacans liberè conferri & impetrari possit. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 66. C. Luca. *de beneficiis. d.* 34. *n.* 3. Paris. *l.* 1. *q.* 3. *n.* 5. juxta Abb. Butrio. Imol. & AA. communiter, in *c. sollicite. &* *c. accepta. de restit. spoliat.* Nam dum resignat quis in manibus Papæ vel Ordinarii purè & simpliciter, non ad alium finem hoc facit, quàm ut beneficium vacet illico, & Papa vel inferior talem resignationem eodem modo purè & simpliciter admittens illud pro libitu conferre possit. Lott. *loc. cit. num.* 9.

3. Respondeo tertiò: pro inducenda hac vacatione exigitur consensus simultaneus; nimirum resignantis & ejus, in cujus manibus fit resignatio, ità ut non sufficiat, seu attendendus solùm veniat actus ille positivus resignantis citra expressum consensum seu admissionem Superioris. Lott. *n.* 10. *juncto. n.* 24. *&* 25. Paris. *loc. cit. q.* 5. *nu.* 14. citans quàmplurimos &c. Barbos. *juris Ecclesiast. l.* 3. *c.* 15. *nu.* 19. *&* 20. C. Luca. *de benef. d.* 65. *nu.* 7. contra Gomes. *ad reg. de infirm. q.* 19. Ad effectum enim hunc, ut secuta dicatur vacatio, & abdicatum jus à resignante, requiritur valida & perfecta resignatio, qualis non est, nisi quæ facta coram Superiore habente potestatem absolvendi à vinculo, seu rescindendi illum quasi contractum, qui iniri dicitur inter beneficiatum & Ecclesiam, subsecutâ hujus Superioris admissione. C. Luca. *loc. cit.* & *d.* 77. *n.* 3. Accedente autem illo Superioris consensu illico consurgit vacatio. Auctores idem, ità ut resignante morjente post præstitum hunc à Superiore consensum, beneficium jam non vacet per obitum illius, sed per resignationem. Card. de Luca. *de benef. d.* 34. *n.* 3. Verùm de hac requisitione consensûs Superioris ad resignationem validam plura inferiùs, ubi coram quibus facienda resignatio.

Quæstio 239. An, & qualiter resignatio simplex inducat vacationem possessionis?

1. REspondeo primò: Per illam non solùm amitti titulum seu proprietatem beneficii, & jus omne, quod habet in beneficio; sed etiam possessionem naturalem & civilem; ità ut admissâ resignatione, desinat illico possidere. Garc. p. 11. c. 3. n. 1. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 66.* Lott. *cit. q. 14. n. 12.* Paris. *l. 1. q. 3. n. 7. & q. 5. n. 15. & n. 36. & 40.* citans pro hoc Host. Innoc. Card. Abb. Imol. & AA. communiter. *in c. quod in dubiis, & in c. super hoc, & in c. admonet. de renunc.* Rossiniac. *de benef. c. 16. nu. 3.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 13. nu. 8.* Card. Paris. *cons. 39. num. 3. vol. 4.* Pavin. *de potest. capit. sede vacant. p. 1. q. 2. nu. 14.* Sarnens. *ad reg. de annal. q. 57.* & Mandos. *ibidem. q. 28. n. 4.* & alios quamplurimos, ac dicens esse communiorem omnium sententiam. In amittenda enim possessione solus actus & affectio illius qui possidet, sufficit ad amittendam possessionem. Lott. *loc. cit. n. 13.* subdens *nu. 14.* quod id quoque trahatur ad animum concussum & metu perterritum, & procedere in beneficialibus, eò quòd voluntas coacta sit voluntas. In dubio autem præsumitur, resignantem velle etiam renunciare possessionem. Paris. *cit. q. 5. n. 19.* ex Butrio. *in c. veniens, de renunc. n. 27.* & hinc non subvenitur illi aliquo interdicto possessorio, seu impeditur agere possessorio, nisi præcedat particulare judicium super rescissione seu sententiâ declaratoria nullitatis renunciationis, probatâ nimirum vi aut metu. Lott. *n. 12. junctò n. 17.* Hoc ipsum tamen distinguit Barbos. *loc. cit.* nimirum quòd is, qui resignavit, antequam spoliatus, seu dejectus possessione, sic amittit titulum & possessionem, ità ut beneficio simpliciter restituendus non sit, juxta *c. accepta. de restitut. spoliat.* (ubi Papa decidit exceptionem spontaneæ renunciationis impedire beneficiati restitutionem; quia nimirum renunciatio fuit facta ante spoliationem, beneficiatus autem post spontaneam renunciationem non dicatur dejici possessione, utpote quam jam vi renunciationis dimiserat) contrarium verò dicendum de eo, qui postquam possessione dejectus erat, resignavit, nimirum quòd is solum titulum amittat, non verò possessionem, utpote quâ jam antecedenter dejectus erat; ac proinde eum petere posse restitutionem possessionis; cùm in eo casu non obstet ei exceptio spontaneæ renunciationis, utpote respiciens in hoc casu solam proprietatem. Quinimò subjungit *n. 68.* Barbos. quòd licèt communis, & in praxi servanda sententia habeat, per resignationem amitti simpliciter possessionem, se tamen putare verius esse in rigore juris, resignantem simpliciter vi resignationis etiam admissæ, utpote quæ stricti juris est, & strictiùs interpretanda, non amittere possessionem, antequam eam ex animo dimittere intendat; cùm juxta regulam communiorem in temporalibus. *l. si quis vi. l. in amittenda. l. quemadmodum. ff. de acquirenda poss.* utpote quæ regula in beneficialibus limitata non reperitur, non aliter amittitur possessio, quàm si possidens eam dimittere intendat. Unde jam post renunciationem possessionem antiquam resignans retinet, eandem licet injustè, validè tamen continet, & eâ dejectus restituendus sit, ùt Imol. *in c. super eo. de renunc.* Rota. *decis. 1. de renunc. in novis.* Nav. *in c. accepta, de restitut. spoliat. oppos. 7. n. 5.* apud eundem Barbos, qui etiam *nu. 69.* explicat, qualiter his non obstent text. *c. sollicitè.* & *c. accepta. de restitut. spoliat.* Sed neque, ùt idem *n. 70.* obstare, quòd ad restitutionem in beneficialibus necessarius sit titulus, saltem coloratus; eum autem, qui resignavit, pati notorium defectum tituli seu proprietatis; eò quòd resignatio non semper sit notoria, adeóque nec dictus tituli defectus; potuerit etiam quis resignâsse nulliter; in quo casu non patitur defectum tituli. Ac denique juxta Abbatem *in c. ex literis, de restitut. spoliat. nu. 3.* Imol. *nu. 8.* Sola possessio absque titulo sit sufficiens ad petendam restitutionem.

2. Respondeo secundò: tametsi resignans perdat cum dominio possessionem juris, non tamen videtur cessisse detentationi; unde post admissam renunciationem potest incumbere possessioni realiter, & de facto. Quin & incumbendo animo continuandi retinetur naturaliter. Paris. *cit. q. 5. nu. 28. & 29.* citans præter plures alios Butrio. *in c. sollicitè. de restitut. spoliat.* Calderin. *cons. 4. de renunc.* Sarn. *ad reg. de annali. q. 57.* Rebuff. *cons. 4. n. 4.* Estque ea detentio tanti momenti, ut si eâ detentione spolietur, sit restituendus. Paris. *n. 31.* Quin &, ùt idem Paris. *n. 32.* citans pro hoc Mandos. *ad reg. de annal. q. 29. num. 1. & 2.* Sarn. *ibidem. q. 56.* sufficit hæc detentio, ut detinens juvetur *reg. de annal.* quamvis ex communi sententia dicat Barbos. *cit. nu. 66.* ad nudam talem detentionem non esse restituendum, si eâ dejiciatur. Quòd si tamen resignans sit absens à loco beneficii; amitti quoque detentionem, ait idem Paris. *ibidem. n. 33.* Mohed. *decis. 2.* De cetero resignantem in manibus non sui Superioris amittere possessionem non amissâ proprietate, tradit idem Paris. *n. 27.* de quo infrà pluribus.

Quæstio 240. An, qualiter, & quando resignatio conditionalis inducat vacationem beneficii quoad titulum?

1. REspondeo primò: Hæc quoque resignatio (non quidem vi solius actûs resignationis, aut etiam accedente porrectione supplicationis, quâ supplicatur, ut ea admittatur, & beneficium adjecto in ea supplicatione conferatur. Lott. *cit. q. 14. n. 24. junctò n. 27.*) sed admissâ seu accedente insuper admissione inducit vacationem Garc. *p. 11. c. 4. n. 1. & c. 3. n. 3.* citans quamplurimos, qui etiam *ibi. n. 4.* addit, beneficia resignata ex causâ permutationis, licet vacare dicantur, ad effectum tamen reservationis, suppressionis, aut unionis; uti & ad effectum, ut conferri possint alteri, habentur pro non vacantibus juxta mox dicenda de resignatione in favorem in genere; qualia etiam sunt resignata permutationis gratiâ; ità ut revera tanquam vacantia egeant novâ collatione. Garc. *cit. c. 3. n. 10.* ex Mascard. de quo tamen vide eundem Garc. *cit. c. 4. à n. 5.*

2. Respondeo secundò: Non tamen inducitur per hanc resignationem vacatio in ordine ad effectum, ut illa vacatio comprehendatur in juribus & privilegiis loquentibus de beneficiis vacantibus, & in exspectativis. Paris. *cit. q. 4. n. 24.* id pluribus *num. seq.* exemplificans, juxta dicta à nobis *quæst. ante hanc tertiâ.*

3. Respondeo tertiò: Neque vacare conditionatè resignata, etiam post admissionem resignationis, simpliciter, sed ut conferantur resignatario cum conditionibus appositis, ità ut beneficium maneat

maneat resignanti, & jus habitum in eo nullatenus abdicetur. Si non conferatur resignatario, vel non serventur conditiones; non secùs ac si resignatio nulla facta esset. Paris. *cit. q.* 4. *à num.* 22. citans Mascard. *de probat. conclus.* 1395. *n.* 3. sic dicens esse communiorem.

4. Respondeo quartò: Nihilominùs datur in hac resignatione vacatio eodem tempore, quo in resignatione simplici; nimirum eo momento, dum concurrunt consensus resignantis, & consensus Papæ, dum hic per suum rescriptum exprimit, se resignationem accipere; idque etiamsi facta fuit ex causa permutationis. Lott. *cit. q.* 14. *n.* 22. *juncto n.* 34. citans Rotam *decis.* 1. *n.* 1. & 4. *de rerum permut. in novis.* ex Gabri. *cons.* 199. *nu.* 1. *l.* 2. Quod tamen intelligendum, ubi designatus à resignante consenserit factæ in se resignationi, juxta paulò pòst dicenda.

5. Neque his obstat: quòd admissio illa Papæ, sive actus ille, quo Papa in suo rescripto rescribit. *fiat ut petitur* (in quo verbo *fiat* consistit tota vis gratiæ, & quod non expectat tempus futurum, sed de præsente operatur, ùt Lott. *n.* 28. & 29. ex Rebuff. *in pr. signat. n.* 15. & Afflict. *decis.* 213. *nu.* 6.) implicet admissionem & collationem, adeó que videatur hic non posse intervenire seu intermediare vacatio; vel certè in isto actu momentaneo consideranda simul venit vacatio & non vacatio. Nam quòd actus ille sit dicto modo instantaneus, id contingit merè per accidens, & non ex natura actûs, vel ex alia juris necessitate, adeóque non attenditur. Lott. *n.* 35. aliud enim est, Papam admittentem resignationem, non censeri eam admittere aliter, seu ad alterius favorem, quàm ejus, qui à resignante designatus est, seu unà cum eo in supplicatione eadem supplicavit pro collatione, ità ut mens Papæ eadem prorsus censeatur cum mente supplicantium, cui adhæret: & aliud est, quòd actus non sit separabilis in tempore ab admissione; ità ut si velit, Papa possit actum illum collationis differre in aliud tempus, censeatúrque interim perfectus & absolutus actus resignationis, & consequenter constituatur duratio vacationis ad ipsius Papæ libitum, per quam dilationem non solvatur nexus obligationis contractæ ex admissione facta, non nisi in ordine ad conferendum tali personæ. Lott. *n.* 36. & 38. Unde etiam aliud est quærere, quando purificata dicatur conditio huic resignationi implicita, ut resignans dicatur destitutus omni jure, & aliud est quærere, quando resignatario dicatur perfectum jus quæsitum in beneficio, ità ut beneficium veluti denuo plenum ejus personâ aliter quàm ex ea vacare nequeat. Prius contingit, seu inducitur effectus simplicis destitutionis resignantis eo ipso, quòd per Papam admissa resignatio, & per resignatarium acceptata. Lott. *n.* 50. & 51. Hinc etiamsi resignatarius expedierit literas in forma *dignum*, & illis necdum justificatis & executis contingat resignatarium mori, resignans arcebitur à regressu ad beneficium; quia quoad ipsum actus jam est perfectus & consummatus. Lott. *n.* 52. Idémque esset, si resignatarius reprobaretur; conditio enim illa expressa vel subintellecta, si beneficium certæ illi personæ conferatur, respicit factum Superioris habentis conferre, cùm ab illius auctoritate actus totaliter dependeat (ità ut resignatarius in effectu jus nullum consequatur à resignante, utpote qui factâ resignatione habetur pro mortuo, ùt Lott. *n.* 71. & 72. Illud verò habetur satis pro impleto, quandocunque per ipsum non stat, sed per eum, cui est adimplendum, quò minus adimpleatur. Lott. *n.* 53 & 54. quin & resignans, dum veluti paciscitur cum Papa, ut beneficium certæ personæ & non alteri conferatur, hoc ipsum velle subintelligitur; nimirum ut is illud beneficium obtineat, si sit habilis; cùm paciscentes in his, quæ non exprimuntur, censeantur se conformare legis dispositioni. Lott. *nu.* 57. Cujus tamen contrarium docent alii, nimirum jus non abdicari à resignante in casu, ubi resignans fuit inscius inhabilitatis resignatarii. de quo vide mox subjungenda.

6. Ex quibus omnibus jam illud conficitur, beneficium resignatum in favorem vacare absolutè & simpliciter à momento, quo resignatarius post admissionem resignationis consentit resignationi in se factæ & non aliter admissæ à Papa (per hoc ipsum enim, etsi adhuc jus nullum in beneficio sit acquisitum resignatario, ità tamen illi beneficium affectum est, ut nulli alteri, quàm illi, si habilis est, conferri valeat; atque ità per hoc ipsum, ut dictum, resignans destituitur omni jure in beneficio, ut si moriatur, antequam resignatarius acceptet ipsam collationem, vacare non dicatur beneficium per obitum resignantis, sed ex præcedente resignatione. Econtra dicatur per obitum resignantis vacare, non verò per illius resignationem, si resignans moriatur ante acceptationem seu consensum præbitum resignationi & admissioni illius, ut Paris. *l.* 1. *q.* 4. *n.* 43. & 44. Hæc verò vacatio per resignationem consummatur tum demum, cùm resignatarius factam sibi collationem beneficii resignati acceptat; siquidem per talem collationem acceptatam non jam tantùm dicitur beneficium illud resignatario affectum & non liberum, verùm etiam tribuitur jus ei in illo. Lott. *loc. cit. à n.* 59.

7. Horum tamen contrarium docere videntur passim alii, dum tradunt resignantem conditionatè jus nullum amittere, nisi conditionibus actu impletis (quamdiu autem jus nullum abdicatur à resignante, beneficium illius nequit vacare) ac proinde donec beneficium perfectè sit quæsitum resignatario, seu resignatio hæc in favorem effectum plenè sit sortita. Barb. *juris. Eccl. l.* 3. *c.* 15. *à n.* 71. citatis pluribus. C. Luca. *de benef. d.* 34. *nu.* 5. ubi: resignatio conditionalis non abdicat jus à resignante, nisi purificatâ conditione per effectuationem resignationis in resignatario: & sic nullam probari effectuationem, nec jus ullum abdicari à resignante, donec literæ fuerint expeditæ. Barb. *loc. cit. n.* 75. citans plures Rotæ decisiones. Idque etiamsi ipse resignans tanquam œconomus ab Ordinario deputatus administrâsset beneficium, eò quòd hujusmodi actus non concludat necessariò, quòd resignans habuerit animum abdicandi à se beneficium, & possessionem in eventum, in quem illud non acquiratur resignatario; nam hac conditione deficiente jus remanet penes resignantem, donec ea perficiatur. Barb. *loc. cit. nu.* 75. juxta decis. Rotæ *in Nucerina parochial.* 28. *Julii.* 1630. Sic resignans non cadit à jure in beneficio, nisi literæ Apostolicæ in forma *dignum* ad favorem resignatarii expeditæ, executioni fuerint demandatæ, factâ nimirum resignatario reperto idoneo collatione. Barb. *n.* 75. juxta expressas Rotæ decis. Et sic, etiam si resignatio non fuit effectuata in resignatario, seu jus ei non quæsitum; quia repertus inhabilis, v. g. excommunicatus, jus nullum abdicatur à resignan-

signante. Paris. *l. 9. q. 21. n. 7.* dicens sic decisum à Rota *in Gnesnensi Præceptoriæ. 23. Martij. 1547.* teste Put. *post decis. 11. de renunc.* C. Luc. *cit. d. 34. nu. 6.* citans Garc. *p. 11. c. 3. n. 35. & seq.* Gratian. *discept. forens. discept. 835. n. 10. & seq.* Idem tradit C. Luca *de benef. d. 35. n. 13. & d. 36. n. 7.* ubi: quòd à resignante jus nullum abdicatum sit, dum deregitur resignatarii inhabilitas; & hinc, si post detectam illius inhabilitatem decedat resignans, beneficium vacet ex persona seu obitu resignantis; secùs tamen esse, seu jus abdicari, & consequenter beneficium non vacare per obitum resignantis, ubi is discederet; dum constaret, gratiam resignationis esse justificabilem in resignatario, quia tum gratia dicitur pura & perfecta ab initio, & subsequens justificatio solùm declarat seu aperit, quod jam inerat. Unde etiam, si dicta gratia non fuisset per accidens actu justificata, & consequenter conditio in resignatione expressa, per accidens non verificata seu impleta, eò quòd resignatarius priùs decessisset, maneret resignans supervivens sinè jure, seu vacaret beneficium ex ejus resignatione: quia eatenùs tantùm gratia in forma *dignum* dicitur imperfecta, & non abdicat jus à resignante, quatenus, ùt dictum, constet seu deregatur resignatarium seu provisum ob defectum clericatûs vel irregularitatis, vel ætatis, vel literaturæ alitérve non esse idoneum. Quin etsi in hoc casu resignatarius decederet, vacaret beneficium ex ejus persona; utpote qui ex resignatione jam perfectâ abdicatum jus à resignante in se translatum habuisset, etsi necdum possessionem consecutus, ùt idem C. Luca *cit. n. 7.* Hæc ipsa voluisse videtur Lott. *cit. n. 51. & 52.* (quem etiam pro hoc citat C. Luca) nisi quòd Lott. quoque velle videatur, jus abdicatum à resignante, dum per resignatarium, ob ejus nimirum inhabilitatem, sibi etiam incognitam stetit, quò minùs is consequatur beneficium. Contrarium tamen est, seu resignans excidit jure & titulo beneficii, dum ex culpa vel facto ipsius resignantis accidit, quòd jus in beneficio quæsitum non sit resignatario, v. g. dum is resignavit in favorem inhabilis, conscius istius inhabilitatis. Paris. *loc. cit. n. 8.* citans decisionem Rotæ *in Romano Canonicatu. 17. Novemb. Anno 1567.* C. Luca *cit. n. 6.* & alii ab eo citati.

8. Quinimò tradit Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 69. n. 18.* non abdicari à resignante jus, donec resignatarius beneficii resignati adeptus sit possessionem, citans pro hoc Gregor. *in institut. in benef. c. 28. n. 9.* Rebuff. *in pr. tit. de resig. condition. n. 8.* Imolam *n. 15. & 16.* ac dicens se ità consuluisse super quodam Canonicatu, cujus resignatarius fuit repertus mortuus ipsâ die, quâ acceptaturus erat possessionem illius, & resignantem hunc fuisse semper manutentam in possessione. Idem tradit *p. 2. c. 4. §. 7. n. 3.* Item *p. 3. c. 73. n. 3.* ubi: quòd in resignatione in favorem non abdicetur jus à resignante, donec resignatarius adeptus sit possessionem, & eâ mediante resignatio sit fortita plenum effectum. Cujus tamen contrarium sentire videtur C. Luca *de benef. d. 36. n. 7.* ubi: quòd ex resignatione jam perfectâ abdicatum à resignante jus, & translatum in resignatarium, & ex hujus personâ vacet beneficium, etsi ejus possessionem non adeptus.

Quæstio 241. An, & qualiter resignatio conditionalis inducat amissionem possessionis beneficij?

REspondeo: Licèt, ùt dictum priùs, in simplice resignatione post ejus admissionem amittatur statim omnis possessio civilis & naturalis, & res videatur habita pro derelicta, in resignatione tamen conditionali resignans etiam dicitur possidere, & titulum coloratum habere, donec adimpleatur conditio, v. g. donec reservatio favore illius facta locum habeat, vel donec resignatio acquiratur beneficium (quod tamen juxta sententiam Lotterii, de qua *quæst. præcedente*, intelligendum videtur sub hac limitatione; aut donec per eum steterit, quò minùs ei beneficium acquiratur; nimirum ob compertam ejus inhabilitatem) Paris. *cit. q. 5. à n. 36.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 15. n. 85.* ubi: quòd resignans non solùm titulum, sed & possessionem retineat, quamdiu conditio adimpleta, & beneficium resignatario quæsitum non fuerit, nisi aliunde colligatur, eum possessionem voluisse dimittere juxta celebrem Navarri doctrinam *in c. accepta. de restit. spoliat. oppositione 7. n. 23 & 33.* C. Luca *de benef. d. 37. n. 3.* Siquidem possessio sinè animo non transfertur, ùt Sarn. *in reg. de trien. q. 25.* Rebuff. *de pacifica possess. n. 285.* juxta *L. quemadmodum. ff. de acquir. poss.* & taliter resignans videtur habere animum non perdendi eam, nisi impletis conditionibus. Paris. *cit. q. 5. à n. 36.* Tond. *p. 1. c. 69. n. 19.* Unde etiam jam infert C. Luca *de benef. d. 37. n. 3.* quòd in possessorio potiùs obtinere debeat resignans tanquam possessor anterior, non obstante possessione resignatarii tanquam invalidâ & vitiosâ; dum nimirum capta, ipso resignante possessore non citato, & non justificatis coram executore narratis in literis. Ad illud verò, quòd lite pendente inter resignantem & resignatarium super prætensa resignationis invaliditate potior est resignatarius, cui debetur manutentio ex ea ratione, quòd resignans voluntariè & facto suo cesserit à possessione. Respondet idem C. Luc. *n. 6.* id procedere, quando resignans à principio se non opposuit, ac nullitatem resignationis non deduxit; ità ut possessio fuerit pacifica; tunc enim procedendum causâ cognitâ, ùt Garc. *p. 6. c. 2. n. 159.* apud eundem; ideóque interim manutentio debita resignanti. Plura de possessione beneficii resignati amissa & dimittenda vide *quæst. post hanc secundâ.*

Quæstio 242. An, & qualiter dimissio & resignatio invalida inducant vacationem, seu amissionem beneficii & possessionis?

1. REspondeo primò: Per talem beneficii dimissionem factam auctoritate propriâ non amitti proprietatem seu titulum beneficii, quamdiu ea admissa non est à Superiore, in cujus potestate est, dimissionem talem acceptare, & beneficium alteri conferre, vel cogere dimittentem ad dimissum beneficium regredi, absque eo, quòd in hoc secundo casu opus sit novo titulo seu collatione; quia, ùt dictum, antiquus titulus per hoc non amissus. Paris. *l. 7. q. 1. n. 38.* Imola *n. 50.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 15. n. 16.* juxta *c. non oportet. 7. q. 1.* qui & propterea *n. 18.* ait, à Doctoribus dimissionem talem validam dici in præjudicium dimittentis,

tentis; nullam verò respectu Superioris. Veruntamen per dictam dimissionem auctoritate propriâ factam amittitur possessio, Barb. *cit. nu. 16.* citans Abb. *in c. quod in dubiis. n. 8. de renunc.* Zabar. *in Clem. I. eodem tit. n. 17.* Menoch. *de arbit. casu 201. n. 47. &c.* Possessio enim, cùm sit quid temporale nihil habens vinculi indissolubilis, potest amitti sinè Superiore. Barb. *loc. cit.* Paris. *l. cit.* citans quàm plurimos, & quemadmodum etiam ex contractu inutili perditur possessio, ut Bart. *in l. 1. §. si vir uxori. ff. de acquir. possess.* & ibi DD. communiter. Paris. *loc. cit. n. 41.* Procedúntque hæc ipsa, dum quis resignavit quidem in manibus Superioris, non tamen Superioris in ordine ad destituendum beneficio, vel recipiendam resignationem. Paris. *cit. n. 38. & seq.* Item de resignatione factâ in manibus laici; quòd nimirum per eam amittatur possessio retento dominio. Paris. *n. 45.* dicens communiter receptam contra Bero. *in c. sollicitè. de restit. spoliat. n. 16.* & alios quosdam, tenentes, talem spoliandum beneficio, & consequenter possessione. Unde jam etiam sequitur, talem dimittentem, si, antequam illa dimissio à Superiore acceptetur, regrediatur ad beneficium, incipere iterum illud possidere; ad hanc tamen novam possessionem apprehendendam prærequiri Superioris auctoritatem. Paris. *l. 7. q. 1. nu. 51.* Barb. *cit. n. 16.* citans Navar. *in c. accepta, oppositi. 7. n. 31.*

2. Respondeo secundò: Quoties resignans in favorem, seu conditionatè scienter nulliter resignat, per talem resignationem amittit titulum, seu jus in beneficio. Garc. *p. 11. c. 3. n. 36.* citans Paris. *l. 1. q. 3. n. 71. & 118. l. 2. q. 9. n. 21. & l. 4. q. 2. n. 26. & l. 9. q. 21. n. 8.* Item Rebuff. *cons. 192. n. 5.* dicentem clausulam illam: *non aliàs, nec alio modo:* non operari, quando adest culpa resignantis, & per eum stat. Item Rotam *decis. 214. n. 5. p. 1. divers.* dicentem, dictam clausulam non operari in favorem illius, qui sciens defectum, tacuit, nisi habuerit probabile dubium ex ignorantia juris dubii, & difficultatem habentis. Item Gregor. *de benef. c. 28. n. 1.* ubi: quòd quando resignatio in favorem, vel ex causa permutationis non potest sortiri effectum propter dolum vel culpam resignantium, tunc resignatio, & ex ea vacatio firma manet, & beneficium potest liberè provideri. Descendendo nunc ad particularia,

3. Respondeo tertiò: Hinc resignatario reperto inhabili, vacabit beneficium ex resignatione, nisi resignans probaverit exhibitam à se diligentiam in inquirendo de ejus idoneitate, aut justam ignorantiam, ex qua talis communiter reputabatur idoneus, aut aliàs fuerat approbatus; aliàs namque culpâ resignantis resignatio non habebit effectum, dum is tenebatur priùs inquirere, & se informare de idoneitate resignatarii. Garc. *loc. cit. n. 38.* citans *c. innotuit. de elect.* & ibi Gl. *v. ignorantiam.* Abb. *ibidem n. 9. & 21.* Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. q. 10. a. 4.* Roch. *de jurep. v. honorificum. n. 17.* Mascard. &c. Sic si quis resignavit beneficium in favorem, reservatâ sibi certâ pensione, & reservatio hæc fuit nulla ob expressionem majoris valoris beneficii factam à resignante scienter, jus in beneficio amittit, & non potest ad illud regredi, nec successor in beneficio tenebitur ei dictam pensionem solvere. Garc. *n. 3.*

4. Respondeo quartò: Resignantem simoniacè non amittere ipso jure titulum beneficii resignati, etsi privandus eo sit, eò quòd resignatio talis nulla sit, seu non teneat etiam in præjudicium resignantis Paris. *l. 9. q. 9. n. 5.* Ubi: quòd resignatio facta coram judice ordinario in favorem certæ personæ, adeóque simoniacè juxta decis. Rotæ *in Firmana beneficii, teste Peregrin. decis. 144. l. 2.* non valeat, & jus remaneat penes resignantem. Et expressiùs *l. 14. q. 1. n. 12. & 13.* ubi: resignatio simoniaca nulla est, etiam quoad præjudicium resignantis simoniacè, ut Rota *de renunc. decis. 7. in antiq.* Staphil. *de lit. justit. v. stylus. n. 3.* Caccialup. *de pens. q. 19. n. 10.* Redoan. *de sim. p. 2. c. 10. n. 20. &c.* Nam quando resignatio est simoniaca, jus remanet penes resignantem, & vacat per ejus obitū. Et ne sibi contradicere censeatur Paris. *l. 7. q. 1. n. 14.* ubi: renunciatio facta simoniacè, licèt sit nulla, valet tamē in præjudicium resignantis, ità seipsum explicat *c. l. 14. q. 1. n. 14.* ut in tantùm valeat contra resignantem, ut quamvis non teneat resignatio; quia tamen talis resignans privari debet beneficio, is illud nō possit repetere (intellige à resignatario seu alio possessore, dicendo resignationem fuisse simoniacam, & sic à se non fuisse jus abdicatum; quia etiam seclusâ privatione allegans propriam turpitudinem non auditur. Garc. *paulo post citand. n. 218.* citans Rebuff. &c.) seu prætendere sibi adjudicare, & ad illud redire. Quod idem vult Turr. Redoan. *loc. cit. n. 36.* quia obstat exceptio simoniacæ resignationis. Item Garc. *p. 11. c. 3. n. 214.* citans Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. q. 6. a. 3. n. 4.* Rebuff. *in pr. tit. de modo amitt. benef. n. 35.* Rossiniac. *de benef. c. 18. à n. 8.* Navar. *in manual. c. 23. n. 105. & cons. 36. n. 2. & 42. n. 7. de simon.* Ugol. *de sim. tab. 1. c. 28. §. 2. n. 5.* Zech. *de benef. c. 13. n. 7.* Tusch. *conclus. 253. lit. S. n. 4.* & plurimos alios contra Coras. *de benef. p. 1. c. 8. n. 2.* Rebuff. *in pr. tit. de sim. in resign. n. 10.* ubi: quòd resignatio simoniaca tenet in præjudicium resignantis, etiamsi ea fuerit cum clausula: *non aliter, nec aliàs.* Baisium *in director. electionum. p. 2. c. 1. n. 4.* ubi: quòd renunciatio facta in favorem certæ personæ sit simoniaca, quam inferior Papa non potest admittere, & beneficium sic renunciatum possit impetrari tanquam vacans: & alios apud Garc. *nu. 213.* Hanc sententiam suam ait idem Garc. *n. 216.* approbatam etiam per magistrum S. Palatii in indice librorum expurgatorum in Eman. Sa. *pag. 444. n. 7.* ubi sic corrigitur: renuntians simoniacè puniri potest & privari beneficio, non perdit tamen ipso jure illud, quia renunciatio est nulla. Nec obstat Constitutio Pij, quæ de acquirentibus simoniacè, non de resignantibus loquitur. &c. Nec obstare ait Garc. *n. 217.* quod paulò antè responsum; nimirum renunciantem scienter nulliter abdicare jus, cùm id procedat in resignante in favorem, seu conditionatè nulliter ex eo, quòd non adimpleatur conditio, & resignatario non acquiratur jus (talis enim scienter abdicat jus; quia culpâ suâ seu per eum stat, quò minùs conditio impleatur, & sic ad ejus præjudicium ea habetur pro impleta) renunciatio autem simoniaca nulla est ratione simoniæ, non propter defectum conditionis, cùm etiam resignatio simplex simoniacè facta sit nulla. Verùm qualiter hæc, quòd resignans simoniacè retineat jus in beneficio, & illud vacet per obitum illius, dum moritur, antequam privetur eo per sententiam, concordant cum iis, quæ tradit Paris. *cit. l. 14. q. 2. à n. 11.* scilicet simoniacos esse hodiedum ipso jure priva-

tos beneficiis, & consequenter resignationem simoniacè factam esse ipso jure nullam, & quòd renuncians simoniacè sit ipso jure inhabilis ad beneficium resignatum, & quòd non possit illud repetere, aut impetrare, & non sit ad illud instituendus. Etsi enim dicas, quòd vi resignationis talis, utpote ipso jure nullius, non privetur beneficio, privari tamen illum ex sententia legis, seu ipso jure ob dictum crimen commissum; dicere tamen non poteris cum Parisio, eum retinere jus in eo, multóque minùs vacare per obitum talis resignantis, sed vi sententiæ legis, seu ipso jure ob crimen. Vide dicta suprà de vacatione beneficii inducta ob simoniam maximè confidentialem.

5. Respondeo quintò: Resignatione ineffectuatâ & non validâ ob non publicationem ad formam Constitutionis Gregor. XIII. inducitur & resultat vacatio beneficii resignati ab ipsa illa Constitutione ex parte resignatarii, resolvendo actum illum resignantis jam perfectum & effectuatum. C. de Luca *de benef. d.* 34. *n.* 8. Dicta enim Constitutio non quidem inducit novam vacationem ex non publicatione, sed resolvit simpliciter jus quæsitum resignatario, & sustinet præcedentem vacationem per resignationem, elisâ duntaxat gratiâ provisivâ factâ resignatario, in ejus scilicet odium, qui non publicavit, Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 26. dicens, idem in effectu voluisse dicere Rotam *in Virdun. canonicat.* relatam à Garc. *parte* 11. *c.* 3. *n.* 332. Atque ità per hoc, quòd facta non fuerit publicatio à resignatario, substantia seu titulus, & jus beneficii non pergit residere penes resignantem; quia ista nullitas & ineffectuatio non provenit ex defectu conditionis suspensivæ (ob cujus non purificationem intrat communis illa regula de non abdicatione juris à resignante) sed provenit tanquam per conditionem resolutivam, quæ præsupponit actum jam validum ac perfectum ità resolutum, tanquam per speciem privationis juris jam quæsiti, & consequenter beneficii vacatio resultat tanquam per mortem civilem resignatarii, atque ex ejus persona, non autem resignantis, utpote cujus persona ab instante perfectæ gratiæ exivit de scena. C. Luc. *de benef. d.* 36. *n.* 19. citans Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 51. *n.* 56. & Rota *decis.* 539. *n.* 15. *p.* 4. *recent. tom.* 3. & *decis.* 140. *p.* 10. *recent. nn.* 5. & *seq.* apud Celsum *decis.* 172. & 191. Idem clariùs tradit C. Luca *de benef. d.* 94. *n.* 4.

6. Respondeo sextò: Resignatione factâ in favorem nulliter, quia ineffectuata seu resoluta à regula *de infirmis* ob incidentem mortem resignantis intrà dies viginti, inducitur vacatio, non ex vi factæ resignationis, utpote jam nullius, sed per obitum ex persona resignantis, ac si actus nullus resignationis factus fuisset. C. Luca *loc. cit.* Lott. *l.* 3. *q.* 15. *à n.* 8. Vide de hoc plura dicta ex eodem Lott. *loc. cit.* suprà ad initium hujus materiæ, ubi: An & qualiter induci possit duplex vacatio ex eadem persona.

7. Respondeo septimò: Sic nullitas culpata resignationis (quod idem est in permutatione) ex falsa narrativa valoris abdicat à resignante vel permutante jus, & inducit affectionem ob appositionem manûs Papæ; dum nimirum is resignationem aut permutationem admisit; non quidem ad sustinendam resignationem vel permutationem ad favorem provisi Apostolici; cùm hæc ex dicto defectu falsò expressi valoris sit invalida; sed quia illud jam ab Ordinario provideri non potest. C. Luca *de benef. d.* 41. *n.* 8.

8. Respondeo octavò: Ut tradit idem Cardin. *loc. cit. n.* 5. & 6. per resignationem beneficii, cujus titulo quis ordinatus est, factam nulliter, dum id tacetur in resignatione ob decretum Trid. *sess.* 21. *c.* 2. irritans talem resignationem (idem est de permutatione talis beneficii ex declaratione S. Congregationis) abdicari jus à resignante, dum resignans vel permutans verè, & de facto obtinuisset pacificam possessionem beneficii alterius æquè sufficientis ad congruam sustentationem, quemadmodum dictum paulò antè de gratia in forma *dignum*, ut censenda sit perfecta & abdicativa juris à resignante, non obstante, quòd executa non esset, quoties constat eam esse justificabilem & exequibilem.

9. Respondeo nonò: Per renunciationem nullam in hisce & similibus casibus amittitur non solùm jus & titulus beneficii, sed & possessio civilis ac naturalis. Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 41.

Quæstio 243. *An post admissam resignationem resignans possit incumbere possessioni, & omnia ad illud beneficium pertinentia exercere, donec alter capiat possessionem?*

1. REspondeo primò negativè, dum sermo est de resignatione simplici. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 149. (ait autem is, id verum non esse, si loquamur de possessione naturali & verâ; eò quòd hæc per simplicem resignationem non amittatur) Paris. *l.* 1. *q.* 7. *n.* 1. citans Decium. *cons.* 120. C. Paris. *cons.* 47. *n.* 3. *vol.* 4. juxta communiorem. Unde resignante tali non citato, potest is, ad quem spectat tale beneficium, mox ab admissa resignatione conferre. Paris *n.* 2. & 3. citans Host. Innoc. *in c.* 2. *de restit. spol.* aut interea, dum confertur, Superior adhibere poterit media, ut in beneficiis vacantibus per mortem; cùm hæc vacatio illi parificetur. Paris. *n.* 4. & 5. citans Burs. *cons.* 362. *n.* 1. Atque ità, dum beneficium resignatum simpliciter est curatum, debet Episcopus deputare Vicarium cum congrua fructuum assignatione, ut onera sustineat, donec de Rectore provideatur juxta decretum Trid. *sess.* 24. *c.* 8.

2. Respondeo secundò affirmativè; dum sermo est de resignatione conditionali in favorem; nimirum posse resignantem incumbere possessioni, & omnia pertinentia ad beneficium resignatum exercere & gerere, donec resignatarius capiat possessionem. Paris. *l. c. n.* 9. citans Roffiniac. *de benef. c.* 14. *n.* 26. Rebuff. *de simon. resign. n.* 27. & 32. *in pr.* & *de nominat. q.* 14. *n.* 157. Unde juxta hanc sententiam usque ad captam à resignatario possessionem poterit resignans conferre beneficia, si quæ ratione beneficii resignati conferenda habet. Paris. *l. c. n.* 15. citans Rebuff. ubi antè. Responsionis rationem duplicem dat Paris. primam *n.* 10. quòd hæc resignatio hanc contineat conditionem, ut jus non abdicetur à resignante, nisi fuerit acquisitum cum effectu resignatario; planè autem non dicatur beneficium acquisitum, nisi capta fuerit possessio. Verùm de hac ratione statues ex dictis *quæst. ante hanc penult.* Alteram rationem dat *n.* 12. quòd cùm resignatarius ante captam possessionem non possit se ingerere beneficio, ut Roffiniac. *de benef. c.* 23. *n.* 8. & alii, quos *ibidem* citat Paris. ne Ecclesia remaneat viduata, resignans possit tantisper continuare possessionem: argumento *l. meminisse. ff. de offic.*

offic. proconſ. Extrav. injuncta. & *c. ne pro defectu. de elect.* & quamdiu quis ſuſtinetur in officio, adminiſtrare poteſt, ùt Rebuff. *loc. ſuprà cit.* Veruntamen Barb. *l. c.* ſi loquamur de poſſeſſione civili & juſta, tradit eam uſque ad poſſeſſionem captam à reſignatario durare non poſſe; cùm reſignans amiſſo titulo juſtam & civilem poſſeſſionem amittat; titulum verò perdat, ſimul ac jus quæſitum reſignatario, quod contingit ante captam ab eo poſſeſſionem.

Quæſtio 244. An, qui ſolùm fecit mandatum ad reſignandum, quod non fuit effectuatum, privetur poſſeſſione beneficii?

REſpondeo negativè: Tond. *qq. benef. p. 3. c. 188. n. 4.* ubi; quòd quando reſignatio conſiſtit in ſolo mandato ad reſignandum, nec ulterius progreditur, quia procurator non fuit uſus mandato, nec conſenſum præſtitit, remanet in ſuo beneficio, qui tale mandatum fecit, & ideo licitè ſui beneficii fructus (inter quos eſt collatio competens tali beneficiato) percipit, &c. quos licitè non perciperet, ſi privatus eſſet poſſeſſione beneficii.

Quæſtio 245 An, & qualiter per reſignationem revocetur procurator conſtitutus ad lites & negotia ratione illius beneficii?

1. REſpondeo: Per reſignationem perfectam & ſortitam effectum ſuum cenſeri quoque revocatum talem procuratorem, Pariſ. *l. 1. q. 5. à n. 42.* dicens hanc concluſionem eſſe communiter receptam argumento *Clement. ultima. de procurat.* diſponentis procuratorem revocari per mortem mandantis; quippe quæ clementia quoque in morte civili (qualiter mortuus cenſetur reſignans) ob paritatem rationis locum habet, uti id deciſum fuiſſe à Rota, teſtantur Mandoſius *in addit. ad Roman. conſ. 374 v. mortuus*, Sarnenſ. *de annal. q. 62.* apud Pariſ. *n. 44.* & tenent plures citati *n. 43.* ceſſat ſiquidem mandatum procuratorium ceſſante causâ mandati, *c. ſi pauper clericus. de præbend. in 6.* per reſignationem autem admiſſam ceſſat procurationis cauſa, quæ erat defenſio juris renunciati, Pariſ. *loc. cit. n. 44.* Item ceſſat mandatum procuratorium, ceſſante ratione intereſſe conſtituentis. *L. ſi remunerandi. §. ſicut &. §. ſi tali mandavero. ff. mandati.* per reſignationem autem ceſſat intereſſe, quod reſignans habebat in proſecutione juris. Pariſ. *ibid.* Item ceſſat mandatum morte, etiam re non integrâ, ubi non eſt, qui ut ſucceſſor repræſentet perſonam mandantis; *l. 1. c. de act. & obſig. l. ſi per epiſtolam. ff. de acquir. hæred.* Beneficiato autem reſignante non invenitur ſucceſſor in ſpecie; cùm in beneficiis non ſuccedatur juxta *c. ad exſtirpandum. de filiis presbyterorum.* Pariſ. *ibidem. n. 45.* Unde jam, ſi poſt factam reſignationem lata fuerit ſententia in cauſa talis beneficii, procurator conſtitutus ad lites circa illud non poterit appellare; & ſi appellatio fuerit interpoſita, ea intelligitur nulla ex defectu mandati. Et quia appellatio interpoſita nomine illius, cujus non intereſt (qualiter per ceſſionem ceſſat intereſſe reſignantis, quod habebat in beneficio) eſt nulla juxta *c. non ſolent.* & *c. cùm inter. de elect.* Pariſ. *n. 48. & 49.*

2. Limitanda tamen reſponſio primò: Niſi reſignans reſervâſſet ſibi fructus aut regreſſum; nam in hoc caſu, cùm non ceſſet intereſſe, maximè ſi manſit adhuc in detentatione, adeóque quoad hoc ſuum intereſſe non cenſeatur planè mortuus quoad beneficium reſignatum, ùt Sarnenſ. *ad reg. de annal. q. 62.* non exſpiravit mandatum per reſignationem. Pariſ. *n. 50. & 51.*

3. Secundò: Niſi reſignans manſiſſet in poſſeſſione; quia cùm tunc quoque duret illius intereſſe, & cùm remanſerit in poſſeſſione, mors civilis non operatur eundem effectum, quem naturalis, ùt Bart. *in l. ea parte. §. inſula. ff. de verborum oblig.* & Baldus *in l. Deo nobis. de Epiſc. & Cleric.* per conſequens etiam durat mandatum. Pariſ. *n. 52.*

4. Tertiò: Niſi reſignatio fuerit facta poſt litem conteſtatam quoad fructus & expenſas, maximè ſi reſignans manſerit in detentatione. Pariſ. *n. 53.* dicens, ſic reſolutum *in Valentin. canonicat. 2. Octob. Anno 1545.* Addit quoque Pariſ. *nu. 57.* Mandatum datum poſt reſignationem contra reſignatarium non exſpirare per reſignationem ſecundam factam alteri; ſiquidem, cùm per reſignationem primam eſſet mortuus, conſtitutio poſt primam reſignationem facta intelligi tamen adhuc poteſt pro defenſione ratione fructuum perceptorum; dum eſſet in poſſeſſione beneficii, & per conſequens ad intereſſe, & ſic non cenſetur revocatum ratione detentationis. Porrò faciendam eſſe intimationem in revocatione, quæ inducitur ex reſignatione, & hujus contrarium eſſe in revocatione Procuratoris, quæ contingit per mortem Domini; utpote in qua opus non eſſe fieri hanc intimationem adverſario, tradit Pariſ. *n. 54. & 55.*

Quæſtio 246. Quid poſſit reſignans quoad percipiendos fructus beneficii reſignati poſt ejus reſignationem proventuros & obventuros, ſeu ad quem hi ſpectent?

1. REſpondeo primò: Dum reſignatio nulla eſt, v.g. ob nulliter ei præſtitum conſenſum, fructus interim ſpectant & ſpectare pergunt ad reſignantem, Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 4. §. 7. n. 10.* quod ipſum tamen procedere non videtur, ubi reſignatio facta nulliter, ſuſtinetur tamen in præjudicium reſignantis, ſeu ubi eâ factâ abdicatur, ſeu amittitur jus ſeu titulus beneficii ob rationem paulò poſt ponendam; quia ubi non eſt titulus, nec poſſeſſio amplius penes reſignantem, jure fructus percipere nequit.

2. Reſpondeo ſecundò: Factâ validè & perfectâ reſignatione non poteſt reſignans ampliùs percipere fructus beneficii reſignati (intellige obventuros ſeu cedendos poſt reſignationem) cùm jam amiſerit titulum & poſſeſſionem naturalem & civilem, Pariſ. *l. 1. q. 6. n. 1.* citans C. Pariſ. *conſ. 39. n. 3. vol. 4.* Rebuff. *conſ. 22. n. 10.* ac proinde, ſi poſt reſignationem perceperit fructus; cùm illos non fecerit ſuos, utpote carens canonico titulo, ac proinde intruſus, & conſequenter dejiciendus à poſſeſſione, & non tuendus in ea, tenetur illos reſtituere tanquam poſſeſſor malæ fidei. Pariſ. *l. c. à n. 3.* Hinc jam

3. Reſpondeo tertiò: In reſignatione ſimplice admiſsâ, ſive à Papa, ſive ab Ordinario, ab illo tempore admiſſæ reſignationis, ſeu præſtiti à Superiore conſenſûs percipere ampliùs nequit fructus illos; impoſſibile enim eſt, quòd fructus ad aliquem ſpectent, qui non eſt amplius nec dominus, nec poſſeſſor beneficii, unde proveniunt; qualis eſt reſignans poſt talem reſignationem. Pariſ. *cit. n. 10.* dicens, in hoc concordare omnes, Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 42.*

4. Re-

4. Respondeo quartò: donec Ordinarius vel Papa conferat beneficium resignatum simpliciter, ejus fructus interea provenientes spectant ad eos, ad quos spectarent, si beneficium vacaret per obitum; cùm vacatio per resignationem & per mortem æquiparentur. Paris. *n.* 14. citans AA. in *c. susceptum. de rescript. in 6.* hoc est, ad legitimum successorem in beneficio, utpote ad quam de jure ordinario spectant fructus beneficii, non habito in consideratione intruso, Lott *l. 3 q.* 20. *n.* 111. Paris. *loc. cit. n.* 16. subdens *n.* 17. id speciale esse, quòd in regno Neapolitano fructus à die vacationis usque ad diem, quo provisi per Papam ceperint possessionem, spectent ad Cameram Apostolicam, & exigantur à Commissariis deputatis per Nuncium.

5. Respondeo quintò: in resignatione facta in favorem certæ personæ tametsi resignans non possit percipere ampliùs fructus beneficii resignati post factam ei intimationem expeditarum literarum in favorem resignatarii, sed hi spectent ad resignatarium, uti tenet Rebuff. *in pr. tit. de simoniac. resign. n.* 4. & *tit. de publicand. resig. gl.* 18. *n.* 7. & *in tr. de nominat. q.* 14. *n.* 157. apud Paris. *cit. q.* 6. *n.* 21. Verum tamen non est, quod *ibidem* tradit Rebuff. posse resignantem ad illud usque tempus percipere fructus; quia jam ante illas literas expeditas, multóque magis ante notificationem istius expeditionis gratia perfecta, & jus quæsitum, & dominium penes resignatarium, ut Bursatt. *cons.* 11. *n.* 7. *vol.* 1. adeóque ei debentur ab eo tempore fructus, etiamsi is per aliquot menses non expediviset literas. Paris. *loc. cit. n.* 69. 70. & 71. & licèt, ùt habet communis, resignatarius ante dictarum literarum expeditionem non possit percipere fructus, non tamen indè infertur, quòd expeditis illis literis, & captâ possessione non competant ei hi fructus jam antea debiti. Paris. *n.* 60. Quòd autem, si ante expeditas literas spolietur resignans fructibus, debeat restitui, aliam habet rationem, de quo Paris. *cit. n.* 60.

6. Sed neque verum videtur, resignantem non posse percipere fructus à die datæ supplicæ, ut tenet Sarn. *in reg. de publicanda. q.* 7. *n.* 2. apud Paris. *n.* 27. qui & ipse ait *n.* 37. se aliàs juxta hanc sententiam consuluisse; eò quòd, ùt idem Sarn. *ad reg. de infirm. q.* 20. Cassador. *decis.* 2. *de renunc.* & Rota *decis.* 4. *in novis. tit. eod.* apud Paris. *n.* 28. post datam supplicationis resignans amittat possessionem cum dominio, illúdque acquiratur resignatario; fructus autem debeantur domino à die, quo is dominium rei frugiferæ acquisivit; eáque data attenditur, & omnia secuta: nam etsi admissâ resignatione abdicetur jus à resignante, hoc tamen intelligitur revocabiliter; cùm etiam post præstitum parvum consensum & signatam supplicam, donec consensus in Camera vel Cancellaria non sit extensus, pœnitentiæ adhuc sit locus, ùt Rota *in Parmensi pensionis de Junio* 1577. Paris. *loc. cit. n.* 61. & 63. qui etiam *n.* 62. ait: non illud tempus datæ, sed dicti consensûs extensi attendi. Sed neque consensum hunc juxta stylum curiæ retrotrahi ad tempus datæ; cùm hic consensus sit formalis; quotiescunque autem pro forma requiritur consensus, nunquam actum retrotrahi, ùt Baldus *in l. 1. c. ad Macedon.*

7. Neque verum videtur posse resignantem percipere fructus usque ad consensum, seu acceptationem præstitam ab ipso resignatario, ùt tenent plures apud Paris. *n.* 36. quia tunc jus abdicatur à resignante, ùt sæpe resolutum à Rota, ait Paris. & ostensum à se *l. 1. q. 3. n.* 47. Nam quamvis actus conditionalis non tribuat jus ante conditionem plenè purificatam, tamen eâ purificatâ tribuit jus à principio, ut Gemin. *cons.* 107. Staph. *de lit. grat. de mandat. ad providend. in 5. formâ. ad finem* Paris. *loc. cit. n.* 68. Unde hi fructus pendentes vel percepti medio tempore à die præstiti consensûs debentur resignatario, etsi is hæserit ad tempus aliquod ad acceptandum. Paris. *n.* 74. citans Gabr. *cons.* 192. *n.* 2. *& seq. vol.* 1. Eò quòd consensus hic ratione fructuum retrotrahatur, & perinde sit, ac si tempore collationis fuisset præsens. Paris. *cit. n.* 74. citans Gemin. *in c. si tibi absenti. de præb. in 6.* Et licèt conditione pendente fructus spectent ad resignantem, si conditio deficiat. Paris. *n.* 75. citans Roman. *singul.* 538. Anan. *cons.* 19. *n.* 17. Si tamen conditio existat, fructus debent restitui resignatario, cui de beneficio fuit provisum; quemadmodum post eventum conditionis fructus restituuntur à venditore emptori. Paris. *cit. n.* 75. Multóque minùs verum est, quod tenet Roffiniac. *de benef. c.* 14. *n* 26. apud Paris. *à n.* 35. deberi fructus resignatario non nisi à die captæ possessionis à resignatario; eò quòd tunc priùs resignatarius consequatur exercitium & effectum dominii. Nam etiam ante captam possessionem resignatarius fit illico dominus, ùt Archid. Gemin. Franc. *in c. si tibi. de præb. in 6.* Paris. *n.* 73. *juncto n.* 67. Sed verisimiliùs fructus debentur resiguanti ad diem præstiti consensûs, & ab illo die incipiunt deberi resignatario. Paris. *n.* 38. eò quòd in conditionalibus resignationibus semper attenditur tempus præstiti consensûs (intellige à Superiore) veluti qui in illis requiritur pro forma. Paris. *n.* 39. citans Sarn. *ad reg. de infirm. q.* 31. & quòd ad usque tempus præstiti consensûs potest pœnitere resignans. Paris. *n.* 41. citans Bursat. *cons.* 393. *vol.* 4. qui dicat illa servari de stylo notorio Curiæ.

8. Porrò in hac sententiarum varietate illud tenendum in genere. In hac resignatione in favorem non secus ac in resignatione facta simpliciter eousque, & non ultrà illud momentum, resignantem posse percipere fructus, quo abdicatur ab eo titulus & possessio beneficii; & licèt fortè eo ipso non statim acquiratur resignatario titulus, seu jus in beneficio, spectare tamen ad eum fructus post abdicationem juris à resignante provenientes, non secus ac aliàs in resignatione simplici hi successori reservantur. Sic docere videtur Barb. *juris Eccl. l. 3. c.* 15. *n.* 150. ubi tres casus considerat. Primum ad illud usque tempus, quo res à resignante abdicatur, & resignatario quæritur; in hoc casu (cùm in resignatione conditionali jus & dominium à resignante non abdicetur, nisi resignatario purificatis conditionibus translatum) interim resignans est Dominus, & integros fructus beneficii suos facit. Secundum, dum ea de re, nempe jure translato in resignatarium plenè non constat resignanti; & in hoc casu usque ad tempus illius notitiæ (cùm eò usque sit possessor bonæ fidei, & justam possessionem, præcedente titulo adhuc coloratam, retineat) potest sicut quilibet possessor bonæ fidei fructus percipere & retinere, juxta distinctionem, quæ dari solet ab AA. inter fructus adhuc exstantes & consumptos. Tertium: à tempore dictæ notitiæ usque ad captam à resignatario possessionem, in quo casu percipere nequit fructus.

Quæstio 247. An, & qualiter resignans sive simpliciter, sive in favorem percipere possit fructus provenientes, seu cessos ante dictam resignationem, seu abdicationem tituli & possessionis?

1. Respondeo primò: in resignatione pura & simplice fructus civiles (quales, ut Tond. *qq. benef. p. 3. c. 164. n. 9.* dicuntur, qui non ex corpore aliquo, sed ex jure proveniũt, ut pensiones annuæ ex pecunia ad censum datâ, pensiones & reditus ex locagiis ædium) etiam qui cessi ante talem resignationem, sed necdum percepti à resignante, post resignationem hanc admissam spectant integri ad successorem in beneficio, nisi resignans sibi illos expresè reservaverit; quia si id non fecerit, videtur unà cum titulo beneficii abdicâsse à se omne & totum jus suum. Tond. *loc. cit. n. 12.* Lott. *l. 1. q. 44. n. 33.* Secùs ac accidit in vacatione necessaria, nimirum beneficiato moriente; nam quia in eo nullus actus, per quem jus vel actionem ad illos fructus remisisse videatur, considerari potest, transmittitur jus illud & actio ad hæredes defuncti, & non ad successorem in beneficio. Atque ità fructus hi civiles (utpote qui, ut Lott. *loc. cit. n. 32.* quotidie incipiunt deberi, & in consequens magis dicuntur obventiones quàm fructus) usque ad diem mortis cessi, pro rata temporis pertinent ad hæredes defuncti, & non ad successorem in beneficio, v. g. possessor beneficii obiit 25. Maii, & terminus censûs annui cesserat die 25. Aprilis, hæredes defuncti habent integrum terminum unius anni maturatum seu cessum 25. Aprilis, & præterea ratam portionem unius mensis, qui lapsus est à die termini usque ad diem mortis beneficiati. Lott. *loc. cit. à n. 30.* Tond. *loc. cit. à n. 11.* citans Bonac. *uni. Tract. d. 4. de oblig. beneficiat. p. 3. n. 7.* Monet. *de distrib. quotid. p. 3. q. 4. n. 24.* (qui etiam expresè tenent, id procedere; deberi nimirum hæredibus pro rata, etiamsi terminus seu dies solutionis non advenerit; eò quod in his & similibus fructibus sua portio singulis diebus correspondeat) & alii apud Barb. *juris Eccle. l. 5. c. 17. n. 75.* Idem de fructibus naturalibus vel industrialibus, qui quotidie colliguntur, v. g. herbagia hortorum, vecturæ navium, opera servorum &c. quòd hi, fortè necdum percepti à beneficiato, debeantur, & ad diem mortis usque debiti, cedant hæredibus, tradit Lott. *cit. n. 3.* citans Caccialup. *de pension. q. 25. n. 2.*

2. Respondeo secundò: in resignatione in favorem certæ personæ hi fructus civiles pro rata temporis debentur resignanti usque ad tempus acceptationis. Lott. *loc. cit. n. 33.* Tond. *loc. cit. n. 14.*

3. Respondeo tertiò: in resignatione in favorem fructus naturales (quales dicuntur, quos natura ipsa producit, absque eo quòd hominis industria aliquid operetur, aut saltem accedente parvâ hominis industriâ, ut poma, nuces, glandes, fœnum, fœtus animalium &c. Tond. *loc. cit. n. 9.*) uti & mixtos (quales sunt, quos hominis industria & labor coadjuvante naturâ producit, ut frumentum, vinum, oleum &c.) quemadmodum pendentes adhuc tempore mortis non spectant ad hæredes, sed vel ad Ecclesiam vel ad successorem in beneficio, eò quòd clerici in vita æquiparẽtur usufructuariis, qui tantùm fructus jam collectos, & à solo separatos faciunt suos, & ad hæredes transmittunt. Barb. *cit. c. 17. n. 77.* dicens sic communiùs teneri, ac citans pro hac sententia præter multos alios Navar. *de reddit. Eccl. q. 2. monito 13.* & *cons. 7. sub tit. de succes. ab intestat.* & *cons. 3. de pecul. clericor.* Bellet. *disquisit. cleric. p. 1. tit. de bonis clericor. §. 12.* Monet. *de distrib. p. 3. q. 4. n. 21.* Bonac. *ubi suprà.* Item Tond. *loc. cit. n. 15.* (magis tamen ex aliorum sententia, cùm ipse subdat *n. 17.* pendentes pro rata temporis transmittuntur ad hæredes; quod sine dubio multò magis procedit, quando agitur de fructibus industriâ & labore per clericum acquisitis ad instar distributionum quotidianarum, quæ pertinent ad hæredes clerici defuncti tam ex testamento, quàm ab intestato) Lott. *loc. cit. n. 27. & 28.* citans pro hoc Calderin. *cons. 2. n. 2. de pecul. cleric.* Covar. *var. resol. l. 1. c. 15. n. 2.* Tiraquell. *de retract. convent. §. 5. gl. 4. ac n. 29.* dicens, id procedere, quomodocunque tempore mortis instaret recollectio, ut Rota *in Barensi fructuum decis. 278. n. 2. p. 2. recent.* eò quòd jus illud percipiendi fructus in defuncto est finitum, antequam cedat solutionis tempus, ut Lott. *n. 28.* Ità hi fructus pendentes adhuc tempore resignationis in favorem admissæ & acceptatæ integri spectant ad resignatarium ob eandem rationem. Paris. *l. 1. q. 6. n. 80.* citans pro hoc gl. Gemin. Franc. *in c. si propter, de rescript. in 6.* Host. Card. & alios *in c. ult. de pecul. cleric.* Corsett. *in singular. v. clericus.* ac dicens hanc esse opinionem communem. Nihilominùs ait idem Paris. *ib.* opinionem contrariam Covarruviæ *variar. resol. l. 1. c. 15. n. 12.* quòd etiam hi fructus pendentes pro rata temporis sint dividendi (quemadmodum dictum de civilibus) inter resignantem & resignatarium; sive quòd iidem usque ad diem admissæ & acceptatæ resignationis spectent ad resignantem, & post illum diem ad resignatarium, esse veriorem; præsertim in beneficiis curatis, vel requirentibus residentiam propter ministerium, quod Ecclesiis exhibetur in earum regimine & cura, aliisque divinis obsequiis. Pro hac eadem Covarruviæ sententia (quamvis præcisè non faciat mentionem fructuum pendentium) Barb. *loc. cit. n. 75.* citat Paris. *de confident q. 35. n. 49.* Sarmient. *de reddit. Eccl. l. 4. c. 6. n. 13.* Molin. *de primogen. l. 3. c. 11. n. 42.* Guttier. *qq. canonic. l. 1. q. 33.* Zerol. *in pr. Ep. p. 1. v. beneficium, §. 6. & p. 2. v. renunciatio. §. 2.* Molin. *de just. tr. 2. d. 635. n. 7.* Garc. *p. 2. c. 1. n. 97.* Filliuc. *qq. mor. tom. 3. tr. 41. c. 6. n. 44. &c.*

4. Respondeo quartò: fructus tempore mortis à solo separati, quamvis nondum exacti & in horreo reconditi, quemadmodùm spectant ad hæredes beneficiati defuncti, & non ad successorem in beneficio. Tond. *loc. cit. n. 17.* Lott. *loc. cit. n. 23.* citans gl. *in c. si propter. v. primi anni. de rescript. in 6.* Ferret. *cons. 256. n. 1. l. 2.* Rot. *decis. 761. n. 4. & 6. p. 2. diversi.* contra Calderin. *cons. 2. n. 2. de pecul. cleric.* Surd. *cons. 333. n. 6.* Card. *cons. 110. &c.* apud Barb. *loc. cit. n. 76.* Ità etiam hi fructus tempore resignationis admissæ, & dati consensûs à solo separati spectant ad resignantem. Paris. *cit. q. 6. n. 77.* ubi resignatarius non potest prætextu resignationis vendicare fructus ante consensum; quia aliud est resignare beneficium, aliud fructus; unde si renuncians non potuit habere fructus exactos aut maturos ante diem præstiti consensûs, quamvis resignatarius cœperit possessionem, tamen iste resignans poterit illos fructus petere ac vendicare; cùm ad se spectent ratione dominii & resignationis; nam quoad id tempus fuit Dominus, adeóque fructus spectabant ad illum, & satis est, quòd illo tempore regiminis sint maturati &c. Neq; his obstare videtur Bulla Julii III. quæ incipit *motu proprio*, edita & publicata Anno 1550.

no 1550. cujus meminit Sperellus *in decis. fori Eccles. decis. 82. n. 13.* Navar. *in sum. Bullar. tit. de benef. fructibus non exactis* apud Barb. *loc. cit. n. 78.* & quâ, ut *ibid.* Barb. disponitur, fructus, ubi non spectant ad cameram tanquam spolia, spectare ad successores, etiam quòd maturati fuerint tempore beneficiati, dummodò realiter & cum effectu percepti non fuerint, & aliis bonis non incorporati, etiam quòd per beneficiatos non steterit, quo minùs illos exegerint; imò etiamsi pro eorum exactione omnem diligentiam, judicialiter agendo, adhibuerint &c. eò quòd hæc Bulla non videatur recepta, ut quò ad regna Hispaniarum testatur Garc. *p. 2. c. 1. n. 102.* Item quò ad statum Mediolanensem. *n. 103.* qualiter tamen hoc ipsum de non receptione illius in statu Mediolanensi elidat Rota, utiliter leges apud Barb. *loc. cit. n. 80.* uti & apud eundem *ibid. n. 81.* legesimiliter, quid de fructibus exactis, non exactis, pendentibus, à solo separatis constituerit concilium Mediolanen. *7. tit. de fruct. Eccl.*

Quæstio 248. *An, & qualiter resignans post resignationem teneatur solvere pensiones beneficio resignato aliàs impositas?*

1. Respondeo primò in genere; resignantem tamdiu ad pensiones, census, collectas & cetera onera realia solvenda seu præstanda teneri, quamdiu fructus beneficii percipit. Barb. *jur. Eccl. l. 3. c. 15. n. 151.* Unde etiam si possessor beneficii post solutam à se pensionem cogatur fructus restituere (intellige quia possedit sine titulo canonico) pensiones jam solutas computare potest. Barb. *loc. cit.* Paris. *l. 1. q. 8. n. 43.* citantes Gig. *cons. 124. n. 1.* Hinc

2. Respondeo secundò: purè seu simpliciter resignans post admissam resignationem non tenetur ampliùs solvere pensionem, aliáque onera realia beneficio imposita. Barb. *loc. cit.* & *de pr. Ep. p. 3. alleg. 120. n. 1.* citans Gig. *de pens. q. 63. n. 2.* Bursatt. *cons. 361. l. 4.* &c. Paris. *loc. cit. n. 22.* Pensio siquidem imponitur super fructibus beneficii, ut habet communis, adeóque, cùm resignans post admissam resignationem fructus percipere nequit ampliùs, præstare hoc onus reale desinceps non tenetur; quia cessante in illo causâ assignationis pensionis, quæ est perceptio fructuum, cessabit quoque in illo obligatio solvendi illam. Barb. *loc. cit.* Paris. *à n. 2.* Non secùs ac ea cessat per mortem naturalem beneficiati, dum resignatio est mors civilis, & resignans dicitur mortuus quoad beneficium. Paris. *à n. 5.* Porrò in hoc casu simplicis resignationis tenetur successor in beneficio resignato eidem impositam pensionem solvere. Paris. *cit. n. 22.* quia pensio super fructibus constituta est onus reale, sicut sunt decimæ, census & collectæ, ut gl. *penult. in c. nisi essent. de probat.* Gemin. & alii communiter *in c. ult. de off. ordinar. in 6.* adeóque transit cum ipsa re in singularem successorem & in possessorem, qui pro pensione venit conveniendus. Paris. *loc. cit. n. 30. & 31.* citans *c. si quis Laicus. 16. q. 1. & c. 1. de solut.* Gig. *de pens. q. 43. & cons. 124. n. 1.* C. Paris. *cons. 82. n. 2. & 36. vol. 4* & acceptans beneficium pensione gravatum videtur se obligare ad onera realia imposita beneficio. Paris. *n. 28.* citans Gig. *de pens. q. 51.* Caputaq. *decis. 302. l. 2.* Hinc etiam de stylo communi, dum imponitur pensio aliqua in literis Apostolicis, apponuntur hæc verba: *per dictum modernum, vel ejus in eadem Ecclesia successorem.* Paris. *cit. n. 32.* ex Bursat. *cons. 361. n. 12. vol. 1. &c.* Quòd si verò beneficium purè resignatum non conferatur statim; pensio adveniente tempore solutionis debetur ex fructibus ab œconomo. Paris. *cit. q. 8. n. 23.* citans Gig. *de pens. q. 65. per tot.* Bursat. *cons. 361. n. 24. vol. 4.* & *n. 24.* subdens in regno Neapolitano, cùm fructus interea spectent ad Cameram Apostolicam, hanc teneri solvere pensionem pro rata; in Gallia autem à tempore apertæ regaliæ, seu à die vacationis Episcopatûs usque ad subrogationem alterius non solvi pensionem, sed fructus integros solvi Regi.

3. Respondeo tertiò: in resignatione in favorem post admissam resignationem à Superiore, & acceptatam à resignatario resignans liberatur onere solvendi pensionem. Paris. *loc. cit. n. 25. juncto n. 27.* citans pro hoc Rot. *in Cæsar August. vicariæ S. Ægidii.* Roffiniac. *de benef. c. 14. n. 26. &c.* ità ut resignans ad effectum, ut ipse liberetur onere solvendi pensionem, debeat probare, resignatarium acceptâsse resignationem. Paris. *n. 26.* citans Rot. *in Gratianopol. pens. 7. Julii 1539.* Bursat. *cons. 361. n. 26.* Sarn. *decis. 159. l. 1. &c.* quia præsumitur mansisse in detentatione, & regulariter acceptatio resignationis requiritur. Paris. *n. 27.* E contra resignatarius à tempore acceptatæ resignationis (quam probatur acceptâsse, si consensit supplicationi. Paris. *n. 29.*) habet onus solvendi pensionem. Paris. *n. 25.* citans Rot. *in Prænestina pension. 10. Febr. 1558.* nam resignatarius possessor est legitimus in beneficio resignato. Paris. *loc. cit. n. 32.* citans AA. communiter *in c. nisi. de præbend.* & verbum *Successor* omnes & quoscunque possessores comprehendit. Paris. *n. 33.* ex C. Parisio *cons. 82. vol. 4.* Mandos. *in reg. alt. 33. q. 14. n. 11. &c.* & resignatario à tempore præstiti consensûs debentur fructus, adeóque ab eo tempore obligatus existit. Paris. *n. 50.*

4. Respondeo quartò: illud, quod dictum, resignantem non teneri ampliùs solvere pensionem post resignationem admissam, & in resignatione in favorem post eandem acceptatam à resignatario ità ampliandum, ut procedat. Primò, etiamsi is consensisset aliàs illi pensioni beneficio impositæ. Paris. *loc. cit. n. 9.* dicens esse communem. Secundò: etiamsi resignans, qui consensit impositioni pensionis, promisisset aliàs sub fidejussione illam solvere, datâ securitate bancariâ per triennium vel plures annos, ut fieri solet in curia, adhuc post resignationem non tenetur solvere, & cautio illa bancaria exspirat, & fidejussores non tenentur; cùm enim promiserit & obligârit se ad solutionem pensionis, ut rector & Dominus beneficii & fructuum, cessante per resignationem beneficio, cessat dicta obligatio, juxta *c. cùm cessante. de appellat.* Paris. *n. 10.* dicens esse communem. Idem esse de eo, qui consentiens impositioni pensionis obligâsset se in forma Cameræ, & cum juramento, tradit Paris. *n. 11.* citans Bursat. *cons. 361. n. 1. & seq. vol. 4.* testantem sic pluries à Rota resolutum. Rationem etiam hujus subdit *à n. 13.* quòd obligatio in forma Cameræ non plùs liget, quàm actus ipse, cujus naturam sequitur, sicut & fidejussio & juramentum; adeóque licet in hoc obligatio sit personalis, tamen exstinguitur cessante causâ fructuum, dum, qui non habet fructus, pensionem solvere non potest. ut Ferret. *cons. 139. n. 5.* Econtrà idipsum limitatur; nimirum quòd resignans etiam post admissam resignationem adhuc teneatur solvere pensionem primò: si post resignationem se obligaret solvere pensionem, quæ jam antiquitus erat imposita beneficio illi resignato, idque vi novæ hujus obligationis; non enim prohibetur quis fide jubere pro alio, ac se

& bona sua obligare. Paris. *n.* 16. & 17. Secundò: quòd teneatur solvere pensiones decursas usque ad diem resignationis, & nondum solutas, Paris. *n.* 18. dicens esse communem. Tertiò: dum resignatio in fraudem facta esset; quia culpa nemini debet patrocinari. Paris. *n* 19. ex Gamb. *de pot. Leg. tit. de pens. l. 6. n.* 423. dicente, teneri talem ad interesse. Quartò: si mox à resignatione ad idem beneficium resignatum reassumeretur, eò quòd talis, moraliter loquendo, videatur non resignâsse, & habetur, ac si in beneficio semper mansisset: Paris. *n.* 20. citans Gambar. *ubi antè n.* 424. Secùs vero, si ad idem beneficium, ex intervallo fuisset reassumptus; nam tunc teneretur pro tempore, quo illud possidet, & fructus percipit. Paris. *n.* 21. dicens communem. Quinto: dum resignans post admissam resignationem fructus percipit bonâ fide usque ad tempus notitiæ de admissa resignatione; tunc enim etiam post admissam resignationem ad pensionem pro rata illius temporis obligatur. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 151.

5. Respondeo quintò: Illud quoque, quòd resignatarius teneatur admissâ resignatione solvere pensionem, ampliandum primò; ut procedat, etiamsi eo invito fuisset imposita beneficio, & vel ipsi resignanti reservata; nihil enim vetat, quo minùs eo invito pensio beneficio imponi possit, & etiam resignanti reservari. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 35. citans Felin. *in c. ad audientiam n.* 5. Caccialup. *de pens. q.* 5. *n.* 5. idque etiamsi in literis Apostolicis, in quibus constituta est pensio, nihil dicatur de successoribus. Paris. *ibid.* citans eundem Caccialup. *ubi antè q.* 9. Ferret. *cons.* 319. *n.* 4. *l.* 2. Rebuff. *de pacif. possess. n.* 126. Et quamvis resignatarius acceptando beneficium gravatum pensione videatur veluti contrahere. Paris. *n.* 36. obligatio tamen solvendi pensionem super beneficio, non tam constituitur ex contractu & conventione partium, quàm ex sola Papæ auctoritate & concessione, à quo totum hujsmodi negotium dependet. Paris. *n.* 34. citans Gig. *de pens. cons.* 31. *n.* 10. Secundò: ut procedat, etiamsi resignatio facta fuisset nulliter. Paris. *n.* 44. citans Rot. *in Hispal. pens. de* 10. *Junii.* 1541. qui enim percipit fructus (qualiter suppono in hoc casu resignatarium nihilominus percipere fructus) tenetur ad onus reale, absque eo, quòd inspiciatur jus illius. Paris. *cit. n.* 44. juxta doctrinam, ut ait, communiter receptam Bart. *in l.* 1. *c. de ann. & tribut.* Unde etiam intrusus, ex quo beneficium habet, & fructus percipit, tenetur ad pensionem, & non verus beneficiatus. Paris. *n.* 37. ex Gig. *cons.* 29. *per tot.* Non secus ac intrusus, & non verus beneficiatus in casu perceptionis fructuum tenetur ad subsidium charitativum, ut Bellenz. *de subsid. char. q.* 24. Paris. *n.* 38. Tertiò: ut successor (præscindendo tamen, an hic sit resignatarius, an alius ex resignatione simplice vel etiam absolutè successor) secundùm aliquos, puta, Caccialup. *de pens. q.* 11. Gig. *q.* 39. *n.* 13. Burs. *cons.* 361. *n.* 20. qui etiam dicat esse communem & probabilem, Rotam *in Senensi & Melitensi*, & alios apud Paris. *n.* 40. teneatur ad pensiones decursas tempore prædecessoris mortui, sicut possessor fundi tenetur ad decimas prædiales de præterito non solutas juxta Gig. *de pens. q.* 14. & alios apud Paris. *n.* 41. quamvis Cattiador. apud eundem *cit. n.* 40. dicat, hanc sententiam, seu hoc ipsum necdum terminatum judicio Romano. Econtra hoc ipsum de solvendâ à resignatario pensione limitandum, ità ut eam solvere non teneatur, si fortuito casu non percipit fructus, sed liberetur cedendo actiones contra eos, si qui fortè manu hostili vel alio modo eas perceperint. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 48. citans Rot. *in Novar.* 1544. Bursat. *cons.* 361. *n.* 29. nisi fortè in literis, in quibus constituta pensio, dictum fuisset; *etiamsi fructus non perciperet*; in hoc enim casu teneretur solvere nihilominus pensionem. Paris. *ibid. n.* 49. citans Gig. *de pens. q.* 62. *nu.* 10. Quamvis & in hoc casu liberetur ab ea solvenda, si per multos annos non percepisset fructus; nam promissio illa intelligitur de uno vel altero anno, seu paucis saltem annis. Porrò, quod dictum hucusque de pensione, idem dicendum de aliis oneribus similibus beneficio incumbentibus; cùm æquum sit, ut, qui possidet beneficium, & fructus exinde percipit, teneatur quoque ejusmodi onera ferre. Paris. *loc. cit. num.* 53.

Quæstio 249. *An, & qualiter, & quando resignans deobligetur recitare horas Canonicas, & resignatarius incipiat ad illas teneri?*

1. REspondeo ad primum: Resignans tantùm ratione beneficii & aliàs non ratione Ordinis majoris, aut religionis, aut fortè aliunde astrictus recitare horas, ad eas recitandas amplius non tenetur post resignationem admissam. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 152. Paris. *de resign. l.* 1 *q.* 9. *n.* 1. citantes Nav. *in tr. de hor. can. c.* 7. *n.* 19. dum enim ea obligatio purè nascitur ex beneficio, eo cessante per cessionem, cessabit & illa, juxta *c. cessante. de appell.* & Tiraq. *in Tr. cessante causa.* Paris. Barb. *ll. cit.* Et si is, qui non percipit fructus beneficii sui; nec per quem stat, quò minùs eos percipiat, deobligatur à recitandis horis, ut Nav. *loc. cit. n.* 28. cum communi, multò magis, ubi resignans nec jus amplius habet in beneficio nec fructus percipit. Barb. *loc. cit.* Paris. *n.* 3. & 4. Hinc limitatur quoque responsio. Nam dum resignans interim, dum ei non constat de resignatione facta v. g. per procuratorem suum, vel de admissione illius à Superiore, vel etiam de acceptatione illius à resignatario, percipit bonâ fide fructus, eósque consumit, teneri eum ad recitandas interim horas censet. Barb. *loc. cit.* Item resignantem illum, cui à Papa loco pensionis assignati essent fructus omnes beneficii resignati, teneri ad horas tradit Paris. *loc. cit. n.* 5. citans pro hoc Nav. *ubi antè nu.* 30. quia talis, ut ait idem ex Nav. tunc verè beneficiarius esset. Cujus tamen contrarium, nimirum nec talem pensionarium teneri ad horas tenet Hurtado *de resi. p.* 1. *l.* 5. *res.* 9. *subresol.* 17. *num.* 7. & 8. vide dicenda ad *finem hujus quæstionis.*

2. Respondeo ad secundum: Resignatarium teneri ad horas recitandas statim post collationem acceptatam; eò quòd exinde etiam ante captam possessionem obveniat illi jus in beneficio & dominium, tradit Nav. *loc. cit. n.* 7. Contrarium tanquam verius, & ut ait, crebrius & in praxi observatum tradit Paris. *loc. cit. n.* 16. nimirum non teneri illum, nisi post captam possessionem, eò quòd ex tunc priùs incipiat percipere fructus, & exinde computentur 6. illi menses, intrà quos, si beneficiatus non reciter horas, privatur fructibus, & tenetur ad illos perceptos restituendos juxta constitutionem Leonis X. quæ incipit: *Super re.* & quam innovavit Pius quintus in constitutione sua, quæ incipit: *Ex proximo* cujus utriusque verba recitat Nav. *in man. c.* 25. *n.* 122. Verùmtamen

tamen tutiùs distinguit Barb. *loc. cit. nu. 153.* ità ut procedat sententia Parisii in iis beneficiis, quorum fructus solis præsentibus debentur ; & spectare priùs incipiunt ad resignatarium seu provisum post captam ab eo possessionem. Sententia verò Navarri procedat in iis beneficiis, quorum fructus post resignationem reservantur successori ; quia fructus etiam ante captam possessionem ei debitas consequitur in effectu. De cetero resignatarium, cui merus & solus resignatus est & relictus titulus (respectu cujus tituli datur vera possessio & vacatio) ità ut nulli omnino fructus ei relinquantur, sed hi omnes loco pensionis reserventur, etiamsi talis totalis reservatio facta cum consensu resignatarii, non teneri ad recitandas horas ; eò quòd, etsi per ipsum stat ista carentia fructuum, quia consensit in talem totalem reservationem ; eo ipso tamen, quòd id fiat de licentia Papæ, absolvitur ab obligatione recitandi horas, tradit Hurtado. *loc. cit.* citans pro hoc Cajet. *in sum. v. horæ. n. 2.* Sandoval. *l. 5. de off. can. c. 5.* Tho. Sanch. *in cons. mor. l. 2. c. 2. dub. 77. nu. 3. & 4.* Bonacin. qui dicat hanc sententiam esse valde probabilem, & hodie communem inter recentiores ; quamvis ipse dissentiat citatis plurimis, quorum tamen multos loqui ait Hurtad. in eo casu, quando resignatario relinquitur servitium (sub intellige & fructus vel distributiones huic servitio correspondentes) & certum pro rectore, qualiter hodiedum, ait, fieri tales resignationes. Ac proinde rejicienda juxta Hurtad. distinctio, quâ utuntur Mandos. *ad reg. 34. q. 30.* Sarn. *de annal. q. 60.* Paris. *de resign. l. 1. q. 1. nu. 43. & 44.* ab eo citati ; dum volunt procedere illam deobligationem resignatarii in beneficio non habente ullum servitium, dum fructus totaliter reservati alteri jam antè ex prædecessoris consensu ; non verò si ex proprio resignatarii consensu facta hæc reservatio ; eò quòd inconsequenter loquantur ; cùm neque tale beneficium carens omni servitio præter onus recitandi horas detur in solum titulum reservatis omnibus fructibus pro pensione sinè consensu resignatarii ex consensu Papæ. Quare si resignatarius ex beneficio habente servitium, si non percepit fructus, non tenetur recitare horas ; sic nec resignatarius in beneficio nullum habente servitium. Atque jam ità neque resignans talis seu pensionarius, neque resignatarius, seu cui datur illud beneficium in solum titulum, tenetur recitare officium magnum Canonicum ; sed solus pensionarius recitare tenebitur officium parvum D. Virginis, si ut clericus habeat fructus pro pensione juxta constitutionē Pii quinti. Hurt. *loc. cit. n. 8.* citans pro hoc Sanch. *l. 2. cons. c. 2. dub. 78. n. 3.* ubi is sic ait : quòd pontifex separans omnes fructus à beneficio videtur dispensare, ut nullus reciret, (intellige horas canonicas) nisi expressè det titulum vel fructus, exprimens velle alterum obligari ; quod potest facere ; cùm obligatio recitandi sit de jure positivo ; & voluit Papa contentus esse alio servitio, quod præstat vel præstitit pensionarius æquivalens horis ; ob quod talis pensio est illi concessa. Hanc tenet quidam Neotericus, & videtur mihi multò probabilior ceteris, &c.

Quæstio 250. *An, & quando resignans deobligetur à residentia, & ad eam obligari incipiat resignatarius ?*

1. Respondeo ad primum : resignans ratione beneficii obligatus residere post admissam resignationem non tenetur ampliùs residere in loco beneficii. Barb. *loc. cit. nu. 154.* Paris. *loc. cit. q. 10. n. 1.* dicentes esse communem & receptam apud omnes ; quia cessante unicâ causâ hujus obligationis, nimirum jure in beneficio, quod est cum perceptione fructuum, cessat quoque hæc obligatio. Procedere idipsum ait Paris. *loc. cit. nu. 17.* in resignante, cui reservati omnes fructus & stallus in choro ; eò quòd is ob non residentiam amittat solas distributiones, eásque relinquere cogatur resignatario. Et, ùt idem Paris. *loc. cit. n. 63.* cum communi, pro qua citat Gig. *de pens. q. 31. num. 4.* Sarn. *de annal. q. 21.* & plurimos alios, pensionarius non teneatur ad residentiam ; cùm pensio non sit beneficium. Limitandam tamen dicit responsionem Barb. *loc. cit*, ità, ut interea, quo resignans in favorem percipit fructus, residere teneatur.

2. Respondeo ad secundum : Tenetur resignatarius residere, mox ùt possessionem beneficii resignati accepit ; quia tunc est verè beneficiatus, & ad illum spectat inservire in illo beneficio ; & antè captam possessionem non potest se ingerere in illo ; unde requiritur possessio. Paris. *loc. cit. à nu. 18.* dicens esse communem ex stylo ab omnibus recepto.

Quæstio 251. *An, si commissa fuit à sede Apostolica causa cognoscenda, vel decidenda Titio canonico, vel constituto in tali dignitate, qui post datam & receptionem literarum resignavit canonicatum vel dignitatem suam in favorem Caji, utrum iste resignans, an verò resignatarius, seu successor illius in isto canonicatu vel dignitate de causa illa cognoscere, eámque decidere possit ?*

1. Respondeo : Non convenire in hoc AA. aliqui enim cum Abbate *in c. quoniam Abbas. de off. deleg. n. 8.* censent resignantem non posse de ea cognoscere, primò : quia commissio fuit realis & facta intuitu dignitatis (cùm causæ debeant committi constitutis in dignitate, ne Papa & Sedes Apostolica repræsentetur à vili ministro. *c. statutum. de rescrip. in 6.*) adeóque hac cessante in Titio, cessat delegatio juxta *c. cessante. de appellation.* deinde quia in hoc videtur esse par ratio ac in Legato, qui causam etiam inchoatam post regressum sui ex provincia, quia tunc amittit dignitatem, quam habebat, finire non potest, juxta *c. novit. de off. delegati.* Contrarium, nimirum, quòd talis resignans post resignationem de tali causa possit cognoscere, & pronunciare, si tempore datæ commissionis adhuc erat canonicus, vel in dignitate illa constitutus, tenent alii cum Parisio *l. 1. q. 11. nu. 6. & 14.* dicente, hanc veriorem & communiorem esse, ac citante pro ea gl. *in c. statutum. de rescrip. in 6. v. Canonicus.* Archid. *ibid. n. 3.* Anchar. *n. 5.* Gemin. *n. 4.* Decium, *in cit. c. quoniam.* Abbat. *n. 56.* Felin. *n. 5.* ac demum *nu. 14.* subjungente, juxta hanc opinionem judicatum fuisse in S. Congregatione Concilii die 21. Maii 1587. eò quòd, cùm in qualibet dispositione spectetur initium juxta *c. 1. de rescrip. c. si eo tempore, c. dudum. de elect.* & varios

textus juris civilis apud Paris. *n.* 8. sufficiet hujusmodi qualitatem dignitatis vel Canonicatûs adfuisse eo tempore, quo dispositio seu commissio talis sumpsit initium. Paris. *nu.* 9. dum *cit. c. statutum.* requirens, ut causæ committantur constitutis in dignitate, requirit solùm adesse eam tempore commissionis; qualitas siquidem juncta verbo vel participio verbi intelligenda est secundùm tempus verbi vel participii. Paris. *n.* 10. & sic per consequens sufficiet, ut dicta qualitas semel sub vel post datam literarum existat; licèt postea deficiat. Paris. *n.* 11. ac licèt ratio dignitatis moveat ad hoc, ut causa committatur tali constituto in illa; quia tamen non tam ratione sui movet; quàm quia præsumptionem generat majoris peritiæ & honestatis in persona habente illam dignitatem, quæ præsumptiò etiam, deficiente postmodum dignitate, remanet, ut Gemin. *in cit. c. statutum. n.* 8. ac proinde ratio illa dignitatis actu existentis non necessario militat tam respectu initii, quàm medii & finis seu decursûs causæ. Paris. *n.* 14. Procedit idipsum & multò magis, dum in commissione nomen proprium & simul dignitatis fuit expressum; sivè nomen proprium præcedat, sivè subsequatur, adeóque commissio videtur personalis, non realis. Paris. *n.* 12. citans Imol. *in c. quoniam. Abbas.* Beroium *ibid. n.* 91. qui dicat, id in puncto juris esse verius & sustentabile; & quidem, si nomen proprium præcedat, absque dubio delegationem dicendam personalem, juxta Bart. *in l. communis servus. ff. de stipulat. servorum.* & communem sententiam.

2. Limitanda tamen hæc sententia secunda, ità ut non procedat, si resignans talem dignitatem assumpsisset qualitatem repugnantem, & effectus est incapax talis commissionis seu delegationis, v. g. quia contraxit matrimonium, Paris. *num.* 15. citans Card. & Imol. *in clem. etsi quis. de rescript.*

3. Porrò dum ille, cui causa delegata, moritur; delegatio transit ad successorem in dignitate, si dignitatis nomen expressum in delegatione: extinguitur verò, si in delegatione expressum, nomen proprium delegati, juxta *c. quoniam Abbas.* & AA. communiter *in cit. c.* Paris. *n.* 16. sic in specie, dum commissio facta vicario Episcopi expresso nomine hujus dignitatis transit ad successorem in Vicariatu. Paris. *n.* 17.

Quæstio 252. *Quæ jura & commoda transeant in resignatarium?*

Respondeo: Præterquam quòd transeat in resignatarium verus titulus, etiamsi resignanti vel alteri reservata sit omnimoda administratio. Paris. *l.* 1. *q.* 16. *n.* 9. citans Rotam *in Abulens. Canonic.* 27. *Novemb.* 1573. transeunt quoque in eum jura omnia & commoda, quæ competebant resignanti ratione illius beneficii. Paris. *cit. quæst.* 16. *n.* 1. & 4. citans Burs. *conf.* 406. *num.* 8. *vol.* 4. cum communi; cùm enim resignans amiserit jus omne & possessionem juxta dicta, habetúrque pro mortuo, nequit se ampliùs intromittere in tali beneficio. Paris. *ibid. n.* 2. Pari modo transeunt hæc omnia in successorem non resignatarium, dum nimirum resignatio fuit simplex, & non conditionalis seu in favorem; quia urget eadem ratio. Paris. *cit. q.* 16. *nu.* 5. sic instantia cœpta per resignantem in eo statu, in quo reperitur, transit ad resignatarium; cùm communis sit, instantiam cœptam per prædecessorem transire in singularem successorem, juxta Bart. *in l. Lucius.* §. *rogatus. ff. ad Trebell.* Paris. *cit. q.* 16. *nu.* 10. *juncto. n.* 14. & 15. Unde jam resignatarius potest repetere à resignante omnia jura illius beneficii, puta, instrumenta, privilegia, concessiones, infeudationes, locationes & limilia, juxta Abb. communiter receptum *in c. cùm pridem. de pactis n.* 5. dicta namque jura inutilia penes resignantem & utilia resignatario, ad hunc spectant. Paris. *q.* 16. *n.* 11. & 12. Non tamen hinc sequitur, quòd qui habuit usumfructum super aliquibus rebus, quamdiu tale beneficium vel dignitatem v. g. Abbatialem habuisset, dimissâ seu resignatâ illâ dignitate ususfructus ille transeat ad successorem, sed finitur morte naturali vel civili, juxta §. *finitur. institut. de usufructu.* Paris. *cit. q.* 16. *n.* 62. *juncto n.* 66.

Quæstio 253. *An, & quando resignatarius teneatur justificare jus resignantis?*

Respondeo: Nisi resignans probetur triennalis pacificus possessor immediatè ante resignationem, teneri illum justificare titulum resignantis, tradit Lott. *l.* 3. *q.* 14. *nu.* 85. citato Cassador. *decis.* 2. *num.* 5. & 6. *de causa poss. & proprie.* Quod ipsum tamen idem Lott. *n.* 86. sanè intelligendum ait, nimirum ubicunque opponeretur de hoc defectu tituli per legitimum contradictorem, puta, venientem ex diversa vacatione, & qui jam titulum suum justificâsset; tunc enim resignatarium, etiamsi sit in possessione (quæ alioquin eum excusat à quacunque justificatione sui tituli, juxta *reg. cogi. c. de pet. hæredit.* & Cassador. *ubi ante num.* 4.) posse compelli ad talem verificationem; nam cùm actor probaverit suam intentionem plenè justificare. Ac proinde illi non sufficit præsumptio, quæ aliàs est pro possessore, ità Lott. *loc. cit. nu.* 87. citans Calder. *cons.* 10. *in fine, de probat.* & Rotam.

Quæstio 254. *An, & quando resignatarius probare debeat valorem resignationis?*

Respondeo: Is, qui se fundat in resignatione, ex qua jus suum deducat, seu deducens resignationem tanquam fundamentum sui juris, probare tenetur resignationem non tantùm veram, sed & validam. C. Luc. *de benef. d.* 94. *n.* 11. citans Bursat. *decis.* 830. & 539. *n.* 4. *recent. to.* 3. Unde & resignatarius seu provisus ex resignatione in hoc casu tenetur probare affirmativam factæ publicationis (quia hæc publicatio spectat ad valorem resignationis) etsi de cetero, dum agitur de executione novæ impetrationis ex non facta publicatione negativa publicationis per impetrantem, utpote allegantem eam tanquam fundamentum suæ intentionis, concludenter probanda sit. C. Luca. *loc. cit.*

Quæstio 255. *An resignatarius teneatur stare locationi vel conductioni factæ per resignantem?*

1. Respondeo primò: Successor in beneficio stare tenetur locationi per antecessorem in beneficio factæ, si locatio nomine Ecclesiæ facta. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 66. *n.* 1. citans Peregrin. *in tr. de fidei com. a.* 40. *nu.* 98. Mantic. *de tacit. convent. l.* 5. *tit.* 10. *n.* 22. *limitat.* 5. Anton. de Marin. *l.* 1. *resol. c.* 259. *n.* 18. eò quòd generalis sit regula: administratores omnes teneri ratam habere locationem factam per antecessorem. Tond. *loc. cit. n.* 2. ex Covar. *l.* 2. *variar. resol. c.* 15. *n.* 6. qui etiam

lam *ibid.* existimat: tunc nomine Ecclesiæ factam locationem, quando reditus non ad prælatum, qui simplex administrator est, pertinent, sed ad Ecclesiam. quamquam Tond. *num.* 4. & aliàs asserat conjecturas factæ locationis nomine Ecclesiæ ex Socin. Sen. *cons.* 34. *n.* 4. *vol.* 3. veluti si contraxit expresso officii nomine, modò locatio sit utilis Ecclesiæ: Item si onus Ecclesiæ fuit injunctum (sicut è contra præsumitur facta nomine proprio, si onus ipsi Rectori fuit injunctum, vel si is nomine proprio expresso vocatus fuit locator) item si plura pacta Ecclesiæ utilia sint apposita &c. ac tandem remittat ad Mantic. *l.* 5. *de tacit. & ambig. convent. tit.* 13. *n.* 16. *& seq.*

2. Respondeo secundò: Quando locatio facta nomine proprio, non tenetur successor illi stare. ita Tond. *cit. nu.* 1. & AA. ab eo *ibid.* citati. Item Paris. *l.* 1. *q.* 16. *n.* 47. Idque sive successerit in beneficio per obitum, sive per resignationem vacante (etiam in casu licito, puta, dum locatio facta ad triennium, ultra quod facta non valet locatio bonorum Ecclesiæ ex constit. Pauli II. quæ incipit *ambitiosæ.* in *extrav. tit. de rebus Eccles. non alienand.* de quo vide Tond. *loc. cit. à nu.* 7.) Item sive resignatio facta simpliciter, sive in favorem. Tond. *loc. cit. à n.* 20. citans Covar. *ubi antè.* Trentacinq. *l.* 3. *tit. de locatione. res.* 3. *n.* 8. Cancer. *l.* 1. *var. resol. c.* 14. *n.* 45. & specialiter Barb. *in l. si filiofamil. §. fin. ff. solut. matrim. num.* 19. & Anton. de Marin. *quotid. resolut. c.* 259. *n.* 11. pro eo, quòd in resignatione in favorem resignatarius non teneatur stare locationi factæ per resignantem contra Lovet. *in recollect. arrest. lit. S. n.* 11. etiam addit in fine, & alios quosdam doctores Gallos, distinguentes & admittentes, non teneri successorem stare locationi antecessoris resignantis purè seu simpliciter; secus si is resignavit in favorem. Item contra Gratian. *discept. for.* 606. *nu.* 20. & alios apud Tond. *n.* 12. *&* 13. tenentes simpliciter, teneri stare successorem per resignationem locationi, non tamen teneri successorem per obitum. Ratio responsionis est inprimis contra hos postremos; quia mors & resignatio beneficii æquiparantur, & resignans dicitur mortuus in beneficio, & ideo omnes obligationes ejus occasione præstitæ per resignationem admissam extinguuntur. Tond. *n.* 24. Dein ratio generalis responsionis est quòd successor in beneficio non potest repræsentare personam antecessoris, nec potest dici successor universalis; cùm non succedat in omnibus bonis; imò nec succedat ex persona, nec ex jure cedentis, sed ex novo jure, quod creatur, & in eum transfertur ab habente potestatem conferendi, ut bene Abbas *in c. una. de jure patr. n.* 5. quæ ratio æquè concludit in resignatione purâ, ac in conditionali factâ in favorem. Tond. *loc. cit n.* 21. Nec obstat, quòd quando usus fructus finitur facto usufructuarii, successor teneatur stare conditionibus prioris possessoris, prælatus autem seu Rector beneficii habeatur loco usufructuarii; nam etsi æquiparatio usufructuarii & beneficiati admittatur passim à DD. non tamen in omnibus procedit; præsertim ubi est diversa ratio, prout est in præsenti; siquidem quando usufructuarius renunciat in favorem proprietarii vel alterius, successor ille jus & causam habet à renunciante, quod, ut dictum, in resignatione beneficii secus est; quia resignatarius derivat jus à collatore habente potestatem conferendi, & in Ecclesia non dantur successiones hæreditariæ, aut ex jure auctorum, sed ex collatione Superiorum, & ideo succedens in usufructu ex facto, nimirum renunciatione usufructuarii tenetur stare colono, non autem qui succedit in beneficio. Tond. *n.* 26.

3. Respondeo tertiò: Quin etiam si conductor pretium suæ conductionis anticipatè solverit, non liberatur erga beneficii successorem, sed agere duntaxat potest conductor contra hæredes & bona locatoris defuncti (quemadmodum præscindendo etiam ab ista anticipata solutione procedit effectus locationis, nimirum, ut conductor agere possit contra fidejussores & hæredes prælati locantis ad consequendum suum interesse. Tond. *n.* 16. citans Barb. *ubi suprà.* & *de potest. Ep. alleg.* 94. *n.* 12.) Tond. *n.* 33. citans Carocium *de locat. p.* 3. *q.* 1. *de reb. Eccl. locand. n.* 75. Menoch. *cons.* 1134. *n.* 6. *vol.* 12. &c. Nam quidquid distinguant Tusch. *cit. l. conclus.* 419. *n.* 21. Abbas & alii post Trid. *sess.* 25. *c.* 11. generaliter statuendum est, locationes factas per anticipatas solutiones, quocunque privilegio non obstante, nullas & invalidas esse in præjudicium successorum, etsi agi possit contra hæredem locatoris, si fit solvendo. Tond. *n.* 34. citans Barb. *in l. si filiofamil. §. fin. ff. solut. matrim. n.* 27. Porro anticipata solutio dicitur, non solùm si fiat pro futuris annis, verùm etiam pro eodem anno, sed ante fructuum recollectionem; quia Rector beneficii, si decedat ante fructus collectos, & à solo separatas, non potest de illis disponere, sed reservandi sunt successori, & illi debentur, prout generaliter de omnibus fructibus inexactis statutum per Bullam Jul. III. confirmatam per Urban. VIII. 5. Aprilis 1628. nec non ex juris communis dispositione: & hinc solutiones factæ per conductorem pro fructibus nondum per eum perceptis non liberant solventem, utpote factæ non legitimo creditori, imputétque sibi idipsum conductor, utpote sciens mortè locatoris supervenire potuisse. Tond. *n.* 35. *&* 36. citans Ferret. *cons.* 225. *n.* 5. *&* 6. Quod ipsum tamen limitatur ità, ut si conductor probaret pecunias solutas Rectori mortuo conversas fuisse in utilitatem Ecclesiæ, successor illas repetere nequeat, saltem pro rata versionis. Tond. *nu.* 37. citans Barb. *ubi antè.* Quin. *cons.* 60. *n.* 1. *vol.* 1. *&c.* ac dicens idem esse si probetur, pecunias illas versas in alimenta studentium ejusdem collegii, eò quòd successor teneatur solvere debita contracta per antecessorem pro alimentis maximè favore studiorum, citat pro hoc Barb. *de pot. Ep. alleg.* 94. *n.* 4. Rebuff. *de privileg. Scholar. privil.* 26. *n.* 92. Vide plura de hac materia successoris tam in beneficialibus, quàm aliis quoad effectum locationis apud Tusch. *loc. cit.* uti & *conclus.* 418. *&* 420. Barb. *in c. fin. ne prælati vices suas,* & *in l. emptorem. c. de locato & conducto.* Mareschot. *l.* 1. *var. resol. c.* 18. &c. apud Tond. *n.* 38.

Quæstio 256. *An resignatarius teneatur stare transactioni factæ per resignantem?*

Respondeo affirmativè. Paris. *l.* 1. *q.* 16. *n.* 68. citans Rebuff. *cons.* 104. *num.* 21. ac dicens esse communem; eò quòd transactio potiùs fiat inter Ecclesias & dignitates quàm inter personas. *c. veniens. de transact.* & ibi communiter AA. Et quæ fiunt nomine dignitatis, transeunt & ligant successorem. *c. quoniam Abbas. de off. deleg.* & ibi communiter DD. Paris. *n.* 69. modò tamen transactio facta in utilitatem Ecclesiæ, & adsit confirmatio Papæ, Paris. *nu.* 70. citans Rebuff. *ubi antè.* & DD.

commu-

communiter *in cit. c. veniens.* quemadmodum & succeſſor tenetur ſervare pacta & conventiones initas pro neceſſitate Eccleſiæ per prædeceſſorem. Pariſ. *loc. cit. n.* 50. citans Cynum & Bald. *in l. digna vox. C. de ſt.* Butrium, *conſ.* 58. Burſat. *conſ.* 342. *num.* 1. *vol.* 4. Rebuff. *ſuper concordat. tit. de collatione.* &c.

Quæſtio 257. *An reſignatarius teneatur ſolvere debita contracta per reſignantem?*

1. REſpondeo primò affirmativè: Si fuerint contracta pro neceſſitate Eccleſiæ. Pariſ. *cit. q.* 16. *n.* 49. juxta *c.* 1. *de ſolut.* & *ibi* Abb. gl. & Doctores communiter. Quod ipſum extendi ait Pariſ. *ibid. n.* 51. ad debita contracta pro neceſſitate perſonæ illius, qui Eccleſiam poſſidet; & citat pro hoc Abb. *in c. præſent. de pignor. n.* 5. & *in c. per ſuos. de donat. n.* 2. Mandoſ. *in cit. c.* 1. *de ſolut. nu.* 11. & Rotam *in Caurienſi pecuniaria.* 11. *Feb.* 1547. &c. eò quòd videantur hæc debita contracta pro neceſſitate Eccleſiæ. Pariſ. *n.* 51. ex Mandoſ. *ubi ante.*

2. Reſpondeo ſecundò: Si tamen debita illa per reſignantem vel prædeceſſorem contracta voluntariè, non tenetur reſignatarius vel ſucceſſor ad ea ſolvenda, ùt communiter doctores per Abbat. *in cit. c.* 1. *de ſolut.* Sic v. g. vicarium Epiſcopi jam defuncti non poſſe petere Salariũ non conventum, à ſucceſſore in Epiſcopatu pro ſervitiis præſtitis ejus prædeceſſori; cùm debitum ſit voluntarium; eò quòd Epiſcopus non teneatur ex neceſſitate habere vicarium. Pariſ. *nu.* 53. ait reſolutum *in Zamarenſi pecuniaria.* 5. *Nov.* 1543.

Quæſtio 258. *An, & quando reſignatarius teneatur præſtare alimenta reſignanti?*

REſpondeo: Dum reſignanti ordinato non titulo beneficii reſignati, ſed alterius, vel tituli patrimonii, deficit congrua ſuſtentatio, diminuto v. g. per calamitatem temporum patrimonio, competere eidem reſignanti actionem contra reſignatarium pro ſupplemento ejus, in quo diminutus reditus patrimonialis pro congrua ſuſtentatione ſufficiens ad inſtar illius obligationis alendi donatorem vel benefactorem, quæ de jure incumbit donatario vel beneficiato, ſive Eccleſiæ patronatæ, ejuſque Rectori reſpectu alendi patroni indigentis, tradit C. de Luc. *de benef. d.* 37. *num.* 15. multóque magis videtur id procedere, dum reſignanti ordinato titulo beneficii reſignati deficit congrua ſuſtentatio; eò quòd talis reſignatio nullatenus admittatur, niſi cum clauſula; *modò reſignans aliunde vivere valeat*; verùm de his accuratiùs infrà.

Quæſtio 259. *An reſignatarius teneatur purgare attentata (intellige in cauſa beneficii reſignati) per reſignantem?*

1. REſpondeo affirmativè: Pariſ. *l.* 1. *q.* 16. *n.* 41. contra quoſdam, quos tacito nomine refert citans Rotam *in Ariminenſi nullitatis & attentator.* 27. *Apr.* 1556. ubi teſte Lancellot. *de attentat. c.* 4. *ampliat.* 5. *n.* 3. & *c.* 29. *nu.* 102. cenſuit, non eſſe procedendum in cauſa, niſi purgatis per reſignatarium attentatis; quia mediante reſignatione ſubrogatur reſignatarius in jus reſignantis, qui attentavit. Pariſ. *n.* 42. Et tenentur ad purganda attentata non ſolùm ij, qui per ſe vel alium, de ſuo tamen ſpeciali mandato, attentârunt; ſed is, qui licèt actualiter non attentavit, habet tamen cauſam ab attentante. Pariſ. *n.* 43. citans Lancell. *cit. c.* 29. *colum. ult.* eò quòd licèt regulariter non detur remedium attentatorum contra tertium, ùt citatis pluribus Pariſ. *n.* 44. datur tamen contra tertium habentem cauſam à judice vel parte. Pariſ. *n.* 45. citatis quoque pluribus.

Limitanda nihilominùs reſponſio, ut non procedat, dum reſignans attentâſſet poſt factam reſignationem; tum enim, etſi reſignatarius habeat cauſam ab eo, qui attentavit; habet tamen eam ab eo, antequam attentavit; & ſic non tenetur attentata ab eo purgare: quemadmodum habens cauſam à collitigante, dum habet illam ab ileo ante litem; non attentat capiens poſſeſſionem, juxta quod dictum *in Salamant. S. Pauli.* 15. *Decemb.* 1568. Pariſ. *n.* 45. & 46. hæc ipſa ſpeciali caſu diſputato diu in Rota *in Salmant. portionis.* 16. *Nov.* 1546. exemplificans.

Quæſtio 260. *An reſignatarius teneatur purgare ſpolium reſignantis, ſive an ſpoliatus à reſignante (intellige in cauſa beneficii reſignati) poſſit agere ſpolio contra ſpoliantis ſucceſſorem per reſignationem, ſive contra reſignatarium?*

REſpondeo affirmativè: Pariſ. *l.* 1. *q.* 16. *nu.* 57. dicens, eſſe veriorem & communem, ac citans pro ea Sarnenſ. *de triennal. q.* 11. &c. eò quòd res tranſeat cum ſuo vitio. *c. ex parte. de teſtib.* & ibi Innoc. Pariſ. *n.* 58. unde ſubrogatus in jus alterius, etiam quoad poſſeſſionem, tenetur purgare ſpolium, ſicut ille, in cujus locum ſubrogatus, juxta *l. rem, quæ nobis. ff. de acquir. poſſ.* & *ibi* doctores communiter: & in *c. ſæpe. de reſtit. ſpoliat.* Pariſ. *nu.* 59. citans Sarn. *ubi antè.* & hinc remedium *dicti capitis* ſæpe datur adverſus ſucceſſorem etiam ſingularem, ſi ſciens &c. ut *ibi* dicitur. Pariſ. *n.* 60. citato Aretino *conſ.* 103. *n.* 4. &c. ſcientia autem illa præſumitur. Pariſ. *n.* 61. juxta Alex. *conſ.* 103. *n.* 13. *l.* 2. Ruin. *conſ.* 88. *num.* 12. *l.* 5. Cravett. *conſ.* 225. *n.* 8. & alios ab eo citatos.

Quæſtio 261. *An confeſſio cedentis ſeu reſignantis præjudicet ſeu noceat ceſſionario ſeu reſignatario?*

1. REſpondeo primò affirmativè: Si facta confeſſio ante renunciationem: ſic ſiquis fateretur in judicio, ſe nullum jus habere in beneficio, & mox illud reſignaret, reſignatario nihil indè acquireretur. Lott. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 83. Pariſ. *cit. q.* 16. *n.* 20. dicens eſſe communem. *argumento l. factam. §. ſi hæres. ff. ad Trebell.* & juxta Rotam *in Tiraſon. archipresb.* 27. *Maii.* 1542. teſte Put. *deciſ.* 149. *l.* 1. & hinc reſolutum à Rota *in Aſtoricenſi. de ſoria.* teſte eod. Put. *deciſ.* 79. *l.* 2. quòd ceſſionarius non poſſit revocare confeſſionem procuratoris cedentis factam ante renunciationem, adeóque non poſſe ceſſionarium habere regreſſum adverſus cedentem, ùt Put. *cit. deciſ.* 149. *l.* 1. Limitat tamen reſponſionem Pariſ. *nu.* 24. *in fine.* quòd etiam confeſſio facta ante ceſſionem non præjudicet ceſſionario, ſi nitatur alio jure, quàm cedentis.

2. Reſpondeo ſecundò negativè: Seu contrarium, ubi confeſſio facta fuit poſt renunciationem; eò quòd tunc reſignans ceſſionario non poſſit præjudicare. Pariſ. *à nu.* 21. atque ità confeſſio reſignan-

resignantis non probat statum ultimum beneficii contra resignatarium, v. g. quòd beneficium sit ad nutum amovibile. Rota *in Mediolanensi hospitalis.* 8. *Jan.* 1551. apud Paris. *cit. n.* 24.

Quæstio 262. *An, & qualiter sententia lata in causa beneficii resignati contra resignantem noceat resignatario?*

1. REspondeo: eam illi non nocere. Paris. *it. q.* 16. *n.* 25. dicens communem juxta Rotam *in una S. Quirini,* 16. *Decemb.* 1547. teste Put. *decis.* 80. *l.* 3. eò quòd cedens habeatur pro mortuo civiliter, mórsque civilis & naturalis æquiparentur; sententia autem lata contra mortuum naturaliter sit nulla, adeóque & lata contra mortuum civiliter, & consequenter non nocebit cessionario, lata præcipuè, cessionario non citato. Paris. *à n.* 26.

2. Ampliat hoc ipsum Paris. *n.* 33. ut procedat, etiamsi lata sententia contra resignantem, resignatarius hoc sciens appellavit à sententia ilia, & postea transivit in rem judicatam; eò quòd appellatio non noceat, cùm sententia sit nulla.

3. Limitat verò idipsum *n.* 34. ex Put. *decis.* 80. *n.* 3. *l.* 3. ità ut noceat lata sententia resignatario, si is sciret, quòd causa contra resignantem ageretur, quamvis addat Idem Put. super hoc nihil à Rota determinatum, & alium Auditorem dixisse, hanc distinctionem: *aut sciverit, aut ignorârit*; procedere respectu possessionis, & non respectu juris. Econtra quoque sententiam latam ad favorem resignantis respectu beneficii resignati non prodesse resignatario; eò quòd resignanti post resignationem non liceat prosequi litem; cùm jus omne per resignationem amiserit, tradit idem Paris. *loc. cit. n.* 35. sic resolutum dicens à Rota *in Segob. Archid. 6. Iulii* teste Put. *decis.* 142. *l.* 1. uti neque prodest resignatario appellatio facta per procuratorem resignantis, cùm cessione revocetur procurator. Paris. *n.* 37. Nec denique resignantem post resignationem esse legitimum contradictorem, ad effectum impediendi, ne procedatur viâ executionis ad immissionem, habet Paris. *à. n.* 36. resolutum dicens à Rota.

PARAGRAPHVS II.

An, & qualiter resignans secundò resignare possit idem beneficium; item pœnitere & regredi ad beneficium resignatum, vel agere spolio.

Quæstio 263. *An, qui semel resignavit, possit ulteriùs seu secundò resignare idem beneficium?*

1. REspondeo negativè: Paris. *l.* 1. *q.* 15. *n.* 1. citans Rebuff. variis locis; per primam enim resignationem amisit titulum & possessionem beneficii, & sic, cùm dare nequeat, quod non habet, secundò resignare non poterit. Paris. *ibid. à n.* 2. & qui cessit uni, non potest idem jus cedere alteri. *l. non quocunque. §. qui Cajum. ff. de ll.* & ibi Bart. Jason. Alex. Paris. *n.* 8. Ad hæc prohibita est variatio personis maximè Ecclesiasticis. *Clem. 1. de renunc.* atque ita in secundum resignatarium nihil juris transfertur; quia talis resignans post primam resignationem nihil juris amplius, quod transferret, habebat. Paris. *n.* 9. tum quia collatio & provisio facta secundo resignatario nulla est, ut clarè dicitur *in reg. cancell.* Parisio. 40. ubi: *si resignantem pluries super uno & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit; voluit sanctitas sua, quòd primus consensus tenere debeat, & alii posteriores consensus ac literæ eorum prætextu etiam sub priori data expeditæ pro tempore nullius sint valoris vel momenti.* Item quia provisio est subreptitia; cùm non fuerat expressum, quòd resignans jam antè quoque resignârat, quod si expressum fuisset, verisimile non est, quòd Papa contulisset, & voluisset tollere jus quæsitum per primam resignationem. Paris. *à n.* 10. Unde jam, si secundus resignatarius cepit possessionem, dicetur intrusus. Paris. *n.* 14. citans Rebuff. *cons.* 90. & licèt secundus ille possedisset illud beneficium per triennium, præferendus tamen primus, contra quem secundus se tueri nequit regulâ *de triennali*; quia jam non habet titulum, nè quidem coloratum. Paris. *n.* 23. citans Rebuff. *cons.* 185. Quamvis titulum coloratum per secundam resignationem tribui ad effectum regulæ *de triennali*, quando multa opponi possunt contra primam resignationem, tradat Paris *loc. cit. n.* 37. citans Sarn. *de triennali, q.* 27. *n.* 5. & 7. & Rotam. Quin & talis secundò resignans videtur committere crimen stellionatûs; sicut qui duobus donat. *l.* 3. *ff. de crimine stellion.* Paris. *loc. cit. n.* 26. citans Rebuff. *cons.* 4. *n.* 11. *cons.* 90. *n.* 9. & Doctores *in c. nullo, de rebus Eccl. non alien.* quamvis autem Rebuff. *cit. cons.* 90. *n.* 9. dicat hujus criminis pœnam esse, ut privetur beneficiis, si quæ adhuc habet, juxta *l. habemus. §. œconomus. c. de SS. Ecclesiis*, ait tamen Paris. *n.* 30. se non facilè accessurum huic opinioni; cùm privatio beneficii non contingat nisi ex gravi crimine, & casibus in jure expressis.

2. Porrò amplianda responsio Primò, ut etiam post factam primam resignationem coram Ordinario, non possit resignare secundò coram Papa, sed hæc secunda resignatio sit nulla. Paris. *n.* 15. ex Rebuff. Secundò, ut nequeat secundò resignare, etiam in favorem primi, seu ejusdem, in cujus favorem jam priùs resignârat. Paris. *n.* 16. citans Rebuff. *cons.* 4. *n.* 5. & *cons.* 185. *n.* 6. Sarn. *de public. resign. q.* 18. *&c.* Cùm enim jus omne abdicatum per renunciationem primam, secunda nihil prodest, & fieri non debet, quod factum non relevat. *l. si quando. ff. ad Velleianum.* Paris. *n.* 17. Tertiò: ut procedat, etiamsi primus resignatarius usus non fuisset resignatione per duos annos. Paris. *n.* 18. citans Rebuff. *cons.* 85. *n.* 10. ob eandem rationem. Quartò: etiam dum prima renunciatio facta per procuratorem; postquam enim procurator resignavit, Dominus non potest alteri cedere idem jus. Paris. *n.* 22. citans Rebuff. *cons.* 4. *n.* 2. ac dicens communem. Quintam ampliationem urpote propriam Franciæ vide apud Paris. *n.* 20. ex Rebuff. *cons.* 38. *n.* 3. & *cons.* 93. *n.* 14.

3. E contra limitanda responsio Primò: ut non procedat, quando prima resignatio non fuit admissa. Paris. *n.* 34. Secundò: dum prima resignatio admissa quidem, sed revocata ante præstitum consensum in Camera vel Cancellaria; potest enim tunc denuo resignari in favorem alterius. Paris. *n.* 35. citans Rebuff. *cons.* 4. *n.* 15. ac dicens esse communem. Tertiò: ut non procedat in omnibus istis casibus,

bus, in quibus jus à resignante abdicatum non fuit per primam resignationem. Paris. *referens se ad q. 14. n. 22 l. 1.*

Quæstio 264. An, & quando resignans resignatione simplici, seu quæ fit coram Ordinario, possit pœnitere & revocare factam à se renunciationem?

1. Respondeo, pœnitere nequit & revocare resignationem, illâ admissâ per Superiorem. Laym. *in c. quod in dubiis. de renunc. n. 2.* citans Garc. *p. 11. c. 3. n. 227.* Paris. *l. 1. q. 12. n. 1. & 3. juncto n. 15.* citans Butri. *in c. quidam. n. 7. & 9. de renunc.* Bursat. *cons. 393. n. 12. l. 4.* Nav. *in c. accepta. de renunc. oppositi. 7. n. 26.* Menoch. *de arbit. casu 201. n. 47. & de recup. poss. remed. 1. n. 303. &c.* quia per dictam dimissionem, & mox ab illa amittitur omne jus in beneficio, & res est perfecta, & ex tunc verè vacat beneficium. Paris. *à n. 4.* citans C. Paris. *cons. 76. n. 4. vol. 4.* Rebuff. *cons. 21. n. 11. &c.* Quin & per puram & simplicem ac spontaneam resignationem beneficii à legitimo Superiore acceptatam non solùm proprietas, sed & possessio amittitur. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 110.* Lott. *l. 3. q. 16. n. 46.* ità etiam, ut si de facto incumbat possessioni, non faciat fructus suos, & si alienet alia jura vel prædia beneficii aliàs alienabilia, alienatio non teneat in præjudicium Successoris. Lott. *ibid. n. 47. & 49.* & út Pirh. *loc. cit.* citans Gregor. Thol. *in institut. rei benef. c 31. n. 3.* Paris. *l. 1 q. 16. n. 3.* ut ad nudam detentionem, quam fortè retinet, non sit restituendus, si ab ea dejiciatur, cùm exceptio spontaneæ renunciationis impediat restitutionem possessionis; quia frustra traditur ei possessio beneficii, ad quod constat eum jus nullum habere, & sic obstat notorius defectus proprietatis, juxta *c. accepta. de restit. spoliat.* & ibi Abb. *n. 4.* Quamvis contrarium teneat Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 15 n. 68. & 149.*

2. Econtra quamdiu sive ex quo admissa non est resignatio, pœnitere potest cum effectu; quia tamdiu res adhuc dicitur integra. Paris. *loc. cit. n. 6.* Card. de Luc. *de benef. d. 65. n. 6. & d. 77. n. 5.* quemadmodum donator, postquam proposuit donare, quin & postquam donavit, antequam tamen donatarius acceptet, pœnitere potest, & revocare donationem. Tiraq. *de constitut. limit. 30 n. 8.* Castrens. *cons. 195. l. 2.* apud Paris. *n. 7.* Hinc jam infertur, quòd si proponat resignare, & hoc redigat in scriptis, & constituat procuratorem, adhuc sit locus pœnitentiæ. Paris. *cit. n. 7.* Item si desuper scriptæ literæ ad Superiorem; quin & ipsa resignatio jam eidem præsentata, & supplicatum pro admissione, antequam tamen subsecuta admissio, possit pœnitere, & resignans resignationem revocare. Paris. *à n. 10.* citans Nav. *in c. accepta. de restit spol. oppositi 7. n. 28.* ac dicens esse communem. Vel etiam absque eo, quòd revocationem intimârit Superiori, aut etiam absque eo, quòd positivè revocârit, poterit continuare possessionem, & sine novo titulo administrare; quia talis præsentatio resignationis facta Superiori non præjudicat, seu nocet resignanti, quamdiu admissa non est resignatio. Paris. *à n. 12.* citans Nav. *ubi antè* Bursat. *cons. 393. n. 10. vol. 4.* Neque his contrarium ex eo conficitur, quòd postquam postulatio alicujus ad prælaturam præsentata est Superiori, postulantes eam revocare nequeant, juxta *c. Bonæ. de postul.* nam in eo est disparitas, quòd postulantes post præsentationem postulationis jam factam functi jam sint officio ipsis à jure concesso, quæ ratio non habet locum in resignatione præsentatâ. Laym *loco paulò pòst citando.*

3. Hanc quoque pœnitentiam locum habere in resignatione tacitâ asserit Paris. *loc. cit. n. 2.* ex Rebuff. *cons 36. n. 12.* Porrò dum quis non ipso facto cessit in manibus Superioris, dicendo v. g. *cedo beneficio, supplicans, ut cessionem hanc admittere velitis &c.* sed solùm petiit licentiam resignandi, antequam hanc licentiam concedat Superior, revocari posse, tradit Laym. *ad cit. c. quidam:* posteaquàm verò eam concessit, omnem pœnitentiæ locum sublatum esse, & posse talem cogi ad resignandum, tradit Paris. *l. 3. q. 18. n. 48.* citatis quam plurimis, dicitque communem juxta *c. quidam. de renunc.* & Doctores *ibidem*; ac rationem addit *n. 49. juxta glos. [illegible] c. v. compellendus*; ne scilicet illudatur Superiori, dum pœnitentiæ locus relinqueretur; procedere que idipsum ait *n. 59.* non in beneficiis simplicibus tantùm, sed & in dignitatibus, etiam Episcopali, & multò quidem magis; eò quòd, etsi casus *cit. c. quidam* sit de beneficio simplici, militet tamen eadem ratio illusionis & dedecentis variationis, præterquam quòd *cit. c. quidam*, loquatur generaliter; citat pro hoc Host. Card. Butr. *in cit. c.* ac dicit communem & receptam. Item *n. 62.* ait procedere, si licentia sit petita à Papa, sive ab aliis inferioribus; cùm etiam in his militet ratio illusionis, & variationis: citat pro hoc eosdem immediatè ante citatos AA. Item *n. 63.* ait, procedere, sive licentia hæc obtenta per se, sive per alium, de mandato tamen & ad instantiam beneficiati. Item *n. 64.* procedere, sive post obtentam licentiam jus fuerit quæsitum tertio, sive non; cùm fundetur hæc dispositio non in eo, quòd jus fuerit quæsitum tertio; sed in illusione & variatione. Eadem fere hucusque dicta ex Parisio tradit Pirh. *ad tit. de renunc. n. 112.* ubi etiam hanc dat disparitatem: quòd, quem pœnitet se cessisse bonis suis, possit se defendendo contequi, ne bona veniant, juxta *l. quem pœnitet. ff. de cessione bonorum*, nimirum quòd Superiori, utpote coram quo necessariò facienda est renunciatio beneficii, illudatur adhuc, si post obtentam licentiam resilire possit resignans; cessio verò bonorum non necessariò facienda coram Superiore, sed fieri possit extra judicium; tum quia resignatio fieri solet liberè, cessio verò bonorum ut plurimum non nisi necessitate cogente. Ac denique qui cedit bonis, est eorum Dominus; beneficiatus autem non tam Dominus, quàm procurator est beneficii, quod spectat ad Ecclesiam; ideóque potiùs cedenti bonis concedetur pœnitentia; cùm de majore ejus præjudicio agatur, ùt Abb. *in cit. c. quidam n. 1.* Verumtamen rectiùs distinguit Laym. *loc. cit. n. 4.* & ex eo Pirh. *loc. cit. n. 113.* Nimirum procedere doctrinam hanc Parisiis aliàs communem, dum absolutè concessa est venia. Quod si verò Superior non absolutè concessit hanc licentiam, sed solùm alicui commissionem dedit recipiendi renunciationem, attendenda esse verba commissionis, & qualitatem conditionis, quæ interdum apponi solet; & si v. g. dicat: *accipe renunciationem Titii, oneratâ illius conscientiâ, quòd justam renunciandi causam habere sibi videatur*: posse Titium recedere. Si verò dicat: *accipe renunciationem illius, si it à expedire tibi videatur*: esse tunc in arbitrio prudentis commissarii, utrùm revocatio resignationis admittenda sit, nec ne, tradit Idem Laym. *ibidem.* & Pirh *loc. cit.* De cetero Lott. *l. 3. q. 16. n. 34.* ait; quòd licet admissus ad resignandum, non

non possit pœnitere, juxta *c. quidem de renunc.* hoc tamen procedere de rigore juris, qui non servatur ex stylo, quò minùs nova supplicatio porrigi possit pro diversa resignatione; citat pro hoc Put. *decis.* 40. *l.2. & decis.* 15. *sub titulo de renunc.* Addit quoque Pirh. *loc. cit.* quòd secundùm stylum Curiæ Romanæ ante expressum consensum renunciandi in Cancellaria vel Camera Apostolicâ præstitum ab ipsomet renunciante, si is absens sit, semper liceat pœnitere, & recedere à renunciatione etiam post petitam & obtentam licentiam renunciandi à Superiore; hoc tamen solùm locum habere in renunciatione beneficiorum in favorem facta coram Papa; non autem Episcopatuum & aliorum beneficiorum consistorialium. Si enim Episcopus petierit & obtinuerit à Papa licentiam renunciandi, posse eum etiam hodiedum cogi ad resignandum conformiter dispositioni juris communis, nimirum *cit. c. quidam.* Idem tradit Paris. *l.3. q.18. n. 67. 70. & 75.* ubi is: quòd hic stylus, secundùm quem resignans potest pœnitere ante consensum præstitum in cancellaria vel camera, non reperitur observatus in renunciatione Episcopatuum; idque ne ipsi Papæ illuderetur.

Quæstio 265. An, & qualiter in resignatione conditionata, & facta in favorem sit locus pœnitentiæ?

1. REspondeo primò: in hac resignatione est locus pœnitentiæ cum effectu (ità ut vel beneficium retineri vel resignari possit alteri tertio, & in ejus favorem novam supplicationem porrigere, & super ea consensum in Camera præstare, quæ secunda supplicatio attenditur, & est revocatoria prioris, ùt expresè Paris. *l.1 q.12. n.5.* Chok. *post citand. n.27.*) etiam post porrectam (sive per ipsum resignantem præsentem in Curia, sive per ejus procuratorem ad hoc specialiter constitutum: ùt Lott. *l.3. q.16. n 17.*) Papæ supplicam, & ab eo admissam, signatámque manu ipsius Papæ per verbum *fiat ut petitur*; seu datatam parvâ datâ. Quin & post registratam, & ùt Lott. *loc. cit. n.18.* etiam si à tergo supplicationis notata, ùt consuevit, legeretur præstatio consensus; de quo tamen vide dicenda ex eodem ad finem quæstionis) Chok. *ad reg. cancell. 45. n.23. & seq.* Paris. *l.1. q.12. n.16. juncto n.26. 27. 28. 41. & 49.* Lott. *loc. cit n.18* citantes Burs. *cons. 393. vol. 4.* Etsi enim admissio & dicta signatura perficiat gratiam, ùt Put. *decis. 94. l. 1.* & ùt passim Doctores apud Paris. *n.28.* quòd sola signatura admissionis privet resignantem beneficio; idipsum tamen habet hanc tacitam conditionem, quatenus supplicantes in eadem spontanea voluntate persistant, ùt Abb. *in c. super eo. de conditionis appos. n.8. & in fine*; & sic necdum resignatio dicitur in totum perfecta. Paris. *cit. q. 12. à n. 17.* Et licèt ex parvæ datæ annotatione post porrectam supplicam videatur consensus (intellige Pontificis) datus dare valorem gratiæ, Paris. *n.32.* quin &, ùt Abb. *in c. nosti. de elect.* Selv. *p.2. q.15. n.4.* Rebuff. *de pacif. poss n.25.* apud eundem Paris. *n. 34.* ex sola Papæ pronunciatione, quis fiat Prælatus, adhuc tamen post parvam datam (quæ describitur à Notariis, & ùt plurimùm remanet apud impetrantes, nempe resignantes, vel illorum procuratores, quibus licet sic datatam supplicam lacerare, vel apud se retinere. Paris. *n. 35.* ex Burs. *cit. cons. 393. n.7. & 14.*) postque cetera enarrata omnia censetur hæc res adhuc esse integra in ordine ad dictam pœnitentiam. Paris. *n.20. & 35.* Lott. *loc. cit. n. 18.* & licèt ex suppositione præsentiæ resignantis in Curia vel mandati ab eo specialiter dati evitari non possit consensûs (intellige pavi seu causalis & primi) præsumptio; hæc tamen præsumptio (quin & ille ipse consensus præstitus parvæ datæ) non impedit, quò minùs res sit adhuc integra. Lott. *cit. n.18.* Siquidem parva illa data non adjicitur per Papam, aut per ejus Datarium, ut in ea perfecta videri possit signatura, sed per Præfectum parvæ datæ, ut propterea reputetur actus imperfectus; unde & sæpe post eam dimittitur in manibus ipsius resignantis. Lott. *n.19.* citans Burs. *ubi suprà.* & Rotam apud Paleott. *decis. 458. n.5. l.3. p.3. divers.* Et certè illud, quod dicitur, solo verbo perfici gratiam, hodie non procedit; quia gratia dicitur informis literis non expeditis juxta constit. Julii tertii. *de 27. Maji 1553.* Paris. *n.38.* Sed neque respectu præjudicii resignatarii res post hæc omnia minùs est integra; cùm in resignatario potiùs consideranda possit spes quædam acquirendi, quàm juris acquisitio; cùm actûs validitas non pendeat à sola voluntate resignantis, etiamsi in ea persistat, usque quo per Papam approbetur (quæ approbatio tunc plenè secuta censetur post præstitum in Cancellaria consensum, de quo paulò pòst) Lott. *n.20.* & sic dicta spes non impedit variationem. Lott. *n. 22.* nisi fortè simul à dispositione juris quæratur certa spes; quod etsi contingat in casu *l. in diem. ff. de aqua pluvia arcendâ*; in aliis tamen dispositio talis illam conditionem habet: si is, à quo originatur motus, perseveret in eadem voluntate usque ad finem, argumento *l.3. ff. de servis exportandis.* Lott. *n. 23. & 24.*

2. Verùm signanter observandum, quod tradit Lott. *n.35.* quòd si consensus præstitus implicitè ex porrectione supplicationis facta per procuratorem habentem ad hoc speciale mandatum (potest enim consensus etiam induci per solam supplicationis porrectionem per ipsum principalem vel procuratorem ejus; quod tamen intelligendum de consensu, quo valor gratiæ perficitur, non autem de consensu, quo satisfit *regulæ 45. Cancell.* disponenti, non expediri literas, nisi resignans per se vel suum procuratorem hujusmodi expeditioni in Cancellaria consenserit. Chok. *ad reg. illam. n. 33.*) dum resignatio facta in favorem, an fuerit acceptata per resignatarium, & ea implicitâ, acceptatio admissa per Papam, veluti cùm resignatarius expositâ serie facti resignâsset alteri (posse enim resignatarium jus, quod habet ex supplicatione signata & registratâ cedere, & admitti hujusmodi cessionem etiam in favorem, ex Mandos. *in pr. signat. gratiæ. tit. resignationes. colum. 3. vers. beneficii obtenti*, & Paris. *l. 2. q. 24.* qui etiam ait, de stylo Curiæ hanc vocari propriè cessionem, ad distinctionem resignationis alterius tradit Chok. *l. c. n. 37. & 38.* & addit ex eodem Paris. quamvis hodie non de facili hujusmodi cessio facta ante expeditionem literarum admittatur, nisi cum magna intercessione; testari tamen Parisium, se vidisse id concedi) hoc casu res desineret esse integra, compellique posset is, qui supplicationem porrexit ad præstandum consensum explicitum.

3. Item attendendum ad illud, quod habet Lott. *cit. q. 16. à n. 50.* si facta resignatio in favorem, etsi ante literas expeditas & publicatas, adeptámque per resignatarium possessionem resignans licitè incumbat possessioni (ùt dixerat idem Lott. *l.3. q.14.*

l. 3. q. 14 à n. 88.) teneátque in præjudicium successorum facta ab eo alienatio rerum solitarum alienari; non potest tamen à resignatione resilire, ne illudere visus sit: eò quòd, licèt consensus formalis, qui præstatur in vim regulæ expeditioni literarum, dicatur auferre facultatem pœnitendi, tamen hoc satiùs sit accipiendum; ut hinc non possit inferri; quin, si præcedat consensus causalis formaliter præstitus, intercluſa etiam sit eodem modo facultas pœnitendi; cùm hic det valorem gratiæ, & perficiat ipsam resignationem in tantùm, ut si propter aliquem defectum actus sit nullus, non tamen annulletur consensus, sed ut in eo substantia gratiæ vivat, & defectus tolli possit, vel per reformationem prioris supplicationis, vel per novam provisionem; idque perpetuò in vim prioris consensûs, ità ut novo consensu præstando supplicatione opus non sit (utì idem tradit Chok. *loc. cit. n. 29.* juxta Mohed. *decis. 5. de renunciat.*) atque ità consensus hic formalis, de quo in dicta regula respectu gratiæ & illius substantiæ reputetur veluti quid superinductum pro executione actûs jam perfecti & absoluti; ùt Cassad. *decis. 1. de renunc. n. 4.* ut propterea illi facillimè passim derogetur.

4. Ac denique observandum, quod Lott. in confirmationem horum habet *n. 60.* ubi: tota igitur vis in abdicando jus & possessionem à resignante attribuitur illi consensui causali, executo tamen per applicationem ad personam resignatarii mediante apprehensione possessionis, ut inde impediatur regressus resignantis. Quare hoc præcipuè observandum, an talis consensus resignantis purus sit, an conditionalis; si enim conditionalis est, non purificatâ conditione evanescit, veluti si resignans mandatum dedisset ad consentiendum sub reservatione pensionis liberæ & exemptæ à quocunque onere, & non aliàs, & resignatarius consensisset reservationi pensionis simpliciter, non tamen cum hac circumstantia; hoc enim casu jam deficeret consensus resignantis, aperiretúrque illi via ad possessionem, intellige, continuandam.

5. Sed neque his obstat, quòd, dum resignatio facta per procuratorem, is post signatam supplicam mortuo principali, cogatur præstare consensum; nam id intelligitur, si in vita principalis signata fuerit supplica, & principalis resignans perstiterit in eadem voluntate cedendi tempore mortis, aliàs secus. Paris. *cit. q. 12. n. 37.* citans Menoch. *de recup. poss. remed. 1. n. 243.*

6. Porrò procedit hæc responsio, etiamsi resignans post signatam supplicam & datatam juraverit, se non retractaturum, aut variaturum, sed præstiturum consensum formalem in Cancellaria. Quemadmodum & Procurator constitutus ad renunciandum cum juramento de non revocando, revocari potest. Paris. *n. 44. & 45.* ex Bursat. *loc. cit.* Unde jam deducitur primò, quòd dum constitutus ad resignandum Procurator porrexit supplicationem, eáque subsignata fuit & registrata, præstitúsque per eundem Procuratorem parvus consensus, possit principalis resignans hunc procuratorem revocare, intimando in Camera vel Cancellaria hanc revocationem; & licèt de revocatione consensûs per eum dati non exprimat, id tamen sufficit; nimirum ut dictus consensus revocatus censeatur. Chok. *n. 29.* Paris. *cit. q. 12. n. 47.* citans Bursat. *cons. 393. colum. ult.* & Rott. *in Judicens. canonicat. 16. Decemb. 1561.* ac dicens esse communem. & *n. 48.* procedere, etiamsi revocatio consensûs esset nulliter facta, modò constet de mente resignantis, pro quo citat Bursat. *ubi ante* Gomes. &c. De cetero, si principalis rederet certiorem per literas procuratorem, ut sistat, donec alias à se receperit; non poterit interea præstare consensum in Cancellaria, vel etiam resignare; si id necdum fecerit; cùm hæ literæ sint loco intimationis revocationis mandati. Chok. *ad dictam reg. 45. de consensu in resignat. n. 30.* Paris. *l. 9. q. 28.* Secundò deducitur, dicta hucusque procedere quoque in resignatione permutationis gratiâ, ut nimirum post porrectam permutationis gratiâ supplicationem, eámque admissam &c. ante præstitum in Camera vel Cancellaria consensum possit pœnitere, & vel simpliciter retinere beneficium, vel cum alio tertio illud permutare, Paris. *n. 52.* citans Put. *decis. 204. l. 2.* Ac denique vacare beneficium per obitum, cùm resignans moritur post signatam supplicam ante præstitum consensum in Camera vel Cancellaria. Paris. *n. 54.* citans Put. *decis. 92. n. 6.* & *decis. 94. l. 2.* Chok. *loc. cit. n. 28.*

7. Respondeo secundò: Post præstitum verò in Camera vel Cancellaria consensum supplicationi perfectè signatæ, id est, datatæ per Datarium & registratæ, jam desinit res esse integra; quò minùs resignans valeat pœnitere cum effectu, & locum habet illud: remittentibus jura sua non datur regressus. *l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædili edicto.* Lott. *cit. q. 16. n. 27. & 28.* Paris. *cit. q. 12. n. 16.* citans AA. utì & decisiones Rotæ quàmplurimas; dum enim in regula Cancell. *de consensu. in resignat. & pensionib.* (quæ est Sixti V. & quadragesima apud Paris. *n. 21.* vel quadragesima quinta apud Lott. *loc. cit. n. 1.* & Chok. *ad hanc regulam*) ordinavit Papa, ut super resignatione cujuscunque beneficii Eccles. seu cessione juris in eo, quam in manibus suis vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ literæ nullatenus expediantur, nisi resignans, si præsens in Romana Curia fuerit personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expresè consenserit, & juraverit, ùt moris est, Et si ipsum resignantem pluries super uno & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire (intellige hoc consensu formali præstito in Camera) contigerit, voluit sanctitas sua, quòd primus consensus tenere & alii posteriores consensus ac literæ eorum prætextu, etiam sub priore data expeditæ, pro tempore nullius sint valoris vel momenti, &c. dum inquam sic statuitur, hic consensus attendendus est tanquam causa formalis, per quam actus resignationis perficitur, & recipit robur. Paris. *n. 22.* citans Sarn. *ad regul. de infirm. q. 31.* & sinè quo actus resignationis hujus ipso jure invalidatur, ùt Glossator antiq. *ad dictam reg. de consens.* Paris. *n. 23.* adeóque, sicut ante dictum consensum pœnitere licet; quia dum supereſt aliquid agendum, nihil adhuc dicitur actum; *c. super eo de off. delegat.* Paris. *n. 25.* ità post eum pœnitere non licet amplius.

8. Porrò cùm hujus consensûs forma singulariter per dictam *reg. cancell.* introducta sit, quòd esse seu præstari debeat adjuncto juramento (nempe quòd non intervenerit fraus, dolus, vis, metus, nec aliqua simonia) aliàs à jure communi non exacto, (quin & vi cujus sufficiebat simplex consensus per supplicationem, ùt Chok. *loc. cit. n. 9.* ex Cassad.

sad. & Mohed.) hinc hic consensus sic externus (non ex eo, quòd quasi priùs minùs perfectè præstitus extendatur dein simpliciter in Cancellaria, sed quòd extendatur cum dicto juramento. Lott. *n.* 9.) pro forma hujus renunciationis invectus est. Lott. *n.* 8. citans Felin. *in c. cùm dilecta. n.* 34. *de rescrip.* Anchar. *cons.* 36. *n.* 2. *&c.* Multúmque differt hic consensus formalis ab illo priori præstito resignationi dicto causali, de quo vide Lott. *l.* 1. *q.* 25. *n.* 70. Differt quoque hic consensus formalis præstitus, nimirum in Cancellaria vi dictæ regulæ pro expeditione literarum ab illo consensu præstito supplicationi seu parvæ datæ, quòd hic causalis consensus perpetuò ponatur sub data signatæ supplicæ; ille verò formalis, etsi recipiat datam diversam à supplicatione, retrahatur tamen semper ad datam supplicæ seu diem datæ supplicæ. Lott. *n.* 31. & 32. Paris. *n.* 30. qualiter retrotrahi non potest, si ante illum intervenerit pœnitentia; quia jam est de subjecto non supponente, seu extrema non sunt habilia. Paris. *cit. n.* 30.

9. Notandum tamen, quæ circa hæc habet Lott. *n.* 59. ubi: quòd hæc quidem processerint secundùm usum ad sua usque tempora; ceterùm hodiedum (intellige tempore Lotterii) inventus sit stylus, quo distinctio illa inter consensum illum parvum & extensum prorsus sit sublata, indéque meliùs fraudibus occursum, quàm per dictam regulam; dum priùs non adjicitur consensus à tergo supplicationis signatæ, quàm ille sit in libris Cameræ extensus: adeóque in Cancellaria præstitus sub ea verborum formalitate, quæ respiciat tam signaturam supplicationis, quàm expeditionem literarum; indéque frustratoria est indago temporis, an sit præstitus ante, vel post datam extensam, quod vix olim etiam erat practicabile; cùm inter datam parvam & extensam respectu temporis nulla sit differentia; dum nihil est, quin eodem die, quo supplica fuit signata, parvâ datâ, Datarius valeat eandem datam extendere. Vide eundem de his pluribus, & de hoc consensu extendendo plura *quæst. seq.*

Quæstio 266. *Quare, quando, ubi, à quo, & in quorum beneficiorum resignatione, & qualiter hic consensus præstandus & extendendus in Camera vel Cancellaria Apostolica?*

1. REspondeo ad primum: Consensum hunc ideo per ipsum resignantem, vel ejus Procuratorem ad hoc specialiter constitutum præstandum seu extendendum, & quidem cum juramento, ùt dictum; seu ideo invectam hanc regulam Cancellariæ quadragesimam quintam, ut præcaveantur & tollantur fraudes & doli, qui aliàs oriri possent, dum alius posset nomine alterius porrectâ supplicatione resignationis eum privare beneficiis. Chok. *ad illam reg. n.* 8. citans Sarnens. *ad reg. de public. resign. n.* 3. & 4.

2. Respondeo ad secundum: Consensus hic sub pœna nullitatis resignationis vi constitut. Clem. VII. 19. incipientis: *Sanctissimus in Christo Pater &c.* præstandus seu extendendus in Camera erat intra dies 15. (in resignationibus tamen venientibus ex Francia intra tres menses, Chok. *loc. cit. n.* 10. Paris. *n.* 137.) numerandos à die præstationis consensûs supplicæ, sive à die missæ supplicationis per Datarium ad registrum, seu summistam. Paris. *l.* 8. *q.* 8. *n.* 126. Chok. *loc. cit. n.* 11. Lott. *cit. q.* 16. *n.* 25. Idque (quæ fuit intentio illius Pontificis in edenda dicta constitutione) ad obviandum fraudibus & machinationibus per resignantes excogitatis, & ne beneficiorum status hæreret in incerto positus; dum interea differendo illum consensum in arbitrio resignantis erat, velle cessionem à se factam cum parvo consensu probare, & ad perfectionem deducere, aut potiùs improbare & pœnitere. Paris. *loc. cit. n.* 128. & 129. Lott. *cit. n.* 25. Porrò hanc constitutionem non exspirâsse morte Clementis conditoris, sed esse perpetuam, non secùs ac alias Extrav. eò quòd, licèt hæc constitutio allegetur pro regula Cancell. (quæ morte Papæ earum conditoris exspirant) habeat tamen essentiam constitutionis; constitutio autem sit perpetua; quia habet vim legis, tradit Paris. *loc. cit. n.* 132. subjungens *n.* 135. obligare etiam ignorantes, cùm habeat decretum irritans, nimirum resignationem. Verùm tamen dictam constitutionem Clem. ceteráque ejus prædecessorum per non observantiam ad dictum tempus exoleviisse (etsi dicta constitutio & aliæ observentur quoad multa alia in iis contenta, v. g. quoad descriptionem consensûs in libris Cameræ, &c. cùm novum non sit constitutionem servari quoad aliqua, & quoad alia abiisse in desuetudinem, ùt dicitur in decis. Rotæ mox citandâ) ait Lott. *loc. cit. n.* 26. & Chok. *l. c. à n.* 42. dicens proinde inanes esse constitutiones; quas Parisius multis verbis discutit, juxta decis. Rotæ *in Conchen. beneficii.* 14. *Novemb.* 1611. *quæ est* 356. *p.* 1. *recent.* quam fusè recitatam ab eodem Chok. utiliter leges. Atque ità, licèt aliàs Cancellaria non solebat admittere Procuratorem ad renunciandum post annum, ùt Glossator antiq. Chok. *l. c. n.* 57. valet tamen hodiedum consensus ille in Camera præstandus præstitus per Procuratorem etiam post quatuor annos à morte resignantis. Chok. *n.* 44. nisi fortè appareat mutata ante mortem voluntas principalis, sitque revocatio intimata Procuratori vel resignatario. Chok. *ibid.* vel si procurator vivo resignante supplicationem non porrexisset; quia cùm per mortem mandantis exspiret mandatum, talis procurator re adhuc integrâ nihil facere potest, seu non potest porrigere supplicationem, & postea præstare consensum in favorem resignatarii Chok. *cit. n.* 44. Paris. *l.* 9. *q.* 24. *n.* 9. & 10. dicens communem & in praxi receptam. De cetero consensus hic perficiens resignationem non solùm vivo resignante præstari potest, sed etiam post mortem illius per procuratorem illius, modò per hunc procuratorem fuerit porrecta supplica signata, & data resignante vivo. Chok. *n.* 12. Paris. *cit. q.* 24. *n.* 14. & 15. juxta *Extrav.* Leonis X. & Alex. VI. apud eundem, & plurimos ab eo citatos Auctores. Procedítque idipsum, etiamsi probaretur, constituentem ante mortem mutâsse voluntatem suam, modò illa voluntas revocata non fuerit intimata. Chok. *cit. n.* 12. Paris. *cit. q.* 24. *n.* 26. & *q.* 25. *n.* 12. juxta *Clem. I. de renunc.* intellige, vel resignatario, vel procuratori, vel notariis Cameræ. Paris. *cit. q.* 24. *n.* 26. & 27. Econtra non procedit, si principalis ipse porrexit supplicationem, & postea constituit procuratorem ad consentiendum resignationi; in hoc enim casu procurator ille præstare non poterit consensum post mortem principalis; quia respectu ipsius procuratoris res

est integra, cùm nihil egerit & consequenter exspirat mandatum. Chok. *n.* 15.

3. Illud quoque spectat ad hanc circumstantiam temporis, quo hic consensus præstandus, an dum necessarius est quoque consensus resignatarii, ut dum resignatio est cum reservatione fructuum aut pensionis, consensus utriusque tam resignantis quàm resignatarii præstari debeat uno eodémque tempore; ad quod quidem respondet Paris. *cit. q.* 8. *n.* 88. negativam esse veram, eò quòd nullibi reperiatur, hos duos consensus uno eodémque tempore præstandos. Idem tradit Chok. *loc. cit. n.* 45. *num.* tamen 94. ait Paris. secundùm plures & peritos practicos, unum ex hisce consensibus non posse, nec solere extendi absque alio, eò quòd uterque sit formalis, & cùm unus sit pars alterius, formam esse individuam, juxta quod tradit Rota *in Acherontina fructuum.* 16. *Jun.* 1579. Illud certum juxta eandem decis. esse locum pœnitentiæ, donec uterque consensus sit extensus; quia tamdiu res est integra, Paris. *n.* 95. & in tantùm consensus ille resignatarii (intellige etiam extensus) est necessarius in tali resignatione conditionali reservativâ fructuum, vel regressûs, ut si ante illum positum resignans moriatur, beneficium vacet per obitum illius. Paris. *n.* 96. eò quòd, cùm resignatio sit conditionalis, requirebatur adimplementum illius conditionis ante mortem resignantis, & regula sit: Ubi aliquid agendum supereſt, nihil actum est: & ideo post mortem resignantis non potest consentire resignatarius; quia res non est integra; cùm resignanti neque regressus, neque reservatio fructuum acquiri possit. Paris. *n.* 97.

4. Respondeo ad tertium primò: Recepta praxis & stylus Curiæ jam est, quòd soleat consensus hic præstari vel in Camera, vel in Cancellaria. Chok. *loc. cit. n.* 41. Paris. *l.* 8. *q.* 8. *n.* 12. citans quamplurimos. & *n.* 33. juxta Rotam *in Astoricensi.* 5. *Martii* 1548. ità ut, si præstetur consensus hic alibi, consensus sit nullus; cùm paria sint, non præstare consensum, & præstare illum absque solennitate requisitâ (intellige pro forma) adeóque in tali casu opus sit novo consensu. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 14. Chok. *loc. cit.* Idque etiam independenter ab eo, quòd præstetur consensus intra tempus definitum in Constitut. Clem. VII. utpote quæ, ùt dictum, exolevit. Chok. *n.* 42. proceditque responsio in omnibus & quibuscunque personis, resignantibus in manus Papæ, exceptis Cardinalibus, qui ob eorum maximam dignitatem, & infinita, ùt ait Paris. privilegia præstant consensum per schedulam propriâ manu subscriptam, proprióque sigillo signatam. Paris. *loc. cit. n.* 15. & 16. Secundò: Extendendus est hic consensus per Notarios Cameræ vel Cancellariæ in eorum libris juxta constitut. Clem. VII. Paris. *n.* 69. non sufficit autem, hunc consensum in Broliardo extendi, sed dicta constitutio Clem. VII. requirit, ut extendatur in libris authenticis Cameræ. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 140. Et donec hic consensus extensus est in hisce libris, potest resignans, ùt dictum, pœnitere, Paris. *n.* 70. Scribi quoque hunc consensum formalem à tergo in supplicatione originali & literis, ùt fieri videmus, ait idem Paris. *n.* 73. & hunc consensum solere apponi à tergo Bullarum in literis provisionis, & nisi apponatur, literæ sint nullæ, & non solere has literas expediri, nisi contento consensu à tergo illarum, ex Put. & Mohed. tradit idem Paris. n. 73.

5. Respondeo ad quartum: Potest hic consensus præstari per ipsum principalem, vel ejus procuratorem, requiritur tamen, ut, si ipse principalis sit præsens in Curia (quæ ut glossator antiq. apud Chok. *loc. cit. n.* 4. debet hic accipi pro muris tantùm civitatis, vel ad summum pro suburbiis quoque, & non pro spatio duarum diætarum ab urbe) personaliter præstet hunc consensum, ità ut tunc ad hoc procuratorem constituere nequeat. Chok. *l. c. n.* 39. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 22. & 23. & fusiùs *l.* 9. *q.* 12. *à n.* 1. citans Gig. *de pens. q.* 11. *&c.* Idque, etiamsi sit in magna dignitate etiam Cardinalitia. Hinc, ùt dictum, Cardinales, dum consignant scedam, in qua eorum conscriptus consensus, mittunt Notariis, vel ipsi Notarii accedunt ad eorum palatia ad recipiendum consensum; Chok. *cit. n.* 39. Paris. *cit. q.* 12, *n.* 6. citantes Navar. *ad c. accepta. oppositi.* 7. *n.* 27. *de restit. spol.* Non tamen procedit responsio, dum præstatur consensus in Camera; tum enim Notarii Cameræ etiam Procuratores præsentium admittunt. Paris. *l.* 9. *q.* 12. *n.* 8. & ex eo Chok. *l. c.*

6. Respondeo ad quintum: Locum habet hæc regula de præstando seu extendendo consensu in Camera vel Cancellaria in beneficiis omnibus, etiam dignitatibus & personatibus, non tamen in beneficiis consistorialibus. Chok. *loc. cit. n.* 32. citans Tusch. *pract. conclus. to.* 6. *conclus.* 99. *in fine.* Paris. *cit. q.* 8. *n.* 6. & 1. Sic renunciationes Episcopatuum fiunt in Consistorio præsentibus Cardinalibus. Chok. *n.* 32. & in his cessionibus Episcopatuum præstatur consensus Cardinali, qui consicit processum, & est relationem facturus in Consistorio. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 10.

7. Respondeo ad sextum primò: Hic consensus præstandus est de necessitate, ità ut aliàs ipso jure annulletur ipse actus, nempe resignationis; non præstito enim hoc consensu, non expediuntur literæ in Cancellaria vel Camera; his literis autem non expeditis non prodest resignatio; cùm non possit capi possessio, multóque minùs percipi fructus. Paris. *cit. q.* 8, *n.* 2. Item literæ ipsæ, si seorsim absque tali consensu fuerint expeditæ, sunt nullæ & invalidæ; dum enim dicitur in regula: *Literæ nullatenus expediantur, nisi cedens.* &c. utique verbum illud *nullatenus* absque dubio literas ipso jure annullat; cùm à forma expressè præscripta recedatur. Paris. *cit. q.* 8. *nu.* 51. & 52. Glossator antiq. ad Chok. *ad dictam reg.* 45. *nn.* 2. Secundò: Consensus hic debet esse expressus; ùt colligitur ex regula Paris. *cit. q.* 8. *n.* 25. citans Put. *decis.* 10. *n.* 5. *l.* 2. ac dicens esse receptam communiter ab omnibus in praxi; ubi enim in aliquo actu requiritur consensus, intelligitur de expresso. Paris. *ibid. n.* 26. citans Sarn. *de impetrat. benefic. per obitum famil. Cardinal. q.* 11. *n.* 2. *&c.* & quoties agitur de præjudicio alicujus, requiritur consensus formalis; in resignationibus autem vel maximè agitur de præjudicio resignantis; cùm resignare sit donare, adeóque non præsumitur quis renunciare beneficio, nisi de eo constet expressè; Paris. *l. c. n.* 37. & 38. dicens esse communem DD. Proinde consensus hic aliter, quàm expressè præstitus est invalidus; quia paria sunt non præstare consensum, & præstare illum absque solennitate requisita; seu paria sunt, non consentire, & consentire nulliter, ùt Put. *decis.* 360. *n.* 6, *l.* 2. Paris. *n.* 45. & 46. & sicut actus contra legem gestus nullus est, *l. non dubium. c. de l.*

sic

sic etiam gestus contra stylum, ut Cravett. *cons.* 201. *n.* 19. & 20. Gig *respons.* 22. *n.* 8. Alciat. *cons.* 220. *in fine.* apud Paris. *n.* 49. Regula autem requirit consensum præstari expresse, & sic præstandum esse, est de stylo receptum, & sequitur, hunc stylum servandum esse tanquam legem. Paris. *nu.* 47. Hinc jam quoad expeditionem literarum & abdicationem juris à resignante, non esse validum consensum, qui colligitur ex porrectione supplicationis, ait Paris. *cit. q.* 8. *n.* 28. Neque sufficiens est consensus, qui appellatur parvus, seu præstitus parvæ datæ; cùm hic remaneat penes partes. Paris. *n.* 29. Porrò licèt, dum constaret, consensum illum sic nulliter fuisse præstitum, in revalidatione requiratur novus consensus. Paris. *num.* 54. de quo plura *q. seq.* dum tamen aliud non constat, præsumitur in expeditione literarum interveniisse consensus bonus. Paris. *nu.* 55. citans Caputaq. *decis.* 313. *p.* 1. *in principio.* semper enim capitur præsumptio pro validitate actûs, juxta notat. *in l. quoties. ff. de verb. signif.* & *l. quoties. ff. de reg. juris*, ità ut hæc præsumptio, quòd actus valeat, præferatur aliis præsumptionibus, ùt Decius *in l. postquam liti. n.* 23. *c. de pactis.* Paris. *nu.* 56. & 57. Et certè præsumitur pro Notariis Cameræ & aliis Officialibus; dum hi non recepissent consensum nisi bonum, & non permisissent fieri expeditionem literarum. Paris. *num.* 59. Idque multò magis, si literæ jam à multo tempore erant expeditæ: consensus siquidem requisitus ad validitatem actûs ex spatio longi temporis præsumitur interveniisse. Paris. *nu.* 60. citans Mascard. *de prob. conclus.* 417 & plurimos alios; tempus autem longum, ut præsumatur consensus, est 10. annorum. Paris. *num.* 62. citans Mascard. *ubi antè.* Lamb. *de jurep. l.* 1. *q.* 9. *p.* 1. *nu.* 107. *&c.*

Quæstio 267. *An, dum literæ provisionis sunt reformandæ, sufficiat consensus formalis legitimus jam præstitus, an requiratur novus; & è contra dum consensus hic præstitus fuit nullus, post expeditionem revalidari queat?*

1. REspondeo ad primum: Si de consensu (intellige legitimè semel præstito) facta fuit expeditio literarum, opus non est novo consensu; sed potest rursus sub eodem consensu fieri nova expeditio super nova gratia. Lott. *l.* 3. *q.* 16. *n.* 57. ità ut, si propter defectum aliquem actus sit nullus, defectus tolli possit per reformationem prioris supplicæ, vel per novam provisionem in vim prioris consensûs. Lott. *ibid. n.* 56. Paris. *l.* 8. *q.* 8. *n.* 63. citans Mohed. *decis.* 60. quæ incipit: *si eadem parte. tit. de renunc.* ubi is ait: quòd practica est, ut signatâ supplicatione consensus præstetur in Camera vel Cancellaria; & postea expediantur Bullæ, in quibus, si aliquis defectus est, tunc fit reformatio ad primam supplicationem, vel nova provisio tollens defectum, pro expeditione sufficit primus consensus &c. Loquitur autem Paris. de consensu simplici & puro (quem *n.* 66. ait dici illum, quoties fuit præstitus juxta formam supplicationis, & contenta in supplicatione concernunt validitatem resignationis, & tendunt ad corroborationem voluntatis renunciantis) eò quòd consensus simplex & purus, sive si consensus est simpliciter præstitus, præsumitur durare juxta *l. eum, qui voluntatem. ff. de prob.* & *c. majores. de baptism.* & Put. *decis.* 258. *n.* 7. *l.* 3. Paris. *n.* 64. & 65. secus verò esse, ait Paris. *in fine. nu.* 65. si consensus non sit simplex, sed ad certum actum, v. g. si sit sub reservatione regressûs. Unde subjungit *nu.* 67. & 68. Si duæ supplicationes ejusdem datæ reperiantur, in quarum una reservatur resignanti regressus, in alia verò non; & postea verò resignatarius consensit juxta formam supplicationis sub tali data, referendum hunc consensum juxta decis. Rotæ *in Abulensi parochial.* ad supplicationem, in qua regressus non erat reservatus; quia is, qui habet regressum, debet probare consensum, quem quia non probat concludenter, cùm is referri possit ad aliam supplicationem, illi supplicationi standum.

2. Respondeo ad secundum: Dum consensus præstitus in vim dictæ regulæ 45. *Cancell.* est nullus, quia v. g. præstitus per procuratorem non idoneum, potest revalidari post expeditionem literarum, v. g. quia procurator legitimus, vel ipse Dominus consentit legitimè. Eò quòd ubi consensus requiritur in aliquo actu, sufficit, quòd quomodocunque præstetur; adeóque sive sequatur, sive præcedat, actus est validus, argumento *c. una.* & *c. suggestum. de jurepatr.* Paris. *cit. q.* 8. *n.* 104. & 105. citans pro hoc Sarn. *ad reg. de infirmis, q.* 26. *colum.* 2. Put. *decis.* 268. *n.* 2. *l.* 3. Caputaq. *decis.* 205. *l.* 1. Cassad. *decis.* 1. *nu.* 4. & *decis.* 3. *de renunc.* & Rot. *in Segobiens. de Villa castri.* 17. *Octobris.* 1552. teste Caputaq. *decis.* 175. *p.* 2. Neque his obstat primò *c. auditis. de Elect.* ubi doctores omnes colligunt ex illo textu, consensum nihil operari, quando actus est nullus, maximè, quando hic consensus supervenit tempore non congruo; quia id speciale est in electione, ob rationem ibi tradi solitam à doctoribus. Paris. *nu.* 101. *juncto n.* 105. *in fine.* Neque obstare videtur, quòd consensus de stylo requiratur ante expeditionem literarum; quoties autem requiritur aliquid per prius & posterius, videtur hoc ipsum datum pro forma, & formâ non servatâ actus corruit: nam respondet Paris. *n.* 108. formam illam, quòd consensus debeat præcedere expeditionem literarum, respicere ipsos expeditores, non autem partes, quæ illas expediri volunt; unde & regula illa non sit de dandis. citat pro hoc Caputaq. *decis.* 175. *n.* 4. & 5. Subdit tamen Paris. *cit. n.* 108. si consensus absolutè non fuisset præstitus, se credere, consensum supervenientem expeditioni literarum non revalidaturum resignationem; eò quòd hic consensus requiratur formalis, & per consequens à principio debet intervenire.

Quæstio 268. *Sub qua die ponatur consensus hic formalis præstitus, & quomodo præstitus probetur?*

1. REspondeo ad primum: Consensum hunc retrotrahi ad tempus datæ supplicationis, etiamsi sit præstitus longo tempore pòst. Paris. *l.* 8. *q.* 8. *n.* 111. citans Sarn. *decis.* 20. *l.* 1. Caputaq. *decis.* 206. *l.* 1. *&c.* Unde dicitur, quòd data consensûs præstiti non attendatur, licèt necessarius sit pro expeditione literarum; cùm ex tunc, scilicet ex tempore datæ supplicæ dicatur fieri resignatio. Unde dicitur in literis: *hodie in manibus nostris resignavit*: & ponitur tempus datæ supplicæ. Paris. *n.* 112. ex Crescent. *decis.* 210. *in fine. l.* 1. Quòd siquis porrexit supplicam; quæ fuit signata, & dein fecit aliam resignationem, si dein consensit primæ supplicæ signatæ, consensus retrotrahitur ad diem da-

tæ illius, & consequenter tenet illa. Si verò consensit secundæ resignationi seu supplicæ, & nondum consensit primæ, consensus non potest retrotrahi ad datam primæ. Addit quoque Paris. *n.* 115. non retrotrahi consensum ad diem datæ, quoties id esset cum præjudicio tertii; citat pro hoc Put. *decis.* 268. *n.* 3. *l.* 3. verùm circa hæc reflectendum, quæ *q.* 265. *num.* 9. ex Lott. dicta, nempe hodie esse stylum, non priùs adjiciendi consensum à tergo supplicæ signatæ, quàm ille sit extensus in Cancell.

2. Respondeo ad secundum: Non sufficere semiplenam probationem, qualis esset per testes de publica voce & fama, sed requiri plenam; eò quòd talis probatio non sit difficilis. Paris. *cit. q.* 8. *num.* 76. juxta decis. Rot. *in Camaricens. Canonicat. S. Gangarici.* 8. *Junii.* 1552. Verè igitur probabitur, si in bullis provisionis fiat de hoc mentio, prout requiritur de stylo. Paris. *nu.* 82. ex Put. *decis.* 368. *nu.* 3. *l.* 2. Addit tamen Paris. *num.* 80. consensum hunc præstitum probari posse ex dicto Notarii Cancellariæ & testium, uti & *n.* 83. visis literis renunciationis, præsumi hunc consensum præstitum; cùm aliter literæ non fuissent expeditæ; eò quòd præsumendum sit pro Notariis, & sic aliter asserent incumbere onus probandi.

Quæstio 269. *An, & qualiter, & in quibus casibus derogetur dictæ regulæ* 45. de extendendis consensibus?

1. Respondeo ad primum: quamvis Paris. *cit. q.* 8. *nu.* 121. dicat huic regulæ regulariter non derogari, ait tamen Lott. *l.* 3. *q.* 16. *n.* 59. facillimè derogari huic regulæ; eò quòd, ùt dictum aliàs ex eodem, consensus hic formalis, de quo in regula hac, respectu substantiæ gratiæ reputetur veluti quid superinductum pro executione actûs perfecti & absoluti.

2. Respondet quoque ad secundum Paris. *loc. cit. n.* 122. quòd derogatio debeat esse nominatim & expressa; eò quòd regulæ Cancellariæ habeant decretum irritans: citat pro hoc Felin. *in c. nonnulli. n.* 7. *de rescrip.* Cassad. *decis.* 38. *n.* 11. *super reg.* Sarn. *in proœm. regulæ juris. q.* 5.

3. Respondeo ad tertium: casus, in quibus derogatur huic regulæ sunt primò: quoties beneficium confertur absenti cum reservatione pensionis; posse enim Papam reservare pensionem absque consensu beneficiati communiter receptum est, & resolutum in Rota Chok. *ad hanc reg. num.* 47. testans, vidisse se id factum à Paulo 5. in certo Canonicatu derogando huic regulæ. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 118. Verumtamen, ùt ait Lott. *l.* 1. *q.* 35. *nu.* 72. consensui primo seu causali (sic dicto, ùt Lott. *ib. n.* 69. quia per modum causæ tam in supplicatione, quàm in literis narratur, & sic super eo radicatur gratia) minimè unquam derogat Papa (etsi posset, in his enim non est quæstio de potestate, sed de voluntate & usu) imò tantùm abest, ut isti primo consensui deroget, ut etiam talis derogatio prorsus sit impracticabilis, ità ferè *ibid.* Lott. Secundò: quoties resignatur in favorem minoris absentis; tunc enim derogatur dictæ regulæ, & Papa contentatur non præstito consensu minoris, adeóque resignatio illa annullari nequit ob non præstitum à resignatario consensum. Chok. *loc. cit.* Paris. *n.* 120. Verumtamen non in his solùm casibus derogatur huic regulæ, ait Lott. *loc. cit. n.* 59. sed etiam in aliis passim, ùt videre est ex decis. Rotæ, 396. *p.* 7. *divers.*

Quæstio 270. *An resignans possit repetere beneficium resignatum, & ad illud regredi, intelligendo hoc non de regressu, qui datur post mortem, vel cessionem resignatarii, vel quia hic reservatus fuit in resignatione; de hoc enim agetur infra, ubi de resignatione sub reservatione regressûs, vel quia daretur ex nova causa, puta, dum beneficio resignato iterum vacante quis ad illud eligeretur, præsentaretur, aut aliter de eo provideretur (posse enim talem nova causa intercedente illud repetere, & ad illud regredi certum videtur, & quotidie practicatur de stylo communi & recepto; & juxta doctores omnes* in c. 2. de renunc. *Paris.* l. 1. q. 13. n. 43. *idque etiamsi jurasset quis simpliciter, se nolle tale beneficium repetere juxta* cit. c. 2. de renunc. *& gl.* in c. ad nostram. de jurejurando. *Paris.* cit. q. 13. n. 45. *eò quòd juramentum non extendatur ad ea, de quibus non fuit cogitatum.* c. clericus. de jurejur. & ibi *auctores. Item regulariter non extenditur ad ea, quæ superveniunt, ut gl.* in cit. c. ad nostram. *Paris.* à n. 46. *quod tamen non procedere, dum quis ob crimen resignavit, tradit Paris.* loc. cit. n. 51. *juxta doctores in* c. nisi, de renunc. *uti nec de Episcopo renunciante, ut monachus fiat. Paris.* ibid. n. 52. *citans Majol.* de irreg. l. 3. c. 6. n. 7. *& doctores in* c. post translationem. de renunc.) *sed intelligendo quæstionem de eo regressu, qui fieret resignatario vivente, & non sponte cedente, aut aliàs post resignationem simplicem beneficio necdum collato?*

Respondeo negativè: (intelligendo nimirum, dum renunciatio fuit perfecta eo modo, ùt dictum *q. præced.*) constat ex *c. periculosum. 7. q. 1.* ubi dicitur: *quàm periculosum sit in divinis rebus, ut quis cedat juri suo, scriptura S. declarat: dum in Genesi Esau primatum suum inde perdiderit, nec recipere ideo postmodum potuerit, quòd semel cessit &c.* & ibi gl. v. *quam.* Gemin. Turrecrem, & alii passim. Item ex *c. transmissa. c. de renunc.* & ibi Butrio *num.* 1. Abb. Bald. & alii communiter; & *c. si te prabendam, ad renunc. in 6.* & ibi auctores Paris. *l.* 1. *q.* 13. *n.* 1. citans C. Paris. *cons.* 135. *n.* 2. *vol.* 4. Rebuff. *cons.* 192. *n.* 4. Ratio quoque patet, quia resignans abdicavit à se omne jus, quod habebat. Ad hæc illusio & variatio, qualis contingit in tali repetitione & regressu, prohibetur maximè viris Ecclesiasticis. *c. cum autem. de jurep. c. publicato. de elect.* Paris. *loc. cit. à n.* 2. Et cùm, quod à principio est voluntarium, ex post facto efficitur necessarium, *reg. quod semel, de reg. juris, in 6.* resignans beneficiū, quod à principio non cogebatur resignare, voluntariè resignatum non potest repetere. Paris. *n.* 7. atque ità petenti restitutionem beneficii obstat exceptio spontaneæ renunciationis. *c. super hoc. de renunc.* Paris. *n.* 34. defectus namque notorius proprietatis (qualem notorium defectum proprietatis be-

neficii

neficii inducit renunciatio. Paris. *nu.* 36. ex Abb. communiter recepto *in c. sollicitè. de restit. spol.*) repellit aliquê à repetitione sui beneficii. Paris. *n.* 35. citans Rotam. *decis.* 2. *de restit. spol.* ac dicens esse communem teste Navar. Operatúrque exceptio cessionis eundem effectum, quem exceptio litis finitæ & rei judicatæ. Paris. *n.* 37. sic resolutum dicens *in Mediolan. pensionis.* 1. *Julii* 1551. teste Caputaq. *decis.* 320. *p.* 1. de hoc intelligunt doctores, dum dicunt, renunciantibus sua beneficia ad illa obtinenda non dari regressum. Paris. *ibid. n.* 9. citatis quamplurimis. Proceditque responsio etiam in tacita renunciatione; cùm tacita renunciatio in præjudicium resignantis idem operetur, quod expressa. Paris. *loc. cit. n.* 10. citans C. Paris. *cons.* 76. *n.* 1. & *seq. vol.* 4. Hoied. *de incomp. p.* 1. *c.* 13. *n.* 36. *&c.* Procedit item, etiamsi renunciatio non fuerit juramento firmata. *c. transmissa. & c. præsentia. de renunc.* Paris. *n.* 37. & 30. citans Abb. *in c. super.* 20. *n.* 7. *de renunc.* Nav. *in c. accepta. de restit. spol. n.* 7. Verumtamen, quia hæc responsio multas patitur limitationes & casus, in quibus iste regressus videtur esse licitus, sit

Quæstio 271. *An, qui resignavit inconsulto, possit pœnitere & repetere beneficium?*

REspondeo: Potest, si necdum collatio sit facta alteri. Paris. *l.* 1. *q.* 13. *nu.* 39. citans Gemin. *in c.* 2. *de renunc. in* 6. *nu.* 12. Bursat. *cons.* 393. *n.* 10. *vol.* 4. ac dicens esse communem. Sic locum habere in eo responsionem, qui motus irâ vel indignatione renunciavit, dicit *ibidem* Paris. citans Decium *in c. ex parte.* 1. *de off. deleg. n.* 24. Boërium *decis.* 150. *nu.* 5. qui etiam pro hoc rationes adducat; subdit tamen idem Paris. *ibid.* responsionem hanc hodie locum non habere in praxi, loquendo de resignatione, quæ fit coram Papa, cùm illa non expectatur statim, sed ex intervallo temporis; dum interea licita sit pœnitentia usque ad consensum præstitum & extensum in camera vel Cancellaria.

Quæstio 272. *An resignans possit repetere beneficium, dum resignatio facta vi, metu vel dolo?*

REspondeo affirmativè: Argumento *cap. super hoc. de renunc.* & *ibi* auctores communiter, uti & *in c. in præsentia. tit. eodem.* Paris. *l.* 1. *q.* 13. *n.* 40. citans C. Paris. *cons.* 66. *à nu.* 1. *vol. quarto.* Coras. *tr. de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 9. & 10. ubi is dicat, has causas repetendi beneficium esse approbatas à jure, & talem venire restituendum absque nova collatione, ait Paris. *l.* 1. *q.* 14. *n.* 17. citatis Abb. Felin. *in c. si vno. de jurejurando.* & Card. Paris. *cons.* 5. *n.* 165. *vol.* 4. verùm de hoc ex professo fusiùs infrà, ubi de resignatione facta vi, metu, dolo, &c.

Quæstio 273. *Virum quis possit repetere beneficium, quod resignavit, postquam eo spoliatus fuit?*

REspondeo affirmativè: Seu talem restituendum esse. Paris. *cit. q.* 13. *n.* 53. citans Rot. *decis.* 6. *de renunc. in antiq. & decis.* 3. *de renunc. in novis.* C. Paris. *cons.* 1. *n.* 151. *vol.* 1. Menoch. *de remed. recup. poss. remed.* 1. *n.* 263. *n.* 272. qui attestetur hanc esse communem omnium. Idque procedit, etiamsi resignatio facta in favorê alterius, quàm illius, qui spoliavit. Paris. *cit. n.* 53. juxta decis. Rotæ *in Imol. prab.* teste Caputaq. *decis.* 241. *l.* 1. & Pelegrino. *decis.* 275. *l.* 1. verùm & de hoc ex professo infrà. *loc. cit.*

Quæstio 274. *An quis redire possit ad beneficium, in quo jus quæsitum resignatario, dum non servantur conditiones?*

REspondeo affirmativè: Paris. *cit. q.* 13. *nu.* 54. dicens sic pluries resolutum à Rota, & esse communem, ac referens se ad seipsum *eodem. l.* 1. *q.* 3. sed & de hoc in specie; nempe ubi de resignatione sub pensione, qualiter eâ non solutâ regrediatur resignans ad beneficium.

Quæstio 275. *An resignans in casibus, in quibus redire potest ad beneficium, id possit sine nova collatione?*

1. REspondeo primò: In casu, ubi quis renunciavit beneficio simpliciter, redire ad illud nequit sinè nova collatione seu provisione. Paris. *l.* 1. *q.* 14. *n.* 20. citans C. Paris. *in c. cùm venerabilis. de except. nu.* 42. & est communis, ut idem; & patet; cùm enim per talem resignationem extinctus sit titulus resignantis, ùt redeat ad illud beneficium, requiritur novus titulus seu provisio. Paris. *cit. n.* 20. citans C. Paris. *ubi antè. n.* 44. Nav. *in c. accepta. n.* 31. *oppositi. 7. de restit. spol.* & gl. *in c. quòd Dei. de statu Monach.* Idque verum sive beneficium simpliciter resignatum collatum fuerit alteri, sive non; cùm in utroque casu vacârit beneficium. Paris. *ibidem n.* 21. Card. Paris. *cit. n.* 42.

2. Respondeo secundò: Si resignatio conditionalis habuerit effectum, non potest resignans redire ad beneficium sinè nova collatione. Paris. *cit. q.* 14. citans Felin. *in c. cùm venerabilis. de except. n.* 11. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 164. Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 10. *n.* 29. Selv. *p.* 3. *c.* 24. *n.* 3. *&c.*

3. Respondeo tertiò: Dum resignatio conditionalis non habuit effectum ob non impletas conditiones, potest redire ad beneficium sinè nova collatione. Paris. *loc. cit. n.* 6. & 14. dicens esse veriorem, & servari de stylo & mente Rotæ, ac citans pro hoc Gabr. *cons.* 185. *n.* 2. *vol.* 1. C. Paris. *cons.* 5. *n.* 7. *vol.* 4. Rotam *decis.* 7. *de restit. spol. in antiq.* & in specie *n.* 12. pro eo, quòd id procedat in permutatione non consecutâ suum effectum, citans Card. & Imol. *in c. penult. de rerum permutatione.* Federic. de Senis. *in tr. de permut. benef. q.* 3. Decium. *in c. cùm venerabilis.* Jo. And. *in cit. c.* 1. *de rer. permut. in* 6. ac dicens, hanc esse resolutionem hodiedum magis communem, & tenere de consuetudine teste Gregorio. *Syntagm. juris. l.* 17. *c.* 17. *n.* 33. contra Mascard. *de prob. conclus.* 1395. *n.* 3. Selv. *p.* 3. *q.* 24. *n.* 3. Redoan. *de simon. p.* 1. *c.* 10. *n.* 30. C. Paris. *in cit. c. cum venerabilis. n.* 73. Rot. *decis.* 16. *n.* 6. *de rer. permut. in antiq.* & alios quamplurimos, quos Paris. citat. *cit. q.* 14. *n.* 1. tenentes tanquam veriorem, tutiorem, communiorem, & à qua recedendum non sit; quòd nimirum in permutatione invalida, quæ effectum suum sortita non est, permutantes non possint redire ad beneficia sua sinè nova collatione; eò quòd utrumque beneficium per renunciationem verè vacârit, & beneficium vacans sine canonica institutione, per eum, qui in eo jus non habet, vel si jus in eo habuit, per privationem seu liberam resignationem perdiderit, recuperari non possit juxta *c. ex sequentibus. de institut.* Item contra Abb. *in c. inter cetera. in principio. de probat.* Card. *cons.* 62. & alios, quos citat Paris.

iis, *nu.* 2. tenentes simpliciter de resignantibus in favorem, si resignatio non est sortita effectum. Verùm responsio nostra constat ex dictis, & pro certo suppositis aliàs; nimirum, quòd ubi jus non abdicatur à resignante, beneficium non vacet; adeóque opus non est, illud de novo providere resignanti; non servatis autem conditionibus non abdicatur jus à resignante, juxta Rot. *decis. ult. in antiq. de rerum permut.* Paris. *loc. cit. nu.* 7. & talis censetur non resignâsse juxta Rot. *ibid.* & Innoc. *in c. inter cetera. de prabend. in principio*; seu titulus ac possessio non dicitur dimissa, nisi adimpletâ conditione, ut Innoc. *loc. cit.* gl. *in c. olim. de rest. spol.* Paris. *n.* 10. cùm actus habeatur ac si non esse factus non purificatâ conditione. Paris. *n.* 9. citans C. Paris. *cons.* 5. *n.* 7. *vol.* 4. Socin. Jun. *cons.* 4. *n.* 16. *vol.* 2. sic jam in specie si quis renunciavit beneficio in manibus Superioris per viam transactionis, ut pars altera quippiâ præstet, non impletâ istâ conditione, beneficium suum repetere potest; imò propriâ auctoritate reassumere; saltem, si resignatio facta in manibus Papæ; sicut in simili de permutatione beneficiorum Laym. *in c. cùm pridem. de pactis. n.* 4. remittens ad scipium *l.* 4. *t.* 2. *c.* 19. *n.* 7. §. *huic etiam. Th. moral.* ubi de permutatione.

4. De cetero requiri nihilominùs ad hoc, ut talis redire posset, declaratoriam Superioris declarantis, ipsum redire posse, tradit Paris. *cit. q.* 14. *n.* 15. citans Ubertin. *in repet. c. unic. de rer. permut. in 6. col.* 17. ex Felin. *in c. cùm venerabilis. n.* 11. eò quòd in casibus, in quibus per resignationem non abdicatur jus, resignans possit agere spolio contra resignatarium, & restituitur, & potest redire, ut Sarn. *decis.* 41. *l.* 1. cum communi, dum autem possessio occupata est, non potest propriâ auctoritate illam capere. Paris. *cit. n.* 15.

5. Porrò an & qualiter, dum jus abdicatum est per resignationem, v. g. resignatario acceptante conditionem solvendi pensionem, non tamen postmodum eam decursam solvente, novâ opus sit collatione ad regrediendum, dicetur infrà. Illud hic tantisper observa, quòd quoties quis redit ad beneficium cum nova collatione, quamvis recuperet omnia jura beneficii, onera & commoda; non tamen eandem antiquitatis prærogativam, adeóque nec jus optandi ratione antiquitatis, nec locum eundem, quem ante habuerat. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 25. 26. 27.

Quæstio 276. *An, si admissa per Papam resignatione, eaque acceptata à resignatario, hic literas expedierit in forma* dignum, *& his necdum justificatis & executis contingat eum mori, resignans possit redire ad beneficium;*

REspondeo negativè: Quia eo ipso dicitur consumpta vacatio, quoad effectum simplicis destitutionis resignantis, quòd admissa sit per Papam resignatio, & resignatarius illam acceptârit; adeóque quò ad ipsum resignantem actus est perfectus & consummatus; adeóque urget dispositio textûs *c. si ex transmissa. de renunc.* Lott. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 51. *&* 52.

Quæstio 277. *An resignans possit regredi ad beneficium, resignatario reperto minus idoneo?*

REspondeo negativè: Juxta dicta aliàs. Lott. *cit. q.* 14. *num.* 53. est enim etiam actus, quoad ipsum resignantem perfectus, & conditio illa vel expressa vel subintellecta: Si beneficium illud certæ illi personæ conferatur: respicit factum Superioris habentis conferre; cùm ab illius auctoritate actus totaliter dependeat; illud autem factum habetur satis pro impleto, quandocunque per ipsum non stat, sed per eum, cui adimplendum, quò minùs adimpleatur. Lott. *n.* 54. Neque in hoc admittenda distinctio, quam ponit Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 37. Ex doctrina glossæ *in c. innotuit. de elect. v. ignorantiam.* inter resignantem, qui non habuit, & eum, qui habuit probabilem causam reputandi resignatarium idoneum. Lott. *nu.* 55. licèt enim dicta distinctio bene procedat ad effectum excusandi resignantem à dolo & peccato; non tamen applicatur rectè ad effectum, ut resignans regredi possit ad beneficium. Lott. *n.* 56. dum enim quis resignat ad favorem alterius, etiamsi agere videatur cum Papa, ut certæ personæ & non alteri beneficium resignatum conferat, velle tamen idipsum intelligitur ità, ut hoc obtineat, si habilis est; dum paciscentes in his, quæ non explicârunt, censentur se conformare dispositioni legis, juxta L. *quæro.* §. *inter locatorem. ff. locat.* Lott. *nu.* 57. secùs autem esse videtur, si quis resignâsset sub conditione suspensiva, quæ non posset purificari, nisi ex contingentia facti de futuro, veluti cùm quis renunciavit ad favorem laici, adeóque jam inhabilis cum clausula: *Ex nunc prout ex tunc, cùm clericali charactere fuerit insignitus*: cùm enim tunc idem sentiat Papa, quod resignans, antequam talis fiat clericus, & ità habilis, resignans non abdicat à se jus, adeóque si dictus resignatarius interim moriatur ante initiationem, non censetur consumpta vacatio, sed resignans remanet cum suo beneficio; quia hoc casû clarè constat, Papam non voluisse facere gratiam tempore rescripti sui, sed postquam ille esset clericus. Lott. *n.* 73. de cetero extra hunc casum conditionis suspensivæ, dum resignatarius tanquam inhabilis rejicitur per executorem, providebitur alteri ex vacatione adhuc per resignationem. Lott. *n.* 63. non tamen illi, quem designaturus est de novo resignans; quia qui semel resignavit resignatione perfectâ, non potest ampliùs resignare. Paris. *l.* 1. *q.* 15. *à nu.* 1. quia talis resignans factâ resignatione quoad beneficium resignatum, jam habetur pro mortuo, juxta gl. *in c. susceptum. de rescript. in 6. v. non morte.* & C. Paris. *cons.* 93. *n.* 26. *vol.* 4. Lott. *loc. cit. num.* 72.

Quæstio 278. *An, & qualiter concedatur regressus pensione non soluta?*

REspondeo, de hoc fusè agendum infrà, ubi de resignatione sub reservatione pensionis.

PARAGRAPHVS III.

Quænam beneficia possint resignari?

Quæstio 279. *An beneficia omnia resignari possint, & quorum beneficiorum resignatio facilè vel difficulter admittatur?*

1. REspondeo ad primum: Beneficia omnia Ecclesiastica, sive curata, sive simplicia, sive majora, & dignitates, sive requirant residentiam, sive

sive non ; adeóque cujuscunque sint generis & qualitatis, possunt resignari, nisi id specialiter jure aliquo scripto prohibeatur. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 12. citans Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25 *n.* 1. Paris. *l* 2. *q.* 1. *n.* 1. citans quàm plurimos, ac dicens id colligi posse ex toto titulo *de renunc.* & expressiùs *cit. q.* 1. *n.* 130. Barb. *juris Eccle. l.* 3. *c.* 15. *n.* 125. dicens sic colligi ex generalitate textûs *c. admonet. de renunc.* & *c.* 1. *tit. eod. in* 6. Pro ratione datur communiter illud vulgare desumptum ex *l. penult. c. de pactis.* & ex *c. quàm periculosum.* 7. *q.* 1. quisque favori suo seu beneficio tam in temporalibus quàm spiritualibus renunciare potest, nisi, ùt addit Parisius, prohibeatur. Quod tamen minùs rectè applicari beneficiis Ecclesiasticis, ait Barb. *loc. cit.* utpote quorum resignatio non ex mera cedentis voluntate, sed ex legitima causa à Superiore admissa dependet. Consequenter jam Paris. *loc. cit. n.* 3. ex Bellamer. *de permutat. benef. in proœmio n.* 3. & de communi ait, beneficia omnia, nisi contrarium expressum, posse permutari.

2. Respondeo ad secundum in genere : Canonicatuum & similium beneficiorum simplicium resignationes faciliùs, ordinariè & regulariter loquendo, admitti; parochialium non ità facilè, difficiliùs verò adhuc prælaturarum habentium ordinariam & generalem jurisdictionem, v. g. Episcopatuum, Abbatiarum, Præpositurarum regularium, Laym. *in c. admonet. de renunc. n.* 3. verùm de his omnibus accuratiùs in sequentibus.

Quæstio 280. *An, & qualiter renunciari possit Papatui?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: Paris. *l.* 2 *q.* 1. *n.* 4. citans quàm plurimos. Laym. *in c. quoniam. de renunc. in* 6. ubi in Paraphrasi : summus Pontifex renunciare potest Papatui, tum maximè, si se insufficientem agnoscat ad regendam Ecclesiam universalẽ. Ità definivit Cælestin. V. Præmissâ deliberatione cum Cardinalibus, inter quos unus erat Bonifac. octavus Successor illius, Auctor *cit. can. quoniam &c.* ex qua constitutione Cælestini V. à Bonifacio ejus Successore confirmatâ, & redactâ inter decretales res hæc est admodum clara, ut in dubium ampliùs revocari nequeat, non obstantibus rationibus, quas aliqui in contrarium afferunt, & quarum 10. refert Jo-And. *in cit. c. quoniam, seu 1. de renunc. in* 6. Paris. *n.* 19. subdens *n.* 20. ex eod. Jo-And. Gemin. Butrio & DD. communiter *in cit. c.* 1. hæsitandum non esse, an Papa sic statuere potuit ob potestatis suæ plenitudinem. Proinde non obstabit, quod aliàs objici solet, renunciationem non posse fieri validè nisi in manibus Superioris ; Papam autem non habere Superiorem ; & si dicatur, Deum acceptare ejus renunciationem, renunciationem hanc fore incertam ; cùm nullo signo constet, Deum illam hìc & nunc acceptâsse. Nam regula illa : renunciatio debet fieri coram Superiore, solùm locum habet in iis, qui Superiorem habent. Laym. *in cit. c. quoniam. n.* 1. pro simili addens, quòd regula quoque illa : nemo in propria causa potest esse judex ; fallat in principe, qui Superiorem non habet. Juxta quod docuit *Th. mor. tr.* 6. *c.* 2. *n.* 11. & certè necesse est dicere, quòd dum Papa abdicat se Papatu, Deus acceptet abdicationem, seu tollat Pontificiam ab eo potestatem ; ne si secus contingeret, Ecclesia longo tempore à nullo visibili Pastore gubernetur, dum uno se abdicante, alius in ejus locum cum simili universali potestate substitui nequiret (dum tamen Ecclesia tales suffectos Pontificibus Papatum renunciantibus pro veris Pontificibus habet, & aliquoties habuit, & abdicantium validam renunciationem agnovit, ùt videre est apud Paris. *loc. cit. n.* 10 & alios Ecclesiæ Scriptores) Laym. *loc. cit. n.* 2. urì & eâdem ratione probari, hanc resignationem esse validam, ait *ibidem* Laym. Etsi fieret sine causa ; quamvis *n.* 3. subdat, gravissimè peccaturum Papam, si absque necessitate & causa renunciet Papatui ; cùm inter ipsum & Ecclesiam universalem sit arctissimum vinculum à Deo ipsi impositum, de quo videndus Jo-And. *ad cit. c. quoniam.*

2. Respondeo secundò: non tamen hujus renunciationis valor pendet à ratihabitione & acceptatione Ecclesiæ, ùt videtur insinuare Paris. *cit. n.* 10. (nisi fortè velit per hoc idem, quòd validam agnoverit & judicarit, citra quod valor ejus ab hac ejus agnitione dependeret) siquidem Ecclesia etsi rogare possit Papam ad retinendum Papatum, ad hoc tamen eum cogere non potest. Laym. *cit. n.* 2.

3. Respondeo tertiò: de cetero valebit, & licita erit dicta resignatio facta ex rationabili causa (quarum 3. vide apud Paris. *à n.* 22.) etiamsi intercesserit votum vel juramentum de non resignando. Paris. *à n.* 26.

4. Respondeo quartò: posse eum renunciare per procuratorem, ait idem Paris. *n.* 29. citans Bonifac. de vital. *in Clem. unic. de renunc. n.* 7. utì dicit evoniisse in Gregor. XII.

Quæstio 281. *An Cardinalatus & Patriarchatus resignari possint?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 32. citans Franc. *in c.* 1. *de renunc. in* 6. *n.* 3. Bertachin. *in tr. de Episc. p.* 1. *l* 2. *n.* 25. Bursat. *cons.* 341. *n.* 20. *l.* 5. Est enim beneficium Ecclesiasticum. Paris. *ibid.* citans Selv. *p.* 1. *q.* 2. *n.* 53 Hojed. *de incompat. p.* 1. *proœm. n.* 9. minúsque hæc dignitas annexa Cardinalibus, quàm Papatus Papæ. Paris. *loc. cit. n.* 37 ex Franco *ubi antè.*

2. Respondeo ad secundum : etiam affirmativè. Paris. *n.* 38. cùm sit beneficium Ecclesiasticum. Paris. *n.* 39. ex Selv. *ubi antè.* & Hojeda *n.* 7. Idem est de Primatu, qui & ipse est beneficium. Paris. *n.* 44. & 45. Porrò coram quibus hæ renunciationes fieri debeant, dicetur infrà.

Quæstio 282. *An Episcopatus possit resignari?*

REspondeo affirmativè : juxta expressum textum *c. qualiter* 7. *q.* 1. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 53. si enim Papa, qui est sponsus Ecclesiæ universalis id potest, multò magis id poterit Episcopus sponsus Ecclesiæ alicujus particularis ; quamvis de facili non sit admittenda talis resignatio juxta *c. quam periculosum.* 7. *q.* 1. Paris. *n.* 58. Laym. *in c. cum post petitam. de Elect.* ubi : Episcopus Episcopatui renunciare non potest sine Papæ licentiâ, quam ipse etiam facilè non concedit juxta *c. nisi cum pridem.* 10. *de renunc. n.* 3. eò quòd Episcopi arctissimo & insolubili vinculo cum Ecclesiis astricti censeantur. Consequenter jam etiam Episcopi permutare poterunt Episcopatus. Paris. *n.* 59. ex Genin. *in c. unic. de rerum permut. in* 6. dicens communem omnium in praxi receptam : non tamen possunt resignare in favorem, uti nec Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus ; sed eo-

eorum resignatio fit simpliciter. Paris. *n.* 60. dicens communem omnium. Porrò observandum, quod notat Laym. *in c. post translationem, de renunc. n.* 1. interdum Episcopum renunciare loco tantùm, ac regimini, servato ordine & dignitate Episcopali; interdum resignare non tantùm loco & regimine, sed etiam ordine & dignitate. Etsi, ùt Laym. existimat, se conferat ad religionem, præsumendum esse, quòd utrique resignare velit, nisi specialiter obtineat à Papa, ut pontificalia exercere possit. Si autem non ingrediatur religionem, plerumque à Papa ei permitti ordinis Episcopalis dignitatem & exercitium, ne alioquin ob crimen depositus videatur.

Quæstio 283. *An Abbatia & Prioratus resignari possit?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 63. juxta *c. ult. de renunc.* & quàm plurimos, quos citat. Idque intelligendo de Abbatia tam regulari, quàm sæculari. Paris. *n.* 68. Idem est de Abbatissatu; cùm & hic certo modo sit beneficium Ecclesiasticum. Paris. *n.* 71.

2. Respondeo ad secundum quoque affirmativè: Paris. *n.* 75.

Quæstio 284. *An resignari possint officia Ecclesiastica?*

REspondeo: posse; dum sunt beneficia, nimirum cum administratione rerum Ecclesiasticarum sinè præeminentia & jurisdictione. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 92. citans Selv. *p.* 1. *c.* 8. *n.* 5. Hojed. *de incomp. p.* 1. *c.* 8. *n.* 3. Hinc resignari possunt thesauraria, Cantoria, Plebania, Sacristia &c. Quia hæc sunt talia officia Ecclesiastica. Paris. *loc. cit. à n.* 93. uti idem dicit de Scholasteria. *n.* 127. citans Put. *decis.* 295. *l.* 2. quia est beneficium Ecclesiasticum.

Quæstio 285. *An resignari possint beneficia consistorialia?*

1. REspondeo primò: consistorialia resignari non possunt coram Ordinario, cùm sint reservata ex *reg.* 2. *Cancell.* Paris. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 1. & 2. citans Staphil. *de lit. gratiæ & inst.* §. *dicendum. num.* 67.

2. Respondeo secundò: possunt tamen resignari coram Papa in favorem, Paris. *ibid. n.* 4. dicens communem, & ab omnibus receptam; quamvis eorum provisio per resignationem fieri debeat cõsistorialiter. Paris. *ibid. n.* 5. citans Staphil. *ubi antè n.* 62. dicuntur enim inde consistorialia, quia de iis disponit Papa in Consistorio coram Cardinalibus. Paris. *n.* 6. ex Mandos. *de annat. q.* 16. n. 2. Pet. Gregor. *Syntag. juris l.* 15. *c.* 4. *n.* 15. *&c.* quamvis subjungat idem Paris. *n.* 10. esse aliqua beneficia, quæ appellantur consistorialia, de quibus de stylo & consuetudine non providetur consistorialiter. Et hæc nihilominus non nisi coram Papa resignari debent, qui de iis providebit extra consistorium. De cetero tradit Lott. *l.* 1. *q.* 26. *à n.* 55. ex dicta descriptione in libris Cameræ optimè inferri ad hanc qualitatem consistorialitatis, & eam qualitatem per provisionem extra consistorium factam non mutare Papam; cùm nihil sit, quin beneficium, quod semper fuit consistoriale, Papa possit pro libitu conferre extra consistorium.

Quæstio 286. *An resignari possit beneficium parochiale?*

REspondeo affirmativè: Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 104. idem esse dicens *à n.* 107. de beneficio seu Ecclesiâ aliâ curatâ. Verumtamen spectatâ consuetudine Curiæ Romanæ, quam alios Ordinarios imitari deceret, non recipi, nisi parochus aliquot, saltem 3. vel 4. annis, Ecclesiam possederit, tradit Laym. *ad cit. c. Admonet. de renunc. n.* 3. Idem tradit Corrad. *in pr. beneficiali l.* 5. *c.* 1. *à n.* 11. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *à n.* 45. ubi: hodie in Curia non admittuntur absolutè & indistinctè resignationes parochialium & aliorum beneficiorum personalem residentiam requirentium, præsertim cum pensione; nam quoties resignatur parochialis, vel aliud tale residentiale, dataria vult, ut exprimatur, per quod tempus illud possederit resignans, seu quo tempore illud obtinuerit; & si tempus est breve, resignatio rejicitur. Eadem habet Paris. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 21. quibus limitat conclusionem à se formatam & fusè stabilitam *ibidem n.* 8. nimirum quòd is, qui adeptus Parochialem seu curatam Ecclesiam, ex quo tenetur se facere promoveri intra annum ad sacerdotium, aliàs beneficium vacat ipso jure, possit illud etiam in fine anni alteri resignare in favorem. Porrò idem esse in permutationibus hujusmodi beneficiorum parochialium & residentialium ex dicto stylo Datariæ, qui cœpit à tempore Gregor. XIV. ait Garc. *loc. cit. n.* 46. & 47. apud quem etiam *à n.* 51. vide, quæ differentia inter expressionem, quòd quis possedit per tantum tempus, & quòd quis obtinuit beneficium à tanto tempore, dum vult, prius importare, quòd illud possederit saltem de facto, & sic cum titulo vel sinè titulo; posterius verò importare, quòd à tanto tempore habuerit jus in illo, vel illud de facto possedit. Addit quoque Laym. *loc. cit.* habendam in admissione talis resignationis Parochiæ rationem plebis, quid ei expediat. Plura de his, quæ pertinent ad praxin resignandi Parochiales, vide apud Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *à n.* 13. quem utiliter leges. Vide etiam plura de permutatione beneficiorum curatorum infra.

Quæstio 287. *An Vicaria perpetua possit resignari?*

REspondeo affirmativè: Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 112. citans Put. *decis.* 384. *l.* 1. potest quoque permutari. Paris. *ibid. n.* 113. Citans Gammar. *in c. licet. n.* 86. *de rer. permut. in* 6. ac dicens esse communem.

Quæstio 288. *An portiones, etiam dimidiæ resignari possint?*

REspondeo affirmativè; veniunt enim utræque nomine beneficii. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 116.

Quæstio 289. *An oratorium & eremitorium resignari possint?*

REspondet ad utrumque affirmativè Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 120. & 122. quia utrumque est beneficium Eccles. pro primo citat Hojed. *de incompat. in præfat. n.* 7. pro secundo Nav. *cons.* 1. *de religios. domibus.*

*****
***

Quæst.

Quæstio 290. *An præstimonia & beneficia patrimonialia resignari possint* ?

1. REspondeo ad primum affirmat. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 123. citans Put. *decis.* 158. 371 175. *l.* 3. quod intelligendum, dum dantur in titulum; quia tunc sunt beneficia Ecclesiastica. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 90. Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 59. Pavin. *de pot. cap. sed. vac. p.* 2. *q.* 2. *n.* 5. &c. apud Paris. *n.* 124. Secùs est de aliis, quæ beneficia non sunt; Unde & cum his beneficium permutari nequiret. Paris. *ibid. n.* 125. & 126. citans Feder. de Senis. Jo. And. *in c. unic. de rerum permutat. in* 6.

2. Respondeo ad secundum: patrimonialia seu beneficia fundata, ut conferantur filiis, vel consanguineis, vel popularibus, resignari possunt simpliciter, vel etiam in favorem; modò resignatio fiat iis, quibus ea ex fundatione conferenda. Pirh *ad tit. de renunc. n.* 13. Paris. *l.* 2. *q.* 12. *n.* 1. & 2. ex Mandos. *de infirmis resign. q.* 15. *n.* 8. de eorum permutatione vide dicenda infrà.

Quæstio 291. *An, & qualiter beneficia manualia resignari possint?*

1. REspondeo ad primum: posse resignari; sicut enim vacant per obitum, & revocationem Superioris, ità etiam vacare possunt per resignationem. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 13. Paris. *l.* 2. *q.* 11. *n.* 1. & 4. Quin & resignari possunt in favorem & permutari. Pirh. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 2. citans Feder. de Senis. *in tr. de permut. benef. q.* 16. *n.* 24. Bellam. *eodem tr. p.* 3. *q.* 3. Pet. de Perus. *tr. eodem n.* 10. &c. & sic fieri resignationes beneficiorum horum manualium & amovibilium ait Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 106. *n.* 6.

2. Respondeo ad secundum: Ut autem resignatio talis beneficii in favorem sit valida, exprimi debet expresè manualitas. Paris. *cit. q.* 11. *n.* 7. Card. de Luc. *de benef. d.* 97. *n.* 21. Chok. *de permut. p.* 2. *c.* 9. *n.* 3. Sufficere tamen narrâsse, quòd sit regulare; cùm inde resultet qualitas manualitatis; & sic per hanc expressionem Papam fuisse sufficienter informatum de natura beneficii, tradit Tond. *loc. cit. n.* 7. citans Cassador *decis.* 4. *de præb.* in hoc autem casu resignatarius seu provisus de tali beneficio manuali à Papa amoveri ab eo non potest per Superiorem ullum; quia inferior infirmare non potest provisiones factas per Papam; præsertim cùm Papa contulit ex certa scientia, utì in hoc casu expressæ manualitatis contingit. Tond. *loc. cit. n.* 6. Paris. *loc. cit. n.* 8. citans Gammar. *in c. licet. de rer. permut. in* 6. Bellam. *tr. de permut. benef. p.* 3. *q.* 6. ac dicens communem contra Feder. de Senis. *eod. tr. q.* 17. Lap. &c. Quòd si tamen Papa jure devoluto conferret beneficium manuale, is, cui provisum de eo, non erit perpetuus, sed per Prælatum suum, quotiescunque ei libuerit, revocari poterit. Chok. *loc. cit. n.* 6. citans gl. *in Clem. quia regulares. de supp. negl. prælat.* Neque Papa per hoc censetur immutare naturam talis beneficii (quod est fundamentum adversariorum) ùt dictum aliàs. Chok. *loc. cit. n.* 4.

Quæstio 292. *An resignari possint beneficia, quæ possunt ac solent optari?*

1. REspondeo primò: posse resignari etiam in favorem alterius, & admissâ tali resignatione cessat quoad tale beneficium consuetudo optandi. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 13. Paris. *l.* 2. *q.* 20. *n.* 1. citans C. Paris. *cons.* 10. *per tot. vol.* 4. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 110. *n* 8. ubi: adversus resignatarium locus non est optationi, citans pro hoc Gonz. *gl.* 34. *n.* 36. Ratio responsionis est, quòd in reservatis Papæ statutum & consuetudo optandi non habeat locum. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 3. Arch. *in c. ult. de consuet. in* 6. Staphil. *de lit. fol.* 101. C. Paris. *cons.* 10. *n.* 5. *vol.* 4. omnia siquidem statuta inferiorum tangentia articulum provisionis, debent intelligi de provisionibus, quæ per ipsos inferiores fiunt, non autem de his, quæ fiunt per Papam, cujus auctoritas censetur semper excepta. Lott. *l.* 2. *q.* 38. *n.* 11. & hinc in omnibus inferioribus locum habet, & æqualiter procedit dispositio *c. ult. de consuetud. in* 6. nec ullo modo restringitur ad hanc vel illam reservationem, sive generalis sit, sive specialis, & sive specialis sit facta motu proprio, sive ad supplicationem; cùm militet eadem ratio. Lott. *n.* 12. & 14. Procedúntque eò fortiùs hæc; nimirum quòd in quacunque provisione apostolica consuetudinariæ vel statutariæ optioni locus non sit propter clausulas in similibus provisionibus apponi solitas. Tond. *loc. cit. n.* 17. Pet. Gregor. *de benef. c.* 39. *n.* 4. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 8. ubi factâ provisione per Papam de beneficio resignato in Curia solet apponi in literis Apostolicis clausula: *non obstantibus statutis & consuetudinibus*; ex quibus collatio hujusmodi posset differri & impediri. Jam verò beneficia vacantia per resignationem à Papa admissam sunt ei reservata. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 5. citans C. Paris. *cons.* 47. *n.* 29. *vol.* 4. Archid. *in c.* 2. *de præb. in* 6. & plures alios. Tum quia vacant in Curia per resignationem ibi factam & admissam. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 7. & 9. cùm quò ad beneficiatum resignatum renuncians dicitur mori eo loco, ubi facta est renunciatio. Paris. *loc. cit. n.* 6. & in beneficiis reservatis ob vacantiam eorum in Curia consuetudo optandi non habet locum. Paris. *cit. n.* 7. juxta text. *cit. c. ult. de consuetud. in* 6. & ibi Doctores communiter: tum quia per resignationem admissam à Papa hic applicuit manus; adeóque vel ex hoc quoque capite illi reservatum est tale beneficium, & consequenter excluditur optio. Paris. *cit. n.* 7. Neque contrarium inferri potest ex *cit. c. ult.* dum in eo disponitur, exspectativam de primo vacante non derogare juri optandi; nam talis exspectativa se sola non inducit aliquam reservationem; cùm non sit de certo corpore beneficii, nec capiat reservata, & secundùm formam, de qua *in cit. c.* implicitè, *nulli alii de jure debita*, præservat jus optandi. Lott. *cit. q.* 38. *n.* 15. Porrò licet additionator ad Paris. *ad cit. q.* 20. existimet, optioni locum esse, sive Papa contulerit per resignationem simplicem, vel nullius favore factam; sive per privationem canonicè factam, nisi Papa juri optandi derogârit, idipsum tamen opus non esse, satis indicat Tond. *l. c. n.* 11. *junctò n.* 12. Item licèt nonnulli illud, quòd locus non sit in provisione apostolica optioni, intelligendum velint de provisionibus proprio motu factis, non autem in iis, quæ fiunt ad petitionem alterius; eò quòd in his requiratur specialis derogatio juris optandi, ùt Monet. *de opt. c.* 8. *n.* 11. apud Tond. *loc. cit. n.* 18. Contrarium tamen satis indicari videtur ex allatis paulò antè ex Lott. quamvis Tond. postquam *n.* 19. ex eodem Monet. attulisset, sinè dubio requiri istam specialem derogationem juri optandi, ubi capitulum esset in consuetudine optandi adversus provisos apostolicos (quam consuetudinem validam esse ex Oldrad. *cons.* 285. *n.* 1. testatur Moneta) subjungit Tond. *n.* 20. ut omnis difficultas tollatur, consul-

tius

tius esse, prout ipse semper observaverit & observari fecerit, ut apponatur specialis derogatio juris optandi, quam se nunquam denegatam vidisse testatur additionator ad Paris. *ad cit. q.* 20 *n.* 8. Denique tametsi huc usque dicta intelligenda de resignatione facienda in manibus Papæ. Tond. *l. c. n.* 11. ex Paris. *l.* 1. *q.* 4. *n.* 55. & hinc Moneta dixerit, non procedere illa in resignatione facta coram Legato, idipsum tamen verum non esse respectu Legati Avenionensis ob amplas facultates ei concessas, tradit Tond. *l. c. n.* 13.

2. Respondeo secundò: Posse quoque talia beneficia permutari, ità ut tunc cesset consuetudo optandi. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 2. citans Card. *in Clem. unic. de rerum permut.* & Doctores omnes *in cit. c. ult. de consuetud.* Tond. *loc. cit. n.* 8. citans Chok. *de permut. benef. p.* 2. *c.* 20. *n.* 5. (qui tamen quomodo id limitet vide infrà, ubi de permutatione horum beneficiorum) Tusch. *lit.* P. *concluf.* 305. *n.* 10. Monet. *de opt. can. c.* 3. *n.* 49.

Quæstio 293. *An, & qualiter beneficia Electiva possint resignari in favorem?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 5. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 99. *n.* 12. (quamvis addat, in Gallia ob Bullam Leonis X. in concordatis opus esse nominatione regiâ in merè electivis) Paris. *l.* 2. *q.* 5. *n.* 1. citans Card. Imol. Anchar. & Auctores omnes *in Clem. unic. de rer. permut.* Item Gl. Gemin. & alios omnes *in cit. c. de rer. permut. in* 6.

2. Respondeo ad secundum: Requiri tamen in hac resignatione in favorem (secus est de resignatione simplici. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 15.) consensum eligentium Auctores iidem. Paris. *n.* 3. subdens *n.* 4. eundem consensum requiri quoque in permutatione beneficiorum electivorum. Necesse tamen non est, ut consensus hic adsit in ipsa resignatione, sed sufficit, subsequi illum: consensus enim superveniens animat actum. *l. filio præterito. ff. de injust. testam.* Paris. *n.* 5. & 4. citans Gemin. *in c.* 1. *de renunc. n.* 16. &c. ac dicens sic communiter practicari. Citra talem autem consensum etiam subsequentem, resignationem quidem à principio non esse invalidam, sed rescindendam reclamantibus Electoribus; sicut paulò pòst dicetur de resignatione beneficii patronati, tradit Paris. *cit. q.* 5. *n.* 8. dicens esse communem contra Gammarum *in cit. c.* 1. *n.* 105. sentientem contrarium in permutatione talium beneficiorum; nimirum illam à principio esse nullam spretis Electoribus, oppositum sentiente Feder. de Senis *de permut. benef. n.* 53. *q.* 30. *argumento c. quod sicut. de elect.* cujus communem esse opinionem dicit Paris. *n.* 9. eò quòd contemptus consensus Capituli totius vel majoris partis reddat actum solum annullandum, juxta *c. noscitur de his, quæ fiunt à præl.* & ibi Doctores communiter. Denique dum talis resignatio electivorum in favorem fit in utilitatem alicujus, requiri consensum omnium Electorum; si verò fiat in utilitatem Ecclesiæ alicujus, sufficere consensum majoris partis, tradit Paris. *cit. q.* 5. *n.* 11. citans Gemin. *in cit. c.* 1. *de rer. permut. n.* 15. dicentem hanc distinctionem habere æquitatem, Pirh. *loc. cit.* citans Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 4. Quænam beneficia sint & veniant nomine Electivorum, vide apud Lott. *l.* 2. *q.* 16. *n.* 10.

Quæstio 294. *An, & qualiter resignari possint beneficia jurispatronatûs?*

1. Respondeo primò: Sunt resignabilia etiam inconsulto patrono coram Ordinariis, seu resignatâ simplici, non tamen hac resignatione resignatâ sunt conferibilia sinè patrono; quia in resignatione pura non præjudicatur patrono (cùm ei salva maneat sua præsentatio) bene tamen in collatione. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 4. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 14. (qui etiam *n.* 15. dicit, idem esse, dum beneficium spectat ad collationem inferioris, ità, ut non requiratur illius consensus ad resignationem illius puram) Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 66. Neque contrarius est Parisius, & quàmplurimi ab eo citati, quia plerique eorum loquuntur de resignatione in favorem.

2. Respondeo secundò: Resignari quoque possunt in favorem. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 13. Paris. *cit. q.* 4. *n.* 1. citans quàmplurimos, ac dicens, conclusionem hanc non habere difficultatem. Quin & resignari possunt in favorem coram Ordinario permutationis gratiâ, juxta *c. unic. de rer. permut. in* 6. Lott. *loc. cit.*

3. Respondeo ad secundum: Ad resignationem beneficii patronati in favorem requiritur consensus patroni. Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 4. *n.* 4. citans Roch. *in tr. de jurep. v. honorificum. q.* 3. Lamb. *de jurep. p.* 3. *l.* 5. *q.* 5. *à n.* 40. Covar. *pract. qq. n.* 9. &c. & supponunt plerique; dum enim in resignatione in favorem non est locus præsentationi, & neglecto patrono institui posset aliquis patrono infensus & inimicus, resignationem talem in favorem admitti sinè consensu patroni, cederet hoc in grave præjudicium patronorum; in quorum præjudicium nihil fieri potest, iis non vocatis: ùt Roch. *loc. cit. q.* 3. Paris. *l. c. n.* 9. Procederéque idipsum tam dum patronus est Ecclesiasticus, quàm dum est laicus, asserunt Pirh. *loc. cit.* Paris. *n.* 19. ex Lamb. *cit. a.* 5. *q.* 5. *l.* 3. *n.* 2. eò quòd interfit tam unius, quàm alterius. Quod quamquam verum sit de permutatione facta coram Ordinario, de quo paulò post; rectiùs tamen negatur de consensu patroni Ecclesiastici, ità ut dum resignatio fit in favorem coram Papa, de jurepatronatûs Ecclesiastico necesse non sit fieri mentionem, aut eidem derogari. Garc. *cit. c.* 3. *n.* 16. remittens ad seipsum *p.* 1. *c.* 1. *n.* 506. & *c.* 3. *n.* 18. juxta dicta à nobis aliàs. Sic itaque permutari non possunt beneficia sinè consensu patronorum. Pirh. *loc. cit.* Tond. *p.* 2. *c.* 4. §. 8. *n.* 18. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 27. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 19. *n.* 1. Idémque etiam est de consensu Electorum & collatorum inferiorum, aliorúmque, quibus præjudicaret talis resignatio vel permutatio. Tond. Chok. *ll. citt.* Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 197. Garc. *l. c. n.* 73. citans quàmplurimos. An autem requiratur consensus omnium habentium eligere, præsentare, conferre, non resolvit ibi Garc. sed remittit ad Gamb. *in c.* 1. *de rer. permut. n.* 117. Feder. *de permut. q.* 20. Bellam. *eod. tr. p.* 2. *q.* 8. Felin. Decium & alios *in c. cùm omnes. de const.* Resolvit idipsum ex Federic. de Senis *de permut. q.* 20. Chok. *loc. cit. c.* 23. nempe, quòd sufficiat major illorum pars, si permutatio fiat ad utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ; requiratur verò omnium consensus, si permutatio fiat contemplatione personarum.

4. Re-

4. Respondeo tertiò: Resignatio facta (intellige cum effectu, id est, admissa, secutâ etiam collatione) non tantùm simplex, sed & in favorem permutationis gratiâ coram Ordinario, inscio vel inconsulto patrono, seu absque consensu patroni, dum hic eam non impugnat (idque, sive sciat, sive nō sciat) non est irrita ipso jure, sed tenet mero jure, & est in statu validitatis, ex quo semper est ratificabilis. Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 71. citans Roch. *de jurep. v. honorificum. n.* 8. Feder. de Senis. *tr. de permut. benef. q.* 30. *n.* 52. Covar. *pract. qq. c.* 36. *n.* 9. *&c.* ac dicens in hoc convenire Doctores omnes, & hanc sententiam se putare verissimam. Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 4. *à n.* 16. loquentes expresse de resignatione, prout distinctâ à permutatione; dum Paris. *n.* 18. addit: etiam permutatio spreto patrono non est irrita ipso jure. Garc. *cit. c.* 3. *n.* 19. citans quamplurimos ac expresse addens, id procedere, dum patronus est laicus. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 8. *n.* 19. citans Chok. *de permut. benef. l.* 1. *c.* 19. *à n.* 1. Ricc. *in pr. fori Eccl. tit. praxis jurisp. decis.* 171. *n.* 105. ac loquens expresse, etiam dum patronus est laicus. contra Bellam. *de permut. benef. p.* 4. *q.* 2. *n.* 3. Gambar. *in c. unic. de rer. permut. in* 6. *n.* 119. Paul. de Citad. *de jurep. p.* 6. *a.* 3. *q.* 52. *&c.* apud Garc. *l. cit. n.* 26. Neque his obstat *Can. decernimus.* 16. *q.* 7. etsi enim ipso jure irritet talem provisionem, eam tamen irritat nonnisi ex supposito spretus, & quòd patronus ejus causam prosequatur; & non negat, spretum illum esse remissibilem, & actum ratificabilem, ut ex tunc convalescat (intellige irrevocabiliter seu irrescindibiliter) fiátque retrotractio ad principium, pro quo satis est, non fuisse submotam spem ratificationis. Lott. *loc. cit. n.* 72. *&* 73. Nihilominùs interea, si post resignatum beneficium & admissam resignationem, sive per Papam, sive per Ordinarium, sinè consensu patroni alterisque collatum resignans moriatur ante ratificationem patroni, beneficium tale vacare per obitum resignantis; eò quòd resignatio saltem fuerit annullanda, juxta paulò post dicenda, adeóque jus irrevocabile resignatario acquiri non potuerit, putat Paris. *cit. q.* 4. *n.* 15. & ex eo Pirh. *loc. cit.* citátque Paris. pro hoc Roch. *ubi antè q.* 2. Mandos. *cons.* 7. *n.* 3. *&c.*

5. Talis tamen resignatio, permutatio, collatio annullanda, patrono intrà tempus ad præsentandum dato contradicente; Auctores iidem *ll. citt.* Hoc ipsum de annullatione hac faciendâ extendi ad permutationes expeditas in Curia, eò quòd Papa non factâ mentione jurispatronatûs laicalis, non intendat illis patronis præjudicare, tradit Tond. *loc. cit. n.* 20. ex Ricc. *collect.* 27. *n.* 16. Garc. *l. c. n.* 21. ubi: *quòd permutatio facta in Curia Romana non factâ mentione jurispatronatûs laicorum nulla est propter subreptionem, ut ait Cabedo, non est absolutè verum; nam illa non est nulla propter subreptionem, sed annullanda patrono intrà tempus ad præsentandum contradicente propter præjudicium illius, cui Papa non intendit præjudicare.* Quòd si tamen patronus sciens resignationi, permutationi, collationi factæ non reclamet intrà tempus datum ad præsentandum, censetur ratam habuisse resignationem, permutationem, collationem, Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 4. *n.* 22. & non esset amplius admittendus ad impugnandam permutationem factam ipso spreto. Tond. *l. c. n.* 23. Etsi resignationi, permutationi ab initio sinè consensu patroni factæ superveniat dein consensus patroni tacitus vel expressus, firma illa est & efficax, ità ut rescindi amplius nequeat. Pirh. *loc. cit.* cum communi. Resignatio tamè causâ permutationis facta coram Ordinario, utì & provisio patrono reclamante nulla esset ipso jure. C. Luc. *de jurep. d.* 44. *à n.* 3. Tond. *loc. cit. à n.* 24. Lott. *l. c. n.* 75. (qui tamen addit hanc limitationem: nisi permutantes ignorarent patronatum, & istam ampliationem; etiamsi facta esset talis resignatio in Curia; quia semper urget ratio contemptûs pro patrono) Garc. *l. cit. n.* 23. Idem quoque dicens de aliis, quorum interest, puta collatoribus, Electoribus, aliis, ità ut absque ullâ aliâ declaratione vel cassatione possit fieri à tali patrono spreto præsentatio, à collatore collatio, ab electoribus electio. Contrarium, nimirum in permutatione, quæ fit inter beneficiatos de auctoritate Episcopi, non requiri consensum patroni tenentibus apud Garc. *loc. cit. à nu.* 25. Staph. *de lit. gratiæ. tit. de mod. & form. impetrand. §. de jurep. permut. n.* 3. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. juspatron. §.* 6. testante se ità obtinuisse in Curia Archiep. Benevent. Rebuff. *de permut. n.* 22. dicente, hodiè usum obtinuisse communem; quòd post requisitionem patroni, maximè etiam eo non consentiente, permutatio approbetur ab Episcopo, & valeat. Lessio *de instit. l.* 2. *c.* 34. *n.* 198. Item Peleo *l.* 1. *act. for.* 41. & aliis apud Tond. *loc. cit. n.* 22. volentibus sufficere, quòd patronus requiratur, & eo sinè justa causâ renuente consentire, posse procedi ad expeditionem permutationis juxta declarationem Sacræ Congreg. *super c.* 9. *sess.* 25. *Trid.* ubi: *in permutatione beneficii jurispatr. non requiritur consensus patroni, sed satis est, illum tantum requirere.* quam tamen declarationem accipiendam ait Garc. *n.* 28. quando permutatio fieret in magnam Ecclesiæ utilitatem, vel quando patroni absque legitima causa contradicerent.

6. Porrò procedere hoc ipsum, nimirum irritam esse permutationem ipso facto factam patrono reclamante & se opponente, antequam procedatur ad permutationem, ob eandem rationem contemptûs, etiamsi expressum fuerit, beneficium esse jurispatron. (intellige etiam laicorum) tradit Lott. *n.* 78. Aut enim id expressum coram Ordinario in resignatione ex causâ permutationis; & sanè nulla est resignatio, quia dum Ordinarius non potest derogare juripatronatûs, adhuc non potest considerari aliud quàm contemptus patronorum, cujus causa perpetuò irritat actum ipsō jure: vel coram Papa, & nisi Papa deroget, irrita adhuc est provisio ex defectu voluntatis Papæ, cùm intelligatur facta sub conditione, si adsit vel accedat consensus patroni. ità Lott. *cit. n.* 78. *&* 79. Unde etiam illud, quod ait Garc. *loc. cit. n.* 24. si talis permutatio fieret coram & per Papam, cùm ipse possit disponere patronis etiam invitis, absolutè valeret talis permutatio facta illis invitis; illud, inquam, intelligendum; si Papa disponeret, derogando expresse juripatronatûs laicorum; hoc enim nisi fecerit, non censetur id velle.

7. De cetero limitatur tamen hoc ipsum, quòd invitis & reclamantibus patronis nulla sit permutatio, hac ratione; nisi in dicta permutatione interveniret magna utilitas Ecclesiæ (quam tamen non præsumi; sed probandam ab allegante ait Tond. *loc. cit. n.* 22. tunc enim cogi posse patronum ad consentiendum, vel procedi posse absque ejus consensu, alias non. C. Luca *de jurepatr. d.* 44. *n.* 3.

44. *n.* 3. ubi: si intervenit spretus positivus & expressus patroni; quia nempe fuit requisitus pro assensu, quem denegavit, & expresè se opposuit, atque hoc non obstante ad permutationem processum sit, tunc si occurrat justa causa utilitatis Ecclesiæ, ob quam Ordinarius dictum consensum injustè denegatum supplevit, ùt de jure fieri posse affirmant Abb. *in c. cùm dilectus. de jurep.* Covarru. *pract. qq. l. 36. n. 9.* Lamb. *l. 1. q. 6. p. 1. a. 6, n. 58.* & tunc non intrat nullitas, quæ impediat regressum, & aperiat locum novæ præsentationi; quoniam ad hunc effectum requiritur talis spretus, qui dolum & temeritatem redoleat, atque positivam ingratitudinem erga patronum, dum text. *c. decernimus. 17. q. 7.* à quo hujusmodi nullitas inducitur, utitur verbo *præsumpserit.* &c. Garc. *l. 1. n. 19.* Tond. *cit. n. 22.* citans Rotam *in Barcinon. benef. 1628.* & Chok. *de permut. l. 1. c. 19. n. 10.* ubi is aliud esse dicit, quando permutatio fit ad utilitatem personarum, tunc enim fieri non potest invitis patronis. Idem is habet *n.* 12.

8. Unde jam sequitur, quòd si permutans sciverit, beneficium esse patronatum, & contempto, hoc est sciente & contradicente patrono (subintellige & non interveniente dictâ magnâ utilitate Ecclesiæ, & ex illius causa dicta suppletio Ordinarii) id permutârit, vacare beneficium in pœnam per resignationem, ùt Garc. *n.* 34. vel per juris privationem, ùt Francus apud eundem, cum quo sentire videtur C. Luca *ll. cit. & citand.* licèt aliàs renuncians beneficio seu illud permutans nulliter jus non amittat aut abdicet, si id ignorarer fecerit. Tond. *loc. cit. n.* 21. citans Paris. *de resig. l. 1. q. 3. n. 71.* Gratian. *discept. for, c. 835. n.* 10. Rebuff. *cons. 192. n. 5.* dicentem, clausulam: *Non aliter, nec alio modo*: non operari, quando adest culpa resignantis. Et constat ex dictis immediatè antè à C. Luca, & ex iis, quæ idem habet *loc. cit. n. 7.* ubi: si dicta suppletio vel alia legitima causa non adfit, adeò ut concurrere dicatur dictus spretus positivus redolens ingratitudinem & temeritatem, planum est, nullitatem actûs causare vacationem abdicantem omne jus à permutante, unde propterea aperiatur locus novæ præsentationi.

9. Sequitur ulteriùs, quòd dum hâc ratione resignatio est ipso jure nulla ob contemptum patronorum, resignantem vel permutantem non reverti ad beneficium resignatum vel permutatum, sed posse patronum liberè præsentare alium instituendum in pœnam ingratitudinis resignantis seu permutantis. C. Luca *loc. cit.* Lott. *n.* 84. ex Gemin. *in c. nemo deinceps. de Elect. in 6. n.* 11. Garc. *l. c. n.* 30. *juncto n.* 34. citans Rebuff. *in pr. tit. de permut. n.* 17. Selv. *p. 3. q.* 24. Roffiniac. *de benef. c. 36. n.* 19. Gig. *de pens. q. 23. n. 5.* Lamb. & plures alios. Extenditque hoc ipsum expresè ad resignationem in favorem coram Papa factam sinè consensu patroni laici scienter, & eo contradicente, ut talis non possit ad beneficium resignatum redire, Garc. *n.* 35. citans Sarn. *ad reg. de infirm. q.* 17. *casu* 2. Cabedo *c.* 10. *n.* 1. (quamvis contrarium tenere videantur Paris. *l. 2. q. 4. n. 23.* Mohed. &c.) eò quòd quoties resignans in favorem seu conditionaliter nulliter resignet, per talem resignationem abdicetur jus ab illo Garc. *n. 36.* citans Rot. *in Rom. canonicat. 17. Nov.* 1567. Paris. *de resign. l. 1. q. 3. n. 71.* & *l. 2. q. 9. n.* 21. & *l. 4. q. 2. n. 26.* Rebuff. *cons. 192. n. 5.* Pet. Gregor. *de benef. c. 28. n.* 11. ubi is: quòd quando resignatio in favorem, vel ex causa permutationis non potest sortirì effectum propter dolum vel culpam resignantis, tum resignatio, & ex ea vacatio fitma remanet, & potest beneficium liberè providere, vide id multis amplificantem Garc. *à n.* 38. Ubi verò resignatio vel permutatio non sunt ipso jure nulla, sed solùm rescindenda vel rescissa per contradictionem patroni, quia resignans vel permutantes non fuerunt in culpa ob ignoratum patronatum, vel in summa, ùt ait Lott. *n.* 84. quia non potest illis adscribi ingratitudo, possunt redire ad beneficia resignata vel permutata. C. Luc. *l. c. n. 7.* Lott. *cit. n.* 85. Garc. *cit. n.* 29. qui etiâ addit, id eos posse invitis patronis, ac citat pro hoc Bellam. Gamb. Lamb. & plures alios juxta Rot. *in Gerund. permut. 5. Julii* 1593. quam fusè recitatam vide apud Garc. *n.* 19. Sic quoque non esse locû adhuc isti pœnæ vacationis & regressûs negationi, ubi etiam causa, ex qua motus fuit Ordinarius ad supplendû consensum patroni, Superioribus non videretur sufficiens (cùm juxta unam opinionem non sufficeret quælibet utilitas, sed illa debeat esse magna) eò quòd id adhuc excusare videatur à spretu positivo; cùm sit ignorantia juris dubii, quæ assimilatur ignorantiæ facti ad excusandum à pœna, tradit C. Luca *n. 5.* Item ad effectum culpæ redolentis delictum dictæ pœnæ vacationis inductivum, non sufficere in permutationibus scientiam juris patronatûs, tradit idem C. Luca *l. c. n. 8.* juxta decision. Rotæ. *249. p. 10. recent.* (quæ in hoc recesserit à Garc. *cit. n.* 29. viso sentire, sufficere talem scientiam) eò quòd aliud sit dolus præsumptus, qui ex sola scientia resultat ad aliquos effectus civiles non graviter præjudiciales; aliud dolus verus ad effectum formalis pœnæ ordinariæ & gravis, qualis dicitur illa privationis beneficii. De cetero ignorantiam, quæ impediat amissionem beneficii communiter Auctores à Garc. citati *n.* 29. requirunt probabilem. Proinde non excusare ignorantiam juris, ait ex Gamb. *in c. unic. de rer. permut. in 6. n.* 115. Garc. *n.* 32. Quamvis Bellam. citatus à Garc. *n* 33. dicat, excusare quoque ignorantiam juris, quis agitur de damno vitando, cujus sententiam procedere, ait Garc. solùm in ignorantia juris dubii, & difficultatem habentis.

10. Sequitur denique, quòd quamvis aliàs ex permutatione detur nova vacatio, Lott *n.* 88. ex Probo *in c. unic. de rer. permut. in 6. n.* 14. contra Joannem Monach. *ibidem n.* 7. ea tamen vacatione declaratâ nullâ (nempe dum sinè culpa resignatum vel permutatum beneficium) nullum quoque fuisse abdicatum jus à resignante à principio, adeóque pro regressu ad beneficium resignatum vel permutatum nullo opus sit titulo novo. Lott. *n.* 87. *juncto n.* 89. citans Jo. And. *in cit. c. unicum. n.* 3. Paris. *l. 1. q. 3. n.* 47. Requiri tamen licentiam Superioris, seu sententiam declaratoriam super nullitate permutationis, satis indicat Lott. *à n.* 90. ubi etiam: quòd Probus & alii visi requirere novum titulum, non tam intelligendi sint de titulo aliquo novo collativo, quàm de titulo resultante ex dictâ licentiâ & declaratione Superioris.

11. Observandum denique, quod ait C. Luca *loc. cit. n. 9.* admittendam non esse novam præsentationem, nisi præcedat res judicata super culposâ nullitate inductivâ vacationis; cùm ex parte permutantis vel resignantis in progressu causæ adhuc pendentis etiam in ulterioribus instantiis deduci possint causæ justæ, dictam culpam positivam excusantes. Quæ-

Quæstio 295. *An & qualiter resignari possint beneficia reservata Papæ?*

1. Respondeo primò: Reservata resignari possunt tam coram Papa, quàm coram Ordinario resignatione purâ, & non in favorem, Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 2. n. 5.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 13.* Paris. *l. 2. q. 16. n. 2.* quia licèt reservatio afficiat beneficium quòad potestatem conferendi, ità ut Ordinarii beneficia reservata coram se resignata conferre nequeant; non tamen afficit illud quòad potestatem renunciandi. Et sicut Ordinarii possunt clericos delinquentes removere à beneficiis reservatis, ità & eorum resignationes recipere. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 7. q. 9. c. 26.* Paris. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Resignari non posse coram Ordinariis permutationis gratiâ. Chok. *de permut. p. 2. c. 2. n. 2.* citans quamplurimos, & subdens *n. 3.* adhuc invalidam esse reservatorum permutationem, etiamsi Legatus à latere permutantibus præster auctoritatem. Tond. *l. paulò post citand. n. 14.* Paris. *loc. cit. n. 4.* Lott. *l. 2. q. 14. à n. 94.* citans *Extrav. execrabilis. de præb.* quæ id prohibeat, Franc. *in c. unic. de rer. permut. n. 5.* Vitalin. *in Clem. 1. tit. eodem. n. 66.* Si enim admittere possent resignationes seu permutationes illas Ordinarii, deberent & conferre illa beneficia permutantibus; quod quia nequeunt, prohibetur illis admissio permutationis talium. Paris. *cit. n. 4.*

3. Ampliatur hoc ipsum ad casum, dum ex duobus beneficiis permutatis unum est reservatum & alterum non reservatum; quia quòad reservatum non valet collatio Ordinarii, & vacat beneficium; & hinc secutâ evictione beneficii non reservati, is qui resignavit reservatum, non potest ad illud redire; quia non debet conferri per alium, quàm Papam. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 8. n 15.* citans Tusch. *lit. P. conclus. 307.* Chok. *de permut. l. 2. c. 2. n. 9.* Mantic. *de tacitis convent. l. 25. tit. 12. num. 9.*

4. Ampliantur quoque dictæ binæ responsiones, ità ut se extendant ad beneficia reservata tam generali, quàm speciali reservatione. Chok. *l. c. n. 2.* Paris. *l. cit. n. 16.* apud quem etiam vide enumeratas plures reservationes generales *à nu. 18.* Revocâsse insuper omnes licentias aliàs obtentas à Sede Apostolicâ, resignandi beneficia reservata in favorem aut permutandi Innoc. 8. *in constit. 13.* quæ incipit: *sicut bonus pastor. data quinto calend. Octob.* 1491. testatur Paris. recitatis illius verbis *num. 15.* Quare jam recipiens tale beneficium reservatum permutatum verè erit intrusus, Chok. *loc. cit. n. 7.* (qui tamen *n. 8.* subjungit tales permutantes, etsi habeantur pro intrusis, non tamen esse privandos à Papa, quia possident saltem coloratè, sinè causæ cognitione, pro quo citat *c. licet. de præb. in 6.* & ibi DD. & Felin. *in c. in nostra. de rescrip. n. 34.*) Lott. *loc. cit. nu. 95.* citans Felin. *in c. in nostra. de rescript. n. 22.* Mand. *ad reg. 1. q. 13. n. 4.* Mantic. *de tac. & ambig. l. 25. tit. 9. n. 12.* Garc *p. 11. c. 4. n. 81.* &c. quia decretum Papæ irritans in reservationibus non solùm efficit & inficit titulum, sed & possessionem Paris. *loc. cit. n. 10.* adeò ut non sit considerabilis possessio permutantis; cùm ea sit infecta dicto decreto irritante. Lott. *loc. cit. nu. 99.* & fieri nequit, ut is, cum quo facta est permutatio, dicatur possidere, aut civiliter aut naturaliter propter dictum decretum. Lott. *nu. 100.* citans Bisignet. *decis. 8. de rest. spol.* Ferret. *cons. 3. n. 18.* Proindè hujusmodi resignatio reservati facta coram Ordinario permutationis gratiâ inducit veram vacationem; cùm renuncians amittat proprietatem & omnem possessionem, Paris. *ibidem n. 11.* citans Æn. de Falcon. *de reserv. in 3. effectu.* Rot. *decis. 4. de renunc. in nov.* &c. Atque ità tenet quidem resignatio, ut noceat permutantibus, id est, ut ex momento factæ dimissionis vacent beneficia resignata; non noceat tamen aliis in præjudicium reservationis. Lott. *loc. cit. nu. 98.* Quare si permutans moriatur, beneficium intelligitur vacare, non per obitum illius, sed per resignationem, cùm prior vacatio impediat sequentem, Lott. *cit. n. 99.* Unde jam sequitur non dari regressum ad talia beneficia permutata propter dolum & fraudem. Lott. *nu. 101.* subdens ab ista fraude non posse excusari permutantes prætextu ignorantiæ juris, quamdiu admittitur excusatio ob aliquem probabilem errorem facti; pro quo citat Feder. de Senis. *cons. 112. n. 3.*

Quæstio 296. *An resignari possint beneficia, super quibus à Sede Apostolica concessa esset expectativa?*

Respondeo: nec resignari in favorem, nec permutari posse illa; quia aliàs tam exspectantes, quàm concedens exspectativam illuderentur, contrà quod notatur in *clem. 1. de renunc.* Paris. *l. 2. q. 10. n. 1. 2. & 3.* dicens communem, ac citans Æn. de Falc. *de exspectativis. q. 3. n. 1.* Gamb. *in c. unic. de rer. permut. in 6. n. 42. &c.* Limitandum tamen hoc ipsum sic: Nisi esset facta resignatio coram Papa, & Papa admitteret habitâ scientiâ exspectativæ cum derogatione. Paris. *loc. cit. n. 5.* de cetero, si resignatio talis beneficii pura & simplex facta esset coram Ordinario, per hanc resignationem sub intraret exspectans, quia beneficium vacat, Paris. *loc. cit. n. 6.* juxta Rot. *in Columbrien. Canonicat. 27. Febr. 1542.* teste Put. *decis. 273. l. 1.*

Quæstio 297. *Utrum beneficia exempta resignari possint?*

Respondeo: posse resignari, etiam in favorem & permutari. Paris. *l. 2. q. 8. nu. 1. & 2.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 13.* modò resignatio vel permutatio fiat coram Papa, dum beneficia in hoc sensu sunt exempta; quia soli Papæ subjecta; quia tunc solus Papa est Superior, qui eorum resignationes (intellige etiam simplices) recipere potest. Paris. *num. 4.* Pirh. *loc. cit.* vel coram proprio prælato; si sermo est de permutatione (quia resignationem in favorem, quæ non fit permutationis gratiâ, inferior Papâ nemo admittere potest) & beneficium est exemptum in eo sensu; quòd non subjiciatur Ordinario seu Episcopo, sed proprio prælato habenti jurisdictionem quasi Episcopalem. Vel denique permutatio fiat coram Episcopo, si beneficium in lato solùm sensu sit exemptum; quia est in Ecclesia exemptâ à jurisdictione Episcopi, non verò populus Ecclesiæ. Chok. *de permut. p. 2. c. 3. n. 5.* Pirh. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 7. c. 25. q. 7.*

Quæstio 298. *An beneficia unita, exstincta, vel suppressa, vel carentia reditibus resignari possint?*

1. REspondeo ad primum primò: beneficia unita nec resignari in favorem, nec permutari possunt, antequam unio sortita suum effectum, v. g. beneficium Titii est unitum meo beneficio, vel monasterio alicui, aut Collegio vel Seminario, ut post mortem Titii hæc unio sortiatur suum effectum, Titius illud beneficium resignare non potest in alicujus favorem, aut permutare cum alterius beneficio. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 15. Chok. *de permut. p.* 2. *c.* 8. *n.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 8. Paris. *l.* 2. *q.* 9. *n.* 1. *&* 2. citans Felin. *in c. nostra. de rescript. n.* 23. Feder. de Senis. *de permut. benef. q.* 33. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 27. citans Bellam. *de permut. benef. p.* 3. *q.* 7. dicentem in hoc concordare omnes. Oldr. *cons.* 257. *à n.* 20. Pavin. *de pot. cap. sed. vac. q.* 8. *p.* 2. *n.* 18. Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. unio.* §. 7. Hojed. Rebuff. &c. modò tamen unio sit legitimè facta, ità ut de jure teneat, & modò unio ipsa tota permutationem & resignationem præcedat, ùt Garc. *loc. cit.* Constat responsio ex Trid. *sess.* 21. *c.* 5. ubi in fine dicitur: *uniones non possunt revocari, nec quoquo modo infringi, etiam ex causa resignationis* &c. & *sess.* 23. *c.* 18. ubi: *nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones & applicationes suspendi, vel ullo modo impediri possunt* &c. jam verò si valida esset talis resignatio vel permutatio, omnino tolleretur unio, cùm unus resignare posset beneficium alteri, & ille rursus aliis, ut nunquam locus esset unioni. Paris. *loc. cit. n.* 5. Pirh. *loc. cit.* atque hoc ipsum directè esset contra conditionem factæ unionis, cùm hæc facta sit, ut habeat locum, quamprimùm beneficium vacaverit per cessum vel decessum, quæ verba non capiunt renunciationem illius in favorem, sed tantùm resignationem simplicem & mortem. Paris. *loc. cit. nu.* 12. citans Cassad. *decis.* 3. *de renunc.* &c. Deinde per unionem factam Collegio, monasterio vel beneficio meo est jus quæsitum collegio, monasterio, mihi ad beneficium Titii; quod jus auferri monasterio vel mihi non potest per resignationem. Pirh. *loc. cit.* Et sic non magis beneficium unitum transferri potest in alium per renunciationem, quàm subjecta restitutioni alienari. Paris. *n.* 5. Pirh. *cit. n.* 15.

2. Procedítque responsio, etiamsi resignatio in favorem vel permutatio hæc facta coram Papa (subintellige non factâ mentione unionis) effectus enim unionis in hoc casu non tollitur per Papæ provisionem subsequentem, ne unio evadat inutilis per frequentes & plures similes provisiones & permutationes, juxta dicta. Garc. *loc. cit. n.* 28. citans Bellam. *ubi antè. q.* 9. *nu.* 11. Zerol. Azor. *ubi antè.* Rebuff. *in pr. tit. de unionis revocatione. nu.* 32. Et sic invalida erit talis resignatio & permutatio; tum quia gratia est subreptitiè obtenta ob tacitam veritatem, quæ exprimi debebat; tum, quia verosimile non est, Papam voluisse tollere & impedire effectum unionis; cùm non soleat concedere literas præjudiciales alteri; nisi id exprimat; præsertim, cùm unio beneficiorum non fiat, nisi ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiarum. Paris. *à nu.* 14. & ex eo Pirh. *loc. cit.* Quòd si tamen permutatio vel resignatio in favorem facta esset coram Papa cum narrativa unionis, Papa admittendo resignationem, & conferendo beneficium ei, in cujus favorem resignatum cum clausula: *& non alias,* suspendere videtur (prout potest ob plenissimam, quam in omnia beneficia habet, potestatem, & prout solet in resignationibus & permutationibus dari suspensio unionum, suppressionum, & aliarum gratiarum, juxta Garc. *loc. post. citand.* citantem pro hoc Mandos. *de signat. gratiæ. tit. de resig. vers. datur resignatio &c.*) pro illa vice, & prorogare seu differre effectum unionis (etiamsi, ùt ait Garc. non sit derogatum regulæ *de jure quæsito.*) Chok. *loc. cit. n.* 6. *&* 7. Paris. *n.* 8. Pirh. *loc. cit.* Garc. *n.* 29. citans Gonz. *gl.* 5. §. 7. *nu.* 137. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 8. Zechum. &c. C. Luca. *de benef. d.* 7. *nu.* 2. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 156. *n.* 7. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 172. ubi: *Rector beneficii passim admittitur ad resignandum cum clausula suspensiva unionis, quæ nusquam deleri consuevit.* Ratio hujus est, quòd per hoc nullum considerabile præjudiciũ fiat illi personæ aut Ecclesiæ, cui unitum est beneficium Paris. *n.* 9, & ex eo Pirh. eò quòd contingere possit, ut resignatarius priùs moriatur quàm resignans, & ità unio citius consequatur suum effectum. Paris. Pirh. Tond. C. Luc. Lott. *ll. cit.* qui posterior illud reflexè monet *n.* 173. super hoc maximam adhibendam diligentiam; ne dicta clausula suspensiva unionis omittatur, cùm sine ea purificetur unio per mortẽ resignantis, neque per ipsam resignationem, cum clausula consueta apponi in unionibus: *cum primum per cessum* &c. intelligatur de cessione libera & pura, non autem de resignatione in favorem. Quòd verò clausula implicet sufficientem expressionem unionis factæ, & sufficere, quòd sit inserta inter clausulas & decreta generalia apposita in supplicatione, ait *nu.* 175. *&* 176.

3. Porrò dum resignatio in favorem & permutationis gratiâ facta omissâ mentione unionis non valet, mox vacat beneficium, & locum habet seu subintrat unio, quoties resignans sciens unionem, non fecit de ea mentionem, cùm enim tunc scienter nulliter resignavit, amittit jus seu titulum beneficii per resignationem. Pirh. *loc. cit.* Garc. *n.* 36. ex Paris. *nu.* 21. Secus est, seu resignantes vel permutantes redire possunt ad sua beneficia, & unio pro tunc non habebit locum, sed expectanda erit vacatio libera, si ignoranter omissa mentio unionis, eò quòd ignoraretur unitum. Paris. *n.* 20. Garc. *cit. n.* 36. citans pro hac distinctione Cassad. *decis. unic. de rer. permut. n.* 2. & expressè dicens, idem esse de resignato unito sic ignoranter coram Ordinario. Cui contrarius esse non videtur Paris. dum *n.* 22. ait: Si autem quis renunciaret beneficium unitum coram Ordinario, teneo subintrare unionem, & per consequens Ordinarium non posse conferre illud beneficium; unio namque sortitur effectum per cessum vel decessum, & sic in casu mortis & resignationis simplicis, & *nu.* 17. addit. Idem erit dicendum in resignatione simplice coram Papa facta, quòd nimirum intret unio &c. sub intelligi enim ab eo videtur; si quis scienter id fecerit, & quòd per resignationem simplicem validam vel scienter factam nulliter unio sortiatur suum effectum.

4. Respondeo ad primum secundò: hæc procedere in unione de certo beneficio facta, per quam acquiritur jus ad tale beneficium, sicut per reservationem de certo aliquo beneficio factam: Et ècontra locum non habere, dum unio facta, vel potiùs facienda v. g. de primo vacaturo, ità ut unio hæc non capiat beneficium resignatum ex causa permutationis vel in favorem, sed illud permu-

tantibus

tantibus vel resignatario sit conferendum, non secus ac in reservatione de primo vacaturo, non includuntur vacatura per resignationem permutationis gratiâ factam. Garc. *loc. cit. n. 37. & 38.* Paris. *l. 10. à n. 18.*

5. Respondeo ad primum tertiò: hæc procedere in unione de beneficio, vel beneficiis certis simpliciter & absolutè facta; non verò dum unio facta de beneficiis etiam certis, vacaturis per cessum vel decessum, & sic restricta ad illos modos vacandi, ità ut hæc beneficia adhuc resignari possint in favorem & permutari, cùm, si sic resignentur, non vacent per cessum (utpote qui solam resignationem simplicem sonat) nec per decessum, adeóque non intret unio, tradit Paris. *loc. cit. q. 4. n. 38.* citans Rot. *in Conchen. præstimonii. de mense Octob. 1542.* teste Put. *decis. 357. l. 1.* Item *l. 2. q. 9. n. 12.* citans Cassad. *decis. 3. de renunc.* Item *l. 2. q. 19. n. 7.* Quod idem, quamvis dicat Garc. *loc. cit. n. 39.* citans pro hoc insuper Mand. *de signat. gratia. tit. de regressib. vers. notand. est.* Mohed. *decis. ult. de renunc.* &c. subjungit tamen *n. 41.* dicendum nihilominus esse, non valere talium beneficiorum resignationem in favorem, seu ex causa permutationis, nisi factâ mentione & suspensione dictæ unionis, pro quo citat Rebuff. *in pr. tit. de union. revoc. n. 32.* & præcipuè Rotam *in Eugubin. benef. 10. decemb. 1590.* quam decisionem ad fusum recitat *n. 42.* & addit *n. 43.* si talis resignatio in favorem, seu ex causa permutationis de beneficio unito per cessum vel decessum esset facta scienter, intrare statim unionem, citat pro hoc Rebuff. *ubi antè n. 20.* Aliam adhuc limitationem vide infrà, ubi, quæ beneficia permutari non possint.

6. Respondeo ad primum quartò: Sed neque beneficia unita, postquam unio sortita suum effectum, resignari possunt; cùm per unionem exstinguatur titulus & nomen beneficii, & non dicatur amplius beneficium, nec censeatur beneficium separatum, sed sub titulo beneficii; cui facta unio, sit confusum. Garc. *loc. cit. nu. 24.* citans Ferret. *cons. 255. n. 9.* nec per se impetrari potest tale beneficium, etiam à Papa, nisi narratâ unione. Garc. *ibid.* citans Hojed. *de incompat. p. 2. c. 3. n. 12.* neque etiam valet permutatio de tali. Garc. *ibid.* citans Sarn. *ad reg. de infirm. q. 15.* & Bellam. *p. 3. q. 7. in fine.* ubi: quòd de suppresso est indubitatum, permutari non posse; quia illud, quod non est, permutari non potest; nisi suppressio venisset post renunciationem) Item Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 11. 14. & 22.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. q. 7.* licèt subjungat Garc. *nu. 25.* ex Bonifac. *in clem. 1. de rer. permut. in fine.* Quòd beneficium unitum v. g. capitulo permutari possit cum beneficio Titii, ità ut hoc uniatur capitulo, & illud conferatur Titio: cui ipse consentit, dicens fieri dissolutâ unione ex causa utilitatis vel necessitatis id Ecclesiæ. Quinimo addit *n. 26.* etiam beneficia unita videntur posse permutari inter se. citat pro hoc *c. cùm venerabilis. de except.* & Coras. *de benef. p. 1. c. 9. n. 1.*

7. Respondeo ad secundum: beneficium exstinctum & suppressum, quæ non vacant, ut sunt Canonicatus & præbendæ in Ecclesia non numeratâ, resignari quoque in favorem, tradit Paris. *l. 2. q. 13. n. 1.* citans Gemin. *in c. licet. de rer. permut. in 6. n. 24.* Item posse ea permutari ibidem tradit Paris. *n. 2.* citans Gamb. *in cit. c. licet. n. 91.* ex rationibus ibi allegatis contra Bellam. *de permut. benef. p. 2. q. 1. n. 8.*

8. Respondeo ad tertium: beneficia sinè reditibus, sive carentia reditibus resignari possunt, etiam in favorem. Paris. *l. 2. q. 8. nu. 2.* dicens sic resolutum à Rota *in Taracon. de mense Jun. 1530.*

Quæstio 299. An beneficia commendata possint resignari?

1. Respondeo primò: Beneficia in commendam temporalem data ob utilitatem Ecclesiæ, donec ei provisum de Rectore, etsi dimitti & resignari possint in manibus Superioris (licèt enim tunc resignans nullo jure & titulo se abdicet; cùm nullum habeat; deponit tamen administrationem, quam habet. Paris. *l. 2. q. 17 nu. 7.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 16.* citans Azor. *p. 2. l. 7. c. 25. q. 20.*) in favorem tamen resignari vel permutari non possunt; quia commendatarius jus nullum habet seu titulum in tali beneficio; sed solam administrationem. AA. iidem. Paris. *n. 2. & 3.* plura de hoc postremo ex professo infra, ubi de permutatione beneficii cum non beneficio.

2. Respondeo secundò: data tamen in commendam perpetuam, hoc est, ad vitam commendatarii, seu commendæ perpetuæ resignari etiam in favorem possunt; quia commendatarius consequitur, & habet in illo beneficio verum jus ac titulum, non secus ac si ipsi simpliciter collatum esset. Paris. *loc. cit. n. 9. & 10.* Pirh. & Azor. *ll. cit.* cum communi.

Quæstio 300. An beneficium, super quo reservatus est alteri regressus, possit resignari?

Respondeo: Si reservatus est regressus cum clausula, *per cessum etiam in favorem vel decessum*, resignari non potest in favorem; quia eo cedente in favorem, intrat regressus. Paris. *l. 2. q. 18. n. 1.* citans Mand. *in pr. signat. gratiæ. vers. regressus.* Caputaq. *decis. 215. p. 1. in principio &c.* Per quod ipsum indicare satis videtur Paris. secus esse, si regressus reservatus simpliciter cum clausula, *per cessum vel decessum.* Nihilominùs Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 15. nn. 146.* Simpliciter negat posse reservari in favorem beneficium, in quo alii fuit reservatus regressus. citat Vivian. *de jurepatr. l. 13. 10. c. n. 38.* &c. Quòd si tamen etiam habens regressum cum dicta clausula: *per cessum etiam in favorem:* præstaret suum consensum, & suspenderet regressum pro illa vice ad effectum, ut beneficiatus posset resignare beneficium, super quo reservatus regressus in favorem sui, posse illud resignari in favorem, asserit Paris. *ibid. num. 2.* Si autem in hoc casu resignatio aliunde foret nulla ex causa aliqua, non censeri durare consensum habentis regressum, & consequenter, cùm existente resignatione nulla, jus non censeatur abdicatum à resignante, si is moreretur, vel contraheret matrimonium, intrare regressum & consensum prædictum præstitum super actu nullo ei non præjudicare.

Quæstio 301. An beneficia, quorum, dum vacant, conferendorum indultum speciale habet aliquis v. g. S. R. E. Cardinales, resignari possint?

1. Respondeo primò in genere: Considerandum, sub qua forma seu sub quibus clausulis istiusmodi indultum concessum. Unde

2. Respondeo secundò in specie primò: dum concessum v. g. Cardinalibus indultū, ut cōferre possint

beneficia in tali diœcesi vacantia cum clausula: *Exceptâ vacatione per resignationem in manibus Papæ*, & in hoc casu dubium non esse, quin possint resignari beneficia in favorem. Paris. *l.2. q.19. n.1.* Secundò: dum concessum istiusmodi indultum conferendi beneficia, etiam in Curia, per promotionem, amissionem vel quamcunque aliam dimissionem, & sic per cessum vel decessum vacantia: & in hoc quoque casu possunt resignari illa beneficia in favorem, cum verba illa: *per cessum*, non capiant nisi resignationem simplicem, ùt dictum jam aliquoties, nisi fortè adjunctum esset, *per cessum in favorem*. Et quoties resignatio fit in favorem certæ personæ, beneficium non dicitur vacare, nisi admittatur in favorem illius, & ei acquiratur. Paris. *loc. cit. n.3. junctο n. 4. & 5.* Tertiò si in indulto non adsunt verba illa: *per cessum vel decessum*, clarum esse, non tantùm posse resignari in favorem, & sic resignata Cardinalem non posse conferre; sed etiam non posse illum ea conferre resignata simpliciter in Curia.

Quæstio 302. An hospitalia, & Præceptoriæ, & beneficia ordinis etiam S. Ioannis Hierosolymitani possint resignari?

1. Respondeo ad primum, primò: hospitalia, quæ dantur in titulum, resignari possunt, in favorem etiam. Paris. *l.2. q.14. n.2.* dicens esse communem: possunt item permutari. Paris. *ibid. n.3.* citans Gamb. *in cit. c. licet. de permut. rer. in 6. n.67.* Feder. de Senis. *de permut. benef. q.14. n.22. &c.* ratio utriusque est, quia hospitalia, dum dantur in titulum, sunt beneficia, & de iis, sicut de beneficiis, judicatur. Paris. *n.4.* cum communi.

2. Respondeo ad primum, secundò: hospitalia, quæ dantur clericis tantùm in administrationem, juxta formam *clem. quia contingit. §. ut autem. de religios. domib.* posse quoque resignari in favorem etiam; eò quòd, licèt in hoc casu non sint beneficia, non sunt tamen titulus totaliter profanus, sed Ecclesiasticus, & sinè simonia vendi non possunt. Tradit Paris. *loc. cit. n.6. & 7.* citans pro hoc Feder. de Senis. *ubi antè n.2.* Bellam. *de permut. benef. p.3. q.3.* Gamb. *ubi antè.*

3. Respondeo ad secundum: Eadem, quæ dicta de hospitalibus, dicenda quoque de Præceptoriis, sive in titulum datis, sive in administrationem, sive ordinis sint S. Antonii vel alterius, puta S. Joannis Hierosolymitani, vel S. Mariæ, Teutonicorum & similium; eò quòd comprehendantur sub beneficiis, *ibidem* ait Paris. *n.9. & 10.* & posse illa renunciari, etsi sint ad nutum amovibilia, ait *n.11.* colligi *ex decis.* Put. *129. & 177. l.3.* & sic solere Papam sæpius talium beneficiorum Ordinis S. Joannis Hierosolymit. quæ ad nutum magni Magistri & aliorum Superiorum amovibilia, resignationes admittere, tradit quoque Tond. *qq. benef. p.2. c.1. §.6. n.11.*

Quæstio 303. An resignari possit beneficium super quo resignans habet solum jus ad rem?

1. Respondeo: beneficium necdum collatum neque simpliciter, neque in favorem resignari potest, aut permutari, cùm nemo renunciare potest, quod non habuit. Paris. *l.2. q.22. à n.1.* Tond. *qq. benef. p.2. c.3. §.8. n.9.* ubi: omnes, qui duntaxat jus ad rem, non jus in re habent, prohibentur resignare vel permutare. Unde jam absens, cui collatum beneficium, non potest renunciare illud ante acceptationem; quia nondum in eò jus habet, Paris. *ibid. n.12.* ex Rebuff. *cons. 48. n.8. & cons. 49. n.2.* Secùs tamen est, si quis jus aliquod in beneficio prætendit, hoc enim jus prætensum renunciare potest. Paris *l.2. q.21. n.1.*

2. Respondeo secundò: potest quis renunciare simpliciter beneficium, super quo habet jus ad rem tantùm (v.g. per electionem, præsentationem, exspectativam, vel quale habent, quibus reservatus est accessus & regressus; de quorum singulis vide Paris. *l.2. q.23.*) seu potiùs illud ipsum jus ad rem, qui enim habet jus ad rem, habet jus considerabile; quare mirum non est, quòd possit simpliciter illud renunciare juxta vulgarem & communem regulam; unicuique concessum renunciare juri sibi competenti. Paris. *loc. cit. n.1. 2. & 3.* Non potest tamen renunciare jus illud in favorem certæ personæ, cùm jus illud ad rem non possit in alium transferri, ut Sarn. *in reg. de jure quæsito non tollendo*, & Rot. *decis. 17. de præbendis. in nov.* Paris. *ibidem n.4.* Corrad. *pr. benef. l.5. c.1. n.42.* Et in specie non posse permutari exspectativam ad aliquod beneficium cum exspectativa, quam habet alius ad aliud beneficium, tradit *ibidem* Paris. *n.15.* contra Gamb. *in cit. c. licet de rer. permutat. in 6. n.42.* cujus opinionem dicit communiter reprobari. Vide de hoc plura infrà de permutatione talis juris ad rem. Illud hic observandum ex eodem *n.17.* non esse necesse, ut renunciatio ejusmodi juris ad beneficium fiat in manibus Superioris.

Quæstio 304. An resignari possint beneficia resignata, collata quidem, sed necdum confectis vel plumbatis literis, aut publicatis, aut exceptâ possessione?

1. Respondeo ad primum: potest quis resignare, etiam in favorem, bullis seu literis nondum confectis. Paris. *l.3. q.19. n.4. & l.2. q.24. n.1.* dicens communem, ac citans pro ea præter alios Boerium *decis. 24. n.9.* Rebuff. *in concord. de mand. Apostol. v. literas.* Mascard. *de præb. concluſ. 843. n.18.* Mandos. *in pr. sign. gratiæ. tit. resignationes. col.3.* ubi is dicat, admitti hujusmodi resignationes his verbis: scilicet, *possessione habitâ vel non habitâ, ac forsan literis non expeditis resignare proponat, prout resignat, accedit, &c.* & signaturam non consuevisse delere verba illa: *forsan literis non expeditis.* Verùm Paris. ait *à n.2.* hodiedum solere narrari hoc, quòd literæ non sint expeditæ; & hujusmodi resignationem in favorem literis non expeditis, non admitti de facili, sed cum magna interceſſione; eò quòd, quamvis post signatam supplicationem consequatur quis titulum beneficii, qui titulus in beneficialibus attenditur; & per consequens de jure communi non requiratur expeditio literarum, cùm tamen hodie de stylo omnibus noto, & vi regularum Cancellariæ requiratur dicta expeditio, titulus non dicatur perfectus in suo esse. Porrò procedit responsio, ut postquam signata est supplicatio per Papam, & registrata, ità ut tunc possit fieri dicta resignatio, quæ de stylo Cancellariæ dicitur cessio. Paris. *loc. cit. n.6.* Si autem solùm signata est supplicatio, cùm possit illa lacerari, & alia signari in favorem alterius, cui vult resignans renunciare. Paris. *n.7.* indè inferri videtur à contrario, talem post signatam solùm in favorem sui supplicam non posse resignare in favorem. Verùm tamen posse hanc resignationem fieri à resignatario illo ante consensum præstitum (intellige magnum seu formalem in Datariâ)

Dataria) modò consensus hic postmodùm præstetur, tradit Paris. *l.3. q.9. n.6.* Sic dicens conclusum per omnes *in Lamacens. Parochial.* resignationem talem esse validam, quia gratia à Papa signata est perfecta, sed tamen revocabiliter; donec præstetur consensus resignantis; Unde is superveniens perducit ad exitum gratiam jam validam. Adde quia consensus hic retrotrahitur ad tempus datæ, perinde ac si tunc consensisset formaliter resignans. Paris. *cit. q.9. n.8.* Atque ità procedit responsio, non tantum in resignationibus puris, sed etiam conditionatis, in quibus requiritur consensus formalis. Paris. *ibid. n.9.*

2. Respondeo ad secundum: posse fieri resignationem in favorem, antequam literæ sint plumbatæ: sequitur à fortiore ex præcedente responsione, postquam enim literæ in Cancellaria confectæ sunt, tum mittuntur in officium, ubi solet apponi plumbum, dicuntur jam confectæ, ut Felin. *in c. diligenti. de simonia. in fine.* testans sic servari in praxi. Paris. *l. 2. q.25. n.1.*

3. Respondeo ad tertium: posse quoque beneficium resignatum resignari à resignatario in favorem tertii, antequam resignatarius ille publicâsset resignationem sibi factam. Paris. *l.3. q.9. n.11.* & *l.2. q.27.* dicens esse receptam ab omnibus, & sic resolutum *in Toletan. præstimon.* teste Crescent. *decis.227. l.1.* Contrarium sentientibus Cyno & Alex. apud eundem Paris. *ibid. n.1.* Jus enim illi jam quæsitum est per resignationem jam admissam & signatam à Superiore. Neque illud jus pendet à conditione, si publicaverit, ùt rectè Mohed. *decis. 348. de præb.* & C. Paris. *cons. 114. n.5. vol.4.* licèt in eventum, in quem non publicaverit, resolvatur, Paris. *loc. cit. n.5.* Hinc etiam acceptans & obtinens sibi provideri vigore exspectativæ, potest cedere jus in beneficio acceptato sibi competens ante cursum trium mensium datorum ad publicandum. Paris. *cit. q.27. n.8.* Procedúntque hæc, etiamsi instaret finis termini ad publicandum. Paris. *ibidem n.9.*

4. Respondeo ad quartum: posse resignari in favorem ante apprehensam possessionem; quia per collationem & acceptationem, etiam ante possessionem, consequitur quis jus in beneficio, ac titulum beneficii, qui sufficit ad resignandum in favorem. Paris. *l.2. q.26. à n.1.* citatis quàm plurimis cum communi.

Quæstio 305. An resignari possit beneficium, cujus titulo quis promotus est ad ordines majores?

1. Respondeo primò: resignari non potest tale beneficium, nequidem simpliciter, nisi resignans aliunde habeat, unde se sustentare congruè possit, hæcque ipsa qualitas beneficii, nimirum, quòd sit titulare, & dicta sufficientia aliunde vivendi narrata & expressa fuerint; ità ut eo ipso prorsus irrita & invalida sit talis resignatio. Tond. *in qq. benef. p.2. c.1. §.11. n.41.* ex Gratian. *discept. for. discept. 991. in principio* Castrop. *tr.13. de beneficiis. d.6. p.2. §.6. n.6.* Paris. *l.2. q.6. n.35. junctis. n.36.* Gonz. *gl.5. §.10. n.35.* Garc. *p.2. c.5. n.192.* Corrad. *in pr. benef. l.5. c.1. n.43.* Chok. *ad reg.45. à n.57.* Card. de Luc. *de benef. d.37. n.14.* Lott. *l.2. q.14. à n.75.* Sic enim expresè constituit Trident. *sess.21. c.2.* Cujus prohibitionis hæc est ratio ab ipso Concilio expressa: ne quis cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogatur. Garc. *loc. cit. n.197.* Paris. *loc. cit. n.4.*

2. Proceditque dicta responsio non solùm in resignatione factâ coram Ordinario, sed etiam in manibus Papæ; cùm Concilium loquatur absolutè, nec præsumendus sit Papa, velle decreto Concilii tam prudenti derogare. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.193.* Quòd si tamen resignatio facta coram Ordinario absque facta mentione dictæ qualitatis, quòd beneficium sit titulare &c. jus abdicari à resignante, eò quòd tunc Episcopus, qui resignationem admisit, teneatur de proprio providere resignanti de alimentis, si aliunde non habeat, tradit Tond. *loc. cit. n.46.* dicens certum esse. Paris. *loc. cit. n.42.* referens ità declaratum per S. Congregationem. Nicolarts *ad concord. German. tit.1. dub.10. §.4.* dicens sic constitutum à Pio V. *in constit. quanta Ecclesiæ.* ac citans Garc. *p.3. c.28. n.7.* ut præjudicetur tam resignanti quàm resignatario, dum collatio hujus beneficii tanquam vacantis devolvatur ad Sedem Apostolicam. Tond. *ibid. n.47.* Nicolarts *loc. cit.* & Garc. apud illum *loc. cit.* Quòd si tamen talis resignatio fiat coram Papa, absque eo quòd dicta qualitas expressa, jus non abdicari à resignante; quia nulla est resignatio, tradit *cit. n.47.* Tond. ex Garc. *loc. cit. n.224.* & *228.* ità ut si talis resignans moreretur in mense Ordinario, Ordinarius posset de eo tanquam vacante per obitum providere in vim Concordatorum Germaniæ; si moreretur in mense Pontificio, Papa solus providere posset. Nicolarts *loc. cit. §.2.* citans & fusè recitans decis. Rotæ *in una Leodiensi canonicatus. de 28. Junii. 1621.*

3. Porrò id ipsum, nempe quòd mentio fieri debeat, quòd resignans titulo illius beneficii promotus sit ad sacros Ordines, sive coram Ordinario, sive coram Papa fiat resignatio, esse de forma & substantia talis resignationis, ità ut per nullum æquipollens suppleri possit, & satisfieri dispositioni Concilii, tradit Lott. *loc. cit. n.77.* Item Garc. *cit. n.193.* Paris. *cit. q.6. n.39.* Sic resolutum referentes à Sacra Congregatione Anno 1588. & à Rota *in Aretina plebis. 4. decemb. 1600.* & *in Salmân de Majo 1588.* & *in Hispal. 17. Jun. 1588.* Proinde non sufficiet expressisse, quòd resignanti remaneat, unde vivat, sed utriusque expressio, nimirum & quòd sit ordinatus super tali beneficio, & quòd habeat aliunde, unde vivat, requiritur; quia utrumque requirit Trid. &, ùt dictum, forma illa Tridentini per æquipollens suppleri non potest. Chok. *loc. cit.* citans Azor. *p.2. l.7. c.25. q.6.* &c. Garc. *loc. cit. n.194.* Gonz. *loc. cit. n.35.* Castrop. *loc. cit.* qui etiam ait: etsi satisfactum per hoc sit intentioni Concilii, non esse tamen satisfactum dispositioni Concilii. Quin imò addit; nequidem per hoc satisfactum intentioni Concilii, cùm Concilium mentionem illius qualitatis fieri voluerit, non eo solùm fine, ut ordinatus haberet, unde commodè vivere posset; sed etiam ità firmiter haberet, ut non posset se ea commoditate privare. Unde jam etiam sequitur, quòd renunciatio beneficii facta sub pensione sufficiente ad congruam sustentationem, non tamen factâ mentione; quòd ad illius titulum quis sit promotus, non valet; quia, ùt dictum, expressio illius est de forma, & Concilium indistinctè annullat resignationem aliter factam. Chok. *loc. cit. n.61.* Garc. *loc. cit. n.214.* citans pro hoc expressam S. Congregationis declarationem, & addens *n.217.* quòd talis resignatio etiam in foro conscientiæ sit nulla ex Ledesma.

4. Neque his obstat Bulla Pii quinti, quæ formam observandam præscribit pro omnibus resi-

gnationibus admittendis ab Ordinariis seu extra Curiam; ut nimirum exprimatur, quòd resignans habeat aliunde sufficienter ad vivendum. Nam malè inde infertur, non esse etiam necessarium exprimi alterum, nimirum quòd sit beneficium titulare, dum quis tale beneficium resignat; cùm illud sit de forma præscripta à Trid. cui in dicta Bulla per nullam clausulam derogatur, cùm tamen ei derogandum esset, ut desinat operari. Quin & Pius quintus non dicat, sufficere in omni resignatione, si exprimatur hoc tantùm, sed ait necessarium esse, hoc exprimere in omnibus; in iis verò, ad quorum titulum quis ordinatus, satis constabat jam ex Tridentino & illud necessariò exprimendum. Chok. *loc.cit.à.n.64.* qui etiam addit, neque contrarium ullâ decisione decretum, vel ab aliquo Authore confirmatum, præterquam à Navarro *l.3. cons.2.* ubi dicit valere resignationem hujusmodi, non factâ mentione tituli in foro conscientiæ, & credere se, ità judicaturos præsides prætorii supremi Papæ, si eorum tribunali subjiciatur: quod quidem, ùt ait Chok. *cit. n. 64.* non credidisset; quin & mutâsset sententiam, si multas Rotæ decisiones, Cardinalium declarationes Navarro posteriores, quæ exstant apud Paris. Garc. & alios, legisset; quæ certè illius auctoritati prævalere debent. Quin & ipsum Navarrum *in manuali, c. 22. de Sacramento ordinis, in fine,* citare & probare decretum Tridentini; quòd ordinatus ad titulum beneficii non possit illud resignare, nisi constet eum aliunde, unde vivat, habere; fecerit que mentionem, se ad titulum illius beneficii promotum, testatur idem Chok. *loc.cit.*

5. Verum tamen, ùt inquit Chok. *n.65.* adversùs hanc doctorum scholam sunt, qui prorsus contrarium dicant; nimirum ex stylo Curiæ Romanæ sufficere, in resignationibus resignantem constitutum in sacris ordinibus exprimere, unde vivat, se habere, omisso, quòd fuerit promotus ad Ordines titulo illius beneficii resignati: & de hoc stylo Cancellaria sexcentos pragmaticos in Curia Romanâ exercitatissimos testari; quo stylo supposito, ait Chok. Rotæ decisiones, & S. Congregationis declarationes cessare videntur; tum quia stylus Cancellariæ facit jus, & est attendendus. *c. ex literis. de rescript.* Gigas *de pens. q.54. n.2.* Mandos. *ad reg.10. q.5. n.6.* tum quia mentem principis aperit & declarat. Mand. *ad rubr. reg. Cancellariæ. q 2. n.3.* tum quia quæcunque fiunt in Camera vel Cancellariâ, dicuntur fieri in consistorio, imò in conspectu Papæ. Paris. *l. 9. q.26. n 3.* Gomes. *ad reg. de triennal. q.7. §. præterea;* ideòque stylus Curiæ Romanæ facit jus, & tollit omnem dubitationem facti, non solùm in Curia, sed & in partibus. Hoc proinde stylo stante ait Chok. *n. 68.* de non exprimenda qualitate promotionis ad sacros ordines, ex titulo illius beneficii non videtur posse dari de nullitate resignationis; séque judicare, in re tam perplexâ operæ pretium esse, adire Papam, cujus est interpretari, nedum decreta concilii, sed hanc vel illam doctorum opinionem, maxime in hoc casu, quo pragmatici peritissimi in Curia rarò exprimunt, resignantem fuisse promotum ad titulum illius beneficii. Addit: interim non ex eo cautum arbitrarer resignanti, ut ei liceret, invalidare resignationem à se factam; quia pro resignatario staret illud axioma, quòd error juris dubii excuset. Vide eundum ulteriùs.

6. Respondeo secundò: permutari quoque tale beneficium non potest, nisi dictâ formâ à Tridentino præscriptâ præcisè servatâ. Card. de Luca. *de benef. d. 41. n.5.* citans Gratian. &c; Chok. *loc. cit. n. 62.* citans Gonz. *gl.5. §.10 à n.43.* Garc. *loc.cit.n.218.* qui tamen addit: nisi permutatio sit æquivalens. Lott. *loc.cit.n.78.* ubi: Licèt S. Congregatio videatur in resignatione ex causa permutationis variâsse (ùt advertit; qui propterea hunc articulum indiscussum reliquit. Mantic. *de tacit. & ambig. l.25. tit.7. n.44.*) tamen veritas est, quòd eadem Congregatio semel de Anno 1602. 18. Julii decretum Concilii censuit locum etiam habere in permutationibus, non absolutè, sed ex suppositione, quòd dari posset casus, ut ità permutans non posset consequi beneficium cessum. Atque in hoc semper militaret ratio, ne in opprobrium ordinis mendicet; & ab ea (intellige declaratione) nusquam decessit Sacra Congregatio; sed bene illam declaravit ex negatione ejusdem suppositi universaliter non procedere, nisi ità permutans assecutus fuisset possessionem beneficii permutati; quod esset prorsus sufficiens ad sui sustentationem; quo demum casu cesset ratio Concilij, ut refert Gregor. *decis. 441. n. 3.* ubi: quòd tunc de hac assecutione deberet constare, nedum cum illa qualitate sufficientiæ, sed etiam durationis. ità verbotenus Lott. Eadem ferè tradit Tond. *loc. cit. n.48. & n.49.* subjiciens, illam declarationem Sacræ Congregationis non solùm in foro conscientiæ, ut velle videtur Gratian. *discept. for. c.159. n.3.* sed in utroque foro admittendam ex Barb. *ad cit. c. Trid. sess. 22.* & sic competere etiam resignanti actionem spolii; etiamsi permutatio non potuerit habere effectum ex nova culpâ resignantis; quia in examine fuit reprobatus, tradit Garc. *loc. cit. n.218.*

7. Respondeo tertiò: decretum illud prohibens resignationem beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus fuit sacris, nisi aliunde haberet, unde vivere posset, non procedere in resignationibus, & privationibus inductis à jure, v. g. per assecutionem alterius incompatibilis. Garc. *loc. cit. n.219.* eò quòd Concilium solùm tollat resignationes voluntarias; ut Sacra Congregatio super dicto loco Concilii. Garc. *ibidem n. 220.* Hinc dictum decretum non procedit in resignatione facienda ex decreto Papæ appositio in gratia alterius incompatibilis, & in ea opùs non erit, facere mentionem, quòd ad illius titulum fuit quis ordinatus, ex quo est resignatio necessaria injuncta à Papa. Garc. *n.221.*

8. Respondeo quartò: sed neque dum is, qui non habet aliunde, unde vivat, juravit se resignaturum, vel non revocaturum procuratorem constitutum ad resignandum, tenetur, aut potest hoc juramentum implere, cùm juramentum non sit vinculum iniquitatis. Paris. *l. 2. q. 6. n.43.* Garc. *loc.cit.n.231.* Neque obstat decisio Rotæ 8. *de Procurator. in antiq.* dicens, quòd constituens procuratorem ad resignandum beneficium ex causa permutationis cum juramento de eo non revocando, non potest validè revocare. Præterquam enim, quòd ea decisio non loquatur, aut procedat, ubi resignatio sit contra juris dispositionem, uti fieret in præsenti casu, ea decisio non est in usu; cùm indifferenter practicetur, ità ut in quibuscunque resignationibus permutationis gratiâ sit locus pœnitentiæ, donec resignatio sit per Superiorem recepta. Garc. *à n. 233.* quamvis addat *n.236.* Feder. de Senis *de permut. benef. q.38.* & Pet. de Ubaldis *eodem tr. n.40.* tenere, quòd si beneficiati tractantes de permutatione beneficiorum promiserunt invicem datâ fide, procurare permutationem fieri per illos, qui habent ad

hoc

hoc auctoritatem, posse, altero instante, renitentem ad permutandum cogi: & si omnino nollet, etiam invitum transferre. Porrò requiri absolutionem dicti juramenti, dum resignans non est in sacris; quia tunc juramentum servari posset; secus, si est in sacris, & est beneficium titulare, nec habet aliunde, unde vivat. Garc. *n.* 237.

Quæstio 306. *An igitur nec resignari possit beneficium surrogatum illi beneficio, ad cujus titulum quis erat promotus; aut etiam aliud quodcunque beneficium, etsi non sit tale beneficium titulare, aut ei subrogatum; dum resignans non habet aliunde, unde commode vivere possit. Item an patrimonium, dum quis ejus titulo ordinatus est, alienari possit in hoc casu?*

1. REspondeo ad primum: neque tale beneficium surrogatum resignari posse, nisi factâ mentione, quòd sit surrogatum, & quòd habeat resignans, unde vivat. Chok. *loc. cit. n.* 60. citans Gutt. *cons.* 42. *n.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 210. eò quòd subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, intelligiturque cum qualitatibus ejus, cujus loco subrogatur. *l. si cum. §. qui injuriarum. ff. si quis cautionibus.* Garc. *loc. cit.* qui etiam addit *n.* 211. beneficium, per cujus assecutionem vacat illud, ad cujus titulum fuit quis ordinatus, non videri posse dici subrogatum loco illius, cùm vacatio inducatur à jure propter incompatibilitatem.

2. Respondeo ad secundum: sed neque ullum aliud beneficium resignari potest à constituto in sacris Ordinibus, nisi aliunde habeat resignans, unde commodè vivere possit, juxta quod disposuit Pius V. in constitutione sua 56. incipiente: *quanto Ecclesiæ &c. de* 1. *April* 1568. Chok. *loc. cit. n.* 59. *in fine* citans Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 7. Paris. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 3. Garc. *loc. cit. n.* 198. Et licèt dicta Pii V. constitutio loquatur de resignationibus factis coram Ordinario, servari tamen, & habere locum etiam in Curia; quia militat eadem ratio, & in Curia non admitti resignationem alicujus in sacris constituti, nisi cum clausula, quòd resignans aliunde habeat, unde commodè vivere possit; quæ clausula respiciat substantiam gratiæ, utpote quæ attento stylo aliàs non solet concedi, & cujus clausulæ verificatio committatur Ordinario, si resignatio est in forma *dignum*, tradit Garc. *à n.* 199. ex Paris. *cit. q.* 14. *n.* 3. Hujus tamen postremi contrarium innuere videtur Card. de Luca *de benefic. d.* 37. *n.* 14. ubi: aut agitur de beneficio, ad cujus titulum quis ordinatus est, & tunc ex decreto Tridentini oportet de eo, nimirum quòd habeatur aliunde, unde vivere possit, fieri specialis mentio; quæ si facta, inconcussus Datariæ stylus est, non admittendi resignationem, nisi cum clausula, *dummodo resignans habeat aliunde vivere*, quæ sine dubio importat conditionem suspensivam, quâ non justificatâ, actus manet infectus ex deficiente consensu Papæ. Aut beneficiatus ordinatus non est ad titulum illius beneficii, sed alterius, aut ad titulum patrimonii, & tunc non intrat dictum decretum conciliare, neque congrua sustentatio adjici solet per viam conditionis cum clausula *dummodo*; sed officiales Datariæ se regulando ex constitutione Pii V. injungente locorum Ordinariis, ne admittant beneficiorum resignationes, nisi iis constet, resignantes habere aliunde vivere, ex quodam stylo id adjiciunt per viam assertivæ, nempe: *tibi asserenti aliunde habere commodè vivere &c.* quod non importat formalem conditionem intrinsecam, cujus præcedens justificatio præcisè ac pro forma fieri debeat, minúsque id importat irritationem provisionis; cùm neque ipsa constitutio Pii V. neque ipsæ literæ provisionis contineant aliquod decretum irritans, quod infectionem tam in petitorio quàm in possessorio causat: citat pro hoc Garc. *in addit. ad p.* 2. *c. ult. n.* 228. Seraphin. *dec.* 1320. *n.* 4.

Econtrà verò clericus constitutus in minoribus tantum ordinibus potest resignare beneficium, etiamsi non habeat aliunde, unde vivat, nec etiam ullâ mentione factâ, quòd ad illius titulum sit promotus (intellige, casu quo id factum, cùm aliâs opus non sit titulo ad Ordines minores suscipiendos) sive renunciato fiat coram ordinario, sive coram Papa; quia nec constitutio illa Pii V. nec concilium loquuntur de constitutis in minoribus, & in iis cessat ratio decoris ordinis; unde nec in eorum resignationibus ponitur suprà edicta clausula. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 1. & 2. Garc. *loc. cit. n.* 203. citans Gutt. *cons.* 42. *n.* 10. Zevall. *q.* 561. *n.* 26.

4. Respondeo ad tertium: patrimonium, ad cujus titulum quis ordinatus est Ordinibus sacris, redonari, resignari aut alienari non tantùm non licet, ità ut quis id faciens peccet mortaliter; quia facit contra prohibitionem Tridentini *loc. cit.* maximè, cùm ea facta sit ob bonum publicum principaliter, & favorem totius ordinis clericalis, & vel hinc puniri possit ab Episcopo, ut Garc. *loc. cit. n.* 175. (quamvis tamen non incurrat ullam propter hoc suspensionem; cum talis alienans non sit ordinatus sine titulo, contra quem solum, & non contra talem alienatorem pœna suspensionis statuta, ut Garc. *cit. n.* 175. citans Gutt. *pract. qq. l.* 2. *q.* 65. *n.* 10. Zechum, Sayrum, Tolet. Suar. &c.) verùm etiam talis alienatio validè fieri nequit sinè licentia Episcopi, sed est ipso jure nulla ex eadem Concilii dispositione. *loc. cit.* nimirum *c.* 2. ubi: *atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut exstingui vel remitti nullatenus possent, &c.* Quæ verba inducunt nullitatem ipso jure; quia tollunt potentiam alienandi, ut Gimon. *in Enchirid. benef. tit.* 3. *c.* 3. *n.* 17. Tiraq. *post ll. connubial. gl.* 2 *n.* 1. Sanch. *de matrimon. l.* 6. *d.* 38. *n.* 20. & plures alii à Garc. citati *n.* 176. contra Ledesm. in cujus quoque sententiam propendere se ait Garc. *n.* 180.

5. Licitam tamen esse & valituram renunciationem patrimonii sinè licentia Episcopi factam, quando renuncians haberet beneficium, seu unde aliàs vivere posset, tradunt Paris. *l.* 2. *q.* 6. *n.* 16. Garc. *n.* 186. eò quòd Concilium statuendo, ut sinè licentia Episcopi patrimonium alienari non possit, donec aliunde habeat, unde vivere possit, videatur id permittere in dicto casu. Si verò quæratur, ad quid, dum ordinatus non habet aliunde, unde vivat, requiratur licentia Episcopi ad alienandum, cùm tunc dari non deberet hæc licentia, sed negari. Respondet Garc. *n.* 188. posse occurrere causam ità urgentem, ut possit ac debeat hæc licentia dari, v. g. si ipse ille ordinatus, aut parentes vel fratres ejus capti, aut propter commissum homicidium pœnâ capitis plectendi, nisi accusanti pro remissione daretur certa pecunia, ad redemptionem sui egerent alienatione & distractione dicti patrimonii. Et si Episcopus ex justa simili causâ dedisset hanc licentiam, maneret ipse liber ab onere subministrandi tali Ordinato sustentationem.

nem. Garc. *n.* 189. quemadmodùm è contra, dum finè justa causâ eam dedisset, manet obligatus ad providendum ordinato (tenet enim talis alienatio facta cum licentia Episcopi, & finè justa causa data Garc. *n.* 189.) non secùs, ac si eum ordinasset absque titulo. Garc. *ibid.* Porrò hanc licentiam dare non posse Vicarium Episcopi finè speciali mandato Episcopi, & si hanc dedisset finè tali mandato, vel etiam finè justa causa, teneri pari ratione ac Episcopum providere tali ordinato, ait Garc. *n.* 190. Ac denique decretum hoc prohibens alienationem patrimonii, ad cujus titulum quis ordinatus sacris, procedere in alienatione voluntaria, non autem in necessaria, v. g. quæ fieret causâ solvendorum debitorum, nisi ea fuissent in fraudem contracta, habet Garc. *n.* 222. quanquam *n.* 223. & *n.* 139. hoc exemplum de debitis non admittat ipse, maximè, dum debita contracta sunt post ordinationem; eò quòd clericus non teneatur, ultrà quàm facere possit, & ista alienatio haberet principium voluntarium.

Quæstio 307. *An igitur, dum resignatio beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus est, facta contra tenorem & formam à Concilio præscriptam est nulla, vacet beneficium, remaneat tamen penes resignantem?*

1. REspondeo: Si facta talis resignatio coram Papa ab non habente aliunde, unde vivat, non abdicatur jus à resignante, adeóque eo jure penes resignantem permanente non vacat beneficium, Garc. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 225. dicens id certum esse.

2. Respondeo secundò: Si verò facta resignatio coram Ordinario, quamvis stando præcisè in terminis Concilii Tridentini idem dicendum erit; nimirum non vacare beneficium, & non esse necessarium novum titulum & collationem. Garc. *n.* 226. citans Zevall. *q.* 561. *n.* 22. Ex Constitutione tamen Pii V. 58. dicendum vacare tale beneficium, nec resignantem posse ad illud redire, sed de eo beneficio liberè cuicunque alteri providendum, non per Ordinarium ipsum, qui talem resignationem admisit, sed per Papam aliósve Superiores istius Ordinarii, aut per patronos, si beneficium est jurispatronatûs juxta aliam constitutionem ejusdem Pii V. 42. Ordinarius verò admittens talem resignationem incurrit pœnam suspensionis à collatione beneficiorum, & tenetur resignantem illum alere. Paris. *l.* 2. *q.* 6. *à n.* 41. citans declarationem expressam sacræ Congregationis de hoc. Garc. *loc. cit. n.* 227. insuper plures recitans pro his declarationes S. Congregationis.

3. Respondeo tertiò: Si verò facta resignatio coram Ordinario ab habente aliunde, unde vivat, non factâ tamen mentione, quòd sit beneficium titulare, standum erit Concilio, & non vacabit beneficium; quia Constitutio Pii V. non loquitur in hoc casu. Garc. *n.* 229.

Quæstio 308. *An, & qualiter beneficia litigiosa possint resignari?*

1. REspondeo primò: Beneficio litigioso potest quis cedere in gratiam & favorem collitigantis; sive beneficium litigiosum potest resignari in favorem illius, cum quo super eo est lis; quia per hanc cessionem lis extinguitur, & sic purgatur vitium litigiosi. Paris. *l.* 2. *q.* 3. *nu.* 12. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 5. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 3. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 14.

2. Respondeo secundò: Potest quis simpliciter lite & causâ cedere tam coram Ordinario, quàm Papâ. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 100. In quo casu, ùt ait Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 63. *n.* 17. certum est, quòd lis finiatur, & non incurritur amplius nullitas provisionis factæ per Ordinarium, ac ideo, si priùs Ordinarius contulerit, antequam collitigans à Papa sui juris confirmationem legitimè obtinuerit, collatio Ordinarii erit valida; quia tunc non est locus regulæ de surrogandis collitigantibus, citat pro hoc Chok. *ad dictam regulam n.* 39. Item ut Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 101. cum communi; potest quis ipsum beneficium simpliciter dimittere. In quo casu, quia per renunciationem factam à collitigante fuit amissum omne jus & possessio, cùm renunciatio fuerit simplex, si alter collitigans ingrediatur possessionem vacuam, non attentat. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 18. citans Rotam *in Aversana benef.* 3. *Mart.* 1553. Lancell. *de attent. p.* 2 *c.* 4. *n.* 332. *&c.* Quod idem ait Paris. *n.* 14. 15. *&* 16. dum liti ipsi renunciatum, etiamsi hujusmodi renunciatio facta fuisset in absentia judicis coram Notario, etiam non actuario; modò fiat mentio de ipsius litis pendentiâ; eò quòd lis finiatur cessione, non secùs ac morte, vel per rem judicatam, vel per transactionem. Atque ità etiam in hoc casu cessionis litis resignari posse beneficium ab altero collitigante, indicat Paris. *ibidem n.* 13. *&* 20. Etsi autem coram Ordinario fieri possit talis resignatio simplex beneficii litigiosi lite pendente, is tamen illud conferre nequit, non secùs ac, licèt resignari possit coram Ordinario beneficium reservatum, is tamen illud coram se resignatum conferre nequit; uti nec subrogare potest aliquem in locum cedentis vel decedentis lite pendente. Paris. *à n.* 102. & ex eo Azor *loc. cit.* Sunt enim beneficia litigiosa omnia de jure reservata Papa *c.* 1. *&* 2. *ut lite pendente*, quamvis hæc reservatio orta ex litis pendentia sit minùs propriè reservatio, sed potiùs inhibitio temporalis; per quam inferior prohibetur conferre beneficium lite pendente, ne detur novus collitigans, ùt etiam patet ex eo; quòd indultum conferendi beneficia reservata removeat quidem obstaculum reservationis, non tamen removeat impedimentum litis pendentis. Tond. *p.* 3. *c.* 163. *n.* 4. *juncto n.* 10. *&* 11. qui tamen etiam *ibidem n.* 9. testatur ex Lancell. *de attent. p.* 1. *c.* 3. *n.* 141. beneficia Galliæ subjacere collationi Ordinariorum, non obstante litispendentiâ, quin & contrarium jam dictis tenet *n.* 18. *&* 19. ubi: aut cessio & renunciatio facta fuit simpliciter, & tunc lis cessat, & per consequens non intrat regula *de surrogandis*; si verò cessio in favorem, lis durat, & locus est prædictæ regulæ. Verùm

3. Respondeo tertiò: Beneficium litigiosum resignari non potest lite pendente in favorem tertii coram Ordinario, sed resignatio est omnino irrita & inanis, non secùs ac alienatio rei litigiosæ facta lite pendente fieri nequit, & facta nullius est momenti, ùt constat ex toto titulo *ff.* & *c. de litigiosis*. Castrop. Azor, Pirh. *ll. cit.* Paris. *l.* 2. *q.* 3. *n.* 1. & expressè Azor juxta *c.* 2. *ne lite pendente, in* 6. quia præterquàm quòd talis resignatio videtur fieri in fraudem, quæ est ratio Parisii *loc. cit. n.* 2. per hoc minimè exstinguitur lis. Azor *loc. cit.* Ordinarius autem conferre nequit beneficium litigiosum, nisi lite finitâ & extinctâ, vel per longum

gum tempus neglectâ, eò quòd licèt à jure canonico certum tempus constitutum non sit ad lites finiendas, tamen si longo tempore à lite cessatum fuerit, ea finita censeatur tanquam derelicta. Pirh. Azor *ll. cit.* Paris. *à n.* 20. Et sic testatur Azor *loc. cit.* Paris. *à n.* 23. à Rota quandoque judicatum, litem esse finitam, quia ea per 37. annos neglecta; quandoque judicatum idem, quia ab ea cessatum per annos 25. vel etiam 18.

4. Respondeo quartò: Sed neque coram Papa tale beneficium nullâ factâ mentione litis resignatur validè, quia sicut lite pendente principi supplicari non potest, ad impetrandum ab eo rescriptum pro obtinendo beneficio litigioso; ità etiam beneficium litigiosum impetrari nequit nullâ factâ litis mentione, Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 59. Quinimò si Papa motu proprio conferat beneficium litigiosum, nullâ factâ mentione litis, collatio nulla est; quia Papa, si litem nosset, beneficium non conferret. Paris. *n.* 63. Azor. *l. c.* essèque adhuc necessarium, facere mentionem litis pendentis, etiamsi lis illa introducta fuisset in favorem ipsius resignantis (puta quia ipse movit litem de beneficio à se possesso, sive quia ipse, cùm possideret beneficium, citavit, committendo causam molestationis super dicto beneficio, ac agitando litem contestando, &c.) tradunt Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 65. citans Sarn. Staph. &c. non tamen opus esse, facere mentionem litis, quoties illa cœpta per solam citationem, tradit Paris. *n.* 43. citatis pluribus. Factâ verò mentione litis valida est illa resignatio in favorem tertii coram Papa Pirh. *cit. n.* 114. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 112. *juncto n.* 58. dicens esse communem Doctorum. Non sufficit autem facere mentionem litis sub generali; puta, *non obstante litis pendentiâ*, sed requiri, ut fiat mentio de processu & statu causæ, tradit Paris. *n.* 64. citans Ruin. *cons.* 76. *n.* 6. *l.* 5. Berojum *cons.* 1. *n.* 10. *l.* 3. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *illatione* 7. *n.* 645. Vide hìc, quæ de subrogatione habet Paris. *cit. q.* 3. *à n.* 67. & alii Auctores passim.

5. Porrò ad hoc ut beneficium dicatur litigiosum, non sufficit lis super possessione, sed lis adesse debet super ipso titulo beneficii. Toud. *l. c. n.* 5. *juncto n.* 15. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 52. Dum enim lis est super possessione tantùm, per eam non res, sed possessio efficitur litigiosa. Quamvis tamen, si lis tantùm super possessorio narrata fuit, ea justificari debeat, non quidem ad effectum, ut exinde beneficium dicatur litigiosum, sed ad hoc, ut obtineri possit surrogatio, etiam quoad possessionem, & jus super ea competens collitiganti mortuo. Tond. *loc. cit. n.* 14. & 15. citans Gomes. *de trienn. q.* 11. *n.* 13. adeóque jam tale beneficium, cujus sola possessio litigiosa, resignari poterit etiam in favorem; nam ubi non est quæstio super re, vel aliquo jure connexo rei, res non efficitur litigiosa, ut non possit alienari. Paris. *n.* 53. Hoc tamen verum, quòd etsi in hoc casu cedi possit beneficium, non tamen cedi possit possessio ipsa, super qua litigatur; neque jus ad illam adipiscendam. Paris. *n.* 54. juxta Rot. *in Reatina.* 12. *Decemb.* 1571. Neque sufficit litem motam coram judice incompetente, vel per falsum procuratorem; quia talis motio non facit rem litigiosam. Paris. *n.* 46. & 47. Et in summa, quoties processus nullus est, non impedit resignationem, aut est in consideratione, ut possit judicari subreptio in impetratione, si de eo non fiat mentio. Paris. *n.* 48. Neque sufficit, si solùm incidenter litigetur de beneficio, res enim non dicitur litigiosa, si solùm contendatur de opere facto in ipsa re; sed requiritur, ut directè litigetur, cujus sit beneficium. Paris. *n.* 50. & 51. Neque sufficit litem esse super privatione beneficii, nisi lis sit super privatione beneficii, & ut adjudicetur sibi beneficium. Paris. *n.* 56. Neque denique sufficit, beneficiatum accusatum esse de crimine; tunc enim, quia lis non pendet super beneficio, sed super crimine, non reddit beneficium litigiosum, adeó; pendente accusatione resignari illud beneficium potest. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 14. citans Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 63. Verùm de hoc postremo pluribus §. *sequenti.*

6. Respondeo denique: de cetero, quoties resignatio facta ante litem inceptam, potest resignatarius capere possessionem, etiam post contestatam litem, & lite pendente absque metu attentatorum, ùt Imol. *in Clem. I. ut lite pend.* Abb. *in c. nostrum. de appell.* C. Paris. *cons.* 172. *n.* 12. *vol.* 4. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 25. *junctis n.* 27. 28. 29. Azor. *l. c.* addens hanc limitationem, si lis contestata non est de possessione, sed tantùm de re ac titulo beneficii, adeóque sicut resignans in hoc casu contestatæ litis super ipso titulo post factam resignationem posset continuare possessionem, ità etiam resignatarius surrogatus gratiosè ante litem, pendente lite capere potest possessionem. Paris. *n* 30. citans pro hoc plures Rotæ decisiones. Hinc etiam dum resignatio facta ante litem in favorem N. si postea lis mota fuit, & lata sententia, hæc mandari non potest executioni contra resignantem, nisi hic sustinuisset litem post resignationem, vel stetisset in possessione. Paris. *n.* 31. & 32. quin etiam potest resignatarius, qui habuit gratiam ante litem, expedire literas lite pendente absque vitio attentatorum, quia habet causam de præterito; quare etiam potest ad gratiam, quam habet, impetrare pendente lite novam provisionem, aut gratiam, *si neutri*; cùm lite pendente possit quis jus suum corroborare. Paris. *à. n.* 33. Procedit quoque responsio hæc de capienda in hoc casu possessione pendente lite, etiamsi consensus major, seu in Cancellaria à resignante fuisset præstitus post litem motam; nam si supplicatio fuit signata, v. g. 1. Martii, renuncians citatur 15. ejusdem mensis, & consensus dictus præstatur ultima Martii, resignans dicitur adhuc pacificus possessor, & tenet resignatio. Cujus ratio est, quia consensus ille retrotrahitur ad diem datæ & signatæ supplicationis, & literæ expediuntur sub die datæ; adeóque lis medio tempore ante præstitum illum consensum non impedit; cùm consensus ille sit approbatio præteritæ voluntatis, seu consensus dati in porrectione supplicationis. Paris. *à n.* 41.

Quæstio 309. *An pensiones constitutæ jure ac titulo beneficii, ac succedentes loco beneficii possint resignari?*

1. Respondeo primò: Pensionarius seu is, cui hæ pensiones dicto jure constitutæ, potest illas non exigere, vel etiam expresè illas repudiare, ac ità tacitè illas resignare in favorem illius, à quo solvendæ, Paris. *l.* 2. *q.* 15. *n.* 25. & ex eo Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 17. idque etiam sinè requisito consensu Papæ, ùt C. Luc. *in sum. pensionum. n.* 82. Etsi etiam hoc secùs sit in cassatione seu extinctione non gratuita pensionis, seu quæ fit mediante pecuniâ, seu solutione anticipatâ aliquorum termi-

terminorum; necessarium enim tunc est beneplacitum Apostolicum. C. Luc. *de pens. d. 68. n. 6.* citans seipsum *ibidem d. 5. & 80.*

2. Respondeo secundò: Pensionarius quoque cedere potest commoditatem pensionis; fierique potest hæc cessio dictæ commoditatis sinè indulto etiam & consensu Papæ, etiam interveniente pecuniâ vel aliâ recompensâ temporali, etiam Laico, aut aliàs pensionis Ecclesiæ incapaci. C. Luc. *cit. n. 83.* Etsi enim pensiones Ecclesiasticæ quòad ipsarum substantiam vel jus, etiam gratis, multóque minùs mediante pecuniâ de uno in alterum sinè Apostolico indulto nequeant transferri, ideóque sint de rebus illis, quæ non sunt in commercio, non secùs ac jura regalia ac similia habentia strictissimam alienandi prohibitionem. ipsáque beneficia Ecclesiastica, quorum jure in omnibus ferè regulantur hæ pensiones; attamen quia dicta cessio commoditatis non est circa ipsius pensionis substantiam, nec jus ullum in re, aut ad rem tribuit cessionario, sed continuante integro perfectóque jure in ipso cedente seu pensionario, importat nudum factum ab ipsâ pensionum substantia præcisum capiendi emolumentum, ùt quid temporale, seu factum exactionis, quo ex libero cedentis dominio & arbitrio cessionarius ipsius cedentis mandatario seu procuratorio nomine exigit fructus; postquam separati à sua causâ productivâ, effecti sunt de bonis indifferentibus ac liberæ dispositionis; hinc inquam fit, ut sicut recepta docet praxis, etiam sinè beneplacito Apostolico ex privata conventione dicta commoditas, seu pensiones quoad dictam commoditatem sint in commercio. C. Luc. *cit. n. 83. & d. 68. de pens. n. 25. 26. & 27.* ubi etiam *num. 4. & 31.* ostendit, qualiter ipse possessor beneficii pensione gravati possit esse cessionarius dictæ commoditatis, seu acquirere sibi commoditatem pensionis, & sic repræsentare duplicem personam. Porrò cessionarius dictæ commoditatis præmoriens ante cedentem, potest commoditatem illam transferre ad successores suos. C. Luc. *in sum. de pens. nu. 84.* Econtra autem supervivens cedentem nihil habet exspectare à titulari seu beneficiato ipso; neque etiam ab hæredibus defuncti cedentis. Siquidem cessionarius, seu acquirens cessionem dictæ commoditatis pensionis dicitur emere incertam aleam vitæ cedentis, & consequenter cessante jure cedentis per ejus mortem cessionarius casui vel fortunæ debet referre suum damnum, & ratione hujus periculi hujusmodi jura vitalitia minùs æstimantur, nec de facili in iis intrat læsio. C. Luc. *de pens. d. 69. n. 3. & 4.* & *in sum. n. 85.* Quòd si tamen cedens pensionis commoditatem contrahendo matrimonium, vel assumendo statum alium regularem vel sæcularem incompatibilem cum retentione pensionis, seu unde resultaret exstinctio pensionis, aut etiam committendo delictum, ob quod privaretur pensione, vel etiam damnaretur capite, & sic voluntariè moreretur (quippe moriens per manus justitiæ ob delictum, dicitur voluntariè mori, & occidi à seipso, ùt C. Luc. *cit. d. 69. n. 9.*) ille aut illius hæredes sinè dubio tenerentur cessionario ad evictionem vel restitutionem pretii, & ad resarciendum damnum ejus pro quantitate interesse illius; posset enim aliàs talis cedens, habendo in animo ejusmodi statum incompatibilem assumere, locupletari cum aliena jactura; & delicta nocere debent delinquenti, non tertio innocenti; adeóque delinquens vel ejus hæreditas cum jactura innocentis cessionarii remanere non debet locupletata. C. Luc. *cit. d. 69. n. 10.* & *in sum. n. 85.* uti hæc patent à simili in subinfeudatione; dum nimirum cessâ à feudatario commoditate, seu factâ sub infeudatione feudi, dum devolutio feudi subsequitur per mortem naturalem feudatarii, seu aliàs ex natura etiam sinè culpa & facto cedentis seu subinfeudantis, evictio cessionario præstanda non est, nisi expresè promota fuit: ubi verò devolutio sequitur ob feloniam, vel aliud factum culposum feudatarii cedentis seu subinfeudantis, intrat actio evictionis vel saltem restitutio pretii; eò quòd inter contrahentes in contractum deducta videatur vita naturalis, seu jus illud, quod juxta regularem cursum sinè culposo accidente duraturum est. C. Luca *cit. d. 69. n. 7.* ex Thom. de Marin. *de genere & qualitate feudorum, tit. 2. p. 2. n. 128.* Itémque patent in locatione, factâ ad certum tempus per beneficiatum, vel similem habentem jus pro sola sua vita, & cui stare non teneatur ejus successor; dum jus talis locationis resolvitur per mortem vel translationem, aut alium casum seu factum involuntarium, conductor seu locatarius non habet actionem ad interesse contra locatorem; secùs verò si jus illud locatoris resolvitur ex facto locatoris voluntario, & à fortiori; si hoc culposum & illicitum est. C. Luc. *loc. cit. n. 8.* ex Barbos. *de por. Ep. alleg. 94. n. 12.* Quapropter hanc cautelam in hujusmodi cessionibus adhibendam monet C. Luca *de pens. d. 69. nu. 11.* (quam etiam se auctore hodiedum transisse in commune formularium addit *ibid.*) ut scilicet cedens promittat, se non fecisse, nec in futurum debere aliquid facere, ob quod pensio extinguenda sit, vel aliàs cessatura, quàm per solam mortem naturalem à Deo provenientem; idque satis sibi congruum & rationabile videri ait.

3. Respondeo tertiò: Ex Apostolico indulto & non aliàs potest pensionarius pensionem transferre in aliam personam, eámque loco suo ponere. Idque etiam in infirmitate; quinimò in mortis articulo, etiam nutu & signis, modò non adsit defectus intellectûs, adeò ut transferens testandi ac de reliquis bonis disponendi habilitatem retineat. C. Luc. *in sum. de pens. n. 66. & 67.* referens se ad *d. 56. & 59. de pens.* fieri autem solet hæc translatio tribus ferè modis: Primò & quidem frequenter, ut coram persona in Ecclesiastica dignitate constitutâ pensionarius præstet consensum cassationi pensionis antiquæ, eodémque instante Apostolicus ille Delegatus consimilem pensionem reservet in favorem diversæ personæ, quæ translatarius dicitur; quamvis per hoc, quòd ista præcisè forma non servetur; nimirum quòd non præcedat dicta cassatio, sed solùm de pensionarii consensu fiat nova reservatio, non corruat actus, cùm ista cassatio implicitè per necessarium antecedens præcedere dicatur. C. Luc. *in cit sum. n. 67. & 68.* referens se ad *d. 58.* Secundò: Quæ est magis rara in praxi species translationis, ut fiat coram Notario & testibus, vel etiam per scedulam privatam; dum nimirum in indulto Apostolico habetur, sic quoque fieri posse. C. Luc. *in sum. cit. n. 69.* referens se ad *d. 70.* Tertiò: ut fiat coram ipso Papâ directè & immediatè, dum nimirum pensionario consentiente cassationi antiquæ pensionis, Papa consimilem reservat ad alterius favorem. C. Luc. *loc. cit. n. 70.* qui modus, num impor-

importet translationem, & sic prorogationem ejusdem pensionis de persona ad personam; an verò novam & integram reservationem, quæstionem potiùs facti, quàm juris esse ait idem Cardin. *loc. cit.* Porrò pensio semel translata transferri non potest, nisi specialiter indultum, vel beneficiati accedat consensus; qui etiam ex intervallo, re tamen integra & ante acceptatam nullitatem præstari potest; sufficitque etiam implicitus & præsumptus ex diuturna solutione (quæ tamen erronea non sit) resultans. C. Luc. *in cit. sum. num. 75.* referens se ad *d. 60. 51. & 53.* An verò transferendi facultas exerceri valeat in pensione, cujus commoditas alteri cessa est, non esse levis quæstionis, ait C. Luc. *n. 76.* in qua videri sibi probabiliorem affirmativam; Verùm de hac translationis pensionis materiâ pluribus & ex professo inferiùs.

4. Respondeo quartò: His tamen non obstantibus pensiones propriè resignari non possunt in favorem; quia propriè beneficia non sunt, de quo vide Paris. & Pirh. immediatè post citandos) nec pensio est perpetua, sed onus quoddam temporale. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 17.* Paris. *l. 2. q. 15. n. 7.* citans Sarn. *ad reg. de infirm. q. 16.* Mandos. *ad eandem reg. q. 11.* Proinde etiam pensiones permutari non possunt. Paris. *loc. cit. n. 9.* citans Pet. de Perul. *de permutatione beneficiorum. p. 1. qu. 9.* Gamb. *in c. licet. de rer. permut. in 6. n. 87. &c.*

PARAGRAPHVS IV.

De iis, qui beneficia resignare possunt.

Quæstio 310. *Beneficio privandus ob delictum vel aliàs, an & qualiter illud resignare possit?*

1. Respondeo primò: Criminosus, qui ob delictum non est privatus ipso jure seu facto beneficio suo, sed solùm venit privandus, potest illud resignare in favorem etiam. Paris. *l. 3. q. 16. n. 1.* citans Roffiniac. *de benef. c. 21.* Lancell. *de attent. p. 1. c. 2.* Sarn. *in reg. de annal. q. 42. n. 3.* & plurimos alios. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 26.* Azor *p. 2. l. 7. c. 20. q. 8.* dicens esse communem. Castrop. *de benef. tr. 13. d. 6. p. 2. §. 2. n. 9.* Garc. *p. 11. c. 3. n. 64.* citans Rebuff. *tit. de mod. amitt. benef. n. 53.* Gutt. *qq. can. l. 2. c. 5. n. 30.* Sanch. *de matrim. l. 7. d. 42. n. 2.* Gonz. *gl. 15. n. 147.* Molin. *de just. tr. 3. d. 78. n. 2.* Covarr. &c. Tond. *qq. benefic. p. 1. c. 27. n. 13.* Lott. *l. 3. q. 33. n. 65. juncto n. 70.* ubi etiam addit: quantumcunque crimen sit notorium, quamvis expressè non addat, an tunc quoque in favorem renunciari possit. Conrad. *in pr. benef. l. 5. c. 1. n. 8.* Laym. *ad c. admonet. de renunc. n. 8.* remittens ad seipsum *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 17. circa finem. &c.* Ratio est, quia cùm talis necdum privatus sit beneficio, jus in eo retinet, adeóque potestatem disponendi de eo, & transferendi illud in alium. Nam, cùm regulariter cuique datum est, proprium beneficium resignare in favorem; ob commissum autem delictum, utì privatus non est beneficio; ità nec datâ potestate. Pirh. Castrop. *ll. cit.* Nec obstat ex tali resignatione provenire præjudicium Ordinario, dum impeditur, quò minùs ipse conferre possit; nam id est per accidens, & non considerandum; cùm talis resignans utatur suo jure.

2. Ampliatur responsio primò, quòd fieri hæc resignatio in favorem, etiam per Procuratorem, dum & criminosi constituere possint Procuratores ad resignanda beneficia. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n. 43.* dicens esse communem.

3. Ampliatur secundò, quòd possit fieri hæc resignatio in favorem, etiam cum reservatione pensionis, juxta Conrad. *loc. cit. n. 9.* & Flores de Mena. *q. 13. n. 8. & 9.* apud Garc. *loc. cit. n. 64.*

4. Ampliatur tertiò, ut procedat etiam lite & accusatione pendente; ut quia pendet judicium super crimine commisso. Pirh. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n. 8.* citans quamplurimos.

5. Quartò: ut procedat hæc resignatio, etiam in favorem, non tantùm ubi judicium inceptum, & testes recepti; sed & ubi concluſum est in causa, ità ut nihil restet nisi proferenda sententia. Conrad. *loc. cit.* Garc. *cit. c. 3. n. 9.* Tond. *loc. cit. n. 18.* dicens se aliàs sensisse & consuluisse contrarium, sed maturiùs cogitantem judicâsse se, sententiam Garciæ veriorem, contra Paris. *loc. cit. n. 46.* Laym. & Pirh. *ll. cit.* citantes Quaranta *in sum. Bullar. V. beneficiorum resignationes. §. quæstio tamen est.* & admittentes id quidem, dum resignatio esset simplex; non tamen dum est in favorem, eò quòd talis resignatio tunc censeretur dolosa; quas tamen rationes fraudis & malitiæ, ait Tond. magis militare post latam sententiam, & tamen post eam resignare posse criminosum in favorem, de quo mox.

6. Quintò: ut procedat etiam post latam sententiam privationis, dum fuit ab ea appellatum; per appellationem enim manet integrum jus passi sententiam, & per appellationem extinguitur judicatum seu sententia, vel saltem suspenditur, & pendente appellatione nihil est innovandum. Conrad. *loc. cit.* Garc. *à nu. 91.* Paris. *loc. cit. à n. 17.* citantes Roffiniac. *de benefic. c. 20. n. 6.* Rebuff. *in pr. tit. de mod. amitt. benef. n. 52.* &c. Gonz. *loc. cit.* qui etiam, utì & Conrad. *cit. n. 8.* quòd possit resignare talis in favorem ante privationem per tres sententias conformes subsecutam. Quod tamen ipsum limitat Garc. *num. 96.* ut nimirum hæc ampliatio non procedat, quando privationis sententia contineret in se adjudicationem beneficii juxta ea, quæ habet *num. 76. & 82.* quia ex hoc jam beneficium ipsum factum est litigiosum. vide dicenda de hoc *paulò pòst respons. 2.*

7. Sextò hoc ipsum ità procedit, ut talis possit renunciare etiam in favorem, valeátque renunciatio, etiam nullâ factâ mentione de crimine, aut de accusatione, inquisitione, processu, privatione; eò quòd nullibi in jure cavetur, talem mentionem fieri debere, vel quòd eis expressis Papa gratiam nullatenus concessisset, & non omnia talia; quorum expressio movere potuisset ad negandam gratiam, gratiam vitiant; sed ea solùm, quæ de jure vel stylo sunt exprimenda, seu de quibus reperitur expressum vel, est in jure cautum, quòd eis Papa gratiam non concessisset, ut Felin. *in c. postulasti. de rescrip. nu. 1.* Garc. *cit. c. 3. nu. 120. & 121.* citans Ferrar. Sarn. Covar. Lancell. &c. Conrad. Pirh. *ll. cit.* & hic quidem dicens id certum, si crimen non reddat resignantem indignum beneficio. Castrop. *loc. cit. n. 9.* &c. contra Paris. *cit. q. 16. n. 29.* citantem pro hoc Selv. *p. 3. q. 11. n. 152.* C. Paris. *cons. 136. vol. 4.* Menoch. *de arb. casu 202. n. 37.*

Rebuff. *tit. de mod. amitt. benef. num.* 52. (quamvis hic teneat contrarium *cons.* 82. apud Garc. *cit. n.* 120.) Felin. *in c. postulasti &c.* quibus accedere videtur Tond. *loc. cit. n.* 16. dum ait: licèt resignatio post commissum crimen fieri possit in favorem coram Papa; hoc tamen intelligendum, ut procedat, modò in tali resignatione fiat expressio litis præcedentis, aliàs resignatio erit nulla.

8. Ampliatur septimò, ut procedat, etiamsi pro crimine quis sit condemnatus ad carceres perpetuos vel aliàs, & sententia illa transierit in rem judicatam, modò per sententiam illam non sit simul quoque privatus beneficio; quia ùt dictum aliàs, condemnatus per sententiam super crimine privatione digno, non est privatus beneficio, nisi idipsum exprimatur in sententia. Garc. *loc. cit. nu.* 97. *& seq.* Paris. *loc. cit. à n.* 28.

9. Ampliatur octavò, ut possit fieri & valeat talis resignatio in favorem, etiam postquam delinquens scit impetratum à tertio beneficium suum in eventum privationis, seu casu quo privabitur (quin & ùt addit expressè Garc. *nu.* 84. post impetrationis hujus præsentationem) ità præter Garc. *cit. n.* 84. Castrop. qui pro hoc citat Covarr. *in clem. si furiosus. de homicidio. p.* 2. §. 3. *n.* 7. Plaza. *de delictis c.* 11. *n.* 10. Tond. *loc. cit. nu.* 20. dicens, hanc sententiam magis in jure fundatam; si tamen negotium ex pluralitate doctorum judicandum, prævaliturum sententiam oppositam. Pirh. *loc. cit.* &c. contra Paris. *cit. q.* 16. *nu.* 35. item contra Butrio. *cons.* 43. Boër. *decis.* 205. *nu.* 8. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 5. *nu.* 12. Gamb. *de pot. leg. l.* 10. *de dispens. n.* 336. apud eundem Paris. Item contra Auffre. *in not. ad Capell. Tolos. decis.* 436. Felin. *in c. in nostra. de rescrip. n.* 38. Gomez. *de annal. q.* 42. Farinac. *de homicid. q.* 119. *nu.* 88. Peleum. *in comment. analyt. de benef. c.* 36. *vers. non omnis* &c. apud Tond. sentientes talem resignationem factam in favorem cum scientia impetrationis habitæ ab alio esse invalidam ob decretum irritans positum in impetratione obtenta per tertium. Quamvis valere talem resignationem velit Paris. *num.* 34. cum plerisque aliis, si facta cum ignorantia illius impetrationis. quin & *nu.* 38. tradit, posse criminosum sua beneficia resignare simpliciter, etiam post præsentatam impetrationem illorum habitam à tertio, & etiamsi verisimiliter existimet se illis privandum. Verùm responsionis nostræ hæc est ratio, quòd talis consulturus sibi vel amico alicui, dum beneficum suum necdum vacans, sed in quo adhuc jus habet resignans, utitur jure suo; utens autem jure suo non potest dici committere fraudem, aut alteri facere injuriam. Et esto, ùt Castrop. *loc. cit. n.* 11. etiam ex animo perverso faceret hanc resignationem, ut impediret istius tertii impetrationem, & vel sic etiam eidem in effectu noceret, impediendo nimirum per hanc suam resignationem, quò minùs purgetur conditio, sub qua impetratum beneficium; ex hoc tamen nocumento, quod per accidens sequitur, impediri non potest jure, quod habet, renunciandi. Adde, ut Tond. *loc. cit. n.* 21. ex Gonz. *gl.* 15. *n.* 148. quòd, cùm beneficium illud necdum vacet, donec latæ tres conformes sententiæ super illius privatione, non videtur impediri illius resignatio; cùm impetratio illius utpote non vacantis nulla sit (adeóque per illum nullum jus quæsitum impetranti ad beneficium, nisi fortè, ùt Gonz. in impetratione adest clausula: *quòd statim, ac vacat per privationem vel cessum, impetranti conferatur*: quia tunc valebit gratia, non tanquam de vacante sed tanquam de vacaturo) & in hoc nihil faciat scientia vel ignorantia possessoris, stante impetrationis nullitate.

10. Sed neque obstat decretum positum in impetratione irritans resignationem illius beneficii: nam illud duntaxat operatur in eventum privationis, sive si & quatenus casus privationis evenerit, & non aliàs; adeóque, cùm tempore resignationis nondum evenerit casus privationis, non potest etiam adesse aliquis effectus istius decreti, alioqui eodem modo operaretur decretum existente ignorantiâ resignantis; quia sive sciret, sive ignoraret impetrationem, semper decretum illum afficeret; cùm decretum irritans etiam afficiat ignorantes. Tond. *loc. cit. n.* 20. Garc. *à n.* 85. addens *n.* 87. Proinde magis consequenter processisse Flores de Mena, dum tenet, non valere in hoc casu resignationem etiam ab ignorante factam in præjudicium gratiæ impetrationis. Neque obstat textus *c.* 2. *de renunc. in* 6. ubi: *habens tenuem præbendam, & credens pinguem brevi vacaturam, sciens tertium obtinuisse à Papa indultum pro prima vacatura suam resignavit, ut in illa tertius ille provideretur, & ipse verò pinguem brevi vacaturam obtineret.* Ad quod respondet Papa, quòd, consulto de prædicta fraude resignantis, exspectans Apostolicus, omissâ illâ præbendâ tenui resignatâ, provideretur de præbenda illa pingui secundò vacaturâ. Unde sequitur quòd resignans animo impediendi impetrantem, fraudem committat. Nam hic diversus est casus à præsenti; concessio enim exspectativæ ibi facta pro præbenda primò vacaturâ rebus ordinario cursu succedentibus, non verò pro præbenda ex industria & malitia vacante, ac proinde positâ illa malitiosâ & fraudulentâ vacatione, non ponitur conditio requisita, ut habens gratiam exspectativæ teneatur illâ uti, ac proinde renunciatio illa fraudulenta etsi valida sit, non præjudicat tamen exspectanti: in præsenti verò casu, ùt dictum, nocumentum illud per accidens secutum ex eo, quòd utatur quis jure suo, non potest illius usum impedire. Castrop. *loc. cit. n.* 11.

11. Valebit nihilominùs impetratio, & impedietur delinquens, quò minùs resignare possit suum beneficium in præjudicium impetrantis, si in impetratione factâ tertio in eventum privationis adjecta fuerit clausula & cum decreto, *quòd resignatio illius cedat in favorem impetrantis.* Tond. *loc. cit. n.* 15. Garc. *cit. c.* 3. *n.* 122. Corrad. *loc. cit.* qui etiam *ibidem* recitat formulas, quibus dictum decretum pro cautela impetrantis secundùm usum Datariæ soleat extendi in supplicatione. Solere autem concedi istiusmodi clausulam post primam sententiam privationis, & rariùs, antequam prima sententia condemnatoria lata fuit, tradit Tond. *cit. nu.* 15. Chok. *ad reg.* 45. *Cancell. nu.* 8. Farinac. *loc. cit. n.* 91. Paris. *loc. cit. n.* 63. citatis aliis pluribus. Garc. *cit. n.* 122. qui tamen *n.* 123. subdit, ex eo tamen non tolli Episcopo dispensandi potestatem in casibus, in quibus aliàs potest, ipsámque dispensationem impedituram privationis sententiam. Pro quo citat Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 42. *n.* 2. Molin. Gutt. Covar. &c. contra Gambar. Impediri quoque criminosum resignare, etiam simpliciter, dum Papa in literis provisionis beneficii factæ ad favorem illius, qui impetrat certo modo, narrâsset vacare beneficium propter tale crimen, licèt tale crimen in veritate non inducat privationem

nem ipso jure, tradit ex Sarn. *de annal. q. 42. nu. 5.* & aliis. Paris. *loc. cit. n. 54.* quamvis ipse *n. 56.* dicat, se id admissurum, quoties Papa id faceret motu proprio, non autem aliàs; eò quòd, dum agitur de præjudicio tertii, Papæ non credatur, ut Felin. *in c. cum à nobis. de testibus.*

12. Ex quibus omnibus, etsi constet, posse beneficium criminosi privandi impetrari in eventum privationis, dum nimirum impetrans petit committi alicui judici, ut constito de crimine privet, & in eventum privationis conferat sibi. Paris. *nu. 57. & 58.* ex Gamb. *de pot. leg. l. 10. de dispens. num. 331.* dum tamen impetrans narrat plura delicta per privandum patrata; & dein in conclusione petit, ut, si de præmissis, vel alterutro præmissorum constet, privetur N. illa verba: *alterutro præmissorum* semper soleant cassari, & impetrans tenetur illa omnia probare, & hæc impetratio vocatur impetratio certo modo. Paris. *nu. 59.* in quâ impetratione solet quoque apponi conditio: *postquam N. adversarium accusaverit, seque in forma juris inscripserit*; quo casu satis est, ut impetrans se obliget ad pœnam extraordinariam arbitrio Rotæ, & sic non requiritur pœna talionis. Paris. *nu. 60. & 61.* Porrò ad dubium, num, si dum agebatur judicium contra criminosum, ut privetur, moriatur criminosus, is, qui impetravit beneficium, nimirum in eventum privationis, debeat habere illud beneficium, non respondet Paris. sed remittit ad Sarn. *de annal. q. 42.* Gamb. *de pot. leg. à n. 321.* Roffiniac. *de benef. c. 21. n. 7. &c.*

13. Respondeo secundò: potest etiam criminosus talis accusatus pendente lite, seu ante sententiam privationis resignare beneficium permutationis gratiâ, seu potest illud permutare. Paris. *cit. q. 16. nu. 10.* dicens esse communem. Castrop. *loc. cit. n. 12.* Garc. *cit. c. 3. n. 69.* citans Sarn. *ad reg. de annal. q. 7. nu. 42.* Æn. de Falcon. Pet. Gregor. &c. Quamvis idem Garc. id limitet dupliciter, nisi vel obstet infamia orta ex accusatione apud bonos & graves viros, ne possit ad beneficium promoveri; vel nisi ob delictum esset de jure inhabilis ad beneficia obtinenda, aut saltem indignus. Quas tamen limitationes bene diluit Castrop. *loc. cit.* dum ait, delictum (intellige, pro quo privandus) non impedit, quin beneficium resignandum & permutandum tuum sit: Si autem dicas impedire, quò minùs beneficium alterius de novo acquiras, quia te infamem & irregularem constituit, & consequenter impedire resignationem ex causa permutationis; quia hæc consistit in depositione proprii beneficii, & acquisitione alterius, facilè respondetur, quòd non quodlibet crimen, ob quod quis privandus venit, constituat infamem & irregularem, ac proinde nec incapacem beneficii acquirendi: Sed & gratis dato, quòd talis non acquirat noviter illud alterius beneficium, non tamen inde infertur, resignationem ex causa permutationis non valere; quia qui tecum beneficium permutat, non est in culpa, quò minùs suum tibi beneficium de novo non acquiras. Procederéque hanc permutationem, etiamsi facta, postquam tertius impetravit beneficium criminosi in eventum privationis, supponunt Garc. *cit. n. 69. juncto n. 68.* & Castrop. *loc. cit.* dum id manifestè sequi videtur ex eo, quòd iidem cum aliis docent, posse fieri resignationem in favorem alterius ab impetrante, etiam postquam criminosus resignans scivit, beneficium suum impetratum ab alio in eventum privationis. Et idem expressè tenet Sarn. *de annal. q. 42. nu. 1.* apud Paris. contrarium hic iterum tenentibus Paris. *cit. q. 16. n. 49.* Staph. *de lit. gratiæ, tit. de var. mod. vac. n. 15.* Rebuff. *gl. 12. in reg. de infirm. n. 19.* Lancell. *ubi suprà n. 14.* Mandos. & aliis apud Paris. & Garc. *ll. cit.* Quibus accedit Chok. *de permut. benef. p. 1. c. 32. nu. 3.* citans insuper Zerol. *in pr. Ep. p. 2. v. renunciatio.* Quorum fundamentum est, quòd jus jam sit quæsitum saltem ad beneficium ei, qui illud impetravit in eventum privationis; & quòd ejusmodi permutatio, utpote facta à reo lite pendente super beneficio revocetur, & invalidetur per viam attentatorum; quemadmodum nec valet dispensatio obtenta lite pendente in præjudicium alterius, hoc est illius, qui beneficium impetravit certo modo, & instat pro privatione, ùt Gamb. *de pot. leg. l. 10. de dispens. n. 317.* Chok. *loc. cit. n. 4.* Verùm ad primum jam ferè responsum est ex Castrop. Tond. & aliis, quòd per talem impetrationem factam beneficio nec-dum vacante, utpote nullam respectu tribuendi juris in re, seu in beneficio, jus nullum quæratur impetranti in re, Sed neque jus ad beneficium per illum quæratur, nisi sub conditione, nimirum futuræ privationis, quæ per factam resignationem (quam, quò minùs fiat, exinde non impediri, dictum, nisi adsit in impetratione clausula superiùs memorata, vel etiam illa; *quòd renunciatio lite pendente facta cedat in utilitatem impetrantis*, de qua Chok. *loc. cit. nu. 30.*) impeditur; post renunciationem enim factam ad privationem procedi non potest, ùt Garc. *n. 72.* citans Sarn. Covar. Gamb. &c. Ad secundum quoque respondet Garc. *à n. 80.* quòd quidem, dum agitur de privatione ipso jure incursâ, & remotione à possessione seu detentatione, ut nimirum declaretur quis privatus, & ut beneficium adjudicetur alteri (uti de his agebatur in decis. Rotæ *in Placentin. Canonicat. 26. Nov. 1593.* quam recitat Garc. *num. 78.* & quæ in contrarium adduci solet, utpote in qua agebatur de confidentia, quæ privat ipso jure) causa est beneficialis & beneficium statim dicitur effectum litigiosum; adeòque procedat doctrina glossæ *in c. 2. ut lite pendente. in 6. v. finita*, de qua Garc. *n. 75.* Item, quòd quidem, dum principaliter agitur ad canonizationem gratiæ, & incidenter deducitur delictum; ùt dum quis non petit, aliquem ob delictum privari, sed solùm declarari, uti ab initio inhabili, non potuisse conferri, & ideo beneficium, ùt priùs, vacare; & sibi illud concedi, causa sit beneficialis. Dum verò agitur de privatione per sententiam infligenda, ùt in præsenti, beneficium non efficitur litigiosum, nec sit causa beneficialis, nisi superveniat sententia, quæ privet beneficio, & illud alteri adjudicet, cui facta gratia in eventum privationis; tunc enim, ex quo beneficium tanquam vacans per privationem est alii adjudicatum, effectum est litigiosum. Garc. *nu. 82.* quin & ubi ageretur de privatione ipso jure incursa, etiam ad instantiam habentium interesse, & jus prætendendi beneficium, si tamen non petebant adjudicationem seu collationem illius in illo judicio, beneficium non esse litigiosum, ait Garc. *num. 83.* juxta Rotæ decisionem *in Callagurit. beneficii. 29. Octob. 1601.* quam ibidem recitat.

Quæstio 311. *Num igitur talis resignatio in favorem facta ante sententiam privationis, subsecutâ sententia privationis rescindi & invalidari possit?*

REspondeo: tametsi Pirh. *ad tit. de renunc. nu.* 26. asserat, quòd ea renunciatio postea per judicis sententiam rescindi possit; contrarium tamen sentit Garc. *nu.* 72. ubi: quòd factâ impetratione à tertio nec impeditur resignatio & ejus effectus, nec post resignationem potuit procedi ad privationem. Et supponere id videntur auctores omnes docentes, validam esse talem resignationem in favorem, utpote facta coram Papa, & ab eo admissa, & exinde, ùt dictum, non subreptitia, quòd facta non fuerit mentio litis seu accusationis. Et quomodo aliàs per illam consuleret sibi & amico resignatario, ut inquiunt isti auctores, si ea facta & admissa per sententiam condemnatoriam seu privationis ab inferiore latam rescindi posset? Quin & ipse Paris. *cit. q. 16. nu.* 39. *de resignatione simplici.* ait, quòd resignare simpliciter post impetrationem præsentatam beneficii & judicium cœptum sit optima cautela ad evitandam infamiam, quæ ex condemnatione resultat: quamvis subdat *nu.* 41. propter talem resignationem ante sententiam privationis factam simpliciter, judicem non cessaturum à judicio, sed ad ulteriora processurum propter interesse impetrantis. Quòd si tamen post latam privationis sententiam, à qua fuit appellatum, condemnatus resignaverit, talem resignationem fore in pendente, ità ut si resignans mortuus fuerit pendente appellatione, aut sententiam absolutoriam obtinuerit, valeat resignatio: at si à principe aut alio ad id potestatem habente obtinuerit gratiam, irrita maneat resignatio. Si denique sententia privationis in gradu appellationis confirmata fuerit, resignationem pendente appellatione factam per viam retrotractionis censendam invalidam tanquam ab initio, tradit Tond. *cit. c.* 27. *n.* 10. præscindens ab eo, seu non exprimens, num loquatur de resignatione simpliciter factâ, an verò etiam de facta in favorem, cujus contrarium (uti pro hoc contrario eum citat Tond. *cit. n.* 10.) sentire videtur Garc. *n.* 95. ubi, postquam dixisset posse resignari beneficium in favorem, post saltem sententiam privationis, si ab ea appellatum, addit, hoc ipsum procedere, etiamsi appellatio postea pronuncietur mala & injusta.

Quæstio 312. *An, & qualiter ipso jure, vel per sententiam privatus beneficio illud resignare possit?*

1. REspondeo primò: privatum ipso jure beneficio non posse illud resignare in favorem; quia ipso jure privato nullum jus in beneficio seu titulus remanet; quòd autem quis non habet ampliùs, ei renunciare non potest Gonz. *gl.* 15. *n.* 146. Paris. *l.* 3 *q.* 1. *n.* 21. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n* 124. citantes quàmplurimos ac dicentes, esse communem omnium doctorum sententiam. Ampliatur hoc ipsum, ut etiam ante sententiam declaratoriam talis nequeat resignare, ita Paris. *loc. cit. n.* 23. ubi probat responsionem hanc hac ratione; quia ea, quæ ipso jure amissa sunt, non possunt alienari, etiamsi non præcesserit sententia declaratoria: & expressius *n.* 37. *juncto n.* 38. ubi: idem dicendum (quòd resignare non possint in favorem) in aliis omnibus, qui sunt privati ipso jure; & hoc etiam stante opinione, quòd requiratur declaratio judicis juxta magis communem opinionem, idque indubitatum est, non tantùm, si ante sententiam declaratoria teneatur sponte dimittere beneficium. Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 35. *n.* 190. ubi: Si quis ità sit privatus, ut sponte ante sententiam teneatur dimittere, non potest resignare conditionatè, quod si fecerit, collatio ex vi illius secuta erit invalida; si autem non tenetur dimittere ante sententiam, resignatio valida erit, quia beneficium adhuc est illius quò ad jus possidendi & fruendi; potest tamen postea per sententiam irritari; sicut contractus & alienationes ejus, cujus bona ipso jure sunt confiscata ob crimen hæresis, perduellionis &c. irritari possunt, etsi valeant, donec, sententia irritationis feratur. Verùm etiam si ante sententiam declaratoriam privatus est ipso titulo & jure beneficii (uti interea, dum factum executitur pro obtinenda declaratoria commissi delicti, ob quod quis privatus est ipso jure; talem à momento commissi criminis amittere titulum, & jus omne in beneficio, dictum est suprà ex Lotr. & aliis) etiamsi interea veram possessionem juris retineat (ùt quoque juxta probabiliorem dictum est suprà) quia jam à dicto momento nihil statuere potest de beneficio, utpote non suo ampliùs; & frustra nititur illud à se abdicare, ut quoque dictum *ibidem.* adeóque ab initio invalida erit talis resignatio; etsi contrarium etiam in hoc casu sentire videatur Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 8. *n.* 1. suprà citatus, ubi: Esto, requiratur sententia declaratoria criminis, ut privatio executioni mandetur; at à puncto commissi criminis ità infirmatur titulus & possessio beneficii, ut positâ sententiâ rescindantur omnes transactiones factæ beneficiorum; quamvis fortè aliud sit circa transactiones factas ratione beneficii, vel circa res beneficii, distinctas tamen ab ipsa resignatione beneficiorum, quòd hæ subsistant, usque dum positâ sententiâ rescindantur; quia per eas non statuitur de ipso beneficio. Item *cit. p.* 2. §. 2. *n.* 13. ubi: beneficia, quibus ipso jure quis privatus est, nec resignari in favorem nec permutari possunt; quia sunt Sedi Apostolicæ reservata: Sed concesso, quòd resignari possint, eò quòd ante sententiam declaratoriam criminis non videatur quis privari titulo vel dominio beneficiorum; factâ tamen declaratione, resignatio & permutatio facta rescinditur & nulla redditur, ac si à puncto commissi criminis nulla fuisset declarata. Verùm ùt vides, progreditur ibi ex falsa suppositione, nimirum, quòd non privetur talis titulo ante sententiam declaratoriam.

2. Respondeo secundò: neque etiam ille, qui jure ipso privatus est beneficio, videtur propriè posse illud resignare simpliciter: Sic innuere videtur Garc. *cit. n.* 124. dum ait: renunciare non potest, maximè, in favorem; sed debere illud simpliciter dimittere; in quo autem simplex illa dimissio à resignatione simplici distinguatur, de hoc vide dicta ad initium hujus capitis, unde jam infero &

3. Respondeo tertiò: resignari non posse, maximè, in favorem, non tantùm, quibus quis ob delictum, sed etiam aliunde privatus est ipso jure, v. g. promotus ad secundum incompatibile, non potest renunciare primum; quia hoc ipso primum vacat ipso jure, & conferri potest nulla latâ sententiâ. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *à n.* 50. Promotus ad Episcopatum

tum non potest resignare in favorem, quæ prius obtinebat beneficia alia. Paris. *à num.* 75. Idem est de promoto ad Abbatiam. Paris. *n.* 95. Tamb. *de jure Abb. p.* 1. *pag.* 102. *n.* 17. de quibus omnibus accuratè satis actum in antecedentibus, & vide de eodem argumento Paris. *cit. n.* 50. *per reliqua ferè tot. q.*

Quæstio 313. *An, & qualiter privatus beneficio per sententiam hominis resignare illud possit?*

1. REspondeo primò: Quod dictum de privato ipso jure beneficiis, nimirum per sententiam legis, idem dicendum de privato beneficiis per sententiam, dum hæc transiit in judicatum, seu rem judicatam. Paris. *l.* 3. *q.* 1. *nu.* 151. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *num.* 125.

2. Respondeo secundò: fieri non posse dictam resignationem post eam sententiam, etsi adhuc illa executioni data non sit. Garc. *loc. cit. n.* 126. contra Rebuff. *cons.* 82. Siquidem per sententiam privationis, quæ in judicatum transiit, statim, etiam ante executionem illius, privatus quis est jure ac titulo beneficii, quod negat. Rebuff. *loc. cit.* & hoc mox ante executionem conferri potest. Et illud solùm verum, quòd quis per talem sententiam non statim ante executionem privetur possessione beneficii. Garc. *cit. nu.* 126. qui etiam *nu.* 127. ait ex Felin. *in c. inquisitionis, de accus. nu.* 7. canonicum ante dictam executionem non statim ipso jure perdere stallum in Choro, & locum in capitulo, sed oportere, ut destalletur per Superiorem.

3. Respondeo tertiò: valere nihilominùs resignationem in favorem factam post talem sententiam, uti & factam ab eo, qui privatus est ipso jure per sententiam legis; quin &, ut addit Garc. ab obtinente beneficium aliàs sine canonico titulo ex clausulis generalibus apponi solitis, *sive præmisso, sive alio quovis modo vacet*; cum factâ illâ resignatione invalidâ verum sit, beneficium illud vacare alio modo, nempe per privationem. Garc. *n.* 128. citans Rot. *in Salmant. dimidia part.* 11. *Decemb.* 1585. & Navar. *cons.* 12. *de rescript. n.* 7. & 10. Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 13. Limitanda tamen hæc responsio, dummodo alteri non sit antea jus quæsitum in illo beneficio, Garc. Castrop. *ll. cit.* dicit quoque Garc. *nu.* 129. secus fore in permutatione, propter clausulas in permutationibus apponi solitas, juxta *reg. Cancell.* 39. quòd neuter permutantium jus acquirat, nisi quilibet eorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

Quæstio 314. *An igitur etiam in hoc casu, ex dictis nimirum clausulis valeat reservatio pensionis tali resignanti facta, dum is resignavit reservata sibi tali pensione, non facta mentione de defectu tituli?*

REspondeo: Negativè; ex eo, quòd, ùt Paris. paulò post citandus, Papa non concessisset pensionem, si scivisset, jus ei non competere, & est gratia subreptitia; cùm non exprimitur id, quod expressum retraxisset à concedenda, juxta *c. postulasti.* & *c. super literis. de rescrip.* ac præcipuè ex eo, ùt Paris. cum Garc. quòd pensio reservetur resignanti cum clausula: *ne ex resignatione nimirum dispendium patiatur*: quæ clausula non verificatur in resignante beneficium, in quo jus non habet; cùm enim illud dimittere debeat, nullum ex ejus resignatione revera patitur dispendium. Paris. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 24. Garc. *nu.* 132. citans Gamb. *de offi. leg. l.* 6. *n.* 150. Gig. *cons.* 128. *n.* 3. & 4. contra Nav. *cons.* 12. *de rescrip. n.* 4. putantem ex tenore supplicationis, præsertim ex verbis istis: *ex certis causis animum suum moventibus resignare proponat & resignet*, satis factam Papæ mentionem de defectu tituli. Quod ipsum bene refutat Garc. *n.* 138. qui & sententiam suam *n.* 132. insuper confirmat ex Mandos. *de signat. gratiæ. tit. de pens.* ubi ait: quòd in supplicatione pensionis ex causâ cessionis nonnunquam conceditur clausula: & quòd pensio debeatur, etiamsi nullum jus cedenti competeret ad tollendas lites, quæ inter pensionarium & cessionarium oriri possent, illo asserente, jus bonum cessisse, hoc negante; quandoque dicta clausula denegatur, adeóque sine illa clausula non deberetur pensio, si cedenti nullum jus competeret in beneficio resignato, ut Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 105.

Quæstio 315. *An, quia in reservatione pensionis solet apponi resignatario pœna privationis, vel concedi regressus resignanti in casu non solutionis, possit resignatarius talis non solvens pensionem resignare beneficium illud pensione gravatum?*

1. REspondeo primò: Quando is, cui reservata pensio, non solutâ pensione egit ad privationem vel regressum, iste non solvens non potest resignare in favorem tertii; cum accedente illâ voluntate & declaratione pensionarii absque dubio iste non solvens sit eo ipso privatus beneficio. Paris. *l.* 3. *q.* 3. *n.* 2.

2. Respondeo secundò: è contra, quamdiu non fuit actum contra non solventem, is poterit resignare in favorem tertii illud beneficium. Paris. *ibid. n.* 4. ex Cassad. dicens esse communem, ac testans vidisse se sæpius sic in praxi servari; pœna enim illa locum habet agente pensionario, & sic volente illo, in cujus favorem illa pœna apposita fuit juxta plures Rotæ decisiones, quas citat Paris. *n.* 5. quemadmodum, ùt Emphyteuta ob non solutionem canonis cadat à jure suo, declaratio domini directi requiritur. *l.* 2. *c. de jure Emphyt.* & ibi Bart. ergo ante illam declarationem creditoris debitor potest impunè & validè resignare; quia pœna dicta necdum successerat. Paris. *cit. n.* 5. Adde quòd, dum is, cui reservata pensio & regressus in eventum, non declaravit voluntatem suam, agendo contra beneficiatum ad privationem, videatur noluisse. Paris. *ibid. num.* 6. Insuper, licèt in literis fiat privatio, quoties reservatur regressus ob non solutam pensionem, requiritur tamen ad regrediendum, ut regressus canonizetur per declarationem judicis. Paris. *nu.* 7. Pelegrin. *decis.* 264. *l.* 3. Quòd quis, qui resignavit, reservato sibi regressu, si uti noluit, dum semel locus erat regressui, non possit eo uti, dum iterum venit casus, tradit Paris. *n.* 15. ex Moheda.

3. Respondeo tertiò: Est etiam in hoc casu tutus successor istius resignantis, seu is, in quem iste non solvens resignavit beneficium. Paris. *cit. n.* 4. ità ut pensionarius contra hunc declarando voluntatem non possit agere ad privationem ob non solutam pensionem ab ejus prædecessore. Paris. *n.* 8. dicens esse communem doctorum. Non secùs ac contingit in morte naturali, ità ut si is, cui reservata pensio ac regressus, tacuit vivente debitore principaliter obligato, qui in tempore statuto

non solverat, succedens tali debitori in beneficio; tutus esse possit juxta plures Rotæ decisiones, quas citat Paris. *n.* 9. ità etiam in morte hac civili, quæ contingit in resignatione, utpote quæ naturali æquiparatur. Paris. *n.* 10. Siquidem declaratio facienda in similibus casibus terminatur ad vitam creditoris vel debitoris, ut habet communis. Paris. *n.* 11. Unde sicut, si vasallus commisit, ob quod poterat privari feudo, si dominus directus decedat ante declarationem à se factam, jus privandi non transit ad hæredem, ut gl. *in c.* 1. §. 1. *v. concubuerit. quibus mod. feud. amitt.* cum communi. Etiamsi delictum tale, ob quod vasallus ipso jure privatus erat feudo, ut habet ibidem communis teste Claro *l.* 5. *recept. sent.* §. *feudum q.* 4. *vers. quid sit culpa*: adeóque, si Dominus non declaravit caducitatem, ejus successor nequit declarare. Paris. *n.* 12. *junctò n.* 14. Ita etiam, si moriatur vasallus, qui deliquit, antequam dominus proponit querelam, non poterit illam proponere contra hæredem ipsius vasalli, ut Clarus. *loc. cit. q.* 65. Paris. *n.* 13.

Quæstio 316. *An, dum in provisione resignatarii adest decretum, ut nullatenus possit iterum resignare alteri, nisi priùs resignationem faciendam intimet resignanti, seu ei, qui in favorem sui resignarat beneficium sub reservatione pensionis, ad effectum nimirum, ut iste secundus resignatarius obliget se isti primo resignanti seu pensionario coram Notario & testibus de solvenda illi pensione, aliàs resignatio sit nulla; an inquam is, non obstante illo decreto, possit nihilominùs validè resignare non factâ dictâ intimatione?*

REspondeo: Non debet quidem id facere, facta tamen resignatio in hoc casu est valida; si ille, cui facienda illa intimatio, non egit ad beneficium: Decretum enim tale annullativum solitum apponi in provisionibus ità demum operatur, si is, in cujus favorem apponitur, eo uti voluit juxta dicta *q. præced.* Paris. *l.* 3. *q* 4 *à n.* 1.

Quæstio 317. *An consecutus parochialem Ecclesiam, unde tenetur promoveri intra annum, possit eam in fine hujus anni resignare?*

REspondeo: Posse illum etiam ultimâ die illius anni resignare in favorem dictam Ecclesiam. Paris. *l.* 3 *q.* 2. *n.* 8. citans Oldr. *cons.* 203. *nu.* 1. Gamb. *in c. licet. nu.* 88. *de rerum permut.* & alios plures. Antequam enim annus ille perfectè elapsus est, & licet tantum jam de anno illo elapsum, ut jam intra reliquum illius ad sacerdotium promoveri nequeat, jus adhuc est & durat penes parochum illum in dicto beneficio parochiali. Paris. *loc. cit. num.* 9. & pœna imposita propter non factam intra certum tempus promotionem, non incurritur, nisi ex toto tempus labatur. Paris. *à n.* 10. id pluribus exemplificans. Adde, quòd Papa posset dispensare & prorogare illud tempus etiam ultimâ die, Paris. *num.* 14. Verumtamen responsionem hanc limitat Paris. *loc. cit. nu.* 21. ubi ait: Hanc communem conclusionem declararem, nisi constaret evidenter de fraude differentis hanc resignationem usque ad illas temporis angustias & ultimum momentum, & sic sentire idem Oldr. Gamb. aliósque à se citatos pro dicta conclusione. Quin & addit Paris. hodiedum istiusmodi resignationem non admittendam, eò quòd quoties resignatur parochialis, stylus obtinuerit, ut debeat exprimi, quanto tempore illam possederit resignans, & si tempus est breve, cessio rejicitur; si autem Papa admittit illam, dubium non est, quin valeat.

Quæstio 318. *An impetrans beneficium per annum pacificè possessum ab alio (cum ex regula de annal. teneatur intra* 6. *menses possessorem facere evocari in judicium, causámque intra annum terminare, de quo vide Paris* l. 3. q. 5. à n. 7) *possit illud resignare tam antequam vocet possessorem in judicium, quàm post; & antequam causa sit expedita, id est intra annum?*

RSpondeo affirmativè: Paris. *loc. cit.* 2. citans Sarn. *in reg. de annali q.* 62. *&* 63. Mandos. *ibidem. q.* 23. *&* 24. Sic enim etiam, qui intra annum tenetur se facere promoveri ad ordines, potest resignare, priusquàm id faciat. Sic resignare potest quis infra tempus datum ad publicandum: Quorum omnium ratio est, quòd per collationem factam ex causa resignationis, jus irrevocabiliter est acquisitum resignatario post ejus consensum. Paris. *loc. cit. à n.* 3.

Quæstio 319 *An & qualiter possessor pacificus exigui temporis resignare possit beneficium?*

1. REspondeo primò: Quid hac in re speciale sit circa resignationes parochialium beneficiorum & curatorum suprà, ubi actum de resignatione parochialium, dictum fuit, potissimum ex Corrad. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 13.

2. Respondeo secundò: De beneficiis quoque aliis personalem residentiam requirentibus, præsertim dum fiunt reservata pensione, quòd nec eorum resignatio ex usu Datariæ Apostolicæ absolutè & indistinctè admittatur, sine temporis, quo ea resignans obtinuit, expressione; & si tempus illud breve est, rejiciatur resignatio; si autem tempore etiam brevi expresso, Papa admittat, dubium non est valere resignationem, tradit Corrad. *cit. n.* 13. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 45. Et idem esse in permutationibus istiusmodi beneficiorum cum aliis non requirentibus similem residentiam, ait Garc. *ibidem n.* 46. & Covarr. *n.* 17. De dicto autem stylo Datariæ regulariter requiri, ut resignans possederit illud per annos 5. vel circa, aut saltem tres; quamvis antea requirerentur 7. aut 6. ait Garc. *n.* 47. Corrad. *n.* 14. deberique verificari (intellige coram executore parte opponente, ut Corrad. *n.* 11.) hoc tempus expressum, ità tamen, ut si adjecta fuit dictio *circa* vel *circiter*, sufficiat verificari, quòd per annos 4. & medium possederit, Corrad. *n.* 15. Garc. *n.* 49.

3. Respondeo tertiò: si beneficium simplex requirens residentiam resignari potest ante captam possessionem, ut dictum suprà, nil vetat, quò minùs resignari possit, etiam in favorem, mox à captâ possessione; nil etiam videtur vetare, quò minùs Parochiale resignetur simpliciter in manibus Ordina-

Ordinarii mox à capta possessione; nisi fortè incommodum aliud (v.g. detrimentum Parochianorum, quod oriri solet ex frequente mutatione rectorum, ut Corrad. *n.* 20.) obstaret; ait siquidem Corrad. *cit. n.* 20. praxin illam Datariæ accipiendam esse de resignationibus, quæ fiunt coram Papa, non de his, quæ fiunt coram Ordinario.

4. Respondeo quartò: de cætero, quod attinet ad animum, seu intentionem mox resignandi acceptum beneficium, tradit Corrad. *loc. cit. n.* 21. quòd ex stylo Datariæ jam noto, in quocunque beneficio, etiam simplici, cujus collatio spectat ad Papam, & orator sit præsens in Curia, postquam signata est supplica, si velit expediri literas in forma gratiosa, ac propterea examinari ab Examinatoribus Urbis, ab illis aut à notario recipiatur juramentum, quòd ipse orator tale beneficium non assequitur animo illud resignandi; ac proinde stante hoc juramento, si assequitur beneficium illud, animo illud resignandi in favorem, & cum effectu resignet, licèt resignatio teneat, peccet tamen mortaliter. Idem tradit Paris. *l.* 9. *q.* 10. *n.* 4. Gonz. *gl.* 15. *n.* 90. Garc. *p.* 8. *c.* 2. *n.* 35. Quod tamen juramentum, intelligendum, ut provisus non habeat animum & intentionem beneficium illud statim, seu intra breve tempus resignandi; non verò de habentibus animum illud resignandi post aliquot annos, seu longum tempus; cùm non teneatur quis habere animum, semper retinendi illud beneficium, maximè si curatum aut residentiale, & sic usu receptum esse tradit Corrad. *loc. cit. n.* 23. ex Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 191. Ubi is: pariter intelligendam esse constitutionem 33. Pauli IV. quæ punit pœnâ excommunicationis, privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad ea, ac nullitatis provisionum ipso facto inter alios illos, qui beneficia pro aliis cum spe, pensionem aut aliud temporale commodum ab iis consequendum, vel pro seipsis principaliter animo & intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam licèt idoneorum & bene meritorum cum simili pensione aut commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procurarint. Quam constitutionem plane loqui & procedere etiam nullo pacto aut conventione præcedente, ait *ibid.* Garc. Sed neque dictam constitutionem intelligendam de habentibus animum mox permutandi accepta beneficia, etsi secus sit in dicto juramento, quod & intendentes mox permutare, saltem beneficium residentiale cum non residentiali ligare, ait *ibid.* Garc. Uti neque eam procedere in habentibus animum mox resignandi simpliciter (contra quod de dicto juramento sentit, & de hac ipsa constitutione sentire videtur Gonz. *loc. cit.*) neque intelligendam illam, aut etiam dictum juramentum de obtinentibus beneficium animo dubio aut conditionali illud resignandi etiam in favorem alterius. Neque intelligendam, nisi de sub illa intentione obtinere procurantibus cum effectu; id est, de facto obtinentibus. Nec denique illam procedere de obtinentibus dicto animo beneficia ab Ordinariis seu extra curiam ait Garc. *loc. cit.* Quinimo etiam independenter à dicto juramento & animo non præhabito peccare illum, qui isto animo resignandi mox reciperet beneficium etiam ab Ordinariis, & præscindendo à longo vel parvo tempore, tradit Paris. *loc. cit n.* 5. ubi simpliciter dicit, quod acceptans beneficium, ut illud postea renunciet, peccet.

5. Verumtamen his non obstantibus (præscindendo tamen à dicto juramento & spe obtinendi pensionem, aut aliud quid temporale) contrarium tenet Castrop. *de benef. d.* 4. *p.* 7. *n.* 12. citans pro hoc Nav. *l.* 3. *consilior. tit. de præb. cons.* 24. *n.* 2. Sanch. *l.* 57. *de matrim. d.* 45. *n.* 12. Vasq. *opusc. de benef c.* 3. §. 3. *dub.* 1. *in fine.* Less. *de justitia l.* 2. *c.* 34. *dub.* 26. *n.* 136. dum ait: recipiens Parochiale beneficium habitâ voluntate, se promovendi ad sacerdotium intra annum, si beneficium retineas, & inserviendi, dum illud retines, non credo peccare, saltem mortaliter, ex eo, quòd accipiat animo resignandi vel permutandi eo tempore, quo resignationem vel permutationem Superior admiserit. Neque enim recipiens beneficium obligatus est, illud semper retinere; sed potest illud permutare vel resignare; ergo habens hanc voluntatem, cùm beneficium quis suscipit, nihil juri contrarium facit, tametsi illud unico die retinere proponat. Neque omnino contrarius esse videtur Garc. *cit. n.* 191. dum ait: non videtur satis tutum consilium Navarri, quòd non peccaret quis accipiendo beneficium curatum animo permutandi cum simplici, vel resignandi reservatâ pensione, si proponat servire illis ut debet, tempore magno vel parvo, quo illud tenuerit; nam, ut vides, loquitur de animo permutandi curatum cum simplici, vel resignandi servatâ pensione, à quibus abstrahit Castrop. quamvis ex illius ratione id quoque de hac permutatione & resignatione illum sentire inferri posse videarur, dum permutare quis potest cum simplice, & resignare servatâ pensione, adeó, que id intendens nihil juri contrarium faciat.

Quæstio 320. *An promovendi ad Ecclesias cathedrales vel Metropolitanas, Abbatiales &c. antequam vacent eorum beneficia per ipsam promotionem, resignare possint sua beneficia?*

1. REspondeo negativè: obstat enim regula cancellariæ de beneficiis vacaturis per promotionem, in cujus prima parte Papa ordinat & vult, ut omnes concessiones, gratiæ, mandata, etiam motu proprio, & cum derogatione hujus constitutionis à se factæ pro quibuscunque personis de providendo eis de quibuscunque beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque ad Ecclesiarum & monasteriorum regimina, sint cassa & irrita, si hujusmodi concessiones & mandata diem promotionis promovendorum illorum præcesserint. Quo ad hanc primam partem ratio & intentio Papæ fuit, tum, ut hoc modo liberaret se ab importunitate inverecundè petentium & inhiantium hujusmodi beneficiis in propinquo vacaturis, quâ principes sæpe vexati, etiam ad non concedenda, vel ad indignis concedenda adiguntur; tum ut vitium ambitionis, quod tum maximè se exferere consuevit, cùm qui officia sua & beneficia deserturi ad altiora promovendi. Paris. *l.* 3. *q.* 6. *n.* 3. Chok. *ad dictam reg. n.* 9. *&* 10. secuti Mandos. *ibidem q.* 1. *n.* 1. & glossator antiquus apud Chok. *loc. cit. n.* 1. Quamvis hodiedum hæc prima hujus regulæ pars superflua videri posset, ex quo per Trid. *sess.* 24. *c.* 19. sublatæ exspectativæ & gratiæ ad vacatura. Chok. *loc. cit. n.* 12 Paris. *loc. cit. n* 13. qui tamen hanc partem poni in regulis editis post Trid. quia dicitur, ut non valeant dictæ concessiones, etiamsi factæ motu proprio, & cum derogatione dictæ regulæ, ait *n.* 14. In secunda verò parte dictæ regulæ (quæ concernit præsentem quæstionem) ordinavit Papa, ut quoque cassæ & irritæ sint cum omnibus inde secutis,

quæcunque collationes, provisiones pro tempore faciendæ de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, sæcularibus ac regularibus, quæ per promovendos aut assumendos ad quasvis prælaturas contigerit, simpliciter, vel causâ permutationis ubicunque resignari, vel aliàs dimitti intra tempora vacationis illorum, & hujusmodi promotionis vel assumptionis. Quoad hanc secundam partem regulæ mens & intentio Papæ fuit, ut præservaretur ei libera collatio beneficiorum per promotionem istiusmodi vacaturorum, dum solebant tales promovendi resignare ante promotionem, vel pinguia sua beneficia permutare cum aliquo minimo, adeóque nihil, aut minimum quid vacabat per eorum promotionem, & sic deludebatur Papæ reservatio de beneficio vacante per promotionem. Paris. à n. 5. Chok. *cit* n. 10. Mandos. *ubi ante* n. 4. Glos. sat. Antiq. *loc. cit.* Unde etiam patet, hanc regulam favorabilem esse & ampliandam, utpote quæ occurrit fraudibus & ambitioni, quæ jura abhorrent, & quibus resistunt. Paris. *n.* 7. Chok. *n.* 11. Idque etiam quoad utramque ejus partem; dum utrobique fraus intervenire poterat. Chok. *loc. cit.* ex Felin. *in c. de quarta. n.* 15. *de præscript.*

2. Respondeo secundò: responsionem nostram locum habere primò in promovendis ad Episcopatus & Abbatias; quia licèt regula hæc non exprimat Ecclesias Cathedrales seu Episcopales, comprehendit tamen illas, quia & subjecta materia, quæ est de promotionibus ad Ecclesiarum & monasteriorum regimina, & ex communi usu loquendi, & stylo curiæ Romanæ satis dicitur de his agi. Chok. *n.* 13. ex Mandos. *q.* 3. Comprehendi quoque in prima hujus regulæ parte Prælaturas alias inferiores jurisdictionem ordinariam habentes, ùt sunt Archidiaconi. Decani, Præpositi & similes, ob illas particulas secundæ partis: *ad quascunque dignitates*, censet Mandos. *q.* 6. apud Chok. *n.* 14. qui tamen ait hanc opinionem non videri sibi satis tutam. Illud certum, comprehendi illas in secunda parte, adeóque & in promovendis ad illas responsionem procedere. Paris. *n.* 11. dicens exinde secundam partem esse magis generalem ac primam. Videtur tamen non procedere in iis, qui promoventur ad Episcopatus in partibus infidelium existentes. Paris. *n.* 49. citans Hojed. *de incompat. p.* 1. *c.* 4. *in fine.* & Mandos. *hic. q.* 4. & 5. apud Chok. *cit. n.* 14. quia nec talium beneficia vacant per promotionem ad istiusmodi Episcopatus.

3. Secundò: locum quoque habet responsio nostra, & dicta regula Cancell. in beneficiis Electivis. Chok. *n.* 23. Paris. *n.* 87. tum quia hæc regula venit ad declarationem *Extravag. ad regimen*, quæ loquitur etiam de Electivis, tum quia, ùt dictum, regula hæc est favorabilis; in favorabilibus autem nomine collationis, provisionis, dispositionis venit quoque electio, & beneficia electiva, ut Selv. *p.* 3. *q.* 1. *n.* 26. Felin. *in c. postulásti. de rescrip.* Gemin. *in c. si propter. de rescrip. in* 6. Paris. *n.* 89. Et sic Episcopus electus, necdum confirmatus resignare non potest sua beneficia. Paris. *n.* 90. juxta dicta à nobis aliàs. Neque obstare ob dictas rationes videntur concordata Germaniæ, quò minùs etiam Electiva comprehendantur dictâ regulâ, & resignari nequeant in manus capituli pro eorum electione facienda. Branden. *in concord. q.* 9. Chok. *ad hanc reg. n.* 19. Quidquid in contrarium ex Rebuff. loquente de concordatis in genere, dicat Paris. *n.* 91. quibuscum sentit Engels. *ad tit. de præb. n.* 37. Patet id namque ex notabili decisione Rotæ apud Branden. *super concord. Germ.* & Chok. *n.* 19. *in una Paderborn. Præposituræ de Anno* 1588. in facto Theodori à Fürstenberg Electi in Episcopum ante confirmationem à Sede Apostolica resignantis Præposituram ejusdem Ecclesiæ in manibus Capituli, dein Præpositum alium eligentis; quâ electione non obstante, Papa eam contulit alteri, contendenti & alleganti esse reservatam per dictam regulam, quæ annullat omnes resignationes factas de quibuscunque beneficiis per promovendos ad quascunque Prælaturas inter tempus vacationis & dictæ promotionis. Siquidem licet Domini in prima hujus causæ propositione die 9. Martii 1588. conclusissent, dictam Præposituram non esse reservatam ex eo, quòd cùm in concordatis (exceptis reservationibus in iis expressis) relinquatur libera facultas Ordinariis conferendi, videretur reservationem inductam per hanc Cancell. regulam non comprehendere beneficia Germaniæ, quorum collatio spectat ad Ordinarium vi concordatorum; quia Papa non censetur voluisse inducere novas reservationes in præjudicium concordatorum, nisi de iis expressam & specialem fecerit mentionem, & sic regulæ Cancellariæ non comprehendunt beneficia Germaniæ. Verum tamen hâc causâ iterum propositâ 30. Martii ejusdem anni recedentes ab hac sua resolutione concluserunt, dictam Præposituram esse reservatam Sedi Apostolicæ ob dictas rationes; nimirum quia regula hæc favorabilis est, & quia venit declarativa ad reservationem Extravag. *ad regimen*, quæ reservatio comprehensa est in concordatis. Et quia insuper præpositura hæc erat prima dignitas, ea adhuc vigore etiam Concordatorum erat reservata Papæ, etsi aliàs sit electiva. Dum enim in concordatis *paulo ante* §. *de literis vero.* fit mentio de electivis, & postea subjicitur: *de ceteris verò*, intelligendum est etiam de electivis; quia exceptio debet esse de regula, & quia accedit dictio *verò*, quæ est adversaria, & inducit repetitionem omnium qualitatum expressarum. Ita fere Chok. qui etiam subjungit, hanc decisionem notandam esse Capitulis Germaniæ, quæ plerumque eligunt Præpositum vel Decanum in Episcopum, & ab eo recipiunt resignationem Præposituræ vel Decanatûs, & eligunt alium Præpositum vel Decanum; cùm tamen talis electio sit nulla, & Decanatus & Præpositura maneant Papæ reservata; & possessio capta ab electo vitiosa, tum per hanc regulam, tum per ipsa concordata Germaniæ ubi: *rursus monasteria &c. Decanatus &c. etiamsi ad illa personæ consueverint per electionem assumi, quæ promoti per nos sua auctoritate nostra obtinebant tempore promotionis &c.*

4. Tertiò: locum habet responsio & regula in commendis seu beneficiis commendatis, ut nec illa queant resignari. Prrif. *loc. cit. n.* 40. contra alios, quibus adhæret Chok. *n.* 16. eò quòd regula annullet non tantùm collationes, sed & provisiones (quæ dictio est latissima comprehendens omnem modum providendi, ut Gemin. & Franc. *in c.* 1. *de elect. in* 6. adeóque ùt signanter Gemin. *in c. nemo. de Elect. in* 6. *n.* 9. apud Paris. *n* 41.) & dispositiones, quo etiam nomine comprehenditur commenda & commendatio, ùt Card. *in Clem.* 1. *de suppl. negl. prælat. n.* 2. & dictio *quacunque* est universalis, & comprehendit ea, quæ sunt impropriè, ut Decius *cons.* 599. *n.* 2. & 3. apud Paris. *n.* 43. & 44. & tollitur interpetratio districtiva ut Alex. *cons.* 118. *n.* 5. Paris. à *n.* 44. & eò, quòd æque in resignatione commenda-

rum

rum intervenire possit fraus à regula considerata. Paris. *n.* 45. Ac denique quòd commendæ nostri temporis, seu perpetuæ ex quo fiunt in utilitatem personæ, & non Ecclesiæ, & sic nihil aut parum distantes à beneficiis. Paris, *à n.* 46.

5. Quartò : locum habet responsio & regula in beneficiis juris patronatûs; eò quòd regula sit favorabilis. Paris. *n.* 48. citans Felin *in c. de quarta. de rescrip. ante n.* 16. Sarn. *de trienn q* 7. *n.* 3 Lamb. *de jurep. 4. tit. q.* 11. *p.* 1. *l.* 1. *n.* 4. Mand. *ad hanc reg. q.* 5. *n.* 2.

6. Quintò : in beneficiis familiarium Cardinalium, ut probabile censet Paris. *n.* 52. quamvis dicat, de hoc dubitâsse quandoque Rotam, & nihil resolvisse.

7. Sextò: procedit responsio & regula in resignationibus non solùm factis in manibus Ordinariorum, sed & in factis in manibus Papæ, ut probabiliùs & conformiter Rotæ *in Cremon. pension.* 18. *Maii.* 1584. sentit Paris. *loc. cit. n.* 19. eò quòd ut Paris. *à n.* 20. tam ratio, quàm verba regulæ urgeant quoque in dictis resignationibus: & ratio quidem, dum etiam in iis, imò magis in iis, cadere potest fraus; quia resignationes factæ in manibus Ordinariorum sunt simplices absque ulla reservatione, in quibus minùs fraus timenda (cùm fraus sine utilitate, qualis non est ordinariè in resignatione simplici, non soleat committi) quàm in resignationibus, quæ fiunt in favorem, & cum multis reservationibus; quales sunt illæ, quæ fiunt in manibus Papæ; rarò enim fit resignatio simpliciter in manibus Papæ, ut Paris *n.* 24. & quod, si fieret, probabile valde videtur, non extendere se regulam ad talem resignationem factam simpliciter in manibus, Papæ saltem, quantum est ex hac ratione fraudis, quæ tunc cessat; cùm tunc vacet beneficium ex ipsa tali resignatione, & Papa sic habeat intentum suum, quòd beneficium vel uno vel altero modo vacet, possitque de eo ad libitum disponere. Verba verò, dum hæc resignatio est resignatio sicut & aliæ; adeóque ubi regula ipsa non distinguit, nec nos distinguere debemus, Par. *n.* 20. utitúrque regula voce *ubicunque facta*, hoc est in in Curia, sive extra. Paris. *n.* 23. Item dictio *vel aliàs*, quæ dictio alios modos ultra expressos auget Paris, *n.* 38. ac denique, dum regula tota, legitur uno eodémque verbo *voluit, decrevit, ordinavit*; adeóque sicuti prima pars regulæ loquitur de ipso Papa concedente, providente, ità ut is seipsum comprehendat, ita & in secunda parte etiam de se, comprehendátque seipsum, seu quo ad resignationes etiam factas in manibus suis. Paris, *n.* 23. Atque ex his patet comprehendi quoque hac regulâ resignationes factas in favorem, etsi regula non nisi resignationem simplicium & factarum permutationis gratiâ meminerit, ut signanter Paris. *n.* 35. ex mente glossator: & Rebuff. *in hac regula*; cùm mens regulæ sit comprehendere omnem modum dimittendi beneficia.

8. E contra verò non procedere responsionem & dictam regulam in resignationibus, in quibus fuit præstitus consensus post promotionem, supplicatio verò fuit signata ante promotionem; sed solùm in resignationibus perfectis intra tempora promotionis & vacationis satis indicare videtur Paris. *loc. cit. n.* 81. referendo Rotam *in dicta Cremon. pension.* 4. *Jun.* 1584. amplectentem hanc negativam, seu resolventem, quòd regula intelligatur tantùm de resignatione perfectâ & verâ, non verò per quandam solùm fictionem factam intra dicta tempora; qualis non est ista, in qua consensus præstitus priùs post promotionem; etsi enim signatâ supplicâ, dicatur gratia perfecta; non est tamen simpliciter perfecta; cum exspectet præstationem consensûs, & possit lacerari juxta dicta sæpe. Paris. *n.* 83. & licèt dictus consensus retrotrahatur; id tamen intelligitur fieri per viam fictionis; in materia autem correctoria dispositio loquens de actu vero, non comprehendit actum fictum; quia fictus dicitur impropriè talis. Paris, *n.* 85. idque etiam ex hoc potissimùm fundamento, quòd quia præsumitur notitia Papæ & officialium, qui cùm possent illam supplicationem lacerare, cùm non esset registrata tempore promotionis, mittendo eam ad registrum post promotionem, appareat manifestè, mentem Papæ fuisse, ut resignatio effectuaretur; ex quo non solùm contulit beneficium, sed passus fuit, resignationem jam cœptam effectuari, & gratiam semel factam sortiri effectum suum. Paris. *cit. n.* 85. Addens tamen hodie ad cautelam ponendam derogationem, idque esse optimum remedium ad tollendas lites, & vidisse se sæpe sic fieri, & consultum ut fiat.

9. Sed neque responsio hæc & regula locum habet in eo, qui resignavit, sive simpliciter, sive in favorem beneficium suum post vacationem Ecclesiæ, ad quam postea ipse ignoranter fuit promotus, sive qui ignorans se promovendum resignavit. Glossat. Antiq. apud Chok. *loc. cit. n.* 7. Paris. *loc. cit. à n.* 54. dicens, se audivisse à peritissimis practicis, hujusmodi resignationes factas ab ignorantibus non invalidari per hanc regulam, nec poni in hoc casu derogationem hujus regulæ, & hinc se judicare, ab hac opinione non esse recedendum in judicando & consulendo: ratio est, quia cessante ratione, utpote animâ legis, cessat dispositio; cessat autem in præsente casu fraus, quæ est ratio hujus regulæ; cùm dictus ignorans agat bonâ fide, & sic excusetur à fraude & dolo. Paris. *n.* 55. Adeóque nec obstat generalitas regulæ; cùm hæc restringatur ex ratione. Paris. *n.* 56. *in fine*, qui etiam *n.* 57. addit; præsumptionem fraudis non præcisè ex eo excludi, quòd supplicatio sit manu Papæ signata; eò quòd contrarium decisum sit in *citata Cremonensi*, quia Papa negotiorum multitudine impeditus hæc retinere memoriâ non præsumitur, nec potest.

10. Porrò cùm, licèt Papa in vi hujus regulæ annullando concessiones omnes à se factas etiam motu proprio, & cum derogatione hujus constitutionis, videatur sibi ipsi posuisse legem, ità ut, si appareat bulla concessa motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, non videatur illi obediendum; quia tamen idipsum est contra juris communis dispositionem (eò quòd quamcunque Papa det alicui potestatem contrà se, & veluti ligando se in privilegiis & constitutionibus concessis; nihilominùs majorem potestatem retineat penes se ad totum hoc cassandum) censendum est; his non obstantibus, si Papa vellet derogare huic regulæ, id eum posse, faciendo expressam illius mentionem. Ità Glossat. antiq. apud Chok. *loc. cit. n.* 5. quod idem sentire Abbatem & Felin. *in c. nonnulli. de rescript.* & Corsett. *in suis singularib. v. rescriptum*, ait Chok. *n.* 25. subjungit tamen idem Glossator *ibidem* verum tamen esse, quòd, dum Papa sic derogaret huic regulæ, exspectari deberet secunda jussio, si vellet ordinarius, non tamen teneretur, si nollet. De cetero ait Chok. *cit. n.* 25. Papam primæ parti hujus regulæ ob Trid. quod sustulit exspectativas & gratias ad vacatura, non facilè derogare; solere autem derogare secundæ illius parti in expeditionibus, nimi-

tum

rum resignationum factarum ante promotionem. Quin nec necessariam esse derogationem; eò quòd exoleviſſe jam dictam regulam, placere multis, dicat ibidem Chok. Certè Pariſ. *loc. cit. à n.* 27. plurimorum adducit teſtimonia, qui etſi ipſi plurimo tempore fuerint Reviſores ſupplicationum, Sollicitatores expediendarum literarum, Expeditores literarum ad plures Epiſcopatus, Abbreviatores ſub Paulo IV. Pio IV. Gregor. XIII. teſtentur tamen unanimiter, & teſtati fuerint apud Rotam, ſuper hoc ab ea examinati, ſe nunquam vidiſſe uſu receptam hanc regulam, & conſequenter ſe non vidiſſe unquam ei derogatum. Addit nihilominùs Pariſ. *à n.* 32. quòd tempore Pontificatûs Gregorii XIII. de ſtylo Cancellariæ neceſſaria fuerit derogatio hujus regulæ; neque mirandum, quòd ſtylus in Curia modò ſit albus, modò niger, & mutetur ſecundùm opinionem Datarii, Auditorum Rotæ & Abbreviatorum, ut Felin. *in c. Rodolphus. de reſcrip. n.* 22. ac proinde concludit Pariſ. *n.* 34. hodiedum (hoc eſt illius tempore) neceſſe eſſe in reſignationibus promovendorum ponere derogationem hujus regulæ, quando reſignans eſt certus, vel haberet ſpem de ſua promotione; aliàs reſignatio facta abſque dicta derogatione ex uſu non eſſet valida. Denique ex poſſeſſione decennali inſurgere præſumptionem derogationis hujus regulæ, & ſic diſpenſationis, tradit Pariſ. *n.* 59. citans Covar. *in reg. poſſ. p.* 2. §. 1. *n.* 1. de quo vide eundem Pariſ. latè *n. ſeq.*

Quæſtio 321. *An mente captus & furioſus reſignare poſſit beneficium ſuum?*

1. REſpondeo primò: Nec poſſe reſignare, nec permutare; eò quòd cùm careat judicio & uſu rationis, ſicut non poteſt alienare, vendere, donare ſua, & alios actus legitimos exercere, ità nec renunciare; ideóque reſignatio per tales facta, cùm ſit nulla, ſi redierint ad ſanitatem, poterunt repetere ſua beneficia reſignata in amentia. Pariſ. *l.* 3. *q.* 8. *à n.* 1. Pirh. *de renunc. n.* 37. cum communi.

2. Reſpondeo ſecundò: Quòd ſi tamen talis haberet lucida intervalla, poſſet tempore talis intervalli validè reſignare, & recuperatâ valetudine nequit recuperare beneficium reſignatum; quia ceſſat impedimentum amentiæ. *c. quamvis teſte. 7. q.* 1. C. *Conſaldus* 17. *q.* 2. Pariſ. *n.* 9. citans Roffiniac. *de benef. c.* 25. *n.* 2. Sarn. *de infirm. reſign. q.* 10. *in principio.* Pirh. *loc. cit.* cum communi. Porrò facta reſignatio ab amente habente lucida intervalla non præſumitur facta tempore talis intervalli ſeu ſanæ mentis. Pariſ. *n.* 11. citans Rebuff. *in pr. tit. reg. de infirm. reſign. n.* 20. & Gloſſ. *in c. dilectus. v. compotem de ſucceſſor. ab inteſtat.* contra Sarn. *reg. de infirm. q.* 10. allegantem pro ſe Baldum *in Margarita. v. furioſus.* & *in l. ult. c. de hæred. inſtitu. &c.* eò quòd furor, cùm ſit infirmitas corporis & animi, & magnus morbus, præſumitur durare, contrarium dicenti incumbit onus probandi. Pariſ. *ibid. n.* 12. & 13. ex *cit. gloſ. & aliis.* Adde quòd ſpontanea renunciatio non præſumitur. *c. ſuper hoc. de renunc.* & ibi Auctores communiter. Pariſ. *n.* 14. Tradit tamen idem *à n.* 16. ex Gloſſ. *in c. judices. 3. q. 9.* Anchar. *conſ. 5. &c.* hoc procedere nimirum, quòd cenſeatur furor durare, niſi contrarium probetur, quando ſufficienter probatum de furore (quin *n.* 17. plenè probandum dicit ex Zabarell. *conſil. 56. col.* 2. ut ſi teſtes deponant ſe vidiſſe illum furentem) dum enim furor non fuit ſufficienter probatus, uti & in dubio præſumitur quis ſanæ mentis. Pariſ. *n.* 19. citans C. Pariſ. *conſ.* 87. *n.* 1. *vol.* 4. Bald. *in l. quidam in ſuò. not.* 2. *ff. de cond. inſtit.* Item dum quis modico tempore fuit furioſus, quia id potuit contingere ex aliquo accidente, non præſumitur furioſus ſed ſanæ mentis. Pariſ. *n.* 19. ex Bart. Alex. & Decio. Addit etiam idem *n.* 20. ex Rebuff. *in pr. ubi antè n.* 18. quòd dum quis, quia doloris causâ incidit in rabiem, non potuit reſignare, tria eſſe probanda, infirmitatem, furorem, & quòd eo tempore, quo fuit furioſus, reſignavit; & ſi probatum ſolùm fuerit, eum varia & diverſa deliria dixiſſe causâ morbi, niſi probetur quoque, eo tempore reſignâſſe, vel conſtituiſſe procuratorem ad reſignandum, valere reſignationem ſicut teſtamentum.

3. Reſpondeo tertiò: Pari ratione ebrium in ebrietate non poſſe reſignare. Pariſ. *loc. cit. n.* 22.

Quæſtio 322. *An ſenex poſſit reſignare?*

REſpondeo: Eum poſſe reſignare tam coram Ordinario, quàm coram Papa. Pariſ. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 1. & 2. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 126. qui tamen uti & Pariſ. *loc. cit. n.* 3. ait illius renunciationem difficilius admitti. & Pariſ. *cit. n.* 3. hinc renunciationem ſenis debere plus juſtificari, quàm juvenis; qui etiam *n.* 7. reſponſionem limitat hoc modo: niſi renunciatio ſenis eſſet fraudulenta.

Quæſtio 323. *An ſpoliatus beneficio illud poſt ſpoliationem reſignare poſſit?*

REſpondeo: De hoc commodiùs dicendum infrà; ubi de renunciatione factâ dolo vel vi, vide tantiſper Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 7.

Quæſtio 324. *An, & qualiter minores (quales in jure dicuntur tam illi, qui decimum quartum ætatis annum necdum attigerunt, qui ſub tutorum curâ eſſe ſolent, quàm qui decimum quartum annum, ſeu annos pubertatis exceſſerunt, annum tamen vigeſimum quintum necdum attigerunt, quibus curatores dantur. Azor* p. 2. l. 7. c. 20. q. 9. *quippe appellatione minorum venit tam pueritia, quàm adoleſcentia.* c. in præſentia. de probat. l. 3. q. 7. n. 1.) *reſignare poſſint ſua beneficia?*

1. REſpondeo primò: Minor viginti quinque, major tamen quatuordecim annis poteſt reſignare beneficia ſua, idque ſinè curatoris auctoritate & conſenſu. Azor. *loc. cit.* Pariſ. *loc. cit. n.* 2. *junctis n.* 5. citatis pluribus, dicéntsque communem, & ſic communiter practicari in curia & extra. Caſtrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 3. *n.* 12. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 22. Nam talis minor in beneficialibus, & aliis cauſis ſpiritualibus, nec non ab iiſdem dependentibus, habetur pro majore viginti quinque annis, ut Gloſ. communiter recepta *in c. Ex parte. de reſtit. ſpoliat. v. quamvis minor.* ità ut ſicut poſſit in judicio ſtare & agere, procuratorem conſtituere, quin & extra judicium omnes actus & contractus celebrare ſinè curatore, ut major viginti quinque annis. Azor. Pirh. Caſtrop. *loc. cit.* Pariſ.

Paris. *n.* 3. *juncto n.* 6. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 50. *n.* 1. *&* 2. citans Rotam *decis.* 571. *p.* 4. *recent. tom.* 1. *n.* 1. juxta *c. ult. de judic. in* 6. ità etiam tam acceptare, quàm renunciare possit sinè curatore; à pari enim procedunt, stare in judicio, actiones intentare, &c. & renunciare; quia eo modo per viam indirectam alienatio sequi potest. Paris. *loc. cit. n.* 4. *juxta l. ait prætor. ff. de jure deliber.* & *ibi* Barth. adeò, ut quantum ad hoc, matrimonium carnale & spirituale æquiparentur. Paris. *n.* 6. *in fine.*

2. Respondeo secundò: Potest talis minor non solùm resignare, etiam per procuratorem, Azor. *loc. cit.* seu constituere procuratorem ad resignandum, Paris. *n.* 8. Pirh. *loc. cit.* sed etiam potest hunc constituere absque causæ cognitione, & judicis decreto, Pirh. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 9. non obstante, ùt inquit, decisione Rotæ, *in Segobien. integra portionu. de* 20. *Octobris.* 1540. quam refert Put. *decis.* 161. *l.* 2. in qua videtur tentum contrarium; Si enim in causis beneficialibus & aliis spiritualibus, iisque annexis (qualis v. g. est causa legitimitatis, ùt Paris. *n.* 10.) habentur majores seu parificantur illis juxta *cit. c. ult. de jud. in* 6. ergo sicut renunciare, vel procuratorem ad resignandum constituere potest major absque istis solemnitatibus, ità etiam talis minor. Paris. *cit. n.* 10.

3. Respondeo tertiò: Minor annis; 4. dum nimirum is ex dispensatione ante annum 14. ante quem aliàs ex decreto Trid. *sess.* 23. *c.* 6. conferri nequit alicui beneficium, haberet beneficium) resignare potest. Pirh. *loc. cit. n.* 23. Tond. *loc. cit. n.* 15. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 58. dicens esse receptam ab omnibus. Verùm ut renunciet validè, accedere debet, seu requiritur auctoritas tutorum, cum cognitione causæ, & decreto Superioris. Tond. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 23. Paris. *n.* 59. citans Bursatt. *cons.* 411. *n.* 13. Rebuff. *cons.* 83. *n.* 2. *&* 3. Card. Paleot. &c. pupillus enim sinè tutore nihil attentare potest. *c.* 2. *de ætate & qualitate.* & *c. ult. de re judic. in* 6. & ibi Auctores, Pirh. *loc. cit.* Paris. *n.* 60. Nec habet administrationem Ecclesiæ aut bonorum sinè decreto Superioris. Paris. *n.* 61. citans Cardin. Butrium, Anchar. Jo. And. *in c. ex ratione. de ætat. & qualitat.* nec tenet legitimam personam, nec consensum in spiritualibus ad agendum & defendendum, similiáque exercenda. Paris. *n.* 62. citans Ferret. *cons.* 282. *n.* 1. *&c.*

Quæstio 325. *An, & qualiter minori, tam excedenti, quàm non excedenti decimum quartum annum adversus resignationem ab eo factam concedenda sit restitutio in integrum?*

1. REspondeo ad primum: Si talis minor quatuordecim annis, seu impubes resignavit interveniente causæ cognitione, & judicatum fuerit (intellige à Superiore) expediens pupillo renunciare; quia v. g. cùm haberet plura beneficia, uno se exoneravit, restitui non debet; quia non videtur deceptus, adeóque non circumscriptus. *l. ult. c. de in integ. restit.* Paris. *cit. q.* 7. *n.* 63. citans Rebuff. &c. Si verò resignavit sinè tutore, & sinè causæ cognitione, erit restituendus; quia in hoc casu dicitur læsus, juxta Paris. *cit. n.* 63. qui pro hoc citat Rebuff. Paleot. Rotam, &c. Verùm contra hanc secundam partem illud esse videtur, quod Castrop. *cit. p.* 2. §. 3. *n.* 13. ait de resignante minore pubere, nimirum, quòd, cùm talis resignatio sinè tutore à tali facta non valeat, auxilium restitutionis in integrum implorare nequeat; cùm hæc restitutio locum non habeat, nisi ubi dominium translatum fuit.

2. Respondeo ad secundum primò: Si minor pubes, seu major quatuordecim annis in resignatione non est læsus; ut quia duo habebat beneficia, & alterutro commodè vivere poterat (ùt expresè Pirh. *cit. n.* 23. Azor. *loc. cit.*) vel quia resignavit ad favorem alicujus consanguinei vel amici, aut cùm vellet matrimonium vel religionem inire, aut ex alia simul causa, ità ut non possit considerari metus aut dolus resignatarii vel alterius, non est restituendus in integrum. Azor. Pirh. *ll. cit.* Paris. *n.* 11. citans Cravet. *cons.* 90. *n.* 4. Rebuff. *in pr. tit. de resign. v. ratione personæ. in principio.* Covar. *l.* 1. *var. resol. c.* 5. *&c.* quia restitutio in integrum non competit minoribus viginti quinque, nisi læsi fuerint, *l. non omnia. ff. de minorib.* & *l. minoribus. c. de in integ. rest.* Azor, Pirh. *ll. ult. cit.* Paris. *n.* 13. ac hinc Ecclesiam non restitui in integrum, si læsa non fuit, procedereque eam rationem eò magis, quia sumus in spiritualibus, in quibus non datur regulariter restitutio, & sic non excusari talem minorem in his, quæ spectant ad salutem animæ v. g. non restitui adversùs matrimonium & ingressum religionis.

3. Respondeo ad secundum secundò: Si minor pubes seu major quatuordecim annis in resignatione læsus est facto alterius, restituendus est in integrum, si res adhuc est integra, seu necdum beneficium collatum est alteri. Paris. *n.* 20. citatis quamplurimis, qui testantur esse omnino communem. Idem expresè de tali minore, qui graviter læsus est; quia resignavit beneficium, ex quo vivebat, tenent Azor, Pirh. *ll. cit.* Tond. *loc. cit. n.* 3. *juncto n.* 16. etsi de eo expresè mentionem non faciant, an intervenerit factum alterius; puta inductio, vel dolus resignatarii aut alterius. Verùm hìc iterum occurret Castrop. & dicet, locum non esse in hoc restitutioni in integrum; quia talis resignatio beneficii, unde unicè vivebat, valida non est, adeóque non translativa dominii.

4. Respondeo ad secundum tertiò: Talis minor læsus graviter in resignatione vel ex facto tertii (ùt expresè Paris. *n.* 39. *juncto n* 45.) quamvis *n.* 55. dicat: in judicando non recederem à contraria sententia, & ideo temperarem hanc responsionem, ut si fuerit læsus dolo illius, qui obtinet beneficium, ab eo auferri posset, ne delictum ei patrocinetur. Si verò metu vel suasione Episcopi, Episcopus deberet ei dare simile beneficium; ità expresè ait, tradere Archid. *in c. certis.* 15. *q.* 3. Vel etiam qui resignavit beneficium, unde unicè vivebat, ùt expresè addit Tond. & pro quo à Paris. Pirh. & Azor citatur Covar. *l.* 1. *var. resol. c.* 5. *n.* 3. & à Tond. Berojus *decis.* 350. *n.* 4. restitui potest & debet in integrum, etiamsi res non sit ampliùs integra, sive etiamsi beneficium resignatum jam collatum alteri; quin & ùt addit Tond. *loc. cit. n.* 4. etiamsi ipsa possessio in resignatarium translata fuerit, contra Butrium, Abb. (quamvis & hunc contrarium sentire asserat Azor) Hostiens. Archid. Franc. Cravet. &c. apud Paris. *n.* 39. quia generalis regula juris est, minores graviter læsos restituendos esse, nisi contrarium in jure reperiatur expressum. *l. si ex causa.* & *l. penult. ff. de minorib.* Paris. *n.* 44. Pirh. *cit. n.* 23. hic autem casus non reperitur exceptuatus in jure. Et sic restitutionem in integrum dari minori graviter læso,

læso, etiam quando res non est ampliùs integra, ùt, quia in alium translata est. probat textus *l. fin. c. de recuperand. hæred.* ubi: quòd adversus repudiatam hæreditatem paternam in integrum restitutionem obtinere possit minor, quamvis bona in emptores translata sint. Paris. *cit. n.* 45. Tond. *loc. cit. n.* 4. (quamvis hic dicat *n.* 5. hanc esse inter repudiantem hæreditatem & resignantem beneficium differentiam, quòd prior dicatur restitui non adversùs damnum passum, sed adversùs lucrum omissum; cùm titulus hæreditarius sit titulus lucrativus; volens autem restitui adversùs resignationem beneficii agat de damno vitando, & jure quæsito recuperando; volens verò restitui adversùs repudiatam hæreditatem agat adversùs lucrum omissum: Unde multò fortiùs debetur restitutio in integrum adversùs beneficii renunciationem læsivam, etiamsi alteri facta collatio) idque eò magis, quia restitutio in integrum justitiæ (qualis est illa, de qua hìc) auffert jus alteri quæsitum etiam perfectè & plenè. Paris. *n.* 46.

5. Sed neque obstat primò *l. quòd sit minor. §. Scævola.* ubi restitutio minoribus negatur, etiam graviter læsis, si post læsionem bona in alium novo contractu translata fuerint: nam in casu *dictæ l.* hæreditas à minore repudiata tamquam damnosa implicita litibus & ære alieno gravata, à substituto autem proprio ejus labore & sudore à litibus purgata, alióve modo jam reddita lucrosa; adeóque non mirum quòd ad eam jam non ampliùs talem, qualis fuerat repudiata, non restituatur minor, ne aliàs plus restitueretur, quàm ablatum. Paris. *n.* 51. ubi & alias *hujus legis* explicationes ponit. Neque obstat secundò: quòd non detur in integrum restitutio minoribus re non ampliùs integrâ, dum agitur de lucro; nam præterquam, quòd etiam ad lucrum restitui minorem tradunt Decius *in c. majoribus. de præbendis in principio* Tiraq. *de utroque retract. l.* 1. §. 55. *gl.* 2. *n.* 9. & alii apud Paris. *n.* 52. *in præsente*, ubi agitur de recuperando beneficio, quod semel obtinuerat minor, & incautus dimiserat, tractetur de damno vitando. Paris. *num.* 52. ex Covar. *loc. cit.* & Gig. *conf.* 155. *n.* 11. Tond. *loc. cit. n.* 11. citans insuper Peregrin. *de jure fisci. l.* 5. *tit.* 2. *n.* 47. & Put. *decis.* 427. *l.* 2. *in correct.* Addens quoque ex Guilielmo Benedict. *in c. Raynutius. v. adjutæ impuberi. n.* 62. quòd tractans de beneficio obtinendo videatur tractare de lucro, ideóque minor ad beneficium sibi debitum, quod amisit, petere non potest tanquam læsus & damnum passus restitutionem. Neque tertiò, quòd privatus beneficio non restituatur, si beneficium interim collatum alteri; nam id procedit de restitutione gratiosa, per quam non recuperantur bona distracta in tertium; nos verò in præsente sumus in restitutione justitiæ, per quam, ùt dictum, etiam aufertur jus plenè quæsitum alteri. Paris. *cit. n.* 52. Neque obstat quartò: minorem in beneficialibus haberi pro majore. Nam ex eo, quòd habeatur major ad agendum & administrandum, sustinendámque personam legitimam in judicio, aliísque actibus (quod in favorem minorum inductum est per *cit. c. ult. de judic. in* 6.) non sequitur, quòd ei interdicta sit restitutio in integrum, si lædatur; sive non excluditur à beneficio restitutionis in integrum competente illi aliunde. Paris. *à n.* 22. Tond. *n.* 12. non secùs ac Ecclesia, quæ potest agere in judicio, & tamen non impeditur petere restitutionem in integrum. Tond. *loc. cit. n.* 13.

6. Notat tamen post hæc omnia Tond. *n.* 14. quòd si minor passus fuerit adversarium pacificè possidere beneficium resignatum, difficulter possit in Gallia obtinere restitutionem adversùs lapsum triennii, ac citat pro hoc Prob. *in addit. ad glos. pragmat. sanct. tit. de pacif. poss.* §. 1. *v. impedimenti.* testantem se nunquam vidisse aut audivisse, quòd adversus decretum de pacificis possessoribus minor fuerit restitutus. Videndus de hoc Gomes. *ad reg. de trienn. q.* 15. ubi distinguit in hoc puncto, & ad quem se refert Chok. *ad eandem reg. n.* 63.

7. Negat etiam Paris. *n.* 25. restituendum minorem talem, etiam re adhuc integrâ, præcisè ratione negligentiæ suæ & fragilitatis ætatis, dum ex ea incautus resignavit, non interveniente læsione ex dolo tertii. Contrarium probabilius, ut videtur, sentientibus nimirum sufficere ad hanc restitutionem negligentiam & fragilitatem causatam ab ætate, Jo. And. *in c. auditis.* Menoch. *de recuperand. poss. remed.* 15. *n.* 236. & aliis, quos citat Paris. *ipso n.* 25. & cum quibus sentire videntur Auctores illi supra citati; dum nullam facientes mentionem de facto seu dolo tertii, volunt restituendum etiam re non ampliùs integrâ; dum resignavit beneficium (subintellige inconsultò & incautè ratione ætatis) ex quo vivebat (vel etiam ùt specialiter Tond. *loc. cit. n.* 29.) si resignatio, intellige alterius etiam beneficii, per minorem inconsultò facta in favorem seu utilitatem personæ, sub cujus gubernatione exstitit, puta magistri seu præceptoris, pro quo citat Charon. *l.* 1. *respons.* 46. & Ricc. *in collect. collectan.* 2977.) eò quòd ex *l. minoribus. c. de restit. in integ.* etiam læsi sinè dolo adversarii in integrum restituendi, & quod *l.* 1. *ff. de minoribus*, iis concessum remedium restitutionis propter ætatis fragilitatem; quæ tamen & similia procedere ait Paris. quando læduntur in temporalibus, utpote in quibus habentur pro minoribus, ait tamen etiam etiam Tond. *loc. cit. n.* 17. ex Lovet. quòd si ageretur de majore octodecim vel viginti annorum, in quo nulla considerari posset circumventio, Curiam, restitutionem contra beneficii resignationem solere denegare. Quin & *n.* 18. *in fine ex Paponz. l.* 16. *tit.* 3. *arresto* 3. dicit, ex sola ætate non conceditur restitutio in integrum, nisi alia concurrant.

8. Respondeo ad secundum quartò: Requiri læsionem magnam; Paris. *n.* 26. ex Covar. *l.* 1. *var. resol. c.* 5. quia quoties in jure expessum non est, quæ læsio sit sufficiens ad dandam restitutionem, requiritur magna. *l. ferò. ff. de in integ. restit.* ubi Gloss. & Doctores communiter Paris. *n.* 27. Læsionem autem magnam esse in ordine ad hunc effectum, ut restitutio in integrum competat, etiam non obstante juramento, quæ est ultra dimidium; nemo dubitat, ait Paris. *n.* 30. & 31. citans Paul. à Castro *in authent. Sacramenta puberum. n.* 10. *c. si adversùs venditorem.* Item læsio judicatur magna, quæ est circa dimidium. Paris. *cit. n.* 31. citans Menoch. *de arbit. jud. q.* 70. *n.* 27. Capoll. *in tr. de simulat. contract. n.* 209. Item quæ est in tertia parte. Paris. *n.* 32. citans Abb. *in c. quinta vallis. de jurejurando. n.* 33. *&c.* Item Auditores Rotæ 5. Martii 1543. apud Put. *decis.* 437. *l.* 1. existimasse, ait Paris. *n.* 33. læsum in quarta parte inducere dictam restitutionem, quin & eodem *n.* 33. *in principio* sit, læsio-

læsionem in sexta parte censeri magnam, citat pro hoc Bart. *in l. si societatem § arbitrorum. n. 25. ff. pro socio.* Parisium *cons. 89. n. 53. vol. 1. &c.* de cetero prudentem judicem inspectâ qualitate personarum aliisque conjecturis judicaturum, an læsio sit hujusmodi, ut per eam intret hoc remedium restitutionis in integrum, tradit Paris. *n. 29.* citans pro hoc Abb. C. Paris. *ll. paulò antè cit.* Socin. junior. *cons 48. n. 22. l. 1.* qui dicat hanc esse communem. & à qua non sit recedendum in judicando. Porrò onus probandi læsionem incumbit minori, quia fundat se in ea. Paris. *n. 34.* citans Gl. *in c. presbyter. dist. 78.* Abb. *in c. in præsentia. de probat.* Nattam *cons. 514. n. 12. l. 2. &c.* Probatur autem vel præsumptione vel per aspectum. Paris. *n. 36.* citans Menoch. *casu 117. per tot.* Bart. *in l. de ætate. n. 9. &c.* vel verè, puta per testes, scripturas; Paris. *n. 37. & 38.* citans Socin. jun. *cons. 3. n. 12. l. 2.* Matcard. *de probat. v. ætas. &c.*

9. Respondeo ad secundum quintò: In hac restitutione, quæ datur minori tam vigiuti quinque, quàm quatuordecim annis, probabiliùs non requiritur nova collatio. Paris. *cit. q. 7. n. 67. in fine.* citans Abb. *in c. ex parte. de restit. spoliator. n. 18.* restitutus enim recuperat pristinum jus, cùm restitutio sit in pristinum statum repositio, adeóque requiritur nova collatio; cùm collatio sit juris in beneficio in alium translatio. Paris. *n. 69. & 70.* Ac ità datur restitutio in casibus, in quibus jus non abdicatur à resignatario. Paris. *cit. n. 70.* dicens esse communem omnium Doctorum, & refert se ad seipsum *l. 1. q. 14.* Quòd si verum, infirmatur fundamentum Castrop. quo nixus negat, competere tali minori restitutionem in integrum; quia talis ejus resignatio est invalida, & non transfert dominium. Contrarium verò est, dum quis privatus ex suo delicto, postmodùm obtinuit gratiosam restitutionem in integrum; quia is reverà privatus fuit suo jure in beneficio. Paris. *n. 71.* dicens, de hoc procedere doctrinam Anchar. *in c. ex insinuatione. de simon.* Item quando minor in resignatione non fuit læsus, ùt quando resignavit in casibus permissis; quia tunc, cùm valeat resignatio, verè per eam vacat beneficium, amisso jure, quod in eo habebat minor. Paris. *cit. n. 70.* dicens, de hoc casu intelligendum Cravettam *cons. 90. n. 4.*

10. Respondeo ad secundum sextò: Restitutus talis in integrum, nimirum restitutione hac, quæ est justitiæ, dum læsus fuerat, recuperat locum pristinum in omnibus, & per omnia juxta communem regulam: tantum restitutio in integrum restituit, quantum læsio abstulit. Paris. *loc. cit. n. 75.* Sic Canonicus recuperat locum pristinum, quem habebat in Collegio, stallum in choro. Paris. *n. 80.* Contrarium iterum contingit in restitutione gratiosa. Paris. *n. 77.* ex Menoch. *de recuper. poss. remed. 10. n. 109.*

11. Respondeo ad secundum denique: Dari tali minori læso ad restitutionem petendam quadriennium continuum, loquendo regulariter. Paris. *n. 82.* citans Bald. *cons. 390. n. 5. l. 2.* Socin. jun. *cons. 128. n. 156. l. 1. &c.* post quadriennium verò in beneficialibus non datur restitutio. Paris. *n. 83.* citans Butr. *in c. ad audientiam. de rescriptis.* Rot. *in Asturicensi portionis. 3. Nov. 1540. &c.* eò quòd, licèt detur Ecclesiæ restitutio in integrum, etiam post quadriennium, ùt Gl. *in c. 1. de in integ. restit.* quando nimirum est enormissima læsio; non tamen in beneficialibus, utpote in quibus talis enormissima læsio considerari nequit, ùt Put. *decis. 63. l. 1.* Paris. *n. 85.*

Quæstio 326. An, & qualiter ingressurus religionem, ante novitiatum inchoatum, seu ante susceptionem habitûs, intuitu tamen ingressûs religionis resignare possit beneficium?

1. REspondeo primò in genere: non esse fermè consultum beneficiatis, ut religionem ingressuri beneficiis suis ante renuncient. Laym. *in c. ex transmissa. de renunc. n. 4.* idque intelligendo etiam, licèt haberent aliunde, unde vivant, vel non sit beneficium titulare.

2. Respondeo secundò: talem non posse validè renunciare beneficium, si ad illius titulum ordinatus est, vel non habeat aliunde, unde vivat commodè, Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 3. n. 17.* citans Barb. *de potest. Epis. alleg. 99. n. 20.* Mirand. *in manuali Prælat. to. 1. q. 23. a. 2.* Garc. *p. 11. c. 9. n. 23.* Pirh. *de renunc. n. 25.* Azor *p. 2. l. 7. c. 20. q. 6.* Castrop. Barb. & alii admittentes de cetero posse novitium resignare validè, etiam ante duos menses ultimos novitiatûs, de quo paulò pòst: præcisè moventur; quia id est contra Trid. *sess. 21. c. 2.* juxta dicta §. *præced.* ubi dictum generaliter, nullum posse resignare beneficium titulare, vel aliud, si non habeat aliunde, unde vivat: & quo loco habetur, quòd resignans teneatur facere mentionem, se ad titulum illius beneficii fuisse promotum, & aliter facta resignatio nulla sit, etiamsi postea constiterit, sic ordinatum tempore resignationis beneficii habuisse aliunde, unde viveret commodè, ùt Chok. *ad reg. 44. cancell. de ingressu relig. n. 9.* Azor. verò Pirh. & alii moventur insuper, quia id est in fraudem alterius decreti Trid. nempe *sess. 25. c. 16. de reg.* ubi inhibetur fieri à novitio renunciatio ante duos ultimos menses novitiatûs, & sic testantur S. Congregationem declarâsse hoc decretum locum quoque habere in ingressuris Novitiatum. Unde

3. Respondeo tertiò: idem videri dicendum de tali ingressuro novitiatum, quòd validè resignare nequeat, dum resignatio fit intuitu religionis ingrediendæ, etsi de cetero resignans jam esset acceptatus, seu admissus ad Ordinem, nondum tamen ingressus novitiatum, Chok. *cit. n. 8.* Neque binis his responsionibus nostris contraria est constitutio Pii V. 58. in qua conceditur Ordinariis facultas admittendi resignationem ingressuri religionem vel matrimonium, si mox à resignatione ipsa id exequatur, seu religionem ingrediatur, vel matrimonium contrahat. Patet enim ex his ipsis postremis verbis, seu ex conditione, sub qua tantùm id illis conceditur, loqui Pontificem de ingressuris religionem per professionem, uti & de ingressuris matrimonium per verba de præsenti, & non de ingressuris solùm per habitûs susceptionem seu Novitiatûs inchoationem; ne aliàs, si posset admittere resignationem illius, qui vult habitum suscipere, si is postea exiret intrà annum probationis, remaneret sinè beneficio & sustentatione, Garc. *cit. n. 23.* Castrop. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n. 13.* Sed neque dici potest, quod tradunt Fusc. *de visitat. l. 2. c. 28. n. 18.* Paris. *l. 5. q. ult. n. 166.* apud Garc. *n. 24.* quòd Ordinarius admittere possit resignationem ingressuri religionem per habitûs susceptionem, si statim ingrediatur, seu habitum suscipiat;

piat; eo tamen sic ingresso, beneficium illud statim non posse conferri, sed exspectandum per annum, intrà quem potest exire, & sic interea non vacare illud beneficium; nam ùt rectè Garc. *cit. n.* 24. per renunciationem legitimè admissam statim vacat beneficium, & potest conferri, ùt habet communis.

Quæstio 327. *An in hoc casu beneficii titularis, aut non suppetentis aliunde sustentationis resignari possit beneficium ab actu novitio ante professionem, servata tamen forma à Trid.* cit. c. 16. sess. 25. *præscripta?*

REspondeo: Non convenire in hoc auctores; nam inprimis id negat Eman. Roderiq. *to. sum. 2. c. 7. n.* 35. apud Castrop. *loc. cit. nu.* 16. eò quòd à Trid. *sess.* 21. *c.* 2. expresè & generaliter prohibeatur resignatio in hoc casu. Secundò Th. Sanch. *l.* 7. *in decalog. c.* 5. *nu.* 18. apud Castrop. *ibid.* affirmat directè oppositum, absolutè dicendo, servatis illis statutis à Trid. conditionibus posse fieri hanc resignationem, factâ tamen mentione, quòd ad illius titulum ordinatus fuerit, eò quòd resignatio hæc tacitam hanc habeat conditionem, ut professio sequatur, illâque non secutâ beneficium reddatur Novitio, etiamsi alteri fuerit collatum. Tertiò: id posse novitium, si certus sit de professione, tenet Paris. *l.* 3. *q.* 13. *nu.* 9. dicens in isto casu titularis beneficii &c. non debere admitti resignationem, nisi habeatur certitudo de professione. Quartò: Castrop. ipse *loc. cit. num.* 18. tenet, novitium proximum professioni posse resignare beneficium tam absolutè coram Ordinario, quàm in favorem coram Papâ, dum aliunde non habet, unde vivat, vel ad illius beneficii titulum fuit ordinatus, factâ hujus qualitatis mentione, eò quòd sic habeat praxis, & durum sit, privare in hoc casu novitium potestate resignandi, & cogere, ut permittat professione secutâ beneficium vacare. Neque etiam indè fiat, quòd si casu professionem non emitteret, beneficio sit privatus, quia illa resignatio non habet effectum, quousque professionem emittat; ac proinde nec Ordinarius providere possit hoc beneficium, nec valeat ejus provisio; quia non purgatur conditio imbibita ex juris dispositione in renunciatione, & consequenter vacet illud beneficium.

Quæstio 328. *An, & qualiter Novitius extra præcedentem casum, seu ubi beneficium etiam non esset titulare, haberétque aliunde, unde viveret, resignare possit durante Novitiatu?*

1. REspondeo: Tametsi, quantum est de jure communi, nempe juxta *c. beneficium. de regular. in* 6. & ex *c. transmissa. de renunc.* quocunque tempore durantis Novitiatûs possit resignare, etiam in favorem, & absque Superioris sui regularis consensu; cùm habeat adhuc proprium velle ac nolle, plenúmque rerum suarum dominium. Azor. Pirh. *ll. cit.* cum communi. Probabilius tamen videtur & saltem communius receptum, id eum non posse hodiedum vi decreti Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de regular.* ubi Concilium quamlibet renunciationem ante professionem factam, etiam cum juramento, & in favorem causæ piæ ânnullat, nisi fiat intrà duos menses proximos professioni, & cum licentia Episcopi, seu ejus Vicarii, & de facto professio sequatur, cùm hoc decretum locum habeat non solùm in renunciatione bonorum temporalium, sed & beneficiorum ob rationis (quæ est, ne temerè quis resiguet, dum in probatione versatur, & postea, si fortè non admittatur ad professionem, vel illam ipse emittere nolit, & rebus suis & religionis statu privatus existat, vel ne ob renunciationem jam factam minùs liberè à religione discedere queat. Chok. *paulò pòst citand. n.* 13. Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 13. *n.* 5.) paritatem. Hanc sententiam tenent Pirh, Azor. Paris. *ll. cit.* testantes sic sæpe respondisse S. Congregationem. Laym. *in c. ex transmissa. de renunc. nu.* 4. Chok. *ad reg.* 44. *nu.* 7. Majol. *de irreg. c.* 6. *post. n.* 1. Sanch. *in decalog. l.* 5. *nu.* 37. *&* 38. pluribus rationibus id comprobans. Tond. *p.* 2. *c.* 5. §. 6. *num.* 22. citans insuper Marc. Anton. *l.* 1. *resolut.* 112. *cas.* 62. Mirand. *in manuali prælat. to.* 1. *q.* 23. *a.* 5. Item *sum. to.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 16. *nu.* 12. Cevall. *communium contra communes. q.* 121. *n.* 4. *&* 5. Sperell. *decis. fori Eccles. decis.* 16. *nu.* 82. Alphons. de Leon. *q.* 4. *praxi* 1. *nu.* 82. & plures alii apud Barb. *juris Eccles. c.* 42. *n.* 233. dicentem, hanc sententiam esse rèceptiorem, etsi contraria in puncto juris sit verior.

2. Contrariam sententiam, nimirum posse Novitium etiam ante duos illos menses, & sinè illis solennitatibus renunciare validè in favorem beneficium; eò quòd decretum illud Trid. non habeat locum in renunciatione beneficiorum, sed tantum in renunciatione aliorum bonorum (quod exinde satis colligi ait Castrop. quòd loquatur de renunciatione in favorem causæ piæ, in cujus favorem renunciari nequeunt beneficia) adeóque; cùm id saltem non exprimatur à Trid. non sit recedendum à jure communi hanc renunciationem permittente Novitiis sinè dictis solennitatibus: hanc inquam sententiam tenent Castrop. *loc. cit. nu.* 15. Barbos. *de potest. Ep. allegat.* 99. *nu.* 19. *& loc. paulò ante cit.* citans Tamb. *de jure Abb. to.* 3. *d.* 6. *q.* 10. *n.* 3. Machado. *to.* 2. *l.* 5. *p.* 1. *tr.* 3. *documento* 1. *num.* 6. Villalobos. &c. Garc. *loc. cit. n.* 12. subdens *n.* 14. se nunquam vidisse, aut inveniisse, adeóque se non credere S. Congregationem censuisse, dictum Trid. decretum habere locum in renunciatione beneficii, quorum sententiam probabilem dicunt Pirh. & alii. Porrò qui primam sectantur sententiam, consequenter tenent, Episcopum non nisi post emissam professionem conferre posse resignata à Novitio beneficia; eò quòd talis resignatio hanc tacitam contineat conditionem, si professio sequatur, ità expresè Pirh. *loc. cit.* Paris. *num.* 7. Chok. *loc. cit. n.* 15. citans pro hoc Zechum. *de benef. c. ult. n.* 2. Alphons. de Leon. *loc. cit.* apud Barb. qui etiam addit, aliàs collatum, antequam talis profiteatur, si non profiteatur de facto, esse reddendum Novitio egredienti, professum verò nulliter, tradit *ibidem* idem Alphons. si ejus professo fuerit declarata nulla, exeat à religione, non posse habere regressum ad beneficium sic resignatum, & renunciationem illius, etsi fiat ex qualibet causa, tamen semper simpliciter censeri factam, ne collatio eorum maneat in suspenso. Quin & addit idem Alphons. de facto fuisse declaratum, talem nulliter professum, non posse obtinere mandatum de manutenendo contra eum, qui à Papa fuit ex dicta causa provisus, & missus in possessionem. Tradit quoque Paris *cit. q.* 13. *n.* 14. quòd si ille, qui emisit professionem obtinuit à Papa ex aliqua causa,

causa, ut possit exire claustro, & degere in habitu clericali sæculari, & habere beneficia, non tamen possit obtinere illud, quod habebat ante professionem, & ex causa professionis dimisit, citat pro hoc Innoc. Host. Abb. *in c. post translationem. de renunc.* & Majol. *ubi antè l. 3. c. 6.*

3. Denique ad dictam renunciationem factam intra 2. illos menses juxta decretum Trid. non requiri consensum Superioris regularis, tradunt Pirh, Azor. *ll. cit.* occasione horum multa utiliter leges apud Barbos. *cit. c. 42. ferè per tot.* de bonorum aliorum renunc. aliisque contractibus, testamentis &c. factis à talibus ad religionem transeuntibus. Item vide Engels *ad tit. de regular. & transeuntibus ad religionem, à n. ferè 27.*

Quæstio 329. *An religiosus resignare possit beneficium suum?*

Respondeo: Præter dicta §. *præcedenti*, ubi quòd Abbatia regularis & Prioratus resignari possit, sed hanc obtinens est religiosus. Item quòd beneficia manualia, qualia ferè sunt beneficia regularia religiosorum, resignari queant. Potest religiosus prælaturæ, etiam extraneæ, quam legitimè, seu de licentia sui Superioris regularis (hujus enim licentia ad hoc requiritur, de quo vide Laym. *c. si religiosas. de elect. in 6. §. quia vero. à n.* 2.) acceptavit, renunciare, etiam absque prælati Ordinis consensu. Laym. *loco jam cit. n. 6.* citans Sanch. *l. 7. de relig. c. 29. n.* 70. contra Imol. *in c. Raynutius, de testam. n.* 71. Quia sicut Ordinis prælatus religiosum cogere nequit ad acceptandam dignitatem extra ordinem, ut Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 15. q. 3. dicto* 2. ità nec eum cogere potest ad retinendum, seu non renunciandum, adeóque sine licentia potest eam resignare, quia religiosus velle & nolle non habet, seu dependet ex voluntate prælati in iis tantùm, quæ ad Ordinis regulam & institutum spectant; prælatura autem extra ordinem magis subducit religiosum à regula & instituto, ità ferè Laym. *ad cit. c. si religiosus. sub. cit. n. 6.*

Quæstio 330. *An fœmina v. g. Abbatissa possit resignare?*

1. Respondeo primò: Suppositionis loco, tametsi fœmina, ut dictum aliàs, utpote incapax ordinis Ecclesiastici, habere nequeat in rigore beneficium Ecclesiasticum. Paris. *l. 3. q. 12. n. 1. &* 2. (addens tamen hoc procedere in beneficiis simplicibus & curatis) habere tamen potest, ut idem *n. 3.* beneficium habens in se dignitatem & administrationem, scilicet Abbatissatum & Prioratum, seu quocunque alio nomine vocetur, non secùs ac Abbates habent dignitatem cum administratione; & quandoque non in solas moniales suas, sed etiam extra; & ideo visitare possunt non quidem per seipsas, sed aliis committendo visitationem, ut Pavin. *tr. de visitat. q. 33.* Fuscus *de visitat. l. 1. c. 2. n. 15.* & alii apud Paris. *n. 5.* & sic posse Papam concedere fœminæ dignitatem in titulum vel administrationem, faciendo illam Abbatissam seu Priorissam, vel Præpositam perpetuam, ait Paris. *loc. cit. n. 13.* ex Sarn. *in reg. de trienn. q. 3.* Mandos. *de infirm. a. 3. n. 1.* adeóque fœminas posse habere prælaturas, ait *ibidem n. 14.* ex Rebuff. *de pacif. poss. n. 4.* & consequenter, ut concludit *n. 15.* Abbatissatum esse beneficium, non masculorum, sed fœminarum. His positis,

2. Respondeo secundò: Talem fœminam habentem istiusmodi dignitatem in titulum, vel administrationem à Papa, posse illam resignare, etiam in favorem. Paris. *loc. cit.* citans Sarn. *de infirm. resig. q. 6.* Mandos. *ad eandem reg. q. 3.* & Rotam *in Tullens. Abbatissatus.* Unde etiam locum habet regula de triennali in fœmina, si ea per triennium pacificè possederit dignitatem Ecclesiasticam, ut non possit molestari in petitorio, nec in possessorio. Paris. *n. 20.* citans Sarn. *ad reg. de trienn. q. 3.* Rebuff. *de pacif. poss. in 1. ampliat. n. 3.* Item locum habet regula *de infirm. resignan.* Paris. *n. 22.* citans Sarn. *ad hanc reg. q. 6.* Mandos. *q. 3.* Subjungit nihilominùs Paris. *nn. 23.* hodiedum istiusmodi resignationem in favorem in Italia non admittendam propter constitutionem Gregorii XIII. 84. statuentem, ut Abbatissæ & aliæ Præfectæ monialium in Italia ad triennium tantùm eligantur. Quod ipsum tamen limitandum ait: Nisi admitteretur resignatio talis cum derogatione dictæ constitutionis.

Quæstio 331. *An exempti resignare possint sua beneficia?*

Respondeo affirmativè: Paris. *l. 3. q. 11. n. 1.* citans gl. *in c. si Abbatem, de electione. in 6.* Calderin. *cons. 3. de renunc.* Pet. de Perusio. *tr. de permut. p. 2. q. ult.* cum communi. Nequit tamen hæc resignatio fieri coram Ordinario, sed facienda coram Papa, de quo §. *seq.* vide plura compendiò dicta de exemptis apud Paris. *cit. q. 11. à n. 3.*

Quæstio 332. *An infirmi resignare possint, ità ut rata & firma sit eorum resignatio?*

1. Respondeo ad primum: Graviter infirmi etiam morti proximi resignare possunt, non tantùm simpliciter, sed & in favorem; quia tales & alios legitimos actus celebrare possunt, v. g. transigere, condere testamentum, matrimonium contrahere, examinari in testes, conferre beneficia, leges condere, absolvere &c. Paris. *l. 3. q. 10. per tot.* Garc. *p. 11. c. 3. nu. 57.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 20. q. 5.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 30.*

2. Respondeo ad secundum: Verumtamen resignatio infirmi, dum constat de infirmitate resignantis non solet admitti in Curia, nisi resignans post factam resignationem supervixerit 20. diebus. Paris. *loc. cit. n. 8.* Pirh. Garc. Azor. *ll. cit.* Et talis resignatio, ubi obitus resignantis contigerit intra 20. dies, nulla est; de quo est regula Cancellariæ *de infirmis resignantibus*, seu *de 20.* quæ est in ordine 19. & quæ sic habet, prout exstat apud Lott. *l. 3. p. 15. nn. 1.* & alios juxta publicationem factam ab Alex. VII die 7. Aprilis 1655. Item *voluit, ut si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius commenda cesserit, seu ipsius beneficii dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra 20. dies per ipsum resignantem præstandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare &c.* Circa quam regulam, quia ejus usus hodiedum est frequentissimus, ut Paris. *l. 12. in præfat.* & Chok. *ad hanc regulam nu. 9.* plura examinanda veniunt. Unde

Quæstio 333. Quænam hujus regulæ origo & causa, seu ratio?

1. REspondeo primò: Hanc regulam originem suam habuisse, seu editam primò fuisse à Bonifacio 8. testantur Paris. *l. 12. in præfat. n. 2.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 28. ad initium*: quam deinceps alii pontifices innovarunt & auctiorem fecerunt, addendo hinc inde aliqua, prout accuratè videre est apud Paris. *loc. cit. à n. 3.*

2. Respondeo secundò: Emanâsse hanc regulam ob duas præcipuè causas, nimirum primò, ad obviandum fraudibus; ne scilicet per istiusmodi ab infirmis factas resignationes procuratas fraudentur Ordinarii à collatione ipsis cõperente, exspectantes seu habentes exspectativam, mandatarii nominati excludantur à suis juribus per exspectativam vel nominationem quæsitis; dum scilicet his omnibus per tales resignationes præcluditur via ad beneficia, quæ aliàs per obitum vacatura essent assecuturi. Paris. *l. 12. q. 1. n. 1.* Azor. *loc. cit. q. 1.* Gloss. Antiq. apud Chok. *ad hanc. reg. num. 1.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 30.* Et hanc primam rationem extractam esse, & spiritum recipere ex *c. 2. de renunc. in 6.* citatis pluribus contra Mandos. ostendit Paris. *loc. cit. à nu. 3.* Secundò: ad obviandum successioni quasi hæreditariæ in beneficiis, ne scilicet de beneficiis disponatur per viam successionis, seu modum ultimæ voluntatis, sicut de hæreditate, seu de bonis patrimonialibus. Auctores iidem *ll. cit.* His binis rationibus tertiam addit Paris. *n. 25.* consideratam à Rota *in Majoricens. Parochialis. 27. Martii. 1549.* ne scilicet infirmus cogitatione mortis turbatus non valens rectè considerare de persona idoneâ Ecclesiæ, amicorum & consanguineorum blandimentis & suggestione permotus de hoc statuat, ac sic præjudicet Ecclesiæ & beneficio resignato, quemadmodum ex hoc capite prætextu erroris & insufficientiæ suæ Julius 2. in articulo mortis, etiam instantissimè rogatus recusavit creare aliquem cardinalem de domo sua, ùt ex Guicciardino, *l. 11 Historiar.* Paris. *loc. cit. n. 26.* Quartam denique *n. 29.* subjungit ex Cravett. *cons. 88. n. 12* quia ex tali resignatione imminet votum captandæ mortis.

Quæstio 334. An regula hæc favorabilis, an odiosa?

REspondeo: Regulam hanc à jure communi exorbitantem, utpote quo aliàs morti vicinis permittitur facultas celebrandi actus legitimos, puta testandi, donandi, contrahendi &c. & hinc odiosam censent Mandos. *ad hanc reg. q. 1. n. 4.* Decius. *cons. 224.* Sarn. *ad hanc. reg. q. 9. & 13.* Gamb. *de off. & pot. leg. l. 6. tit. de pens. q. 24. nu. 634.* & alii plures apud Paris *l. 12. q. 2. à num. 1.* pro quibus insuper facit, quòd regulæ Cancell. sint stricti juris, ùt Sarn. *in proœm ad has regulas nu. 4.* C. Paris. *cons. 19. n. 3. vol. 4.* apud Paris. *n. 8.* Et quia annullat omnes actus, quæ dici potest pœna, ut Abb. *in c. 2. de constit. n. 5.* & alii apud Paris. *n. 7.* Et quia facultas conferendi competens Ordinario, quæ favorabilis censetur, impeditur; & quia taxat certum tempus. &c. Contrarium tamen tanquam verius, nimirum esse hanc regulam juri communi conformem, utpote damnanti & vetanti, *c. 1. de præb. c. ad extirpandas. c. duorum. de filiis presbyt.* Similem in beneficiis quasi hæreditario jure successionem, tradunt Paris. *cit. q. 2. n. 9.* citato Rebuff. *ad hanc reg. gl. 4. n. 9. &c.* eò quòd emanavit ad tollendas fraudes; dispositio autem occurrens fraudibus dicatur favorabilis. Paris. *num. 10. & 11.* ex Felin. *in c. de quarta. de præscriptio.* Caputaq. *decis. 15. nu. 7. p. 2.* Quemadmodum ideo constitutio de publicandis resignationibus dicitur favorabilis. Paris. *n. 19.* ex Caputaq. Item quæ ad publicam hominum utilitatem emanarunt, dicuntur favorabilia, ùt Decius in c. *Ecclesia S. Mariæ. de constitut.* Paris. *n. 16.* Item emanata ad vitanda peccata, & consulendum animæ, dicuntur favorabilia, & sunt extendenda, ùt gl. *in c. sciant. de Elect. in 6. v. alios.* Paris. *nu. 17.* Nec obstat, quòd respectu ordinariorum collatorum sit odiosa; nam præterquam, quòd absurdum non sit, eandem dispositionem esse favorabilem & odiosam diversis respectibus, Chok. *ad hanc reg. n. 41.* Paris. *cit. q. 2. nu. 24.* citans Bald. Decium, Curtium Jun. ad considerandum, num dispositio dicenda sit simpliciter odiosa, an favorabilis, id attendendum, quòd principaliter in ea agitur. Paris. *n. 23.* ex Calderin. *de verbor. signif. cons. n. 14.* Sic senatus consultum Vellejanum favorabile æstimatur, quia principaliter introductum in favorem fœminarum; licèt odium & damnum inferat his, qui eas pro intercessoribus accipiunt. Paris. *n. 26.* ex Calderin. *loc. cit.* sic statutum, quòd masculi excludant fœminas; quia principaliter emanavit in favorem masculorum, & pro conservandis bonis in familia; licet contineat odium fœminarum, dicitur favorabile, attentâ nimirum, ùt debet, ratione principali. Paris. *n. 22.* jam verò regula hæc emanavit principaliter ad tollendas fraudes. Sed nec obstat, quòd regulæ Cancell. sint stricti juris, id enim procedit, quatenus sunt contra jus, ut Sarn. *in proœm. q. 2.* Paris. *n. 28.* regula autem hæc non est contra jus, ut dictum; quòd enim alii actus legitimi sint liciti infirmis, id in jure exprimitur expressis casibus, contrarium autem disponit de beneficiorum resignationibus. Paris. *n. 22.*

Quæstio 335. In quibus beneficiis hæc regula locum habeat?

1. REspondeo primò in genere: comprehẽdi sub hac regula omnia beneficia, ùt colligitur ex illis verbis: *Si quis aliquod beneficium.* Paris. *l. 12. q 3. n. 1.* Chok. *ad hanc reg. n. 19.* Tond. *in qq. benef. p. 3. c. 169. n. 22.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 3. n. 8.*

2. Respondeo secundò in particulari: Comprehenduntur itaque primò tam simplicia quàm curata & dignitates. Paris. *cit. q. 3. n. 2.* citans Rebuff. *ad hanc reg. gl. 5.*

3. Secundò: tam sæcularia quàm regularia. Paris. *ibidem n. 5.* Rebuff. *ubi antè.* Chok. *n. 19.* citans Germon. *de indult. Cardinal. §. regularia. n. 33.* Tond. *n. 24.*

4. Tertiò: Hospitale, altare, Capella, oratorium. Paris. *n. 5. & 6.* cùm, si hæc dentur in titulum, sint beneficia. Paris. *cit. n. 6.* citatis pluribus; & verbum, quo utitur regula, est generale complectens omne genus beneficiorum, Paris. *num. 4.* ex Cravett. *cons. 294. n. 1.*

5. Quartò: Præceptoriæ. Tond. *loc. cit. n. 23.* sub hac tamen limitatione; si sint perpetuæ, datæ in titulum perpetui beneficii, aliàs secus. Mandos. *ad hanc reg. q. 20.* ubi, licèt id affirmârat sub eadem jam dicta limitatione, postea tamen teste Chok. *n. 19.* indistinctè vult, ejusmodi resignationes Præceptoriarum, quæ fiunt in Curia, cadere sub dispositione hujus regulæ, uti & id sine dicta limitatione,

tione tradit Paris. *cit. q. 3. n. 7. 8. & 9.* eò quòd in his considerari possit eadem ratio fraudis.

6. Quintò: Beneficia patrimonialia, hoc est, quæ conferri debent filiis naturalibus loci, seu ex certo loco oriundis. Tond. *loc. cit. n. 22.* Chok. *cit. n. 19.* Paris. *n. 10.* citans Mandos. *ad hanc reg. q. 15.* Selv. *p. 3. q. 12. n. 27.*

7. Sextò: Beneficia juris patronatûs; quia & in his eadem ratio fraudis considerari potest. Paris. *n. 22.* citans Rotam *in Parmens. beneficii, 18. Febr. 1588.* Rebuff. *de nominat. q. 16. in fine.* & ad hanc reg. *gl. 14. n. 6. &c.* Pirh. *loc. cit. n. 31.* Azor. *loc. cit. q. 6.* Tond. *loc. cit. n. 25.* contra Decium & Sarn. apud Paris. Unde, si resignans, sive coram Ordinario, sive coram Papa, beneficium patronatum, moriatur intra 20. dies, beneficium quidem vacat, non tamen per resignationem sed per obitum; & hinc patronus præsentare potest, non obstante dictâ resignatione, utpote invalidâ; sive Papa vel Ordinarius illud liberè conferre non poterit, sed tantùm ad præsentationem. Pirh. Azor. Tond. *ll. cit.* Paris. *n. 38.* Quin etsi intra 20. dies talis resignans moriatur, vacabit beneficium per obitum illius, etiam non obstante quâcunque jam factâ collatione & provisione, etiam factâ ad præsentationem patroni, & patronus, qui jam præsentârat tanquam ad vacans per resignationem, potest iterum præsentare ad vacans per obitum; siquidem, sicut illa resignatio, ità & præsentatio (idem est de electione) ad vacans per resignationem, utì & illam subsecuta institutio est nulla vi hujus regulæ. Nam etsi nomen collationis, quo solo utitur regula, & quam invalidat, aliàs distinguatur ab institutione, præsentatione, electione, confirmatione, hîc tamen sumitur generaliter, prout comprehendit collationem necessariam, hoc est, factam præviâ præsentatione, seu institutionem, & quamvis aliam provisionem. Paris. *n. 24. juncto nu. 31. & 32.* Pirh. Azor. *ll. cit.* quia ex quo regula prohibet & annullat collationem, annullat quoque omne necessarium antecedens, qualis est præsentatio respectu collationis necessariæ. Paris. *n. 23. juncto n. 24.*

8. Septimò: Beneficia electiva, utì id colligitur ex generalitate verbi *beneficium* positi in hac regula, & ex eadem ratione fraudis, quæ & in his locum habere potest. Paris. *n. 39.* citans Rebuff. *ad hanc reg. gl. 14. n. 6.* &c. Tond. *n. 24.*

9. Octavò: Reservata & litigiosa. Paris. *cit. n. 39.* Rebuff. *ubi antè.* Azor. *cit. q. 6.*

10. Nonò: Commendæ, ut patet ex ipsis regulæ verbis à posterioribus pontificibus adjectis. Chok. *n 19.* Tond. *n. 24.*

11. Decimò: Beneficia unita, ùt colligitur ex illis regulæ verbis: *Seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit*, quæ verba locum habent, quoties unio esset facta ad vitam alicujus, utpote inventa ad effectum, ut quis assequi possit, & retinere incompatibilia, quæ aliàs habere non posset. Paris. *cit. q. 3. n. 48.* Chok. *nu. 19.* Pirh. *de renunc. n. 32.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 28. q. 6.* contra Sarn. hic *q. 15.* & alios apud Paris. tenentes contrarium, eò quòd beneficium unitum non dicatur ampliùs beneficium, adeóque cedens tale beneficium nihil dicatur resignare. Sic itaque habens beneficium unitum suo beneficio, vel suæ Ecclesiæ, si consentiat, ut dissolvatur unio, & beneficium illud unitum conferatur alteri, vel uniatur alteri beneficio vel loco: Sive etiam, si resignet illud in favorem (dum nimirum adest derogatio unionis, hæc enim nisi adsit, non tenet cessio beneficii uniti, ut Bellamer. *in tr. de permut. p. 3.* Paris. *loc. cit. n. 51.* dicens communè) & dein moriatur infra 20. dies, habet locum hæc regula, sive beneficium illud vacabit per obitum, non secus, ac illud beneficium, cui unitum, seu cui per unionè commixtum fuerat, ac si nulla resignatio interessiisset. Paris. *n. 49.* Idem est de eo, qui beneficium suum dimittit, ad effectũ, ut alicui collegio alterive loco pio uniatur seu incorporetur (sive dicatur hæc vera resignatio, sive dimissio; cùm regula loquatur de quacũque dimissione. Paris. *cit. n. 49. in fine.*) si postea infra 20. dies moriatur, beneficium illud vacat per obitum. Pirh. Azor. Paris. *locis ultimò cit.* citantes Mandos. *hîc q. 10. n. 2.* Et sic non procedit dicta incorporatio seu unio facienda vi resignationis factæ; sed ad quem spectat collatio illius beneficii, conferet illud, ac si nulla resignatio interessiisset, quia collatio illius facta in vim talis resignationis, resignante moriente infra 20. dies, annullatur per hanc regulam.

12. Undecimò, beneficia consistorialia, dum de iis disponit Papa extra consistorium; quia viget eadem ratio fraudis. Paris. *loc. cit. n. 40.* dicens, sic observari de stylo, & ex eo Azor. *loc. cit.* Secus est, sive non comprehenduntur hæc beneficia sub hac regula, dum de iis disponit Papa in consistorio. Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 42.* citans Sarnens. *hîc q. 14. nu. 2.* eò quòd tunc cessent fraudes, cùm de iis etiam per obitum vacantibus Ordinarii providere non possint; neque illa exspectantes excipere possint, adeóque nec hi, nec ordinarii collatores fraudentur per hujusmodi resignationes. Paris. *nu. 43.* quin &, cùm beneficia hæc non soleant concedi, priusquam per Papam & cardinales persona resignatarii approbata fuerit: unde cessat non tantùm ratio fraudis, sed etiam ratio successionis; cùm ea beneficia non per supplicationem, sed per schedulam ad relationem conferantur. Et persona videtur electa à Papa, & esto, sinistra aliqua suspicio considerari possit, scientia tamen & præsentia Papæ purgat omnem suspicionem; & ideo necesse non est, ut servetur subtilitas hujus regulæ. Siquidem in Consistorio principis non consideratur de subtilitatibus juris; quia ibi attenditur magis veritas, quàm judiciorum ritus; ac ideo dici solet: coram Principe ordo juris non servatur, juxta *c. ad petitionem. de accusat.* & Bald. *in l. ult. c. de ll.* unde & hæc beneficia, cùm provideantur in Consistorio per resignationem, non egent publicatione, ità ferè Paris. *à cit. n. 43.* Atque ità non solùm Episcopatus & Archiepiscopatus, sed & Abbatiæ & Prioratus, dum conferuntur in Consistorio, non cadunt sub hac regula. Paris. *n. 45.*

13. Duodecimò, regula procedit etiam in eo, qui resignat juri suo quæsito in aliquo beneficio vigore gratiæ alicujus, v. g. per solam supplicationem signatam ante expeditas literas. Paris. *n. 48.* Azor. *loc. cit.* qui etsi dicat, procedere de jure quæsito ad beneficium, intelligit tamen reipsa id de jure quæsito resignanti in beneficio; quia utitur eodem exemplo supplicationis signatæ: etsi enim gratia dicatur informis literis non expeditis, mox tamé à signata supplica jus acquiritur in beneficio, & gratia est perfecta ad hunc effectum, ut resignari queat. Paris. *n. 61.* adeóque commodum resignationis acquiritur resignatario, si resignans supervivat 20. dies. Et sic adhuc militat ratio regulæ: nimirum fraudis, & dispositionis liberæ de beneficio, veluti de rebus temporalibus. Paris. *n. 59.*

14. Decimo tertiò: ècontra non comprehenduntur hâc regulâ pensiones Ecclesiasticæ, ità ut valida sit translatio pensionis, etsi transferens moriatur intra 20. dies. Azor. *loc. cit.* Paris. *nu.* 53. citantes Gomes. *hic q.* 16. & Mandos. *q.* 11. pensio enim nec est propriè beneficium, ità ut in qualibet materia, etiam stricta, veniat nomine illius; Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 55. Mandos. *ubi ante.* nec vacat, sed extinguitur. Azor. *loc. cit.* nec resignatur, sed transfertur; regula autem loquitur de resignatione. Paris. *n.* 55. Azor. *loc. cit.* Adde, quòd regulariter in gratiis translationis pensionis solet concedi, ut possit transferri, etiam in articulo mortis, adeóque opùs non est, super vivere transferentem 20. dies. Paris. *n.* 56. quinimò posse pensionem in articulo mortis transferri, etiamsi data non sit istiusmodi facultas, tradit Paris. *nu.* 57. dicens sic resolutum à Rota *in Gadicensi pensionis.* 23. *Martii Anno* 1541. teste Puteo.

15. Decimo quartò: Neque etiam comprehenduntur hac regulâ officia Curiæ Romanæ sæcularia; quia in his cessat ratio regulæ, dum beneficia non sunt, sed vendi etiam possunt ac solent, ac ideo in iis prohibita non est successio quasi hæreditaria. Azor. *loc. cit.* Paris. *nu.* 62. citans Sarnens. ac dicens communem. Talia officia esse non solùm Scriptorum Apostolicorum, Camerariorum & similium, sed etiam Vice-Cancellarii & majoris Pœnitentiarii, ex Sarnensi dicit Paris. *cit. n.* 62. *in fine.* Secus est de officiis spiritualibus; cùm hæc sint beneficia, & in iis militet mens & ratio regulæ.

Quæstio 336. *Quos, seu quorum beneficia comprehendat hæc regula?*

1. REspondeo primò in genere; comprehendi absolutè omnes resignantes; cùm regula loquatur simpliciter de omni resignante, dicendo: *si quis* &c. *l.* 12. *q.* 4. *n.* 1. cum communi.

2. Respondeo secundò in specie: Primò locum eam habere in Papa, ex Sarnensi *hic q.* 1. Rebuff. *in praxi. ad hanc regulam. gl.* 1. *n.* 3. dicit Paris. *loc. cit. nu.* 3. quatenus prohibitum ei, in mortis articulo constituere sibi, seu eligere successorem. Verùm bene dicit Paris. supersedere se de hoc scribere, cùm, ut Mandos. *hic ad initium*, recesserit ab orbe & urbe, & hodiedum non eveniat.

3. Secundò: Cardinales infirmi resignantes suas dignitates & beneficia, comprehenduntur hâc regulâ Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 3. *num.* 5. Pirh. *ad tit. de renunc. c.* 31. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 28. *q.* 2. Chok. *ad hanc reg. n.* 10. cum Parisio *loc. cit. n.* 7. citante Sarnensem *hic q.* 3. contra Mandos. *hic q.* 2. *n.* 8. *& seq.* nixum maximè auctoritate Barbatii *cons.* 23. *n.* 18. *vol.* 1. *& tract. de præstant. Cardinal. in fine* C. Parisii, Gigas, & aliorum plurium apud Paris. *nu.* 4. censentium, Cardinales non teneri regulis Cancellariæ, utpote odiosis & exorbitantibus, cùm etsi speciali notâ digni sint propter eminentiam suæ dignitatis, tamen in iis non exprimantur; digna autem speciali nota, nisi specialiter exprimantur, omissa censentur, juxta *c. quàm periculosum. de sent. excom. in* 6. cujus tamen contrarium astruit Paris. *n.* 12. citatis Felino *in c. ad aures. de rescrip. ante n.* 12. Balenzin. *tr. de subsid. charit. q.* 66. Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 12. *n.* 6. Sarnens. *in proœm. reg. q.* 4. Pavin. *de potest. cap. sede vac. in fine. p.* 2. &c. Idque eò magis, dum hæ regulæ concernant bonum publicum & salutem animarum, ùt Paris. *nu.* 13. ex Pavin. *loc. cit.* Et sic quoque Cardinales comprehendi sub regula de publicandis, astruit Paris. *loc. cit. n.* 9. Item sub *c. de multa. de præb.* ùt Paris. *n.* 10. in *c. Ecclesia il.* 2. *de elect. not.* 2. Item sub revocatione regressuum, ùt Paris. *n.* 11. Quin & in Cardinalibus locum habet ratio regulæ; dum, ubi agitur de fraude evitanda, comprehendantur & Cardinales, utpote quos, quò majore dignitate sunt præditi, plus à fraudibus oportet esse alienos. Paris. *n.* 8. & 9.

4. Tertiò: Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, aliique Prælati. Pirh. Azor. Castrop. *ll. cit.* Paris. *n.* 14. dicens communem, & nullam habere difficultatem, ùt docet praxis; si enim comprehendantur Cardinales, multò magis Prælati iis inferiores.

5. Quartò exempti. Azor. *loc. cit.* Chok. *n.* 12. Paris. *n.* 16. citans Sarnens. *hic q.* 25. ac dicens, hanc opinionem communem servari in praxi. Si enim comprehenduntur Cardinales aliàs exemptissimi, multò magis ceteri exempti, etsi de cetero in privilegio generali non comprehendantur. Nec dubium, Papam, utpote proximum Superiorem exemptorum, potuisse illis per hanc regulam præjudicare. Paris. *n.* 19. *juncto n.* 8.

6. Quintò: Familiares Cardinalium & Papæ, quin &, (ùt expressè Paris. *n* 22. dicens, esse notissimum de stylo) officiales Curiæ Romanæ, quantumcunque de cetero privilegiati. Azor. *loc. cit.* Chok. *n.* 11. Paris. *n.* 20. ex Sarnens. *hic q.* 4. valet hîc iterum argumentum: Si cardinales, multò magi, eorum familiares comprehenduntur. Paris. *n.* 21.

7. Sextò: Fœminæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, puta Abbatissæ, Priorissæ. Paris. *loc. cit. n.* 24. citans Sarnens. *hic q.* 6. Rebuff. *ubi supra. gl.* 1. Pirh. *cit. n.* 31. Chok. *n.* 12. *&* 13. contra Mandos. *hic q.* 30. apud Paris. *nu.* 31. dum enim regula disponit in bonum publicum, nempe ut fraudes & successio illa evitentur, quæ æquè contingere possunt in tali fœminarum quàm virorum resignatione, debent æquè comprehendi & fœminæ, Paris. *cit. nu.* 24. quemadmodum in simili textus *Extravag. Execrabilis.* loquens de masculis habentibus duo incompatibilia, habet etiam locum in fœminis; quia disponit pro salute animarum, in quibus nulla est differentia sexûs, ùt Pavin. ad dictam *Extrav.* §. 1. apud Paris. *nu.* 25. Adde quòd verbum *si quis* de juris natura & masculinum & fœmininum comprehendit, juxta *l. si quis id quod. ff. de jurisdict. omn. judic.* & Alex. & Jason. *ibi.* Et dum sumus in materia indifferente (qualis est hæc, dum talis fraudulenta resignatio æquè in fœmina quàm masculo contingere possit) masculinum concipit fœmininum juxta Bart. *in l.* 1. *ff. de verb. signif.* Decium. *cons.* 495. *n.* 15. C. Paris. *cons.* 49. *n.* 12. *vol.* 3. &c. apud Paris. *nu.* 28. Unde si Abbatissa infirma resignaverit, & dein infra 20. dies decesserit, moniales poterunt progredi ad electionem, dum Abbatissatus ille est electivus Chok. *nu.* 13. Tond. *quæst. benef. p.* 3. *c.* 169. *n.* 28. non secus ac monachi Abbate mortuo post resignationem infra 20. dies; siquidem, ùt Paris. *nu.* 30. ex Abbate *in c.* 2. *de his quæ fiunt à præl.* Abbatissa in administratione æquiparatur Abbati.

Quæstio

Quæstio 337. In qualibus resignationibus hæc regula locum habeat?

1. REspondeo primò in genere: extendit se ad quamlibet resignationem, cessionem seu depositionem beneficii. Castrop. *cit.* §. 3. *n.* 6. *juncto n.* 9.

2. Respondeo secundò in specie. Locum habet Primò in resignatione facta per procuratorem. Castrop. *cit. n.* 9. Azor. *p.* 2. *l.* 7 *c.* 28. *q.* 4. Paris. *l.* 12. *q.* 5. *n.* 35. citans Roffiniac. *de benef. c.* 28. *n.* 5. Rebuff. *in praxi ad hanc reg. gl.* 10. *n.* 2. & Rotam. *in Ovetensi Archidiacon.* 11. *Febr.* 1545. Etsi enim regula loquatur de infirmo resignante, non autem de constituente procuratorem ad resignandum, subintelligendum tamen de infirmo, sive per se, sive per alium habentem legitimum mandatum ad resignandum, resignante, seu præstante consensum in resignationem. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 36. militat siquidem eadem ratio fraudis & successionis, sive infirmus per se, sive per Procuratorem resignet. Paris. *ibid.* eadémque solennitas, quæ requiritur in executione alicujus actûs, requiritur quoque, dum Procurator ad actum illum exercendum constituitur, ut Jason. *in l.* 1. *ff. de acquirenda possess.* Paris. *loc. cit.* Quare si is, qui (sive sanus, sive ægrotus, ùt expresè Azor.) constituit procuratorem ad resignandum, non supervixerit 20. dies à resignatione facta per procuratorem, intrat regula, & vacat beneficium per obitum. Azor. *cit. q.* 4. Paris. *cit. n.* 36. Limitat tamen hanc doctrinam Paris. *n.* 37. hac ratione, ut, si procurator datus ad resignandum porrexerit supplicationem, & procurarit, ut ea signaretur, & dein moriatur, resignans seu constituens procuratorem intra 20. dies à præstito hoc consensu per procuratorem in porrectione supplicationis, intret quidem hæc regula; nam dum hic consensus præstitus est vivo resignante, requiritur, ut supervivat 20. dies; non vero requiritur, ut supervivat 20. dies à præstito consensu majore, seu pro expeditione literarum; hic enim consensus magnus etiam multò post obitum principalis resignantis tempore præstari potest, modò præstitus jam ille consensus minor in porrectione supplicationis viyo, & post 20. dies ab illo præstito supervivente resignante.

3. Secundò: locum habet in resignationibus, quæ fiunt extra Curiam Romanam coram Ordinariis vel legatis. Castrop. *loc. tit. n.* 7. Pirh. *de renunc. n.* 23. Tond. *p.* 3. *c.* 169. *n.* 2. (qui tamen *n.* 3. subdit, contrarium esse, & observari in Gallia, nempe resignationem puram & simplicem factam coram Ordinario non subjacere huic regulæ, quidquid in contrarium dicat Rebuf. & ipse Gallus *in pr. ad hanc reg. gl.* 12. *n.* 3. cujus sententiam non admitti in Gallia, & sic beneficiorum resignatorum in infirmitate collationes, tanquam vacantium vi talis resignationis, resignante etiam moriente intra 20 dies, ibi fieri ab Episcopis aliisque collatoribus ordinariis) Engels *ad tit. de præb. n.* 33. Azor. *cit. q.* 4. Chok *à n* 20. citans pro hac sententia Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 12. *n.* 3. Wames. *cons.* 257. *n.* 12. *de præb. &c.* Parisius *cit. q.* 5. *n.* 8. citans plures pro hoc Rotæ decisiones. Contra Papon. *l.* 3. *tit.* 2. *arresto* 1. & auctorem Analyt. Commentar. *ad hanc reg. à n.* 22. apud Chok. Item contra Decium *cons.* 224. *n.* 4. & Mandos. hic *q.* 16. apud Paris. *loc. cit. n.* 1. motos his potissimùm rationibus, quòd regulæ Cancellariæ non habeant locum extra Curiam, & quòd in resignantionibus factis coram Ordinariis cesset ratio regulæ; tum quia, cùm in eorum manibus fit resignatio, iisque relinquitur collatio (dum aliàs ea ad illos pertinet) tum quia coram illis non potest fieri resignatio in favorem, sed tantùm simpliciter, locum non habet species illa hæreditariæ successionis. Verùm responsio nostra verior est & communis; tum propter verba universalia ipsius regulæ dicentis: *quâvis auctoritate conferatur.* collationem esse invalidam, adeóque supponitur, resignationem & collationem etiam aliâ auctoritate, quàm pontificiâ & curiali fieri posse, atque hanc regulam desuper procedere. Engels *loc. cit.* Paris. *cit. n.* 8. *in fine.* Chok. *loc. cit.* tum quia fraudibus adhuc locus est in istiusmodi resignationibus. Azor. *loc. cit.* nam licet Ordinarii minùs facilè decipi possint quàm Papæ: licet etiam resignationes in favorem coram Ordinariis fieri nequeant, plerumque tamen infirmi resignantes aliis verborum ambagibus & precibus ac recommendatione certæ personæ idem obtinent. Engels *loc. cit.* Item licèt Ordinarii non fraudentur suâ collatione, fraudari adhuc poterunt exspectantes; cùm Ordinarii de facili admittant cessiones, ut provideant. Paris. *n.* 13. Quin & omnis renunciatio facta tali tempore infirmitatis & mortis instantis præsumitur vel ex hoc ipso capite fraudulenta. Paris. *n.* 9. juxta Alex. *in l. filiæ. ff. soluto matrim.* Pirh. *cit. n.* 32. Adde, quòd etiamsi non fiat hæc resignatio in favorem, habet tamen adhuc speciem dispositionis testamentariæ, dum per modum ultimæ voluntatis disponitur hac ratione de beneficiis. Paris. *cit. n.* 9. Ad illud verò, quod dicitur, regulas Cancellariæ non obligare extra curiam, dictum fuit aliàs contrarium, nimirum quòd obligent etiam extra curiam (nisi manifestè appareat, materiam non esse practicabilem extra curiam) utì id latissimè probatur à Sarnens. *in proœm. regular. q.* 2. Et licèt fortè earum aliquæ extra curiam non obligent, id tamen certè dicendum non est de iis, quæ institutæ ad obviandum fraudibus & aliis inconvenientiis universalibus. Azor *loc. cit.* Quare jam, si. v. g. Canonicus infirmus resignet canonicatum suum coram Ordinario, vel in manus Capituli, dum illud resignationes recipere potest, in mense Capituli vel Ordinarii, & dein infra 20. dies moriatur in mense Apostolico, cùm beneficium illud censeatur non vacare per resignationem illam, sed per obitum, isque incidat in mense Apostolico, collatio spectabit ad Papam, cujus contrarium foret, si vacasset vi resignationis illius. Paris. *cit. n.* 8. Pirh. *cit. n.* 32.

4. Tertiò in resignationibus factis permutationis gratiâ indubitatò hæc regula locum habet propter clarissima ipsius regulæ verba: *sive simpliciter, sive ex causa permutationis*: ob quæ verba cessant omnes controversiæ, ùt Tond. *loc. cit. n.* 6. de quo vide Chok. *de permut. l.* 1. *c.* 5. Item, ùt addit Paris. *cit. q.* 5. *n.* 17. & 18. ob ea verba regulæ: *vel aliàs dimiserit*: utpote quod verificatur in quacumque dimissione beneficii & qui permutat, dimittit beneficium. Item ob illud verbum: *resignaverit*, ùt Paris. *n.* 19. nam permutatio continet duos actus, nempe resignationem & permutationem. Et quia licet fortè (dum beneficia permutata sunt æqualia, de quo paulò post) cessaret ratio fraudis, saltem quæ est in præjudicium Ordinariorum collatorum, pergit tamen militare ratio altera regulæ, nempe evitandæ hæreditariæ successionis, & dispositionis de beneficio quasi per viam ultimæ voluntatis. Dum autem sunt plures rationes æquè principales, unâ cessante, non cessat dispositio juxta vulgarem regu-

lam. §. *affinitatis. Inſtit. de nupt.* Hanc ſententiam tenent Pariſ. *loc. cit. à n.* 15. citans Sarn. *hic q.* 19. Mandoſ. *q.* 12. Rebuff. *in pr. hic gl.* 4 Chok. *n.* 24. dicens, illam tradi ab omnibus (ſubintellige, dum beneficia permutata ſunt inæqualia) Tond. *cit. n.* 6. (qui tamen *n.* 4. teſtatur, contrarium eſſe in Gallia, ubi reſignationes hæ permutationis gratiâ factæ, & collationes Ordinariorum vigore reſignationum talium mutuarum coram illis factarum per infirmos eximantur ab obſervatione hujus regulæ) Pirh. *cit. n.* 32. Azor. *cit. q.* 4. & alii paſſim. Procedit que reſponſio non ſolùm in permutatione beneficiorum diſparium & inæqualium; dum nimirum infirmus beneficium ſuum pingue permutat cum conſanguineo vel amico ſuo, dante ei beneficium ſuum tenue (in quo caſu manifeſta fraus præſumitur, ùt bene Pariſ. *loc. cit. n.* 20.) ſed etiam dum beneficia permutata ſunt æqualia. Pariſ. *n.* 21. Pirh. Azor. *ll. cit.* Tond. *n.* 7. Chok. *cit. n.* 24. citantes Rebuff. *ibi gl.* 4. *n.* 5. Mand. *hic q.* 13. *per tot.* Achill. de Graſſ. *deciſ.* 376. *aliàs deciſ.* 1. *ad hanc reg.* contra Sarnenſ. ſeu Gomeſ. *hic q.* 19. cujus opinionem, quam magis æquam & benignam, ùt ait *Gonz. gl.* 14 *n.* 57. ſequitur idem Gonz. *ibid.* Tum quia regula indiſtinctè & indefinitè loquitur de reſignatione facta permutationis causâ. Pariſ. *n.* 22. Tond. *n.* 8. Pirh. Azor. *ll. cit.* Tum quia, ùt dictum, ſaltem ratio altera regulæ de hæreditaria ſucceſſione perſeverat. Unde dato, regulam hanc eſſe pœnalem & odioſam, ùt vult Gomeſ. adeóque ſtrictè capiendam ad caſum fraudis; certum tamen eſt, mentem legislatoris attendendam, quæ non ſolùm fraudes excludere voluit, ſed & providere, ne beneficia fiant hæreditaria. Chok. *loc. cit.* Quin & contingere poſſe fraudem in permutatione æqualium, ſeu æqualis valoris, oſtendit Tond. *loc. cit. n.* 8. dum nimirum infirmi ad fraudandos Ordinarios, vel graduatos, quibus afficeretur beneficium ægrotantis in eo menſe, turno vel articulo, non autem beneficium compermutatum, quod forſan eſſet de jurepatronatûs laicalis, facerent talem permutationem. Unde jam, ſi reſignans ex cauſa permutationis, tam dum beneficia ſunt inæqualia, quàm dum ſunt paria, moriatur infra 20. dies, beneficium illius alteri tertio conferri poterit. Tond. *cit. n.* 6. neque per hoc alteri compermutanti ſuperſtiti cauſatur præjudicium; cùm hic ipſo jure remanebit in titulo & poſſeſſione priſtina ſui beneficii. Chok. *hic n.* 25.

5. Quartò, in reſignationibus, quæ fiunt reſervatis omnibus fructibus. Pirh. Azor. *ll. cit.* Pariſ. *n.* 25. citantes Sarn. *hic. q.* 20. Mandoſ. *q.* 14. loquitur enim regula generaliter de reſignatione; reſervatio autem fructuum non immutat naturam reſignationis, & in hoc quoque caſu militat ratio ſucceſſionis, quin & fraudis; cùm reſervatio fructuum ſit quædam palliata fraus ad effectum circumveniendi collatores & exſpectantes; imò major fraus frequentiórque fraudis occaſio hîc conſiderari poterit; cùm infirmus, qui dubius eſt, an ſupervivere, an mori debeat, facilius inducatur ad reſignandum hoc modo, quàm purè & nullis fructibus retentis. Pariſ. *à n.* 26. Idem eſt de reſignatione facta ſub reſervatione dimidiæ partis fructuũ; cùm urgeat eadem ratio. Pariſ. *n.* 28. Azor. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 32. loquens etiam de parte fructuum, abſtrahendo à medietate illorum. Idem eſt ob eandem rationem de reſignationibus factis ſub penſione. Pariſ. *n.* 29. citans Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 3. *in principio.*

6. Quintò, in reſignationibus commendarum ob clara regulæ verba: *aut illius commenda ceſſent.* Pariſ. *n.* 30. Tametſi enim ceſſaret ratio fraudis; cùm nec exſpectantes acceptare, nec collatores ordinarii conferre valeant beneficia reſervata, qualia ſunt commendæ; militat tamen altera ratio ſucceſſionis. Pariſ. *n.* 34. Adeóque etiam, antequam dicta verba eſſent adjecta regulæ, tamen judicavit Rota *in Pampelonenſi, & in alia Veronenſ. Parochial.* habere locum hanc regulam etiam in reſignationibus commendarum. Pariſ. *cit. n.* 34.

Quæſtio 338. *Quænam collationes comprehendantur ſub hac regula, ſeu de qua collatione loquatur hæc regula, dum ait: quòd, quâcunque auctoritate conferatur beneficium, collatio eſt nulla?*

1. REſpondeo primò in genere: comprehendi collationes omnes, ſeu à quocunque factas. Pariſ. *l.* 12. *q.* 13. *n.* 1. citans Sarn. Mandoſ. Rebuff. ac dicens eſſe communem.

2. Reſpondeo ſecundò in ſpecie: comprehendi itaque collationes factas à capitulo. Pariſ. *cit. n.* 1. citans Rebuff. *hic gl.* 12. *n.* 3. Item factas ab Epiſcopo, & quocunque inferiore collatore. Pariſ. & Rebuff. *ll. cit.* Item factas per Cardinales; ubi enim agitur de fraude vitanda, comprehenduntur & Cardinales, ùt dictum ſupra Pariſ. *cit. q.* 13. *n.* 2. Item factas per legatum Apoſtolicum. Pariſ. *n.* 3. citans Rebuff. *conſ.* 72. *n.* 8. Unde jam, cùm collationes in vim talis reſignationis factæ ſint nullæ, non poſſunt haberi ratæ; ſed oportet, ut de novo conferatur beneficium per mortem, ſeu tanquam vacans per obitum, ut recipiens illud ſit tutus in foro fori, & in foro poli. Pariſ. *loc. cit. n.* 6. citans Rebuff. *gl.* 13. *in fine.*

Quæſtio 339. *An regula etiam loquatur de conſenſu reſignatarii; ſive an, ſi reſignans in favorem reſervatâ ſibi penſione moriatur poſt* 20. *dies à præſtito ſuo conſenſu, ante tamen* 20. *dies à præſtito conſenſu reſignatarii, locum habeat regula, & beneficium vacet per obitum?*

REſpondeo negativè. Pariſ. *l.* 12. *q.* 11. *n.* 2. citans Rotam *in Ferrarienſ. de anno* 1561. regula enim, ùt patet, loquitur tantùm de conſenſu reſignantis. Unde dici poteſt hic caſus omiſſus à regula, & ſubjectus juris communis diſpoſitioni, & per conſequens, etiamſi reſignans moriatur infra 20. dies à conſenſu præſtito per reſignatarium, modò ſupervixerit 20. dies à conſenſu ſuo, beneficium vacabit per reſignationem. Pariſ. *loc. cit. n.* 4.

Quæſtio 340. *An actus reſignationis iſtiuſmodi maneat in ſuo robore, cùm regula de hoc nihil dicat, ſed ſolùm irritetur ibi actus collationis vi talis reſignationis factus, qui utique eſt diſtinctus ab actu reſignationis?*

REſpondeo annullari quoque ipſam reſignationem. Lott. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 4. cùm enim iſti duo actus, nimirum actus collationis vi reſignationis talis factus, & ipſa reſignatio ſint actus correſpectivi, uno ſublato ſeu irritato, ſublatus cenſetur & alter, ut jam nihil referat, quòd in ſpecie de reſignatione dicat regula; cùm enim reſignatio ſit neceſſaria ad inducendam ex ea vacationem, & ſucceſſivam collationem, improbatâ collatione, quæ eſt ultimus finis

nis resignantis, improbata simul censetur & resignatio. Et certè, si in casu hujus regulæ sustineretur resignatio, opus esset etiam sustinere ejus effectum, qui est vacatio ex hac causa; sed hoc falsum est; cùm regula dicat, vacare per obitum, & impossibile sit, ùt dictum aliàs, ex eadem persona duas vacationes constituere, cùm prima impediat sequentem. Ita ferè Lott. *loc. cit. à n. 5.*

Quæstio 341. *An, & qualis infirmitas requiratur, ubi locum habeat regula?*

1. REspondeo: tametsi, ut intraret regula hæc, attentis ejus verbis: in infirmitate constitutus: olim ante Clem. VII. requirebatur, ut resignans tunc, quando faciebat resignationem, seu præstabat consensum resignationi, esset actu infirmus, ità ut, si sanus beneficium suum resignasset, & dein ex superveniente vulnere aliove casu, vel etiam infirmitate, intra 20. dies à facta resignatione mortuus fuisset, beneficium non vacasset per obitum, sed per resignationem. Azor. *p. 2. l. 7. c. 28. q. 3.* Pirh. *de renunc. n. 33.* Paris. *l. 12. q. 6. n. 1. & 2.* citans Sarnens. *hic q. 12.* Rebuff. *hic gl. 2. n. 2.* Hodiedum tamen, hoc est, post Clem. VII. ad hanc usque diem, ob adjectas à dicto Pontifice alvisque ejus Successoribus particulas illas: *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra 20. dies &c.* (quas particulas adjici, seu quam extensionem regulæ fieri necesse erat, cùm contra novam malitiam novo opus sit remedio, ob fraudes nimirum, quæ aliàs fieri possent & fiebant, ut huic regulæ rarus esset locus, dum beneficiati adhuc sani procurarent, ut signarentur supplicationes resignationum, quas penes se tenerent, & postea constituti in infirmitate præstarent consensum, & sic eluderetur regula, quia dicerent, se adhuc sanos resignasse. Pirh. *cit. n. 33.* Paris. *cit. q. 6. n. 6.*) ex stylo & praxi recepta id non requiritur, sed sufficit eum, qui resignavit, etiam dum esset sanus, infra 20. dies à sua resignatione, seu præstiti consensûs per se, vel procuratorem suum decedere morte naturali. Paris. *cit. q. 6. n. 5. & seq. & potissimùm n. 25. in fine.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 5. §. 3. n. 4.* Chok. *n. 15. & 31.* Azor. *cit. q. 3.* Pirh. *cit. n. 33.* cum communi. Multóque jam minùs requiritur infirmitas eo tempore, quo fit vel expeditur mandatum, vel instrumentum mandati ad resignandum. Chok. *cit. n. 15.* contra Gomes. *hic q. 12.* Adeóque jam, si hæc doctrina vera, ferè fustraneum est, ad alteram quæstionis partem respondere, & examinare, num infirmitas, in qua resignavit, vel consensum præbuit resignationi, fuerit levis, an gravis, an podagra, an febris, an vulnus; num facta resignatio in decrepito senio (dum senes, licet non inter infirmos, tamen inter debiles numerantur) nam facta in periculo solùm mortis, aliunde, quàm ex infirmitate aut senio imminentis, puta tempore prælii, tempestatis, insidiarum, contagionis, itineris ad bellum, vel etiam ad singulare certamen, vel etiam in metu sententiæ privativæ, de quo expresè Chok. *n. 16.* & de quibus omnibus aliàs variè disputant, limitant, vel regulam extendunt AA. ùt videre est apud Azor. *tota fere q. illa 3.* id inquam, supervacaneum est; cùm etiam si sanus, si juvenis (ùt expresè Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 28.*) extra omne periculum mortis constitutus (ùt expresè Chok. *n. 15. in fine*) resignavit, & quocunque demum casu, sive ex senio, sive ex vulnere, sive alio modo violento (puta in duello, vel in insidiis occisus) vel casuali (puta casu ex alto decidens; submersus, sumpto veneno &c.) moriatur intra 20. dies, locum habeat regula. Chok *cit. n. 15.* Azor. *cit. q. 3.* Paris. *à n. 8.* singula enucleatè examinans.

2. Nihilominùs Engels *ad tit. de præb. n. 30.* in contrarium sentit, nimirum, Quòd considerando verba & mentem regulæ, videatur debere esse infirmitas tempore resignationis, & quidem talis, ex qua resignans moriatur, aut saltem timeat se moriturum, aliàs probabiliter non resignaturus. Adeoque doctrinam Parisii & aliorum ei inhærentium, nisi praxi Curiæ Romanæ recepta sit (utì etiam esse eam de stylo communi testantur Castrop. Paris. & alii) difficulter cum verbis regulæ consistere posse, utpote quæ dicitur regula de infirmis resignantibus, & in qua dicitur: *si de ipsa infirmitate decesserint.* Et si id, nimirum, ùt docent hi AA. quòd sufficiat resignasse etiam extra infirmitatem, & decessisse quomodocunq; intra 20 dies à resignatione, intendissent posteriores Pontifices, nullam in recentiore hac regula mentionem facere debuissent de infirmis resignantibus, & ex ipsa infirmitate decedentibus, sed solum de resignatione & morte infra 20. dies post resignationem contingente. Sed neque in resignationibus beneficiatorum extra timorem mortis constitutorum locum habere rationes regulæ. Verba autem illa regulæ: vigore supplicationis; *dum esset sanus signatæ*: hanc habere interpretationem ex stylo Curiæ Romanæ (ubi is, ùt dictum aliàs, est resignationis modus; ut resignans porrigat supplicationem, quæ si placeat Papæ, signatur, seu subscribitur per eum: *fiat ùt petitur*: nec dum tamen omnino perfecta est resignatio; sed insuper post signatam supplicationem debet resignans in Curia vel Cancellaria, per se aut Procuratorem, iterum in resignationem expresè consentire, & juramentum addere, quòd omnia sine fraude acta sint. De quo vide Paris. *l. 8. q. 8.*) quòd Papa solùm per hoc velit dicere; infirmitatem & lapsum 20. dierum non debere computari à die porrectæ aut signatæ supplicationis, sed à die præstiti consensûs. Unde appareat per verba illa à posterioribus Pontificibus regulæ inserta nihil esse de regula circa qualitatem infirmitatis in resignatione requisitam abrogatum; sed tantùm declaratum, à quo tempore 20. illi dies numerandi. Ità ferè Engels.

Quæstio 342. *An regula quoque locum habeat in eo, qui infra 20. dies à resignatione defungitur morte civili, puta, quia ducit uxorem, profitetur in religione, consequitur, & incipit pacifice possidere aliud beneficium incompatibile &c.*

REspondeo negativè. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 33.* Chok. *ad hanc reg. n. 16.* cùm statutum loquens de morte, intelligatur de naturali, nec extendatur ad civilem, juxta *gl.* & *text. in c. susceptum. de rescr. in 6.* Chok. *loc. cit* Sic etiam, dum quis non resignavit beneficio, sed eo privatus est per sententiam Judicis, & beneficium collatum alteri, moriatur dein infra 20. dies à privatione, locum non habet regula; cùm vacatio, quæ fit per privationem, differat à vacatione per resignationem. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n. 30.* secus autem est, si privandus ob crimen beneficio resignet, & dein moriatur infra 20. dies, locum enim tunc habebit regula. Chok. *cit. n. 16.* Paris. *n. 29.* Pirh. *loc. cit.* Et fortè de eo dubitari potest, qui postquam resignavit, infra 20. dies crimen committit,

mittit, ob quod plectatur capite intra illos 20. dies, num etiam de ea morte naturali quidem, sed violenta, & mauu Justitiæ illata veniat regula.

Quæstio 343. *Cui, & qualiter probandum, resignantem esse mortuum infra* 20. *dies, ad effectum hujus regulæ?*

1. REspondeo ad primum: hoc onus probandi incumbere ei, qui dicit infirmum resignasse, & obiisse infra 20. dies, seu qui per exceptionem hujus regulæ quærit resignationem infirmare. Quia quisque debet probare id, super quo se fundat, juxta *l.* 12. *ff. de probat.* Barth. *in l. de ætate. ff. de minoribus.* talis autem fundat se in morte & fraude; & mors non præsumitur, neque etiam fraus & dolus (quod posterius tamen accipiendum juxta limitationem paulò post subjungendam) & ideò, qui ea allegat, debet illa probare. Paris. *l.* 12. *q.* 7. *à n.* 1. Chok. *n.* 18. citantes Gomes. *q.* 9. Mandos. *q.* 6. Rebuff. *hic gl.* 2. *n.* 4. ac dicentes, esse receptam & communem. Neque solùm ab eo probanda mors, sed & illam contigisse infra 20. dies à resignatione, vel præstito consensu. Paris. *ibid. n.* 5. citans Sarnens. *q.* 36. Mandos. *cit. q.* 6. *n.* 5. ac dicens communem, quæ de stylo totâ die practicetur. Quia fundans se in die, scilicet quòd resignans mortuus fuerit tali die, ipsam hanc diem fuisse diem mortis, debet probare. Paris. *n.* 6. & 7.

2. Respondeo ad secundum: requiritur probatio clarissima & plena; quia agitur de magno alterius præjudicio, nempe de privando illo beneficio obtento per resignationem, & sumus in materia objectiva, dum opponitur dicta regula ad annullandam resignationem. Chok. *cit. n.* 18. Paris. *n.* 8. Hinc licet mors aliàs (ubi nimirum versamur in causis levioribus, quæ modicum solùm damnum afferre possunt, ut Barth. *in l.* 2 §. *si dubitetur. n.* 1. *ff. quemadmodum testam. aperiend.* & alii apud Paris. *n.* 12.) probetur per publicam vocem & famam, ut Bald. *cons.* 407. *l.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 1070. *n.* 1. & alii apud Paris. *n.* 9. non tamen ob rationes allatas sufficit hæc probatio ad effectum hujus regulæ. Paris. *n.* 10. citans Sarn. *cit. q.* 36. Item licet aliàs mors, dum agitur de leviori præjudicio, probari possit per juramentum, ut Menoch. *de remed. adipisc. possess. remed.* 4. *n.* 671. & alii apud Paris *n.* 13. non tamen in præsente casu. Paris. *n.* 14. citans binas Rotæ decis. Et sic etiam non sufficit unus testis idoneus cum juramento in supplementum probationis. Paris. *ibid.* sed requiruntur duo testes de visu, qui dicant, se vidisse illum mortuum, & tumulo mandari. Paris. *n.* 16. citans Menoch. *ubi ante. n.* 675. *& plures alios.* Unde etiam, si quis peste correptus moriatur solus die incerto, ita ut nesciatur, an ante, an post 20. diem mortuus, debere adhuc opponentem de hac regula probare esse mortuum intra 20. dies; cùm & in dicto casu præsumatur mortuus post 20. dies; & in dubio semper capiatur præsumptio, ut actus sustineatur, & quælibet infirmitas præsumatur longo tempore durans; adeoque resignatarius habeat intentionem fundatam in jure, quòd præsumatur mortuus post 20. dies, tradit Paris. *l.* 12. *q.* 6. *n.* 15. *& seq.* ex Sarn. & Mandos. Chok. *cit. n.* 10. *in fine.*

3. Limitanda tamen responsio in casu, quo infirmus resignans in favorem consanguinei vel amici in ejusdem domo moritur, & mors publicaretur post terminum 20. dierum, dum per aliquot dies ante finem hujus termini medici & alii non fuissent permissi ægrum accedere; nec essent, qui de tempore obitûs testari possent, nec ex signis aliis id cognosci posset, præsumendus enim tunc foret mortuus infra 20. dies. Paris. *l.* 12. *q.* 7. *n.* 17. ex Mandos. *hic q.* 8. *n.* 1. id confirmante ex præsumpta fraude, resultante ex exclusione medicorum, aliorumque ad ægrum accedere volentium; nam & fraus ex conjecturis probatur. juxta *l. dolum. c. de dolo.* Decium *cons.* 337. Paris. *ibid. n.* 18. ex Mandos. *loc. cit.*

Quæstio 344. *Cur regula ponat præcisè* 20. *dies, & qualiter illi accipiantur & computentur?*

1. REspondeo ad primum: fuisse tempus illud potius arbitrarium, seu ex arbitrio Pontificum sic definitum, quàm ex certa ratione. Paris. *l.* 12. *q.* 8. *n.* 2. contra Sarnens. *hic q.* 25. *n.* 1. existimantem, sic constitutum, quia medici spatium 20. dierum statuunt in morbis acutis.

2. Respondeo ad secundum: dies hic accipitur pro naturali, hoc est, 24. horarum, & non pro artificiali, hoc est, 12. horarum, vel pro tempore, quo sol est supra terram ab ortu ad occasum. Pirh. *de renunc. n.* 34. Chok. *ad hanc. reg. n.* 36. Paris. *loc. cit. n.* 34. & 35. citans Sarnens. *hic. q.* 38. Rebuff. *gl.* 9. Selv. *p.* 3. *q.* 46. *in fine.* eò quòd ità communiter in jure accipiatur dies, ùt dies & nox seu tempus, quo sol est supra & infra terram seu horizontem, pro una die reputetur. *l. Romano ff. de feriis.* attendendum autem est, quod fieri solet, Paris. *n.* 37. Et quia, dum sic accipitur dies pro spatio 24. horarum, cedit id magis in favorem resignantis, dum ità extenditur magis ejus libertas, quæ de jure communi sine præfinitione alicujus temporis libera erat. Paris. *cit. n.* 47. Adde, quòd collatio & resignatio potest fieri de nocte, & actus factus de nocte in die fieri dicitur, cùm nox sit pars diei. Paris. *à n.* 38.

3. Respondeo ad tertium: Primò incipiunt hi dies, quibus resignans debet supervivere computari, & currere à die præstiti à resignante consensûs resignationi à Superiore approbatæ, ut patet ex verbis ipsius regulæ: *& postea infra* 20. *dies à die per ipsum resignantem præstandi consensûs decesserit &c.* Paris. *l.* 12. *q.* 8. *n.* 4. Chok. *n.* 36. Pirh. *cit. n.* 34. Azor. *loc. cit. q.* 7. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 11. §. 3. *n.* 10. quia tunc priùs perficitur resignatio, quæ ante illud tempus est infirma; cùm possit ante illud, & eousque exclusivè renuncians pœnitere. Paris. *n.* 5. ex Sarnens. *hic q.* 31. Pirh *loc. cit.* adeóque ad inchoandos hos dies superviventiæ non sufficit, quòd quis promiserit resignare. Pirh. *loc. cit. n.* 33. Chok. *n.* 14. Neque quòd constituerit procuratorem, seu consensum in resignationem expresserit per constitutionem procuratoris ad resignandum. Pirh. *loc. cit.* Chok. *n.* 37. sed requiritur, ut resignans, vel per se ipsum, vel per suum procuratorem ad hoc specialiter constitutum cõsenserit in loco, ubi fit resignatio, & ut ejusmodi resignatio à Superiore, coram quo fit, sit admissa. Pirh. *cit. n.* 33. Chok. *cit. n.* 14. Et quod speciale est, dum resignatio fit in manibus Papæ (secus enim est & aliud, dum ea fit coram Ordinariis. Pirh. *n.* 34.) ne quidem juxta Pirh. sufficit consensus expressus per porrectionem supplicationis, seu quòd porrecta fuerit Papæ supplicatio, & ab eodem admissa & signata; sed requiritur insuper magnus consensus, de quo supra, sive ut consensus per principalem resignantem, vel ejus procuratorem ad hoc specialiter constitutum sit expresse præstitus in Cancellaria vel Camera Apostolica;

stolica; cùm ante hunc consensum resignatio non fit omninò perfecta, sed res adhuc integra, & locus pœnitentiæ. Pirh. *n.* 34. Chok. *n.* 37. Rebuff. &c. cum communi. Hinc jam si Titius etiam extra infirmitatem (nimirum juxta sententiam illam magis communem, de qua *quæst. ante hanc penultimâ*) & post resignationem à Papa admissam, seu supplicationem ab eo signatam incidens in morbum, præstet insuper dictum consensum in Camera vel cancellaria, moriatur autem infra 20. dies ab hoc consensu præstito, est locus regulæ, & beneficium vacat per obitum. Azor. *loc. cit. q.* 3. §. *sed quid si.* vide tamen quæ quo ad hoc punctum in contrarium dicta sunt *q. ante hanc* 6. ex Parisio *l.* 12. *q.* 5. *n.* 37. Hinc etiam sequitur, locum fore regulæ, & beneficium vacaturum per obitum, si resignans supervivat quidem 20. & plures dies, postquam absens à loco, in quo Ordinarius, coram quo resignatarius, ad eundem destinavit curiorem, & literas, in quibus consensum suum in resignationem eidem significat, & petit eandem admitti, moriatur tamen infra 20. dies ab admissione illa actu præstita. Idem est, si resignaturus coram Papa supervivat quidem 20. dies, imò plures septimanas postquam destinavit Romam instrumentum suæ resignationis: quin & postquam per constitutum à se Romæ ad hoc procuratorem exhibuit illud Papæ, & ab eo signatum fuit seu admissa resignatio, moriatur tamen, non tantùm antequam consensus magnus præstetur per eundem procuratorem in Camera; sed etiam infra dies 20. ab illo præstito.

4. Respondeo ad tertium secundò: dies ipsa resignationis, seu quo præstatur consensus, computari debet in termino seu numero 20. illorum dierum. Pirh. *cit. n.* 34. Castrop. *cit. n.* 10. citans Azor. *ubi ante q.* 7. (verùm Azor. utramque sententiam solùm proponens, nihil habet, unde colligatur, eum huic aut isti adhærere) Paris. *n.* 15. cum Mandos. *hic q.* 18 *n.* 3 (quamvis idem Mandos. apud Paris. *n.* 14. *in fine* dicat, sententiam oppositam verissimam, & æquitatem summam continere, & apud eundem *n.* 11. *in fine* magis communem) & glossator antiquus apud Chok. *n.* 7. testans hanc sententiam bis à Rota firmatam, & *n.* 18. dicens, ob reverentiam Rotæ ab hac sententia in judicando non recedendum. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd licèt dies termini non computetur in termino in odiosis (uti constat ex *l. eum, qui* §. *planè. de verbor. oblig. ubi obligans se in die Kalendarum ad solvendum Kalendis, illa dies obligationis, seu in quâ obligatio illa cœpta, non computatur*; idque ideo, ùt Castrop. *loc. cit.* quia tunc tuâ, seu illius, qui obligatur solvere, non interest, eam diem computari) secus tamen est in favorabilibus, seu ubi interest illius, cui statuitur terminus, ut computetur dies illa; sicut in præsenti contingit, dum resignantis interest, computari hunc diem, ut citiùs ad intentum suum perveniat, seu citiùs elabatur terminus 20. dierum & sic citiùs ejus resignatio valeat. Paris. *n.* 18. Castrop. *loc. cit.* Pirh. *cit. n.* 34. Contrarium nihilominus, nimirum quòd dies illa excludi debeat, & sequente die priùs numerari isti 20. dies, tenent satis quoque probabiliter Sarnen. *hic q.* 37. *n.* 2. Rebuff. *hic gl.* 40. *n.* 9. apud Paris. quibus adhæret Chok. *n.* 39. Horum fundamentum est duplex. Primum: quòd quoties terminus hic præfixus est per præpositionem A; quæ suapte natura excludit terminum à quo, seu denotat separationem diei, à quo datur terminus, à termino præfixo. Quamvis è contra dicat Paris. *n.* 16. quòd dum dictio A jungitur cum tempore, quod est in initio actûs, computetur, pro quo adducit exemplum: si quis nepotem suum, qui nascetur infra 10. menses à die mortis filii, instituerit, tunc dies illa mortis filii computetur in illis 10. mensibus. *l. Gallus. in principio ff. de liberis & posthum.* Secundum fundamentum est, quòd quando odium & pœna sequitur, dies termini non computetur in termino, ùt Gemin. *in c. statutum. de præb. in 6. not.* 11. & latetur ipse Mandos. *cit. q.* 18. *n.* 8. in præsenti autem sit odium & statuta pœna, nempe nullitas resignationis & collationis. Verùm, ùt dictum aliàs, hæc regula potiùs dicenda est simpliciter favorabilis; quin & favorem resignantis quò ad hoc punctum continet, si dies resignationis computetur; ut dictum paulò antè.

5. Respondeo ad tertium tertiò: dies, quo resignans moritur inchoatus habendus, non est pro completo, sed currit de momento in momentum, ità ut v. g. si resignasti primâ Januarii horâ octavâ manè, & mortuus es 21. ejusdem Januarii horâ 8. teneat resignatio; non verò teneat, si mortuus es 21. Januarii ante octavam. Castrop. *l. c. n.* 11. Pirh. *cit. n.* 34. Chok. *n.* 40. Azor. *cit. q.* 7. Etsi enim in favorabilibus dies cœpta habeatur pro completa, dum tempus definitum est per annos, ità ut dies ultima anni ultimi statim, ac cœpta est, habeatur pro completa, argumento *l. quâ ætate*: ubi favore testamenti decernitur, eum diem, quo testatori impletur ætas ad testandum requisita, sufficere, esse inchoatum. Secùs tamen est in præsente casu, ubi tempus designatur per dies; adeóque, sicut in termino plurium annorum, seu dum tempus designatur per annos, ultimus annus inceptus non habetur pro completo, juxta *l. non putabam. ff. de condit. & demonst.* ità in termino plurium dierum dies ultima cœpta non debet haberi pro completa. Pirh. Castrop. *ll. cit.* Paris. *n.* 26. & 27. Adde, quòd præterquam, quòd dictio *infra* posita in regula regulariter soleat sua extrema includere, ut plurium Civilistarum testimoniis ostendit Paris. *n.* 25. quòd sic suadeat proprietas verborum regulæ, & verisimilis mens Papæ statuentis 20. dies. Nam si dies ultima cœpta pro completa censeri posset, sequeretur, quòd tempus regulæ restringi posset ad dies 18. & aliquot horas, dum nimirum resignans præstaret consensum in fine, seu prope finem ultimæ diei, & moreretur in principio diei ultimæ. Paris. *cit. n.* 25.

6. Respondeo ad tertium quartò: diem primam hujus termini 20. dierum, seu diem, quâ fit resignatio, inceptam haberi non deberi pro completa, sed currere de momento in momentum. Sequi videtur ex eodem fundamento, nempe quòd, quando in lege fit computatio per dies, sumatur dies de momento ad momentum, adeóque jam attendendum, quâ horâ factâ resignatio. Et sic expresè tenet Castrop. cit. *n.* 11. quamvis contrarium innuere videatur, saltem in resignatione, quæ fit in manus Papæ, dum *n.* 25. *in fine* disparitatem facit in hoc quò ad diem resignationis, & diem mortis, dicendo: *non obstat, quòd detractio quò ad primum diem est concessa, quia id procedit ex ratione: nam horæ præstationis consensus nunquam annotatur à Notariis Cameræ & Cancellariæ, & sic est differentia inter utrumque casum.*

*****
***

Quæst.

Quæstio 345. *An vacatio inducta per hanc regulam sit vera vacatio per obitum quò ad effectum, ut sicut ceteræ vacationes per obitum comprehendatur in regulis, concessionibus, & aliis dispositionibus, loquentibus simpliciter de vacatione per mortem: adeóque v.g. concessio, qua conceditur, ut beneficium, quamprimum vacaverit per obitum, uniatur alteri, revera intret, dum resignans moritur infra 20. dies. Item exspectans primò vacaturum per obitum, possit tale beneficium resignatum, mortuo resignante infra 20. dies, obtinere. An verò solum sit vacatio per obitum ficta & interpretativa per quandam fictionem juris, Papâ potente facere, & faciente vi hujus regulæ, ut indicare videtur verbum illud* censeatur vacare per obitum: *quo utitur regula, non quidem, ut resignatio, quæ verè & realiter facta fuit, facta non fuerit, sed quòd resignante moriente infra 20. dies censeatur vacare beneficium per obitum, & quò ad hoc resignatio habeatur pro non facta? adeóque regula de impetrantibus beneficia vacantia per obitum Cardinalis alicujus locum non habeat in vacatione inducta per hanc regulam de infirmis, uti hanc posteriorem sententiam tenet Sarnensis* hîc q. 30.

REspondet præter ea, seu potius conformiter iis, quæ supra, ubi actum in genere de vacatione inducta per resignationem, dicta circa hoc punctum ex Lotterio, breviter ac veluti compendio Parisius *l.* 12. *q* 9. *n.* 7. censeri hanc vacationem in ordine ad dictum effectum vacationem veram per obitum, & hanc sententiam videri sibi veriorem, æquiorem & sustentabiliorem, & quæ hodie seu suo, id est, Parisii tempore servetur. Eò quòd, ut Paris. *n.* 11. ex quo Papa annullat collationem, si infirmus decedat infra 20. dies, & non admittat, sed excludat illam resignationem tanquam fraudulentam, jus beneficii remaneat penes resignantem, adeóque vacet dein, ipso moriente infra 20. dies, per hunc ejus obitum. Et quòd, ut Paris. *n.* 12. non obstet verbum illud *censeatur*, dum non importat fictionem; quia in his, quæ sunt juris, paria sunt esse tale, & haberi pro tali. Et ut Paris. *n.* 8. dato, esse fictionem, fictio tamen à jure inducta habeatur pro veritate quò ad juris dispositionem. Bart. *in l. is qui pro emptore, ff. de usu cap.* & idem importet fictio legis, quod veritas.

Quæstio 346. *An beneficia vacantia per hanc regulam sint reservata Papæ, tam, cum sunt resignata in Curia, quàm extra illam?*

1. REspondeo ad primum: beneficium vacans per obitum resignantis contingentem infra 20. dies à resignatione non esse reservatum Papæ, (modò obitus ille contingat extra Curiam, vel etiam, ut supponere videntur AA. paulò post citandi, extra mensem reservatum Papæ) sed posse ab Ordinario conferri, non tantùm, quando resignatum fuit coram Ordinario, seu extra curiam, ut Gomes. *hîc q.* 33. apud Chok. *n.* 21. sed etiam quando resignatio facta in favorem in curia, seu in manus Papæ tradit Chok. *ad hanc reg. n.* 23 dicens, sic videre nos practicari quotidie Leodii & in Urbe, ad quod postremum tamen ait Lott. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 66. quid Leodii fiat, se nescire; in Urbe verò scire se, oppositum usu receptum, propterea à Chokier & Garcia omnino cavendum. citat pro hoc Chok. Auctorem Analyt. comment. *ad hanc reg. n.* 285. expressè quoque dicentem, posse conferri liberè per Ordinarium vi & in consequentiam hujus regulæ, etiamsi resignatio facta in curia personaliter per ipsum resignantem, tunc fortè ibi residentem. Rationem dat Chok. *n.* 22. tum quia per hanc regulam non solùm talis resignatio in manus Papæ facta, sed etiam collatio per eum facta resolvatur & annulletur indistinctè, & beneficium censeatur vacare per obitum absolutè, ac si nunquam resignatum fuisset; tum etiam, quòd, quando collatio Papæ, seu manus ejusdem appositio non est sortita effectum, ùt contingit in præsenti, non inducat affectionem, nec tollat Ordinariis jus conferendi, ùt Abb. *in c. inter dilectos. n.* 10. *de excess. prælator.* Felin. *in c. ult. in fine de præsumpt.* apud eundem. Ac denique quia regula hæc nullam inducit reservationem. Pro quo citat Gomes. *hîc q.* 33. Idem, quod Chok. tenet Roffiniac. *de benef. c.* 28. *n.* 6. apud Lott. *loc. cit. n.* 26. Item Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 160. cujus opinionem sibi videri, saltem ab intrinseco, probabiliorem oppositâ mox subjungendâ ait Engels. *ad tit. de præb. n.* 32. ubi etiam hanc apponit rationem: quòd principalis ratio regulæ sit, ne fraudentur Ordinarii suo jure conferendi, & ut aboleantur successiones quasi hæreditariæ in beneficiis, quæ ratio tunc plenius consequatur suum effectum, cùm jus conferendi beneficia ad liberum Ordinarii arbitrium redierit. Argumenta oppositæ sententiæ conatur quoque solvere, uti paulò post ad rationes oppositæ sententiæ videbimus. Similem ferè rationem format Roffiniac. apud Lott. *n.* 25. nimirum, quòd non pro aucupanda aliqua utilitate ipsius conditoris regulæ, sed pro conservando jure conferendi in Ordinariis, & pro avertenda malitia resignantium, & extorquentium ab iis hujusmodi resignationes regula videatur indistinctè tollere effectum hujusmodi resignationis, sive in Curia, sive extra Curiam fiat.

2. Contrarium tamen, nimirum, quòd, saltem ubi resignatio facta in manibus Papæ, beneficium tale vacans per obitum resignantis morientis infrà viginti dies, sit reservatum Papæ, tenetur communius. Ità sentiunt Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 169. *n.* 21. dicens, hanc esse sententiam Rotæ, & ab ea non esse recedendum apud suos, hoc est, in Gallia. Lott. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 27. dicens, novos quosdam (inter quos numerat Chok. & Garciam) nimis confidenter illam distinctionem resignationis factæ ab infirmo intra vel extra Curiam, improbare, quæ jam non sit ipsius Gomesii tantùm, sed sacri Rotæ auditorii; quamvis addat, maximam versari difficultatem in ostendenda hujus reservationis ratione. Paris. *l.* 12. *q.* 10. *n.* 4. citans Sarnensem *hîc q.* 33. Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 14. *n.* 4. Boërium *decis.* 2. *n.* 55. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 28. *q.* 9. Pirh. *ad tit. de renunc. n* 35. *in fine.* Rationes has affert Paris. Primò *n.* 5. quia per resignationem in Curia beneficium dicitur vacare in Curia, sicut quando fit ibi privatio, & in hoc actu vacationis in Curia fundat rationem suam Sarn. ùt Lott. *n.* 28. quippe eò ipso, quòd quis procuratorem constituit ad resignandum in Curia, secuto actu resignationis quò ad ipsum instituentem vi destinationis dicatur secuta

tùm vacatio in Curia, ùt optimè docuisse Archidiaconum *in c. 2. de præb. in 6. n. 1.* ait Lott. *cit. n. 28.* de quo vide etiam, quæ ipse Lott. tradit *l. 3. q. 14. n. 44. & 45.* Ad quam tamen rationem respondet Engels, id verum, si resignatio plenum effectum sortita sit; secùs si propter mortem intra viginti dies resignatio sit nulla, seu annullata, ùt contingit in præsenti vi regulæ; tunc enim beneficium non vacare per resignationem, sed per obitum, ergo extra Curiam, si obitus hic contingat extra Curiam; quam tamen vacationem in Curia, adeóque adhuc ortam ex ea reservationem, ùt sustinet Rebuff. apud Lott. *cit. q. 15. n. 22.* ut) & Rota *decis. illa 419. p. 1. divers.* apud Lott. *n. 27.* fundant se in eo, quòd regula hæc de infirmis non annullat istiusmodi resignationem, sed solùm collationem vi illius factam. Verùm hujus contrarium responsum fuit suprà ex eod. Lott. Secundò, ùt Paris. *n. 9.* quòd ex manuum Papæ appositione sit reservatum, dum in ejus manus resignatio facta, & is eam admisit: & licèt hæc manuum appositio non sit sortita effectum suum, nihilominùs inducat affectionem & reservationem, ùt patet ex eo, quòd eò ipsò, quo Papa mandat provideri de beneficio, etiamsi non sequatur provisio, inducatur tamen affectio & reservatio. Ad quod iterum respondet Engels: quòd ex manuum appositione nascatur affectio, id regulariter intelligi posse extra casum specialem hujus regulæ & similes, ubi ex ratione, quæ est anima legis, colligi potest, non fuisse Papæ intentionem, per manûs suæ appositionem præjudicare Ordinariis; quin & Garciam *loc. cit. n. 154.* generaliter docere; manûs appositionem super beneficio non afficere seu reservare beneficium, si resignatione quavis de causâ irritâ beneficium vacet dein per obitum. Tertiò ùt Paris. *n. 10.* quòd quamvis regula decernat vacare per obitum, non tollat tamen ideo effectus resultantes ex resignatione factâ in manibus Papæ, & ejusdem admissione, sed id dicat ad tollendum, ne vacet ex ipsa resignatione factâ ad favorem alterius. Ad quod iterum dicit Engels, jam responsum, dum negatum ex admissione resignationis nullius seu annullatæ resultare hunc effectum reservationis, proinde in hac dandæ rationis difficultate viam aliam, obscuram tamen aliquantum, init Lotter. *cit. q. 15. ferè à n. 42.* cujus hoc ferè compendium: regula duo facit; primò decernit, collationem jam factam (intellige in vim resignationis resignante mortuo intra viginti dies) nullam & in hoc non procedit fingendo, sed disponit secundùm veritatem, præsumit enim fraudem admissam in actu resignationis, quæ fraus, cùm sit intenta ad decipiendum Papam, removet in Papa consensum, ut non possit videri tali resignationi detulisse (cùm neque unquam ob dictæ fraudis præsumptionem tali resignationi deferat, nisi cum ista quasi conditione, si resignans supervixerit viginti dies) Lott. *n. 42. & 43.* dein regula mox inducit vacationem per obitum illius, qui de facto resignavit (intellige, si moriatur intra viginti dies) neque in hoc casu præexistere aut præexistitisse veram vacationem per resignationem, sustinere possumus; cùm non fuerit in hoc casu resignatio admissa ex defectu voluntatis Papæ, defectu nimirum quasi conditionis superviventiæ, adeóque nec jus unquam abdicatum à resignante. Lott. *n. 44.* In ista autem inductione vacationis per obitum, esto quòd interveniat aliqua fictio, regula tamen nihil fingit circa vacationem ipsam, sed tantùm circa modum vacationis seu vacandi. Lott. *cit. n. 44.* (fictio enim circa modum non afficit substantiam, cùm hæc sint prorsus distincta, substantia vacationis, & modus vacationis, adeóque potest fingi super uno, & non super altero. Lott. *n. 46.*) non est autem hæc fictio privativa, cùm non fingat simpliciter non factum, quod factum est; neque inductiva, cùm non fingat factum, quod factum non est; sed translativa, dum ex suppositione unius tantùm facti fingit idipsum, quod factum est uno modo, factum esse alio modo. Lott. *n. 45.* Exigit tamen hæc translativa fictio duo extrema habilia, nimirum ut prius extremum, à quo debeat esse omnino verum in essentia, seu verè sic existere; posterius extremum ad quod sufficiat esse potentia. Lott. *n. 47. & 48.* Atque ità, cùm obitus sit certus, & stante nullitate collationis ex regulæ decreto certa quoque sit vacatio; possibile quoque sit, obitum contigisse tempore factæ resignationis, tempus obitûs, seu obitus retrotrahitur ad tempus tentatæ resignationis, & sic ex tunc perseveraſſe unam eandemque veram vacationem (& quia etiam possibile est obitum hunc contigisse in loco, in quo tentata resignatio, fingit quoque regula seu sustinet, hunc factum in Curia, in qua, dum resignatio facta in manibus Papæ, tentata resignatio, ùt satis indicat Lott. *n. 55.*) & hoc totum est, quod regula fingit, non secùs, ac cùm lex Cornelia fingit patrem mortuum ex eo momento, quo captus est, retrahendo tempus obitûs ad diem captivitatis, ut pupillaris substitutio sustineatur. *l. pater instituto. ff. de captivis & postlimin. reversis.* Lott. *n. 49. & 50.* Atque hoc totum operatur æquitas, quæ est fundamentum fictionis; sicut enim fraus habet duo extrema, consilium & decretum, ità æquitas, quæ nihil magis insectatur, quàm fraudes, hoc præcipuè studet, ut fraudis eventum retrahat ad tempus ipsius initi consilii, ut quàm maximè noceatur fraudatori, & prosit illi, in quem fraus intentata, ut quod postea perfectum ab initio. Lott. *n. 52. 53. 54.* Ac ità denique beneficium in præsenti casu regulæ manet reservatum, dum resignatum in manibus Papæ, non ex simplici affectione, ùt contingit in casu resignationis ad effectum productæ ex manûs appositione, (hoc enim in præsenti non est, seu est impossibile, cùm, ut dictum, resignatio non sit sortita effectum) sed ex reservatione clausa in corpore juris, nimirum in c. 2. *de præb. in 6.* nempe ob vacationem per obitum in Curia. Etsi enim dictus textus restringatur ad vacationem per obitum, hæc tamen vacatio in præsenti dicetur vacatio per obitum, ut cunque lex, nimirum hæc regula fingat hunc modum, tantum enim operatur fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero. Lott. *nn. 62. 64. 65.* & quidem per obitum apud Sedem Apostolicam, seu in Curia, regulâ hac quemadmodum obitum retrotrahente ad tempus tentatæ resignationis, sic etiam sustinente hunc obitum in loco, ubi tentata resignatio, juxta ea, quæ habet Lott. *n. 55.*

3. Respondeo ad secundum: dum hujusmodi resignatio facta extra Curiam, nimirum in manibus inferiorum Papâ, sive simpliciter, sive ex causâ permutationis, beneficium non est affectum aut reservatum Papæ, sed illud illicò conferre potest collator inferior, dum nimirum resignans verè mortuus extra mensem Apostolicum. Pirh. *cit. n. 35.* Azor *cit. q. 9.* Lott. *loc. cit. n. 57.* Paris. *cit. q. 10.*

n. 12. citans Sarnens. *hic q.* 33. *n.* 2. *&* 3. Rebuff. *hic gl.* 14. *n.* 5. Boerium *decis.* 348. *n.* 3. *&c.* & à fortiori AA. illi antè citati pro sententia prima; dum enim regula hæc imponens pœnam nullitatis resignationis, & inducens vacationem per obitum introducta ad coercendas fraudes, ne scilicet ex fraude & dolo commodum & fructum ex dictis resignationibus consequerentur resignatarii in præjudicium ordinariorum collatorum, utique spectat favorem Ordinariorum, adeóque quod in favorem illorum inductum est, æquitas postulat, ut non detorqueatur in eorum odium, & præjudicium, uti contingeret, & cederent hujusmodi resignationes in præjudicium Ordinariorum, si talia beneficia resignata, etiam in manibus Ordinariorum, essent reservata Papæ, seu subtraherentur eorum collationi. Paris. *loc. cit. n.* 13. Adde, quòd reservatio sit odiosa & restringenda, & per consequens non inducenda, nisi in casibus expressis, juxta Gemin. Bellam. Calder. &c. apud Paris. *cit. n.* 13. Jam verò regula non inducit reservationem in resignatis extra Curiam; cùm de hoc nullum in ea verbum dicatur. Paris. *ibid.* Neque etiam (quæ est ratio Lotterii *loc. cit. n.* 58.) in hoc casu factæ resignationis coram Ordinario ostendi potest reservatio ratione loci, uti factum in præcedente casu, nempe resignationis tentatæ in manibus Papæ; sive enim attendamus obitum verum, sive fictum, semper locus vacationis est extra Curiam; cùm enim regula fingat, eum obiisse tunc, cùm fuit tentata resignatio, resignatio autem tentata sit extra Curiam, nimirum coram Ordinario, impossibile est, fingere locum vacationis in Curia. Neque etiam obtendi potest reservatio ratione temporis, ùt Lott. *n.* 59. nempe mensis, in quo contigit ista ficta mors, dum nimirum tentata resignatio in mense Apostolico, quia repugnat æquitas, ùt Lott. *n.* 60. ut, quod in dicta suppositione seu fictione regulæ in favorem collatorum inferiorum introductum, in eorum odium detorqueri non debet, ùt dictum. Sicut econtra evitari nequit reservatio regulæ reservatoriæ mensium, si post tentatam resignationem hujusmodi obitus verus contigisset in mense Apostolico. Lott. *n.* 58. quia aliàs manifestè aperiretur via fraudibus contra ipsum conditorem regulæ; & sic non tantùm non consisteret æquitas pro retractione seu translatione temporis obitûs, sed palpabilis insurgeret iniquitas, ut ideò hoc casu non adeo observari debeat vis hujus regulæ fingentis, quin prævaleat vis regulæ reservatoriæ mensium, quæ dum concedit inferioribus facultatem providendi de vacantibus per obitum in certis mensibus, intelligitur de obitu naturali vero, non de civili & ficto. Ità ferè Lott. *n.* 61.

4. Porrò ampliatur responsio, ut licèt Ordinarii contulissent tale beneficium perperàm ùt vacans per resignationem, possint tamen denuo illud ùt vacans per obitum conferre; licèt enim regula annullet collationes talis beneficii factas in vim resignationis, non tamen ob id malè factum aufert potestatem conferendi tanquam per mortem vacans. Paris. *cit. q.* 10. *n.* 19. citans Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 12. *n.* 15. ubi etiam is *n.* 20. refertur, sic resolutum à Rota, & *cons.* 72. ubi adducat rationes, & respondeat contrariis.

Quæstio 347. *An dum tale beneficium impetratur à Papa tanquam vacans per obitum, necesse sit facere mentionem mensis, & exprimere speciem vacationis inductæ per hanc regulam?*

1. Respondeo ad primum affirmativè. Ità sentire videtur Lott. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 22. ubi ait: Nihilominus si resignatarius obtineat novam provisionem tanquam de vacante per obitum, juxta regulam teneatur exprimere mensem, aliàs ei obstat regula de mensibus.

2. Respondet ad secundum affirmativè quoque Paris. *l.* 12. *q.* 10. *n.* 23. citans Sarnens. *hic q.* 35. *n.* 4. eò quòd vacatio obitûs, de qua in hac regula, sit ficta (saltem quoad modum) & in materia ambitiosa, ùt sunt impetrationes, appellatione vacationis autem veniat vera, non ficta & qualificata. Paris. *ibidem n.* 24. *&* 25.

Quæstio 348. *An, si factâ resignatione in manibus Papæ, ante consensum præstitum (intellige, in Camera vel Cancellaria Apostolica) moriatur Papa, & post mortem Papæ præstetur nihilominus hic consensus, & resignans dein moriatur infra viginti dies à præstito consensu illo, locum habeat regula?*

Respondet negativè Paris. *l.* 12. *q.* 11. *n.* 1. ex Sarnens. *hic q.* 32. *n.* 4. dies enim illi viginti superviventiæ post præstitum consensum à regula constituti non arctabunt in hoc casu resignantem; quia regulæ Cancellariæ per mortem Papæ expirant, adeóque jam remoto obstaculo regulæ hujus, resignatio regulabitur juxta jus commune, & sic beneficium vacabit per resignationem. Paris. *ibid. n.* 2. Secùs tamen esse tradit Paris. *ibid. n.* 6. ex eodem Sarnens. *loc. cit. n.* 7. si vivente adhuc Papâ dictus consensus fuisset præstitus, eò quòd, licèt tunc moriatur Papa unà cum resignante intrà illos viginti dies à præstito consensu, locum habebit regula, eò quòd tunc semel locum habuit regula: adeóque videatur tunc etiam mortuo Papâ durare ejus effectum, ùt Decius, Anchar. Jo. And. Paris. *n.* 7. Item secùs esse, ait Paris. *n.* 4. *&* 5. in Gallia, utpote ubi regula hæc non extinguitur per mortem Papæ, quia lex regni facta est per registrationem & receptionem in Parlamento, teste Rebuff. *hic gl.* 9.

Quæstio 349. *An, qualiter (pro diversis casibus, qui hic incidere possunt) & à quibus derogetur huic regulæ?*

1. Respondeo ad primum primò: In permutationibus plerumque consuevisse Pontifices derogare huic regulæ. Paris. *l.* 12. *q.* 14. *n.* 1. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 28. *q.* 10. citantes Rebuff. *super concordat. rubric. de collat.* §. *voluimus.* Mandos. *in pr. signat. grat. tit. derogationes regular. vers. regulæ prædictæ.*

2. Respondeo ad primum secundò: In aliis resignationibus teste Mandosio *loc. cit.* sæpius derogatum tempore Leon. X. tempore verò Pauli III. non nisi rarò ex magno favore, & importunis petentium precibus. Azor *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 2.

3. Respondeo ad primum tertiò: Extra Italiam solere

solere frequenter, & quidem communiter, & de stylo, ùt Chok. *n.* 34. ex Mandos. absentium gratiâ derogari huic regulæ. In Italia verò aliquando, dum locus resignationis distat à Curia, & beneficia resignata non sunt reservata. Dum verò in ipsâ urbe vel prope illam fit resignatio, non derogari, Azor Paris. *ll. cit.* ex Sarn. *q.* 39. & Mandos. ubi antè, qui etiam dicat, derogationem hanc non videri gravem; cùm actus legitimi non solùm infirmis, sed etiam morti vicinis concedantur. Et derogationem hujusmodi concessam nobilibus & notabilibus personis, decisum fuisse aliàs à Rota, *in Salmantic.* 21. *Maij* 1540. testatur Paris. *n.* 5.

4. Respondeo ad secundùm primò: Derogationem hanc debere fieri in specie & expressè, & sic non derogari huic regulæ per clausulas generales, Azor *loc. cit.* Chok. *hic n.* 27. Paris. *n.* 7. ex Sarnensi *hic q.* 41. Mandosio *q.* 19. *n.* 17.

5. Respondeo ad secundum secundò: Sed neque per clausulas generales, nempe: *quocunque modo vacet*: positas in supplicatione resignantis mortui infra viginti dies comprehenditur iste modus vacationis per obitum fictè inductus ab hac regula, attento, quòd resignatio annulletur. Paris. *loc. cit. n.* 23. citans Sarn. *hic q.* 34. Mandos. *q.* 17. *n.* 8. Rebuff. *hic gl.* 14. *n.* 13. eò quòd, licèt expressâ vacatione simpliciter, veniat omnis modus vacationis, secundùm dicta aliàs, intelligendum tamen de vacatione quavis alia, si ea de facto contingat; quia regulariter vacatio tempore datæ verificari debet; cùm beneficia, antequam vacent, conferenda non sint; dicta autem illa vacatio per obitum fictè inducta per hanc regulam tempore datæ non contingit. Paris. *à n.* 24. Addè, quòd annullato actu principali (utì in præsenti annullatur ista resignatio vi hujus regulæ) annullantur omnes clausulæ contentæ in eo.

6. Respondeo ad secundum tertiò: Dum resignans in minimè lethali infirmitate, puta podagra vel febri quartanâ constitutus resignat, & Papa admittit hanc resignationem cum derogatione hujus regulæ per hæc verba: *quatenus ex illâ infirmitate moriatur*: infirmus autem moriatur infra viginti dies ex alia superveniente infirmitate, non censetur derogatum huic regulæ, cùm derogatio sit stricti juris, adeóque debeat in hoc casu intelligi solùm de infirmitate expressa, & non trahi ad aliam infirmitatem supervenientem. Paris. *loc. cit. n.* 30. ex Sarn. *hic q.* 27. dicens, ab hac opinione non esse recedendum in judicando & consulendo. Quin & Sarnensem *cit. q.* 27. *n.* 3. idipsum ampliare, ait Paris. *n.* 33. ut, si derogatio concessa foret per verba: *si ex quartana moriatur*: locus adhuc sit regulæ, si postea quartana illa alteretur in febrim periculosam, ex qua moriatur intrà viginti dies; eò quòd qualitas superveniens alteret subjectum, & reponat in diversam speciem.

7. Respondeo ad secundum quartò: Dum quis secundò resignat per procuratorem, & in hac secunda resignatione Papa derogat huic regulæ, non sanatur propterea prima resignatio, moriente nimirum resignante intrà viginti dies ab illa propter derogationem regulæ factam in secunda resignatione. Paris. *nu.* 34. ex Sarnens. *hic q.* 40.

8. Respondeo ad secundum quintò: in casu, ubi habens à Papa primò privilegium resignandi cum derogatione hujus regulæ, resignat dein tempore alterius Papæ, & moritur intrà viginti dies ab hac resignatione, beneficium non vacabit per obitum, sed manebit derogatum huic regulæ. Etsi enim regulæ Cancellariæ conficiantur de novo ab unoquoque Pontifice sub initium Pontificatûs, ex quo tamen talis erat privilegiatus à demortuo Pontifice, & lex alterius Papæ superveniens non potest eum spoliare illo privilegio non factâ de eo mentione, derogatum adhuc manebit regulæ vi istius privilegii perdurantis. Paris. *n.* 38. testans sic resolutum à Rota *in Civitatens. portionis.*

9. Respondeo ad tertium primò: Papam posse derogare huic regulæ etiam in beneficiis, quæ dantur ad nominationem Regis, tradit Paris. *loc. cit. n.* 39. citato Gabriel *cons.* 93. *n.* 9. *vol.* 2. contra Rebuff. *in concord. ad reg. ad Prælator. nominat.* §. 1. eò quòd regi non præjudicetur per talem derogationem, dum Papa solùm tollit fictionem à se inductam, quâ sublatâ, veritati locus est. Et sicut Papa potest illam regulam non facere, de quo rex conqueri non potest, ità & derogare. Sic quoque Papam per se vel suum legatum posse, & de facto per derogationem istiusmodi concessam in favorem, & ad supplicationem privati alicujus, præjudicare nominatis ab Universitatibus, si resignans de eadè infirmitate moriatur intra viginti dies in mensibus aliàs iis Universitatibus concessis, refert Chok. *hic n.* 28. ex Auctore Analytici Commentarii, qui etsi *nu.* 130. latè disputet pro negativa, *n.* tamen 141. *&* 164. resolvit tandem, meliùs facturos, si tales nominati acquiescant derogationi hujusmodi Pontificiæ, cùm de facto tolerentur ejusmodi derogationes, etiam in præjudicium Ordinarii & patroni Ecclesiastici. Sic quoque valere derogationem hujusmodi factam per Legatum in præjudicium graduatorum & nominatorum in illorum mensibus, & sic statutum in Senatu Parisiensi testatur Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 169. *n.* 16. quem quoque de hoc vide *p.* 2. *c.* 4. §. 7. *n.* 29.

10. Respondeo ad tertium secundò: Legatum, etiam de latere, non posse derogare huic regulæ, quia inferior non potest tollere constitutiones & decreta Superioris. Azor *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 8. *&* 9. ex Sarnens. *hic q.* 41. in Mandos. *q.* 19. Potest tamen idipsum Legatus, utì & quilibet alius inferior, ubi ad hoc haberet specialem & expressam facultatem à Papa. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 21. quin & Legatum habentem hanc potestatem, dum requiritur, teneri derogare, ait *loc. cit. n.* 15. Tond. loquens de Gallia sua.

11. Respondeo ad tertium tertiò: Legatus habens potestatem derogandi regulis Cancellariæ editis & edendis (idem est de alio quolibet inferiore habente hanc facultatem, ùt Chok. *n.* 34.) potest derogare eo ipso & huic regulæ de infirmis. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 13. citans Rebuff. *super concord. de collat.* §. *præfatique Ordinarij*. Mandos. *hic q.* 19. *n.* 7. ubi etiam dicat, esse hanc opinionem æquiorem & rationabiliorem, ne infiniti decipiantur credentes tales derogationes esse legitimas & juridicas; pro qua sententia existere quoque placitum Curiæ Parisiensis apud Paponium *l.* 11. *tit.* 5. *arresto* 14. testatur Chok. *n.* 35. contra Sarnens. *cit. n.* 41. referentem pro se binas Rotæ decisiones, & nixum hac potissimùm ratione, quòd verisimile non sit, Papam istiusmodi verbis voluisse dare facultatem derogandi huic regulæ; cùm gratia Prin-

cipis semper intelligatur concessa sinè præjudicio tertii, quale per talem derogationem crearetur Ordinariis. Nam concessâ derogatione regularum in genere, debet censeri concessa potestas derogandi cuilibet regulæ; cùm genus contineat sub se species omnes, & indefinita æquivaleat universali. Procedítque id eo attento, quòd in istiusmodi indulto, dum conceditur hujusmodi potestas, soleat apponi clausula largissima, nimirum: *quarum omnium & aliarum tenores, etiamsi de iis expressa mentio facienda esset, &c. ac si de verbo ad verbum &c.* Paris. *à n.* 14. ubi etiam *n.* 18. & 19. respondet breviter ad rationes Sarnensis. Primò negando, verisimile non esse, Papam concessisse talem facultatem. Secundò, dum sumus in claris, non esse opus conjecturis desumptis in præsenti à præjudicio tertii.

PARAGRAPHVS V.

Quibus resignari possint beneficia?

Quæstio 350. *An, & qualiter non nisi idoneo & digno fieri possit resignatio?*

1. Respondeo primò: Beneficia nonnisi idoneis resignari possunt, alioqui nulla est resignatio. Paris. *l.* 4. *q.* 1. *n.* 2. dicens communem & receptam omnium DD. sententiam. Et ratio est, quia beneficium non potest conferri nisi idoneo. *c. cùm in cunctis. de elect.* ubi communiter DD. Unde regulare est, ut in commissione potestatis conferendi, & recipiendi resignationem semper subintelligatur, *dummodo digno*, Paris. *loc. cit. n.* 4. ex Butrio *in c. constitutus. de concess. præb. n.* 2. habéatque ferè locum de resignatione, quæ in hoc puncto idoneitatis providendi idoneis de beneficio dicta sunt de præsentatione, electione, quin & collatione nonnisi idoneo faciendis, quæ revidenda pro sequentibus quæstionibus, quibus proinde pleraque nonnisi breviter perstringemus. Porrò tunc idoneus censebitur resignatarius, ubi habebit qualitates omnes, quas beneficium resignatum requirit, intellige, secundùm Canonum vel Conciliorum decreta aut statuta specialia, vel denique ex dispositione fundatoris.

2. Respondeo secundò: Capacitas seu idoneitas resignatarii debet adesse à principio, & non juvat, si postmodùm superveniat. Paris. *n.* 10. *juncto n.* 13. & 14. cum communi, id dein variè exemplificans. Unde si (dum resignatio fit in Curia) à principio tempore datæ & consensûs extensi à tergo supplicationis erat incapax, resignatio nulla est, nec convalidatur per supervenientem habilitatem. Paris. *n.* 13. citans Anchar. *in c. si eo tempore. de rescrip. in 6. n.* 2. Gloss. *ibid. v. effectum.* Rotam *in Glasquin. Præceptoriæ* 23. *Martii* 1547. Idcirco resignatarius adeptus postmodùm habilitatem, non poterit consequi illud beneficium resignatum, nisi novo consensu (intellige resignantis) & novâ Papæ provisione. Paris. *loc. cit. n.* 19. dicens sic censuisse Rotam, & hanc opinionem servari in praxi.

3. Respondeo tertiò: Resignans in favorem indigni peccat. Paris. *l.* 4. *q.* 11. *n.* 34. citans Rodoan. *de simon. mentali. p.* 2. *c.* 10. *n.* 6. Soto *de justit. & jure. q.* 6. *a.* 2. Navar. *tr. de orat. miscellan.* 38. *n.* 7. *& in Man. c.* 23. *n.* 107. Rebuff. *in pr. ad reg. de infirmis. gl.* 14. *n.* 3. ubi etiam dicat, teneri talem ad interesse Ecclesiæ. Etsi enim resignantes non sint collatores, neque conferant illa, sunt tamen causa conferendi illa, & sic sunt causa damni illati Ecclesiæ. Paris. *cit. q.* 11. *n.* 35. Et quidem peccat mortaliter procurando hac ratione per suam resignationem, ut promoveatur indignus. Paris. *ibid. n.* 37. Neque verum est, quòd Papa admittendo resignationem in favorem indigni videatur tollere peccatum, quod est in resignante, quemadmodùm tollit simoniam; quia illud in pactis redolentibus simoniam speciale est, quòd tollatur simonia per admissionem Papæ. Paris. *n.* 35. *juncto n.* 38. Neque verum est, quòd Papa providendo de illo beneficio huic resignatario indigno videatur cum eo dispensare. Paris. *loc. cit. n.* 34.

Quæstio 351. *Qualiter resignatario reperto inidoneo & reprobato provideatur beneficium?*

Respondeo: De hoc actum satis suprà in quæstione, qualiter resignatio conditionalis inducat vacationem, potissimùm ex Lotterio *l.* 3. *q.* 14. ubi etiam *n.* 63. quòd, si resignatarius repertus inhabilis per executorem rejicitur, beneficium providebitur rursus ex vacatione per resignationem, utpote necdum consumpta.

Quæstio 352. *An resignatarius in favorem teneatur resignare magis idoneo?*

Respondeo negativè, sive necesse non esse, ut quæratur, vel etiam assumatur dignior seu magis idoneus; sed sufficit, resignare digno, etiam præterito digniore. Azor *instit. mor. p.* 2. *l.* 6. *c.* 15. *q.* 10. contra Paris. *l.* 4. *q.* 11. *n.* 39. tenentem, peccare talem resignantem, non secus ac eum, qui omisso digniore eligit aut præsentat minùs dignum, pro quo citat plurimos; quamvis *ibidem n.* 43. tradat, non peccare resignantem, dum resignat in favorem æquè digni, ac ipse est; eò quòd, cùm ipse poterat retinere hoc beneficium, non peccet, si procuret, ut conferatur ei, qui æquè dignus est ac ipse; sicuti Doctor, qui potest legere pro seipsum non peccat, sed satisfacit substituendo æquè peritum. Resignans enim non eligit, sed jus suum, quod in beneficio habet, in alterum Superioris consensu transfert, & alium in locum suum substituit. Adeóque satis est, si dignum substituat, seu etiam subroget æquè dignum & aptum (intellige, modò tamen ipse resignans dignus sit & aptus) ac se, etiamsi alius suppetat dignior & magis idoneus. Neque enim hac ratione violet justitiam distributivam, quia bona Ecclesiæ communia in plures non dividit, sed rem suam in alterum transfert legitimâ Superioris auctoritate. Neque commutationem, cùm non noceat Ecclesiæ procurando illi ministrum idoneum, Azor *loc. cit.* ubi etiam, quod idem sit in permutatione, seu de eo, qui beneficium suum cum altero permutat, nimirum, quòd satis sit, si compermutans ille sit dignus beneficio.

Quæstio

Quæstio 353. *An, & qualiter beneficium resignari possit laico?*

1. Respondeo: Resignatio facta in favorem non tonsurati seu laici est nulla, & nihil per eam consequitur resignatarius. Paris. *l.* 4. *q.* 2. *n.* 1. dans rationem, quia beneficium laico conferri nequit; unde jam formari poterat hæc major: illi beneficium nequit resignari, cui nequit conferri; hinc quoque laicus juxta dicta aliàs ad beneficium præsentari nequit: quod ipsum tamen Paris. *cit. q.* 2. *n.* 6. testatur, limitatum à Rota *in Imolensi jurisp.* 19. *Nov.* 1584. ut non procedat, si præsentandus fuerit proximè clericandus, eò quòd in hoc casu præsentatus non sit penitus indignus; cùm ante institutionem sit tonsuratus.

2. Ampliatur responsio primò, ut procedat, etiamsi resignatarius tempore resignationis admissæ reputetur clericus. Paris. *n.* 9. Etsi enim communis reputatio faciat jus, & dicatur sufficere, aliquem esse habilem communi hominum reputatione, hoc tamen solùm procedit quò ad validitatem gestorum per talem; non autem communis hic error reddit eum habilem. Paris. *à n.* 21. Dum enim hujusmodi probatio clericatûs orta ex communi errore est præsumptiva, evanescit, dum subintrat veritas, & constare incipit, illum non esse clericum. Paris. *n.* 24. *&* 25. In tantùm tamen hæc communis reputatio prodest resignanti, ut non amittat jus in beneficio resignato, sicut illud amitteret, dum sciens hanc aut similem inhabilitatem alicujus, tamen in eum resignaret. Paris. *n.* 26.

3. Ampliatur secundò, ut procedat etiam in clerico conjugato, utpote qui ex dispositione juris habetur ùt laicus, & ideo prohibetur habere beneficium Ecclesiasticum etiam simplex, in quo Episcopus nequit dispensare. Paris. *à n.* 27. *juncto n.* 99. *& seq.*

4. Ampliatur tertiò, ut procedat etiam in laico etiamsi is sit conversus vel religiosus; etsi enim gaudeat privilegio Canonis: *si quis suad.* non tamen ei resignari possit beneficium ante tonsuram clericalem. Paris. *n.* 30. *&* 31. citans Butrium in *c.* 2. *de institut.* & Rebuff. *de pacific. possessor. n.* 224.

5. Econtra limitanda responsio, primò juxta Parisium *n.* 35. ut si resignatio tali die fuisset admissa, quâ resignatarius factus clericus, valeat resignatio, eò quod, ùt Paris. *n.* 36. ubi ad essentiam seu substantiam actûs aliquid debet esse prius altero, si utrumque reperiatur factum eâdem die, præsumatur in dubio, præcessisse id, quod debebat præcedere pro validitate actûs, ùt Felin. *in c. pastoralis. de rescript. n.* 5. Sed quod si patescat dein veritas, illum tempore admissæ resignationis non fuisse clericum, utique evanescit ista præsumptio, & nulla censebitur resignatio, nisi de novò admittatur, juxta dicta paulò antè *hâc eâdem quæst.* ex Parisio.

6. Limitanda secundò, ut non procedat in resignatione hospitalis; cùm illud dari possit in administrationem laico, juxta *Clem. quia contingit. de relig. domib.* Paris. *n.* 41.

7. Limitanda tertiò, ut non procedat, dum laico resignari potest beneficium dandum illi non in titulum, sed in sustentationem pro utilitate & servitiis Ecclesiæ. Paris. *n.* 45. citans Hojed. *de incompat. benef. p.* 1. *c. ult. n.* 76.

8. Limitanda quartò, ut resignari possit beneficium in favorem laici, valeátque resignatio, etiamsi tempore datæ & consensûs præstiti esset laicus, si provisio facta eidem resignatario habeat hanc clausulam: *quamprimùm clericali charactere fuerit insignitus.* Paris. *n.* 46. dicens sic sæpe firmatum à Rota, & opinionem hanc veram & claram ex omnimoda potestate, quam habet Papa in beneficialibus, ac proinde conferre potest beneficia, & pensiones reservare sub conditione ad tempus, & pro ùt ei placitum. Adeóque vides, hoc solùm procedere in resignatione, quam recipit, & in provisione, quam fecit Papa, quia inferiores illam potestatem non habent. Subjungit nihilominus Paris. *n.* 81. hodie, id est, tempore ipsius, ùt audiverat, difficulter concedi hujusmodi gratias, & quando concederentur, si est in Curia ille, qui fieri debet clericus, retineri supplicationem signatam, donec ordinetur, si est absens, committi Ordinario, ut eum ordinet, & postea conferat. Porrò in dicto casu, cùm tam gratia, quàm ipse consensus sit conditionalis, adeóque ante conditionis eventum non censeatur præstitus, jus à resignante non abdicari, stante clausula: *& non aliter:* tradit Paris. *à n.* 50. & consequenter posse resignantem percipere fructus, donec talis resignatarius fiat clericus, cùm conditio operetur, ut jus interim maneat cedenti, & fructus ad eum spectent; quemadmodum & pensione translatâ in scholarem cum clausula: *quamprimùm clericali charactere fuerit insignitus*, posse eum, qui transtulit pensionem, pensionem istius termini exigere ante clericatum illius, id est, donec ille fiat clericus, tradit idem Paris. *n.* 53. 54. 55.

Quæstio 354. *Quid si in hoc casu admissæ resignationis cum dicta clausula, talis resignatarius Clericus factus fuisset priùs post mortem resignantis, an resignatio adhuc effectum suum, & resignatarius beneficium resignatum consequatur. Idem est de pensione translata in hoc casu cum dicta clausula?*

Respondeo, affirmativam tanquam probabilem sustineri à Paris. *loc. cit. n.* 77. *&* 78. contra Gabriel. *cons.* 186. *à n.* 14. *l.* 1. eò quòd hujusmodi reservatio pensionis fiat auctoritate Papæ, qui reservat in eventum conditionis, & mors vel vita resignantis nihil ad rem faciat; cùm Papa sit, qui jus transferentis pensionem & resignantis beneficium extinguat, & novum jus creet, ùt Paris. *n.* 79. & cùm resignans propositum mutare non possit, nulla ipsius ratio haberi debeat, sed solùm Papæ & resignatarii. Paris. *n.* 75. ex Card. Paris. *cons.* 11. *n.* 49. *vol.* 1. Et si mors Papæ, qui fecit gratiam sub conditione, non impediat, quò minùs conditione impletâ seu existente jus acquiratur, ùt Gemin. *in c. si cui. de præb. in* 6. multò minùs impediet mors resignantis vel transferentis. Paris. *n.* 80. Adde, quòd mortuo resignante ante impletionem conditionis non possit dici, quòd jus illud extinguatur, & beneficium morte vacet, quia quamdiu resignatio potest sortiri effectum suum, non potest interim beneficium per mortem vacare, ùt Sarnens. *de impetrat. benef. per obit. Car. din. q.* 10. Paris. *n.* 76. nullatenus etiam dici posset, in hoc casu resignationem fieri à mortuo;

cùm resignatio fuerit admissa vivente resignante, & effectus ejus solùm suspensus auctoritate Papæ, usque ad clericatum resignatarii: & cùm conditio concernat solùm habilitatem recipientis, qui tempore actûs erat inhabilis, satis est, ut in voluntate Papæ, etiam resignante mortuo, fiat habilis. Paris. *num.* 74.

Quæstio 355. *Num resignari possit beneficium ei, qui quidem laicus non est, est tamen factus clericus ab Episcopo non suo, sine consensu proprii Episcopi. Idem est de eo, cui resignatum beneficium, & facta gratia sub dicta clausula:* quamprimum factus fuerit clericus; *an subsistat resignatio, suscepto clericatu ab Episcopo non proprio?*

REspondeo negativè: Sive de eo pariter quò ad hoc loquendum ac de laico. Paris. *num.* 58. juncto *n.* 82. citans Rebuff. *de pacif. possessor. n.* 227. Gemin. *cons.* 133. &c. quia talis exercitium sui clericatûs non habet, seu irrita est collatio talis clericatûs quò ad exercitium. *c. cum nullus. de tempor. ord. in 6.* estque suspensus, & per consequens ei conferri nequit beneficium, aut reservari pensio, juxta DD. in *c. quod translationem. de elect.* Paris. *nu.* 60. siquidem paria sunt, non habere characterem ad effectum beneficia consequendi, & habere tali modo, ut careat executione, ùt Card. *in clem. ti qui. q.* 17. *de ætate & qualitate. n.* 21. Paris. *n.* 64. Unde nec resignatio conditionalis purificatur per existentiam conditionis nullius, quia gratia conditionalis est, & in diem characteris ritè susceptì prolata; dum enim Papa contulit in tempore, quo esset clericali charactere ritè insignitus, intellexit, ità eum insigniri debere, ut esset capax gratiæ. Paris. *n.* 61, & 62. Secus tamen est, seu valebit resignatio, uti & satis est ad effectum executionis clericatûs, si proprius Episcopus consenserit ante vel post actum, ratificando illum. Paris. *n.* 66. juncto *n.* 87. Porrò probari talem licentiam proprii Episcopi assertione ordinantis, tradit Paris. *cit. n.* 66. citans Oldr. *cons.* 15. *n.* 3. &c. Vel etiam, quia Episcopus ordinans in literis clericatûs attestetur de licentia proprii Episcopi. Vel quia proprius Episcopus postea ei ùt clerico contulit beneficium. Paris. *n.* 67, & 68.

Quæstio 356. *An beneficium resignari possit criminoso, & infami?*

1. REspondeo primò in genere distinguendo: Si crimen tale est, ut reddat indignum, nulla est resignatio. Paris. *l.* 4. *q.* 3. *nu.* 2. citans Felin. *in c. postulasti. de rescript.* Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 11. *n.* 157. Menoch. *de arbitr. jud. casu* 202. *nu.* 37. &c. Secus est, si crimen non reddat indignum. Paris. *nu.* 3. citans Menoch. *ubi ante.* Roch. *de jurep. v. honorificum. q. princ.* ac dicens, hanc distinctionem tradi in *c. grave nimis. de præb.* & firmatam à Rota *in Dertus. sacristia.* 10. *Feb.* 1547. Pro regula verò, quæ crimina indignum & inhabilem reddant, ex Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 9. *nu.* 23. hanc tradit Paris. *loc. cit. n.* 4. ut ea delicta, quæ inducunt privationem, excommunicationem & infamiam juris vel facti, reddant indignum. Et quidem, quòd crimen, ob quod quis privandus venit, inducat hanc indignitatem, ratio est, quòd faciliùs quis prohibeatur à beneficio consequendo, quàm privetur jam acquisitò. Paris. *n.* 5. Quò ad excommunicationem verò, ratio est, quòd excommunicati admitti non debeant ad res Ecclesiæ, cùm sint extra Ecclesiam. *c. dilectus. de rescript.* Paris. *num.* 6. quò ad infames, quia sunt privandi, ùt Lamb. *loc. cit. nu.* 15. Paris. *num.* 7.

2. Respondeo secundò in particulari: Resignari non posse. Primò beneficium homicidæ. Paris. *n.* 8. citans Rebuff. *de pacif. possess. num.* 258. Secundò perjuro. Paris. *nu.* 10. juxta *c. querelam. de jurejurando.* Tertiò hæretico, cùm nec ille habere possit beneficium. Paris. *nu.* 14. extenditur hoc ipsum ad hæretici filios. Paris. *n.* 15. citans Hojed. *de incomp. benef. p.* 1. *c. ult. num.* 6. Quartò schismatico. *c. nos consuetudinem. d.* 2. Paris. *num.* 18. Quintò sortilego *c.* 1. *de sortileg.* cùm comparetur hæretico. Paris. *a num.* 21. Sextò sacrilego, cùm neque is consequi possit beneficium. *c. venerabilem, de elect.* Paris. *nu.* 23. citans Abb. & alios *in c. conquestus. de foro compet.* Septimò falsario literarum Apostolicarum. *c. ad falsariorum. de crimine falsi.* Paris. *n.* 24. Octavò usurario publico, utpote incapaci obtinendi beneficium. *c. de Petro. d.* 47. Paris. *nu.* 26. citans Rebuff. *de Pacif. poss. n.* 281. quia, ùt idem *ibid.* est infamis. Nonò apostatæ. Paris. *n.* 30. Undecimò reo læsæ majestatis. Paris. *n.* 29. Duodecimò lusori ludorum prohibitorum non posse resignari beneficium curatum, tradit Paris. *n.* 65. testans sic resolutum à Rota *in Pampilonens. Paroch.* 21. *Maii* 1574. cùm aleator indignus sit, cui conferatur beneficium: & si est publicus, nulla sit ipso jure collatio illi facta; & si est occultus, facta ei collatio sit irritanda. Paris. *nu.* 67. ex Abb. & aliis *in c. inter dilectos. de excess. Prælator.*

3. Respondeo tertiò: Notoriè infami resignari nequit beneficium. Paris. *loc. cit. n.* 43. citans Abb. Hojed. Rebuff. &c. Porrò Papa admittendo resignationem in favorem dictorum inhabilium, tametsi, sciat inhabilitatem non videri cum iis dispensare, stante regulâ Cancell. 46. (ubi hæc habentur: *Item per quamvis signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat aut operetur:*) tradit Paris. *loc. cit. n.* 63. & 64. dicens, id esse valde notandum; cùm aliàs communiter scribant DD. Papam vel Imperatorem promovendo inhabilem, censeri cum eo dispensare.

Quæstio 357. *An irretitis censuris Ecclesiasticis resignari possit beneficium?*

1. REspondeo primò: Non potest resignari beneficium excommunicato. Paris. *l.* 4. *q.* 3. *n.* 44. dicens sic resolutum à Rota *in Gnesnens. Præceptor.* 23. *Mart.* 1547. Similiter permutationem beneficii factam excommunicato, vel cum excommunicato esse nullam, tradit Paris. *loc. cit. n.* 45. citans Covar. *in c. alma mater. p.* 1. *c.* 7, *num.* 2. Cosmam *in pragm. sanct. tit. de collat.* §. *insuper.* cùm collatio facta excommunicato sit ipso jure nulla *c. postulastis. de clerico excomm.* Paris. *num.* 47. citatis plurimis. Idque etiamsi postmodum secura fuisset legitima absolutio. Paris. *nu.* 50. citans Archid. *in c. postulastis.* plura de hoc vide infrà, ubi, an cum excommunicato fieri possit permutatio. Limitanda tamen responsio: nisi in provisione facta in favorem excommunicati (idem est de aliis, censuris irretitis; puta, suspensis &c.) apponatur clausula

apponi

apponi solita in literis Apostolicis: *teque à quibusvis* &c. hæc enim cæusula tollit impedimentum proveniens ex censuris, Paris. *nu.* 53. citans Nav. *cons.* 28. *n.* 18. *in fine. & n.* 21. *de sent. excomm.*

2. Respondeo secundò: multò minùs resignari potest beneficium in favorem excommunicati insordescentis in excommunicatione, seu per annum sustinentis illam animo obdurato; cùm is similis sit hæretico juxta Trid. *sess.* 25. *c.* 3. Paris. *à n.* 54. Neque in hoc casu insordescentiæ valet resignatio admissa cum dicta absolutione à censuris poni solita in literis Apostolicis. Paris. *n.* 57. citans Rotam *in Seguntina Canonicatûs.* Idque in odium ipsius, qui videtur parvi pendere censuras, unde in *regulâ Cancell. de insordescent. Sixti V.* sic statutum est: *ne præsetur occasio censuras ipsas vilipendendi, & insordescendi in illis, ne generales absolutiones appositæ in literis suffragentur his, qui scienter excommunicationis sententiam per quatuor menses sustinuerint* &c. ex qua regula, ùt Paris. *nu.* 57. satis colligitur, quòd excommunicato ità demum suffragetur dicta absolutio apponi consueta in literis, si non sustinuerit excommunicationem ultra quatuor menses.

3. Respondeo tertiò; neque suspenso ab officio & beneficio potest resignari beneficium; cùm sit beneficio indignus propter prohibitam executionem ordinis. Paris. *n.* 59.

4. Respondeo quartò: neque irregulari resignari potest beneficium; cùm facta ei collatio sit nulla. *c. in cunctis. de elect.* Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 7. *n.* 1. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 28. & irregularis nequeat retinere beneficia acquisita post irregularitatem, ùt Nav. *cons.* 3. *de homicidio*; etsi, ùt dictum aliàs, ob irregularitatem supervenientem non vacent ipso jure, ùt Nav. *cons.* 3. *de homicid.* Paris. *à n.* 32. subdens *n.* 40. ex Nav. *cons.* 66. *n.* 1. *de sent. excomm.* collationem factam irregulari non valere, etiamsi posita fuerit dicta clausula: *absolventes te à censuris* &c. quia Papa non videtur absolvere ab irregularitate, nisi exprimat. Paris. *nu.* 41. ex Nav. *in man. c.* 27. *n.* 254.

Quæstio 358. *An possit beneficium resignari senibus, infirmis, mente captis, illiteratis?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Paris. *l.* 4. *q.* 8. *n.* 3.

2. Respondeo ad secundum affirmativè; modò tamen infirmitas non sit longi temporis, quæque impediat, ut præstare ea non possit, quæ beneficium requirit. Paris. *l.* 4. *q.* 8. *n.* 1. *&* 2.

3. Respondeo ad tertium negativè; collatio enim facta furioso habetur pro non facta. Paris. *l.* 12. *q.* 4. *n.* 1.

4. Respondeo ad quartum: penitus illiterato & ignoranti non potest resignari beneficium quia est beneficio indignus, & collatio ei facta non tenet. Paris. *cit. q.* 4. *n.* 2. Idque intelligendum, ait Paris. *ibid. n.* 4. de eo, qui est Analphabetus, seu qui prima grammatices rudimenta non didicit; uti & hunc defectum esse indispensabilem ait *n.* 5. ex Felin. *in c. inquisitionis. de sent. excomm.* Majol. *de irregular. l.* 1. *c.* 32. &c. eò quòd, ùt idem Paris. *loc. cit. nu.* 7. ex Turrecrem. *in c. si in laicis. d.* 38. literatura requiratur jure divino.

****
**
*

Quæstio 359. *An beneficia resignari nequeant iis, qui non intelligunt, & intelligibiliter loqui sciunt idioma loci, ubi sunt beneficia: vel etiamsi id sciant, sunt tamen exteri à regno vel civitate?*

1. REspondeo ad primum: Resignari nequeunt iis beneficia curata. Paris. *l.* 12. *q.* 7. *num.* 5. juxta *reg. Cancell. de idiomat.* quæ est 19. producta à Gregor. XIII. annullantem provisionem, mandatum de providendo, & gratiam de tali beneficio ignoranti idioma. Sarnens. & Mandos. *ad eand. reg.* plura adducunt ad hujus materiæ declarationem, uti & Hojed. *de incompat. p.* 1. *c. ult. à n.* 43. Et inter cetera, quòd nomine beneficii curati hîc intelligatur quodcunque beneficium habens exercitium curæ animarum Parochianorum. Chok. *ad dictam reg. n.* 7. Item Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus; cùm nomine beneficii in materia favorabili & juri consona veniant & hæ dignitates. Quamvis hodie, dum conferuntur per Papam consistorialiter, & causa cognita, censeantur provisi tacitè ad illas dispensati; etsi sit rarissimum, ut alienigenis conferantur. Chok. *loc. cit. nu.* 8. comprehenduntur item hâc regulâ Vicarii perpetui. Chok. *n.* 10. ex Gomes. *hic q.* 11. Item beneficia electiva. Chok. *ibid.* ex Mandos. *hic q.* 2. Item commendæ. Chok. *n.* 9. citans Gomes. *q.* 5. Rebuff. *ad hanc reg. gl.* 2. *n.* 2. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 8. *n.* 22. contra Simonet & Crescentium. Locum quoque habet hæc regula in Ordinariis, imò & legatis Apostolicis, ità ut non valeat provisio talis beneficii, ab iis facta ignoranti idioma populi. Chok. *n.* 14. citans Gomes. *hic q.* 6. auctorem comment. Analyt. *hic n.* 42. eò quòd, ubi Papa voluntatem vel potestatem suam limitavit, censeatur & limitasse facultatem sui legati *c. in generali. de reg. juris in* 6. contra Mandos. *hic q.* 3. *n.* 14. quem sequitur Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 28. *q.* 11. (quamvis is addat, ignarum linguæ non esse idoneum ad docendum & monendum populum, quod tamen officium est Rectoris Ecclesiæ; adeóque expedire revera, ne legatus tali ignoranti conferat beneficium) censentes, hanc regulam solùm loqui de beneficiis, quæ auctoritate Papæ providentur, ac proinde pœnam in ea constitutam non trahi ad Ordinarios vel Legatos beneficia conferentes. Cessaret tamen dispositio hujus regulæ, ubi Papa ex certa scientia, & motu proprio conferret Parochiam non intelligenti idioma, eò quòd præsumatur dispensatio. Chok. *n.* 16. ex Glossatore antiq. & Mandos. *hic q.* 5. *&* 6. contra Gomes. *q.* 12. & Auctorem comment. Analyt. *hic nu.* 143. Multóque magis cessaret dicta dispositio hujus regulæ, ubi Papa dispensat per rescriptum, etiamsi dispensaret per gratiam *perinde valere*, modò in ea sint expressa illa, quæ debent exprimi. Chok. *n.* 16. *juncto n.* 18. citans Rebuff. *in pr. ad hanc reg. gl.* 2. *n.* 15. *& in addit. ad hanc reg. in fine*, ubi etiam habet formam, sub qua rescribit Papa, in hoc casu dispensans. Denique cessare hanc regulam in collatione aliorum beneficiorum, nempe non curatorum, tradit Chok. *n.* 15. remittens ad Guimier. *in pragm. Sanct. in proœm. v. exterorum.*

2. Respondeo ad secundum: beneficium (intellige, etiam simplex) non potest resignari extero à regno, ubi viget consuetudo immemorialis vel privilegium Papæ, ut exterus ibi habere nequeat beneficium. Paris. *l.* 4. *q.* 7. *n.* 1. uti testatur de Hispania Covar. *c.* 35. *pract. qq. n.* 5. & de Gallia Rebuff.

buff. *de pacif. poss. n. 265.* apud Paris. *loc. cit. num. 2.* Chok. *ad prædictam reg. n. 15.* ex Rebuff. *in addit. ad eand reg. in praxi.* dicens, in Gallia certum esse, quòd nec Ordinarius, nec Legatus possit alienigenæ conferre; qui si conferant, illud beneficium à regnicola impetrari posse. Et hoc privilegium non solùm prohibere extero habere Ecclesiam parochialem, sed etiam quæcunque alia beneficia absque regis beneplacito. Optátque Rebuff. *de pacif. possessor. n. 266.* apud Paris. *n. 3.* ubique esse hujusmodi constitutionem seu concessionem propter plures causas, quas commemorat Covar. *loc. cit. §. 33. n. 5.*

3. Respondeo ad tertium, beneficia patrimonialia non posse resignari illis, qui non sunt de civitate vel oppido. Paris. *cit. q. 7. n. 4.* citans Hojed. *de incompat. p. 1. c. ult. n. 86.* Mandos. *ad reg. de infirmis* &c.

Quæstio 360. *An illegitimo & bigamo resignari possit beneficium?*

1. REspondeo ad primum primò negativè. Paris. *l. 4. q. 4. n. 8.* subjungens *n. 9.* admissam resignationem in favorem talis per Papam ignorantem hunc defectum esse nullam; illegitimus enim nequit habere beneficium Ecclesiasticum, & collatio ei facta est omnino nulla ipso jure, ùt Nav. *cons. 3. n. 4. de ætate & qual.* Paris. *n. 10. juncto n. 13.* & hinc mandatum Papæ de aliquo providendo intelligitur, modò sit legitimus. Paris. *n. 12.*

2. Respondeo ad primum secundò: sed neque illegitimo dispensato ad beneficia resignari potest beneficium quale, vel etiam cujus dissimile ejus pater obtinet, vel obtinuit in eadem Ecclesia; illegitimus enim obtinere nequit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus obtinet, vel obtinuit simile vel dissimile, juxta Trid. *sess. 25. c. 15.* Paris. *cit. l. 4. q. 7. n. 6.*

3. Respondeo ad primum tertiò: Neque etiam pater potest resignare extraneo, ut is postea resignet filio suo illegitimo. Paris. *cit. q. 7. nu. 7.* citans Rebuff. *de pacif. poss. nu. 277.* juxta constit. Clem. VII. Laym. *inc. præsentiam, de filiis presbyt. n. 4. de quo alibi.*

4. Respondeo ad secundum etiam negativè: Siquidem bigamus etiamsi sit tonsuratus, est inhabilis ad beneficium, & reputatur mer laicus. Paris. *l. 4. q. 4. n. 17.* citatis pluribus.

Quæstio 361. *An resignari possit beneficium Neophyto & filio Judæi?*

1. REspondeo ad primum negativè, cùm eo reputetur indignus. Paris. *l. 4. q. 4 n. 20.* citans præter S. Paul. 1. *ad Timot. 3.* & Gregor. *l. 2. Ep. 111.* Hojed. *de incompat. p. 1. c. ult. n. 1.* sed neque ad ordines promoveri potest. Paris. *ibid. n. 21.* ex Covar. *in clem. si furiosus. p. 1. §. 3. n. 7.* Intelligendum autem hoc de recenter legem Christi professo; cùm is propriè dicatur Neophytus. Paris. *n. 22.* ex Covar. *loc. cit.* postquam enim moribus & doctrina Christiana sat instructus est, potest promoveri. Paris. *n. 23.* citans Felin. *in c. cum sit. de Judæ.* & habere beneficia, ùt Paris. *ibid.* ex Hojed. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: Filio Judæi Christiano resignari potest beneficium, etiam dignitas. Paris. *cit. q. 4. nu. 24.* quia potest habere beneficium. *c. eam te. de rescript. & c. si quis ægritudine. d. 57.* ùt Paris. *ibid.* citatis Covar. *ubi ante.* Nav. *in sum. c. 27. n. 205.* Hojed. *de incompat. p. 1. c. 23. num. 54.* quamvis talem ad sacros ordines promoveri prohibuerit Paul. IV. & confirmarit Gregor. XIII. extendens illud ad descendentes ex Mauris, ùt testatur Paris. *cit. q. 4. n. 25. & 26.*

Quæstio 362. *An beneficium resignari possit minori, & is illud acceptare resignatum sine curatore?*

1. REspondeo ad primum primò: Tametsi attento jure communi, minori 14. annis & majori 7. annis resignari possit beneficium, id tamen hodie fieri nequit, obstante Trid. *sess. 23. c. 7.* & prohibente, ut nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus constitutus ante 14. annum beneficium obtinere possit. Paris. *l. 4. q. 9. n. 2. & 3.* & sic decretum illud Trid. requirens certam ætatem in collatione locum quoque habet in resignatione, quia militat eadem ratio finalis, nimirum, ne indigni ad Ecclesiastica beneficia assumantur. Paris. *loc. cit. num. 6.* sic testans resolutum à Rota. Porrò resignatio facta in favorem non habentis ætatem requisitam ad tale beneficium est nulla. Paris. *loc. cit. num. 23* sic tentum à Rota *in Astoricens. Archidac. 9. Julii 1568.* eò quòd collatio facta tali sit nulla, ùt Paris. *n. 24.* Idque eo magis, quia Trid. habet decretum irritans. Paris. *n. 28.* Neque Papa in hoc casu admittendo resignationem, & conferendo per clausulas solitas videtur dispensare. Paris. *nu. 34.* citans Jo Monach. *in c. cum aliquibus. de rescrip. in 6.* Jo-And. *in c. si motu proprio. de præb.* Pari modo permutationem factam cum eo, qui non habet ætatem requisitam ad beneficium resignatum est nulla. Paris. *n. 25.* testans sic tentum à Rota. Hinc

2. Respondeo ad primum secundò: In specie, juxta rigorem Trid. hodie non poterit resignari Canonicatus sive in Cathedrali, sive in Collegiata minori 14. annis, ex quo tamen vide dicta aliàs de ætate requisita ad beneficia. Item minori 25. annis (intellige attactis) resignari nequit beneficium, aut dignitas curam animarum habens, cùm nemini concedatur beneficium curatum, nisi qui saltem attigerit 25. annum ætatis, juxta Trid. *sess. 24. n. 12.* Paris. *à nu. 14.* Et si habenti dictam ætatem resignatum fuit beneficium curatum, tenebitur facere se promoveri ad sacerdotium intra annum. Paris. *n. 38.* Quin etiam, dum statutum est alicubi, ut omnes illius Ecclesiæ teneantur promoveri ad sacerdotium, non solùm observari id debere in collatione, quæ fit simpliciter, sed etiam ea, quæ fit ex causa resignationis, eò quòd id onus affixum sit rei, nempe beneficio, tradit Paris. *nu. 42.* In casibus autem, in quibus requiritur ætas 25. annorum & sacerdotium, resignari beneficium habenti istam ætatem, etsi non sit sacerdos, quin etiam, etsi tempore concessionis nullos habuerit ordines sacros, eò quòd sufficiat, si talis se intra annum faciat promoveri ad sacerdotium, juxta *c. licet Canon.* & Trid. *loc. cit.* tradit Paris. *n. 36.* citatis pluribus. Quin & *n. 37.* inquit, tantum aliàs, quòd, si statutum disponat de certa præbenda non conferenda nisi actualiter constituto in sacerdotio, impetrans possit hujusmodi præbendam acceptare, & sibi facere providere licèt non sit sacerdos, modò tempore provisionis & acceptationis fuerit in tali ætate, ut infra annum possit fieri sacerdos, testans sic habere Rotam *decis. 1. de præb. in novis.*

nec

nec obstare *c. nemo deinceps.* eò quòd ibi sermo sit de commenda, quæ quia tantum durat per 6. menses, nimirum non sit, si de ea (nimirum ut sit actu sacerdos) statuatur; cùm annus ad promovendum exspectari nequeat.

3. Respondeo ad secundum primò: majorem 14. & minorem 25. annis posse acceptare absque curatore beneficium sibi resignatum. Paris. *cit. q. 9. n. 44.* citans Buratt. *cons. 411. l. 4.* Mandos. *de ætat. minorum. q. 30.* ac dicens sic teneri ab omnibus; eò quòd, dum agitur de acquirendo beneficio, agatur de lucro, quemadmodum & ideo, quia de lucro tractatur, & utile sibi negotium gerit, adire potest sinè curatore hæreditatem. *l. impuberibus. ff. de acquirend. hæredit.* Paris. *nu. 48.* tum etiam quia habet legitimam personam standi in judicio tam per se, quàm per procuratorem in spiritualibus & beneficialibus. Paris. *nu. 49.* citans *c. ult. de judic. in 6. & ibi communiter* DD.

4. Respondeo ad secundum secundò: sinè curatore quoque acceptare potest talis beneficium sibi resignatum reservatis resignanti fructibus aut pensione: Quin & ad consentiendum tali resignationi & reservationi constituere procuratorem, ità ut valida sit resignatio etiam curatore ejus non consentiente. Paris. *n. 52.* citans Bursatt. *cons. 411. l. 4.* Mandos. *ubi ante.* & binas Rotæ decis. eò quòd & hîc (quâ ratione motam ait Rotam Paris. *nu. 53.*) & in hoc casu adhuc agatur de lucro; cùm resignationes quò ad resignatarium sint favorabiles, & saltem ratione spei dicatur resignatarius acceptans agere de lucro, licèt omnes fructus sint reservati alteri, & nemo sit, qui non desideret etiam habere taliter beneficium: Nec obstat, quòd aliàs consentire non possit sinè curatore in rebus sibi utilibus, ubi onus est adjunctum, ùt Gozadin. *cons. 16. nu. 8.* cum aliis passim apud Paris. *num. 50.* nam id procedit, ubi ante consensum minori esset jus acquisitum; tunc enim diceretur ferè distractio juris, seu obligatio ad onus, in casu autem dictæ acceptationis, ante hanc, seu ante consensum jus nullum acquisivit. Paris. *n. 53.* qui & *nu. 54.* subjungit, procedere hæc eò magis, si Papa derogaret regulæ de præstando consensu, attento, quòd resignatio sit in favorem minoris; eò quòd, dum Papa vult, non esse necessarium consensum, resignatio non possit annullari ob defectum non præstiti consensûs legitimi.

Quæstio 363. *An beneficium sæculare resignari possit regulari & contra?*

REspondeo negativè: Regularis enim inhabilis est ad beneficium sæculare & contra. Paris. *l. 4. q. 5. n. 1. & 2.* citans plurimos juxta dicta à nobis aliàs, ubi de beneficio regulari, quò faciunt verba Trid. *sess. 14. c. 10. de reform: Regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino susciperè, & professionem emittere teneantur, & non aliis, conferantur* &c. ubi, quòd ad præsentem materiam de resignatione, reflexè ponderanda esse verba illa: *aut per resignationem*, ait Paris. & sic monachum esse inhabilem ad beneficia sæcularia sinè dispensatione, & collationem non tenere, etiamsi sit facta motu proprio, fuisse resolutum à Rota testatur Paris. *loc. cit. n. 4.* Canonico tamen regulari posse provideri de beneficio sæculari curato cum dispensatione Episcopi, resolutum fuisse à Rota *in Metensi Parochial. 16. Nov. 1552.* testatur Paris. *n. 5.* Verùm & de hoc postremo vide à nobis tractata fusè & ex professo alibi.

Quæstio 364. *An beneficium resignari possit in favorem capituli, vel conventûs alicujus?*

REspondeo affirmativè. Paris. *l. 4. q. 10. nu. 1.* ex Mandos. verùm ut iidem AA. talis resignatio unioni æquivalet, cùm beneficii sic resignati vacatio ulteriùs contingere non soleat, quia capitulum seu conventus non moritur. Paris. *loc. cit. num. 3.*

Quæstio 365. *An fœmina resignari possit beneficium ecclesiasticum?*

REspondeo negativè: Quia fœmina inhabilis est ad obtinenda beneficia, ùt Rebuff. *de pacif. poss. n. 312.* Hojed. *de incompat. p. 1. c. ult. n. 73.* & AA. communiter *in c. cum in nostris. de concess. præb.* Paris. *l. 4. q. 6. n. 1.* Verùm hæc intelligenda de beneficio, quòd habens masculus, resignaret in fœminam. Secus enim est si fœmina habens Prælaturam, v. g. Abbatissatum vellet illam resignare in favorem alterius fœminæ, id enim posset. Paris. *ibid. n. 2.* citans Sarn. *in reg. de infirmis. q. 6.* Mandos. *ibid. q. 3.* &c.

Quæstio 366. *An resignari possit beneficium habenti dignitatem?*

REspondeo affirmativè: idque, etiamsi sit Cardinalis, Patriarcha, Episcopus, etiam proprius, ejúsve Vicarius. Paris. *l. 4. q. 8. n. 4. & 5.*

Quæstio 367. *An resignari possit beneficium Præceptoribus, Gubernatoribus & similibus, habentibus potestatem super resignantem?*

REspondeo: Secundùm jus commune id fieri posse, modò fraus nulla interveniat. Ait tamen Tond. *qq. benefic. p. 1. c. 50. nu. 18.* quòd resignatio facta ad utilitatem Magistri, Præceptoris, vel alterius habentis potestatem super resignantem in Gallia sit distinctè prohibita, pro quo citat Papon. *l. 16. tit. 3. Arresto. 3.* quin & irrita, ùt habet idem Tond. *in summario. cit. c. n. 18.* Loquitur autem de minore resignante. vide dicta suprà, ubi de resignatione minoris & restitutione illius in integrum.

Quæstio 368. *An resignari possit beneficium affinibus & consanguineis?*

REspondeo affirmativè. Paris. *l. 4. q. 8. n. 6.* citans Navar. *in man. c. 23. nu. 107.* Non videtur tamen pater posse resignare beneficium suum in favorem filii sui, etiam legitimi, quin Papa dispenset; cùm, si filius immediatè succedat in beneficio, res hæc præseferat speciem quandam successionis hæreditariæ. Argumento *c. ex transmissa. de filiis presbyter.* Unde etiam, si filius patri beneficium resignavit, isque illud obtinuerit, filius idem beneficium immediatè post patrem consequi nequit, etiam per liberam collationem. Laym. *in c. constitutus, de filiis presbyt. n. 1.* Poterit tamen (intellige, sinè interveniente ulla dispensatione) extraneus bene-

beneficium suum resignare in favorem filii antecessoris sui; quia ùt Laym. *in c. ex transmissa. de filiis presbyterorum notando unico* filius legitimus idem beneficium, quod pater ejus habuit, obtinere potest, si non immediatè ei succedat, quod hoc casu dici non potest, quòd jure quasi hæreditario id consequatur; cùm non patris, sed alterius potiùs personæ successor sit. Et si, ùt notat Rebuff. *in pr. tit. de dispens. super defectu natal. n.* 23. apud eundem Laym. censeatur fraus commissa, si extraneus ille statim, non tantùm ab obtentione, sed & à possessione accepta beneficium suum resignavit filio antecessoris.

Quæstio 369. *An possit quis resignare beneficium suum simpliciter coram Ordinario eo animo, vel etiam cum manifestatione desiderii sui, & precum interpositione, ut collator conferat illud alteri à resignante designato?*

REspondeo id licitè fieri posse, modò pactum nullum interveniat, per quod imponatur necessitas collatori, conferendi illud beneficium certæ seu determinatæ personæ. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 75. *à n.* 5. citans Felin. *in c. ad audientiam. de rescrip. n.* 3. Rebuff *de pacif. possess. n.* 245. Barbos. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 6. dicens id licitum in utroque foro, ac citans S. Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *c.* 5 §. 11. Suar. *de simon. l.* 4. *n.* 18. Reginald. *in pr. fori pœnit. l.* 23. *n* 249. Filiuc. *qq. moral. to.* 3. *tr.* 45. *c* 8. *q.* 9. *n.* 26. Præterquam enim, quòd nullâ necessitate astringatur Episcopus, injuriam nullam facit, nec resiguanti nec nominato, si alteri conferat; eò quòd isti nominato ex tali nominatione jus nullum quæsitum sit, & resignans in hac resignatione facta coram Episcopo clausulam illâ: *non aliter*, adjungere non potuit. Engels *ad tit. de renunc. n.* 8. Atque ità in hoc nulla committitur simonia, ut præter AA. jam citatos Paris. *de resign. l.* 14. *q.* 6. *n.* 3. citans quàm plurimos alios. Neque obstat constitutio Pii V. *quanta Ecclesia.* prohibens omnem successoris in beneficio designationem; eò quòd illa explicari possit de ipsis collatoribus, ut nulli firmam promissionē vel obligationem de succedendo in beneficio faciant. Engels. *loc. cit.* ex Zoësio *ad tit. de simon. n.* 72. vel quòd ea intelligenda de intentione tacitè vel expressè in conventionem deducta. Paris. *cit. q.* 6 *n.* 7. ex Nav. *cons.* 38. *n.* 3. dum enim resignans mentem illam suam & spem, ut beneficium conferatur N. deducit, etiam tacitè, in conventionem & pactum, committitur simonia. Barb. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 6. *à n.* 11. citans quamplures. De cetero namque tenet Diana *p.* 6. *tr.* 7. *resolut.* 72. citatus à Barb. *loc. cit. n.* 45, non fore simoniam, si quis resignet dictâ intentione & spe, etiam aliàs non resignaturus, modò non intendat obligare Superiorem obligatione aliâ præter antidoralem. Vide de hoc pluribus Barbos. *loc. cit. à n.* 59 ubi fusè ostendit, renunciationem simpliciter factam cum dicta spe & intentione non esse simoniacam.

Quæstio 370. *An Ordinarii resignata in manibus suis beneficia conferre possint resignantium, vel etiam suis consanguineis, affinibus &c.*

1. REspondeo negativè: Chok. *ad reg. cancell.* 44. *n.* 54. *&* 56. Tond. *p.* 2. *c.* 3. §. 7. *n.* 3. *& p.* 1. *c.* 3. *n.* 8. Paris. *l.* 5. *q. ult. n.* 188. Sic enim expressè in constitut. Pii V. *quanta Ecclesiæ Dei*, præscribente formam resignationis coram Ordinariis faciendæ, ubi: *Præcipimus, ne Episcopi aut alii collatores de beneficiis & officiis resignandis, aut suis aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationem audeant providere. Quòd si secus, ac etiam quidquid aut contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere; qui verò contra fecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, à beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione & institutione, pro ut cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere. Et qui talia beneficia seu officia receperint, eas prædictis pœnis volumus subjacere &c.* Circa quam pœnam

2. Notandum primò, quòd si Episcopi vel Ordinarii locorum, qui contulerunt consanguineis &c. beneficia coram se resignata, ac propterea dictam suspensionis pœnam incurrerunt, vi cujus amplius conferre, eligere, præsentare, instituere, confirmare nequeunt; nihilominùs aliquid horum facere attentarint, in excommunicationem ipso facto incidant, & si collegia, sive clericorum conventus fuerint, suspensionem à divinis incurrant, à qua excommunicatione vel suspensione absolvi nequeant nisi à Papa extra mortis articulum. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 5. §. *quæres quâ pœnâ.*

3. Notandum secundò. Episcopos aliósque Ordinarios, si per ignorantiam justam prædictæ constitutionis beneficia coram se resignata consanguineis suis, vel dimittentium contulerint, non incurrere dictam pœnam suspensionis; cùm pœna ignorantes minimè afficiat in foro conscientiæ; quamvis in foro exteriore ignorantia juris communis locum non habeat; cùm in hoc foro contra legem facientes, scientes id facere credantur. Azor. *loc. c.*

4. Notandum tertiò. Neque dictam pœnam suspensionis afficere Cardinales, etiam Episcopos, talia beneficia coram se dimissa conferentes suis consanguineis, alioqui aptis & dignis, quia pœnæ & odia sunt restringenda, adeóque sicut nomine beneficiatorum in pœnis & odiis non comprehenduntur Episcopi, Abbates, vel aliæ dignitates Ecclesiasticæ, ità nec Episcoporum vel Ordinariorum nomine intelliguntur Cardinales, etsi sint Episcopi, in dicta constitutione Pii V. quia sunt in excellentiore honoris & dignitatis gradu constituti Azor *loc. cit.*

5. His tamen non obstantibus, ait Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 270. hanc Pii V. constitutionem non videri bene servari in Hispania, ubi prætenditur, eam non receptam, sed esse ab ea supplicatum, saltem quò ad illud de non conferendis beneficiis resignatis collatorum vel resignantium consanguineis, affinibus aut familiaribus. Idem habet Castrop. *tr. de beneficiis. d.* 6. *p.* 2. §. 1. *n.* 7. ubi: *adverte tamen, hanc constitutionem quò ad hanc secundam conditionem (nempe de non conferendo ista resignata consanguineis) non videri usu receptam, sed potiùs à principio fuisse ab ea supplicatum, & consequenter nec pœnas ob hanc causam ibidem impositas.* citat pro hoc Barbos. *de potest. Ep. alleg.* 69. *n.* 48. Vide etiam Card. de Luca. *de benef. d.* 65. *ubi à n.* 9. hanc materiam pulchrè tractat, de usu nimirum & non usu hujus constitutionis Pianæ. Subjungit tamen idem Garcias. *n.* 271. quòd dum *in una Hipporegiens. canonicat.* 24. *Maii* 1584. *coram Orano* prætenderetur, constitutionem illam non habere locum in civi-

civitate & diœcesi Hipporegiensi, nec ibi fuisse usu receptam, Domini firmarint, habere ibi locum, quia publicata Romæ, & Papa voluit omnes & singulos proinde obligare & afficere, ac si fuisset illis singulariter intimata, & præsumi, esse in usu, quamdiu non fuit probatũ contrariũ. Quòad illud verò num supplicatio interposita à lege & constitutione generali suspendat interim ejus executionem, donec secunda jussio superveniat, remittit Garcias ad Rodriq. *regular. qq. to. 1. q. 6. a. 7.* Vasq. *in 1. 2. to. 2. d. 156. n. 43.* & Lorcam *in 1. 2. d. 20. dell.* qui rectè, ùt ait Garc. ostendunt non suspendere. De cetero stante illâ Pii V. constitutione, excipi ab illa beneficia juris patronatûs, seu illa resignata coram Episcopo posse ab illo conferri suis consanguineis, cum consensu nimirum patroni, seu ubi hi ab illo præsentantur, tradit Tond. *p. 1. c. 3. n. 9. & p. 2. c. 3. §. 7. n. 3.* citans Quarant. *in sum. Bullar. v. benef. resign.* loquentem in genere de beneficiis juris patronatûs, (quemadmodùm & tradit Garcias loquendo generaliter *p. 11. c. 3. n. 268.*) & Riccium *in decis. curiæ Neapolit. l. 3. decis. 81.* restringentem hanc exceptionem ad beneficia juris patronatûs laicalis. Item conferre poterit Episcopus personis in dicta Pii V. Bulla nominatis vacantia per dimissionem clericatûs (puta per contractum matrimonium, vel professionem militiæ; cùm hæc non sit vacatio per resignationem, de qua loquitur Bulla illa Pii V. (etsi fortè dici posset resignatio tacita) Tond. *cit. §. 7. n. 4.* citans Riccium *ubi antè decis. 307.* Item vacantia per adeptionem alterius incompatibilis, ùt Ricc. *loc. cit. decis. 308.* apud eundem Tond. *n. 5.* qui tamen ait, se non videre quomodo illa decisio Riccii subsistat; cùm illa beneficia per adeptionem incompatibilis vacantia non possint resignari, sed debeant simpliciter dimitti, ut Garc. *p. 11. c. 5. n. 58.* & sint reservata Papæ, ùt idem Garc. *loc. cit. n. 60.* Notandum etiam ex eodem Tond. *cit. §. 7. n. 3.* per familiares Episcopi intelligi eos, qui actu deserviunt Episcopo, & continuam exercent commensalitatem in ejus domo, ùt Paris. *l. 5. q. 6. n. 195.* ubi: *cùm hac constitutio non exprimat, qui sint consanguinei & affines, hic casus videtur relictus sub juris communis dispositione, juxta l. commodissimè. ff. de liberis & posthum. idémque dicendum de familiaribus; quòd de jure communi sint omnes, qui subsunt alicui ratione potestatis, & cum eo cohabitant, juxta c. ult. de verb. signif. in 6. & ibi Gemin. in ult. not. & Bald. in l. 2. c. de testibus.* vide eundem Paris. *cit. q. 6.* fusè agentem de pœnis in dicta constitutione contentis.

Quæstio 371. An beneficium conferri possit alteri, quàm illi, in cujus favorem resignatum?

REspondeo negativè. Lott. *l. 3. q. 14. n. 42.* Gonz. *gl. 14. n. 28.* quos vide. Resignatio enim, ubi admittitur, non censetur admissa ad favorem alterius quàm resignatarii. Lott. *loc. cit. n. 36.* & seq. apud quem *loc. cit. n. 53.* etiam vide, qualiter intelligatur conditio illa subintellecta in resignatione ad favorem. ut) & *n. 23.* apud eundem Lott. vide resignationis in favorem formam.

*****
***

PARAGRAPHVS VI.

Coram quibus, seu in quorum manibus fieri possit ac debeat resignatio?

Quæstio 372. An resignatio necessariò fieri debeat in manibus alicujus, & quidem Superioris, seu habentis ad hoc, nempe ad recipiendam resignationem, auctoritatem seu potestatem?

1. REspondeo ad primum affirmativè, seu debet fieri resignatio aliquo eam recipiente seu auctorizante, & non posse propriâ auctoritate dimitti beneficium. *c. admonet.* de renunc. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 14.* Laym. *in cit. c. admonet. n. 2.* Paris. *l. 7. q. 8. n. 1.* citans Anchar. *in c. susceptum. de rescrip. in 6.* & Abb. *in c. quod in dubiis. de renunc.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 19. q. 6.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 57.* sicut enim beneficia sinè alterius licentia & auctoritate obtineri, sic nec dimitti possunt. Proinde

2. Respondeo secundò: resignationem necessariò fieri debere coram Superiore, seu in manibus Superioris; præbentis ad hoc consensum suum seu licentiam, ac ità non nisi auctoritate Superioris interveniente deponi posse beneficium. Paris. *l. 7. q. 1. n. 1.* citans quàm plurimos, Garc. *p. 11. c. 3. n. 219.* Pirh. Azor. *ll. cit.* Barbos. *loc. cit. & n. 4.* dicens, de substantia resignationis esse, ut admittatur à Superiore. Siquidem per adeptionem beneficii devincit se Ecclesia, sive initus censetur quidam contractus inter beneficiatum & Ecclesiam, vi cujus obligatur ille servire Ecclesiæ, & hæc ipsum pro servitio præstito alere. Adeóque ab hac inserviendi Ecclesiæ obligatione & onere se eximere, dictúmque contractum rescindere nequit propriâ auctoritate sinè admissione Superioris, (quæ proinde non est aliud, quàm absolutio quædam à dicto vinculo. Paris. *cit. q. 1. n. 7.*) beneficiatus. Barb. *loc. cit. n. 15.* Item cùm beneficia sint bona Ecclesiæ, & in utilitatem Ecclesiæ instituta, meritò jura cavent, ne clericus injussu Superioris beneficium dimittat, ne beneficia haberi videantur in patrimonio & in bonis suis, seu ne reputentur inter bona patrimonialia, de quibus liberè disponere potest beneficiatus, & ne Ecclesia debito destituatur ministro. Azor. *loc. cit.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 2. n. 1.* Cúmque beneficium in perpetuum collatum & obligatum est beneficiato, dum illud in titulum accepit, ità ut sinè justa & gravi causa eo privari nequeat, æquum omnino est, ut vicissim beneficiatus beneficium dimittere nequeat, nisi Prælato Ecclesiæ resignationem acceptante. Laym. *in c. admonet. de renunc. n. 2.* & ex eo Pirh. Porrò extenditur responsio, ut non solùm locum habeat in habentibus verum beneficium ecclesiasticum, sed etiam in iis, qui servitio tantùm alicujus Ecclesiæ aut pii loci in ordinatione pro illius necessitate vel utilitate sunt adscripti, juxta Trid. *sess. 23. c. 16.* ità ut nec tales locum illum deserere debeant sinè consensu Episcopi, alioqui iis sacrorũ exercitium sit interdicendum. Pirh. *loc. cit.* citans Fagn. *in cit. c. admonet. n. 15.* Paris. *l. 7. q. 6. à n. 1.* Quin & laici hospitalium administrationem habentes non possunt eam dese-

re

re sine Episcopi seu Diœcesani licentia; cùm ut illa sint sub cura & dispositione Episcopi. Pirh. *ibid.* ex Fagnano *loc. cit.*

Quæstio 373. *An, & qualiter limitanda præcedens responsio, seu quænam resignationes fieri possint sine auctoritate Superioris?*

1. REspondeo primò: locum non habere, seu non requiri auctoritatem seu consensum Superioris in resignatione, seu cessione juris ad beneficium, competentis v.g. ratione postulationis, electionis, præsentationis, impetrationis literarum apostolicarum de promovendo. Barbos. *loc. cit. n.* 5. Paris. *cit. q.* 1. *à n.* 74. citans quamplur. Garc. *loc. cit. n.* 247. Pirh. *cit. n.* 57. Laym. *in c. admonet. de renunc. n.* 2. Ratio communis horum omnium est, quòd in beneficiis acquirendis cesset ratio illa vinculi. Neque enim tam arcto vinculo Ecclesiæ obstringitur electus, postulatus, præsentatus, quàm confirmatus, institutus &c. Paris. *n.* 74. Pirh. *loc. cit.* quòdque auctoritas illa Superioris requiratur, est propter interesse Superioris, quod non adest, nisi postquam beneficiatus jus plenum in beneficio est adeptus per confirmationem, aliámve institutionem. Paris. *n.* 82. Pirh. *loc. cit.* neque dictus electus præsentatus ante confirmationem, institutionem verum, sed quasi contrahit matrimonium cum Ecclesia. Paris. *n.* 88. Sic itaque electus ad beneficium vel dignitatem Ecclesiasticam (& nominatim etiam electus in Episcopum, ùt Paris. *n.* 80.) etiam post consensum suum præstitum electioni, ante confirmationem sine licentia Superioris, seu habentis confirmare, potest resignare in manibus eligentium (quas tamen postremas particulas ità intellige, ut opus non sit licentiâ seu consensu eligentium ad hanc resignationem) Paris. *à n.* 78. citans quamplur. contra Goffred. Host. Archid. *in c. si electio. de elect. in* 6. Præpositi. *in c. si quis.* 7. *q.* 1. quorũ sententiam communiter damnatam esse, ait Paris. *n.* 87. Sic præsentatus (etiam post acceptatam à Superiore præsentationem, ùt Paris. *n.* 96.) ante institutionem absque auctoritate & licentia Superioris renunciare potest præsentationi, jusque per illam quæsito ad beneficium in manibus Patroni. Paris. *à n.* 94. citans Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n* 15. Roch. *de jure rep. v. honorificum* cum communi. Sic habens literas exspectativas ad beneficia vacatura, potest illis sine Superioris seu concedentis illas auctoritate resignare. Barb. *loc. cit. n.* 33. Idem est de gratia, alicui facta per literas de providendo de beneficio vacante; cùm per illam adhuc non nisi jus ad beneficium quæsitum sit. Barbos. *cit. n.* 33. citans Zabarell. *in clem. auditor. de rescript.* Secus tamen est de literis obtentis ad beneficia, quæ vacant, dum hæ non solum mandatum de providendo, sed provisionem ipsam seu collationem continent; cùm enim per harum literarum expeditionem & acceptationem jus sit quæsitum in beneficio jam vacante, ils sine auctoritate Superioris, quis resignare nequit. Paris. *n.* 99. etsi subjungat *n.* 100. quòd quis sine auctoritate Superioris istiusmodi literis continentibus collationem factam beneficii vacantis post earum acceptationem renuntiare possit tacitè, non capiendo possessionem illius beneficii vacantis; eò quòd per impetrationem non obligetur quis beneficio, nisi ceperit possessionem, ùt Abb. *in c. ad audientiam. de rescript. n.* 3. Quod ipsum tamen falsum videri ait Garc. *loc. cit. n.* 248. eò quòd, cùm illi non possit renunciare expresè sine auctoritate Superioris, quia juri in re, quale per illam literarum acceptationem acquisivit, renunciare nequit sine Superioris auctoritate, etiam illi tacitè, non capiendo possessionem, nequeat renunciare. Abbas autem à Parisio citatus loquatur expresè de literis ad beneficia obtinenda, & non obtenta.

2. Respondeo secundò: posse sine licentia & auctoritate resignari beneficia litigiosa, etiam post illorum collationem aut institutionem, dum jus in iis verè anceps est, & probabiliter dubium (secus enim est, si resignans jus certum habet in beneficio; etsi enim tunc litem patiatur, renunciare tamen non potest beneficio sine Superioris auctoritate) eò quòd tunc cesset præjudicium Superioris; cùm non constet, possidentem habere jus in re, & dubius sit litis eventus. Item quòd renunciatio talis, utpote per quam in causa dubia recedit à lite sit favorabilis. Barbos. *loc. cit. n.* 6. Paris. *cit. q.* 1. *à n.* 104. ex Butrio & Abb. *in c. quòd in dubiis. de renunc.* Garc. *loc. cit. n.* 249. citans Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 16. Roffin. *de benef. c.* 14. *n.* 43. & 44. Pirh. *loc. cit. n.* 58. contra Laym. *in cit. admonet. de renunc. n.* 2. ex Anania *in cit. c. quòd in dubiis. n.* 18. tenentem contrarium, tum quòd generalis regula sit, resignationem beneficii acquisiti fieri non debere sine auctoritate Superioris, à qua regula nullibi in jure reperitur exceptum beneficium litigiosum; tum quòd interesse Ecclesiarum, ut Episcopus seu Ordinarius cognoscat causam resignationis, præsertim, dum beneficium est curatum, num Ecclesiæ expediat, nec ne, num resignatio facta spontè, liberè, sine metu simoniæ &c. Quam sententiam quoque probabilem asserit Pirh. *loc. cit.* & pro qua facit, quod cum aliis tradit Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *q.* 3. beneficium litigiosum nec impetrari, nec apud Papam renunciari posse in favorem alterius non factâ mentione litigiosi.

3. Respondeo tertiò: posse intrusum sine Superioris auctoritate resignare, vel potius dimittere beneficium, in quod intrusus est. Garc. *loc. cit. n.* 250. (hanc tamen adjiciens limitationem: si intrusus est existenter & apparenter carens titulo) Paris. *cit. q.* 1. *n.* 107. citans Glos. Innoc. Abb. Host. & AA. communiter *in c. nisi cum pridem. de renunc.* si enim habentes jus tantùm ad beneficium id possint, multò magis id poterunt, qui jus nullum aut titulum habent. Paris. *n.* 108. Præter has limitationes specialiter sit

Quæstio 374. *An, & qualiter criminosus & irregularis resignare possint sine auctoritate Superioris?*

1. REspondeo primò: Episcopum quantumcunque graviter criminosum, non posse renunciare seu dimittere Episcopatum sine auctoritate & licentia Papæ. *c nisi cum pridem. de renunc.* ubi dicitur: propter conscientiam criminis cedendi licentia potest, seu debet postulari, & expressius *c. Suffredus.* 6. *q.* 3. Paris. *l.* 7. *q.* 2. *n.* 3. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 59. Atque ita Episcopus, etiam simoniacus, dimittere nequibit Episcopatum sine auctoritate Papæ, qui, si Episcopus bene administret Episcopatum, dispensabit cum eo in ordine ad retinendum Episcopatum. Paris. *cit. q.* 2. *n* 4. ac proinde idem erit de Episcopo reo aliorum gravissimorum criminum; cùm simonia inter gravissima reputetur. Paris. *n.* 5. Ampl. atque hoc ipsum

Paris.

Paris. *ibid. n.* 7. quòd Episcopus criminosus, ne quidem in articulo mortis renunciare Episcopatum possit sinè licentia Papæ, sed sufficiat pro exoneratione conscientiæ promittere confessario, velle se eum dimittere, quamprimum potuerit.

2. Respondeo secundò. Sed neque criminosus alius non Episcopus dimittere sinè auctoritate Superioris potest beneficium, dum crimen tale est, propter quod non ipso jure seu facto exiistit privatus beneficio, sed privandus per sententiam Judicis. Paris. *n.* 10. Pirh. *cit. n.* 59.

3. Respondeo tertiò: neque privatus ipso jure ob crimen, adeoque carens quidemà parte rei vero titulo, ex quo tamen requiritur sententia declaratoria, renunciare potest sine Superioris auctoritate. Paris. *n.* 10. & 11. Pirh. *loc. cit.* Etsi enim talis revera jus ac titulum beneficii amisit, ex quo tamen possessionem retinet, donec sententia declaratoria criminis feratur, titulum saltem putatitium, seu communiter existimatum retinet. Atque ità hoc casu requiritur auctoritas Superioris ad renunciandum, non quidem ad hoc, ut resignetur jus ac verus titulus, utpote quem non habet ampliùs, sed propter titulum putatitium seu coloratum, qui adhuc suppetit Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. n.* 10. citantes Abb. *in c. nisi cùm pridem. de renunc. n.* 5. ad titulum verò putativum seu coloratum in ordine ad hunc effectum requiratur, ut illum legitima Superioris auctoritate acceperit, etsi non verum ob delictum seu occultum defectum; si enim intrusus est, & beneficium propriâ auctoritate occupavit, potest & debet beneficium dimittere absque alia Superioris licentia: nec prodest titulus talis coloratus, dum non provenit à legitimo Superiore, ut gesta cum tali titulo valeant aut sustineantur ob errorem seu opinionem communem. Pirh. *loc. cit.* citans Fagn. *in cit. c. nisi cum pridem. n.* 32. Sic itaque simoniacus, etsi privatus ipso jure beneficio, nullúmque titulum acquirat, ex quo tamen habet titulum putativum, ratione cujus urget interesse Superioris non nisi intervenionte auctoritate illius renunciare debet. Paris. *à n.* 11. contra Abb. *in cit. c. nisi. n.* 6. quamvis talis simoniacus quam primùm de licentia Superioris dimittere debeat beneficium, aut habere dispensationem, etsi per alium eo ignorante simonia commissa fuit, mox ùt illam commissam intelligit. Paris. *n.* 15. citans præter alios Abb. *in c. nisi. cit. n.* 6. & *in c. post translationem. de renunc. n.* 23. ubi is loquens de Episcopo dicat, quòd mox, ùt scivit simoniam commissam in adeptione Episcopatûs, debet vocare personas idoneas, & coram eis exponere factum, & protestari, quòd invitus Episcopatum teneat, & coram illis instituere procuratorem, quem mittat ad Curiam ad petendam licentiam renunciandi.

Respondeo quartò: dum verò criminosus ob crimen non tantùm ipso jure privatus est titulo, sed insuper caret titulo putatitio & colorato, ùt quia per sententiam declaratum incurrisse illum crimen tale, ob quod privatus ipso jure, poterit sinè auctoritate Judicis dimittere beneficium. Paris. *n.* 8. Pirh. *loc. cit.* ex Abb. *loc. cit.* In quo casu non tam renunciat titulo, utpote quem non habet, quàm possessioni injustæ, ut ait, Pirh. Ex his infero, &

Respondeo quintò: irregulares, cùm non sint privati, sed privandi, non possunt renunciare absque auctoritate Superioris. Paris. *loc. cit. n.* 11. ex eodem Abb. *loc. cit. n.* 6.

Quæstio 375. *Num etiam requiratur licentia alia & auctoritas Superioris in resignatione illa tacita, quæ ab ipso jure, seu juris constitutione induci censetur ob factum aliquod beneficiati sine expressis illius verbis, v. g. dum beneficiatus assequitur beneficium aliud incompatibile cum præhabito, dum emittit professionem, contrahit matrimonium &c.*

1. REspondeo primò in genere affirmativè, seu licèt beneficium per talem actum vacet ipso jure, debere nihilominus, saltem dum assequitur aliud incompatibile beneficium illud præhabitum dimitti coram Superiore, sive in manibus illius, & de illius licentia, ità ut si secus fecerit, beneficiatus ille possit à Superiore revocari ad prius illud beneficium, utpote quod absque ejus auctoritate dimittere non potuit, juxta Extrav. Joannis XXII. *Execrabilis. de præb.* Pirh. *loc. cit. n.* 61. Paris. *l.* 7. *q.* 3. *n.* 2. citans Abb. *in c. ex ore. de his quæ fiunt à majore parte capituli n.* 10. Coras. *de benef. p.* 1 *c.* 8. *n.* 13. Roffiniac. *de benef. c.* 14. *n.* 36. Bursatt. *cons.* 353. *l.* 4. Nec obstat textus *c. ex ore.* ubi dicitur: *juri suo renunciasse videtur*: absque eo, quòd in dicto capite mentio fiat de Superiore; nam etsi de Superiore non fiat hîc mentio, non tamen negatur per hoc, interveniisse auctoritatem Superioris, sed potiùs id supponitur; quia actus in dubio censetur factus secundùm generalem dispositionem juris; quin & ibi interveniisse consensum tacitum Superioris, ait Abb. *ibidem* Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 3. *n.* 5. Quam sententiam etsi communem fateatur cum Parisio Garc. *loc. cit. n.* 243. citans pro ea insuper Hojed. de incompat. *p.* 1. *c.* 13. *n.* 36. Pet. Gregor. &c. ipse tamen contrarium tenet *cit. n.* 243 nimirum non requiri in hoc casu licentiam seu approbationem Superioris; cùm ab ipso jure inducatur hæc dimissio, citátque pro se præter gl. & Host. *in cit. c. ex ore* Quintadv. *l.* 4. *Ecclesiast. n.* 89. Gonz. gl. 14. *n.* 73. ubi is in genere ait: tacita resignatio non eget auctoritate Superioris, ùt tradit Benedictus Capra. *in Clem. gratiæ. de resc. n.* 5. Fatetur nihilominus Garc. *n.* 240. requiri consensum Superioris expressum vel saltem tacitum (hunc enim sufficere ait *n.* 241. ex Abb. *in cit. c. ex ore.* quemadmodum sufficit consensus tacitus renunciantis) non secus ac in resignatione expressa, in alia resignatione tacita, quæ nimirum fit quidem etiam sinè verbis, facto tamen hominis liberè renunciantis. v. g. ùt in terminis *cit. c. ex ore.* per reverentiæ exhibitionem tanquam Superiori, adeoque fit dependenter, seu ex consensu immediato renunciantis, & non ex necessitate juris sic disponentis, utì contingit in altera specie resignationis tacitæ à jure inductæ, de qua antè.

2. Respondeo secundò: pari modo insistendo sententiæ primæ, etsi electus ad aliam Ecclesiam, etiam alterius diœcesis, electioni de se factæ consentire possit sinè licentia sui Superioris, non potest tamen sinè illius licentia actu relinquere suam Ecclesiam, & transire ad illã. ad quam electus alioqui revocari potest, & si admonitus non redierit, excommunicandus erit, *c. si verò. & seq. 7. q. 1. c. admonet. de rènunc.* Pirh. *cit. n.* 61. Liberum autem erit, Episcopo seu Prælato, ad quem pertinet prima illa Ecclesia, eum, qui transivit, revocare ad primam Ecclesiam, vel negatâ ei licentiâ transeundi ad secundam, eum retinere in prima. Pirh. *ibid.* ex Innoc.

in cit. c. admonet. Si tamen Ordinarius sciens discessum Prælati, alteriúsve beneficiati non contradicat, neque eum intra 6. menses revocet, renúciationem ejus ratam habere censetur. Laym. *ad c. admonet. n.* 4. ex Innoc. & Jo-And. *ibidem.* Nec obstat his *c. de multa de præb.* ubi habetur, quòd per transitum ad secundam Ecclesiam prima vacet ipso jure; id enim intelligendum, quando quis transit cum licentia sui Prælati, alioqui prima non vacat, etsi eâ privari possit, Pirh. *loc. cit.* Porrò requiri consensum expressum, dum transitur ad Ecclesiam aliam alterius diœcesis, & sufficere tacitum, dum transitur ad aliam ejusdem diœcesis, *ibidem* habet Pirh. ex Fagn. *in c. admonet. n.* 13. & Jo And. *ibidem n.* 5. De cetero, dum beneficiatus ad majus beneficium, nempe dignitatem, Prælaturam vel beneficium curatum eligitur vel promovetur, non potest illum impedire Episcopus, dum nullum obstat impedimentum Canonicum. Et si malitiosè, & sine justa causa deneget petitam licentiam, compellendus est per Superiorem ad eam concedendâ. Pirh. *ibid.* Laym. *ad cit. c. admonet. n.* 6. juxta Gloss. *ibid.* & Hostiens. *in sum. tit. de postul. prælator.* §. *si quis postulandus.*

3. Respondeo tertiò: tametsi tutius sit & convenientius, ut beneficiatus ingressurus religionem, seu professionem emissurus resignet potiùs expressè coram Superiore. Paris. *l.* 7. *q.* 4. & ex eo Pirh. *loc. cit. nu.* 60. juxta Abb. & Butrio *in c. admonet.* facta tamen tacitè renunciatio per professionem sine auctoritate Superioris est valida; etsi facta renunciatio beneficii, ante professionem sine licentia Episcopi sit invalida, juxta Trid. *sess.* 25. *de regular. c.* 16. Pirh. *loc. cit.* sufficit autem beneficiarum ingressurum religionem petere ab Episcopo aut Ordinario licentiam, & licet eam non obtineat, transire tamen poterit ad religionem, jure ipso faciente ad hoc potestatem, si Episcopus eam neget. Argumento *c. licet. de regular.* Laym. *in cit. c. admonet. n.* 5. Pirh. *cit. n.* 60. Occasione cujus illud hîc circa jam dicta notandum, aliud esse, non posse, aut debere beneficium tacitè (vel etiam expressè) resignari sine auctoritate Ordinarii. aliud non posse resignari sine ejus cõsensu præstito, seu eo invito; sic namque verum est, quod ex Fagnan. *in cit. c. admonet. n.* 23. *& seq.* tradit Pirh. *loc. cit. n.* 62. si beneficium curatum est, vel saltem residentiale, aut requirens certum servitium non posse illud resignari, nec simpliciter expressè nec tacitè acceptando aliud incompatibile invito Superiore. Si autem beneficium omnino simplex est, nullum servitium aut residentiam requirens, posse etiam invito illo resignari: eò quòd horum beneficiorum collatio principaliter sit ad utilitatem eorum, quibus conferuntur, adeóque, cùm quisque liberè renunciare possit ei, quod pro se est principaliter inductum, resignari possint invito Superiore. Verum tamen non est, quòd & istiusmodi beneficia inscio, vel omnino non requisito Superiore resignari queant; cujus auctoritas per hoc satis agnoscitur, quòd requiratur ad admittendam hujusmodi resignationem, etsi eam non possit non admittere, de quo paulò inferiùs.

4. Respondeo quartò: tacitam resignationem, seu potiùs dimissionem & derelictionem beneficii, quæ contingit per contractum matrimonium, non videri requirere licentiam, aut etiam petitionem licentiæ Superioris, & in hoc saltem casu procedere sententiam Garciæ.

Quæstio 376. *An facta resignatio sine Superioris auctoritate sit valida?*

1. REspondeo primò in genere: resignatio facta sinè auctoritate legitimi Superioris est nulla. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 2. *nu.* 1. Paris. *l.* 7. *q.* 1. *n.* 9. cum communi DD. *in c. quod in dubiis. de renunc.* non secus, ac cùm Tutores & Curatores alienare non possint bona immobilia, & quæ servando servari possunt absque decreto Judicis, si absque eo bona illa distraxerint, alienatio nulla est, juxta *l. magis puto.* §. *non passim. ff. de rebus eorum.* & AA. passim apud Paris. *loc. cit. n.* 11. Pro declaratione tamen hujus responsionis,

2. Respondeo secundò: talis resignatio nulla est, seu non tenet quo ad præjudicium Ecclesiæ seu Superioris, coram quo fieri debuisset: in quantum nimirum in arbitrio Superioris illius est, resignantem illum cogere ad beneficium taliter resignatum retinendum (quod non posset, si ea resignatio etiam in præjudicium suum valida fuisset, adeóque res amplius integra non esset respectu talis Superioris) vel illam admittere & ratam habere, ac ità compellere resignantem ad dimittendum illud beneficium, & ipse tale beneficium conferre alteri. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 12. Castrop. *loc. cit.* Pirh. *de renunc. n.* 64. Ac proinde talis resignans retinet proprietatem & titulum beneficii (hunc enim retinet, quamdiu resignatio à Superiore admissa non est) novo ei titulo opus non est, dum permittitur à Superiore in beneficio permanere, quidquid sit de possessione. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 161. citans Abb. *in c. quod in dubiis. n.* 8. Innoc. *ibid. n.* 1. Menoch. *de arb. casu* 201. *n.* 47. Nav &c. Valebit tamen talis resignatio, si resignante perseverante in priore sua voluntate et non revocante à se resignatione, Superior eam ratâ habuerit: cùm enim renunciatio facta corâ non Superiore annulletur propter præjudicium & injuriam, quæ fit per hoc Superiori, isque hanc remittere possit, adeóque ratam habere potest cessionem, si velit. Pirh. *loc. cit. n.* 65. si autem sciens beneficiatum propriâ auctoritate dimisisse beneficium, seu resignasse, & intra 6. menses eum non revocet, censetur, ùt dictum, resignationem talem approbasse, & sic ea habebit effectum suum. Pirh. *n.* 65. Paris. *nu.* 55. ubi etiam addit, quòd si Superior intra 6. menses illos resignantem illum non compellat ad redeundum ad beneficium, aut ipse illud conferat, devolvatur potestas conferendi ad proximum Superiorem. Porrò solere facilius admitti & ratificari resignationem factam in manibus clerici non Superioris, quàm in manibus laici, notat Paris. *n.* 52. & ex eo Pirh. *cit. n.* 65.

3. Respondeo tertiò: neque tenet talis resignatio in præjudicium ipsius resignantis; quia non vacat etiam quo ad resignantem beneficium illud taliter resignatum; sed potest is illud non tantùm administrare, sed etiam retinet in eo verum jus & titulum, quousque renunciatio illa ratificetur per Superiorem, vel in pœnam delicti commissi per talem illegitimam resignationem privetur illo à Superiore (de quo postremo paulò pòst) Castrop. *loc. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *nu.* 223. citans Hostiens. Cardin. Imol. Butrio. *in c. quod in dubiis.* Abb. *in c. ad aures. de his quæ fiunt vi. n.* 7. Felin. *in c. in nostra. de rescrip. coroll.* 34. Selv. *p.* 3. *q.* 11. *n.* 32. Rebuff. *in pr. tit. de resign. express. n.* 11. *&* 13. Roffiniac. *de benef. c.* 14. *n.* 1. *&* 2. Covar. *l.* 1. *var. c.* 5. *n.* 6. Menoch. *de arb. l.* 2. *casu*

l. 2. casu 201. n. 47. Quintadv. *l. 2. Ecclesiast. nu. 10.* Guttier. *cons. 42. n. 4.* Tusch. *conclus. 165. 256. 257. lit. R.* &c. contra Barbos. *loc. cit. n. 18.* Paris. *cit. q. 1. nu. 12.* Pirh. *cit. nu. 64.* Laym. *in c. quòd in dubiis, nu. 2.* &c. qui etsi dicendo eam validam à nobis in modo loquendi differant, reipsâ tamen non multùm differre videntur, ùt dum Paris. *n. 12.* validam dicit præcisè, ut noceat resignanti, & *n. 23.* habere se illam resignationem, ut contractus factus contra legem, qui nullus est quo ad commodum contrahentium, validus autem quo ad eorum incommodum. Item dum ait Pirh. aliquo modo esse validam in detrimentum resignantis, quatenus nimirum non solùm approbari potest & rata haberi, sed etiam quatenus ob eam perperàm factam in pœnam hujus commissi delicti privari potest beneficio à Superiore talis resignans. Utrumque enim hoc admittit quoque Castrop. & alii sententiæ nostræ defensores, non tamen propterea in præjudicium resignantis validam, sed potiùs invalidam volunt resignationem talem, eò quòd ante istam approbationem vel privationem non vacet beneficium, nihilque juris ademptum sit resignanti per talem resignationem, utì hoc ipsum rectè contra Gomes. *in reg. de infirmis. q. 19.* astruit Barb. *loc. cit. n. 19.* cum aliis. Hoc unicum quò ad rem ipsam controvertitur: num usque adeò talis resignatio careat omni effectu, adeóque habeatur pro non facta, & nullius momenti, ut ante dictam approbationem Superioris res censeatur omnino integra, & resignans pœnitere possit, & cum effectu revocare talem resignationem; quin & propter eam factam resignans privari nequeat beneficio. Ad primum, seu quòd pœnitere possit cum effectu, affirmativè sinè destinctione respondet Garc. *loc. cit. n. 227.* citans Sarn. *ad reg. de infirm. q. 29.* Pet. Gregor. *de benef. c. 31. n. 11.* Idem de resignante in manu clerici, cui non competebat potestas admittendi resignationem, secus tamen de resignante in manu laici, tenet Pirh. *loc. cit. n. 66.* (quamvis *n. 65.* dixisset absolutè, non posse renunciantem coram non Superiore redire ad beneficium sic resignatum, nisi Superior consentiat, uti & idem indistinctè asserit Paris. *l. 7. q. 1. n. 51.* item *n. 64.* non posse resignantem in manibus etiam clerici talis repetere beneficium) Laym. *in c. quòd in dubiis. nu. 2.* nimirum (saltem dum resignatio facta in manibus laici) cogi posse resignantem ad beneficium illud dimittendum, modò resignatio illa sponte facta fuerit. citat pro hoc gl. & Butrio in *cit. c. quod in dubiis.* Secundum, quòd talis resignans privari ideo possit, indistinctè affirmat Castrop. *loc. cit.* Gregor. Tholos. *loc. cit.* Innoc. *in cit. c. quòd in dubiis. n. 1.* Abb. *in c. quod Dei timorem. de statu Monachor. n. 4.* & Rota apud Garciam. *n. 230.* de resignante in manibus laici. Idem affirmat Pirh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. n. 2.* Negat è contra Garc. ipse *n. 231.* etiam de resignante in manibus laici, eò quòd textus *c. quod in dubiis*, qui pro hoc ab adversariis allegari solet, non dicat, renunciantem in manibus laici vel alterius non Superioris ob hoc solum privandum esse beneficio, sed tantùm probet, renunciantem in manibus laici, & ab hoc iterum recipientem beneficium, quod utique distinctum & majus delictum est, in pœnam hujus temeritatis beneficio spoliandum; adeóque, cùm pœnæ non sint extendendæ, renuncians solùm in manibus non Superioris, etiam laici, non videatur ob hoc privari debere; quamvis renunciatione illâ admissa per Superiorem (saltem antequam renuncians eam revocarit) possit amoveri à beneficio tanquam vacante per resignationem, intellige, jam admissam à Superiore. Idem insinuat Laym. *cit. nu. 2. in fine.* ubi ait: quamvis aliqui considerantes verba textûs *c. quòd in dubiis.* arbitrentur, non esse locum pœnæ, nisi renuncians ab eodem laico beneficium denuo susceperit. Et hoc ipsum quoque probabile censet Pirh. *cit. n. 66.* Multóque igitur minùs renuncians in manibus laici ob id privatus ipso jure conferri debet, ne aliàs talis renunciatio effectum consecuta censeatur. Laym. *loc. cit. n. 1.* & ex eo Pirh. *cit. n. 64.* Unde jam Ordinarius beneficium illud resignatum sinè auctoritate legitimi Superioris, dum resignans eam resignationem non revocavit, conferre poterit alteri, non quidem vi solius istius resignationis sic factæ, sed postquam eam ipse Superior admisit, seu ratam habuit. Debet autem, antequam conferat, priùs citare illum resignantem, & privare illum per sententiam, intellige, dum resignavit in manibus laici, & ab eodem recepit. Quod autem ait Pirh. *n. 67.* si resignavit in manibus clerici non Superioris, & resignationem non revocavit resignans, posse Superiorem beneficium illud conferre alteri, non vocato illo resignante, id inquam, ùt dictum, tenet ad summum, postquam ipse talem resignationem ratam habuit; opus enim in illo casu non revocationis factæ à resignante non est alio, quàm ut Superior verbis, vel ipso facto declaret, se velle resignationem illam ratam habere. Pirh. *cit. n. 67.* quamvis consultius dicat esse, ut renuncians ille citetur, quò appareat, num sinè metu cogente, aut simoniâ intercedente resignarit.

4. Respondeo quartò: Licèt, ùt dictum, resignatio talis sine auctoritate Superioris facta sit invalida, tam respectu Superioris quàm resignantis, hicque titulum & proprietatem beneficii nullatenus amittat, amittit tamen possessionem beneficii, seu præjudicat illi talis resignatio quò ad possessionem, etiam ante omnem Superioris declarationem. Pirh. *nu. 64.* Laym. *loc cit. nu. 4.* Barbos. *loc. cit. n. 16.* citans plures. Paris. *cit. q. 1. n. 38.* Garc. *loc. cit. n. 235.* citans Innoc. *in c. quòd in dubiis. n. 1.* Abb. *nu. 6.* Rebuff. *in pr. tit. de resign. expres. n. 13.* Selv. *p. 3. q. 11. n. 32.* Roffiniac. *de benef. c. 14. n. 35.* Monoch. *de arb. casu 201. n. 47.* &c. Eò quòd possessio facilius amittatur quàm proprietas: & qui non potest renunciare jurisdictioni & juri suo quò ad proprietatem absque Superiore, potest tamen renunciare possessioni, quia cessat ratio præjudicii: & in præsenti. cùm possessio beneficii non habeat quid spiritualitatis, seu vinculi indissolubilis, possit amitti sinè Superiore Ecclesiastico. Paris. *n. 39.* Barb. *loc. cit.* qui etiam ex Navar. *in c. accepta. oppos. 7. nu. 31.* subjungit, eum, qui per realem illam dimissionem factam sinè Superiore amisit possessionem beneficii, si, antequam à Superiore acceptetur dimissio dicta, ad illud beneficium regrediatur, incipere iterum possidere, & ad hanc novam possessionem apprehendendam prærequiri Superioris auctoritatem.

5. Respondeo denique, si in resignatione coram non Superiore dictum fuit: renuncio beneficium si Ordinario meo, cujus consensus requiritur, placuerit: non tam valere resignationem, ùt voluit Felin. *in c. cùm contingat. de off. deleg. num. 18.* apud Paris. *cit. q. 1. n. 61.* quàm suspendi ejus valorem, ità ut tunc denique valeat, & fortiatur effectum,

dum conditio illa purificatur, & ista resignatio actu recipitur & ratihabetur à Superiore. Paris. *n.* 68. Similiter, dum resignatur in manibus alicujus recipientis resignationem nomine Superioris, valere actu eam, si is ad recipiendum illam mandatum habet; secus si mandatum non habeat, sed tunc valorem suspendi, usque dum ipsius Superioris consensus concurrat. Paris. *à n.* 57.

Quæstio 377. *An sufficiat solùm petere licentiam resignandi, seu indicare Superiori, se velle resignare, prout indicare videtur* c. admonet. de renunc. *ubi dicitur:* te inconsulto dimittere: *adeóque solum reprobari videtur renunciatio quæ fit inconsulto & ignorante Superiore, an verò insuper requiratur approbatio & consensus ipsius Superioris?*

Respondet Barb. *juris Eccl. c.* 15. *n.* 21. non sufficere, admonere Superiorem de resignatione, sed prærequiri insuper, & exspectandum consensum Superioris, & dictum verbum *inconsulto* in citato textu accipiendum pro consensu: nec novum esse, ut consilium pro consensu secundùm subjectam materiam à Pontificibus accipiatur, ùt videre sit *in c. novit.* & *c. quanto. de his, quæ sunt à præl.* & notet *gloss. in c. venerabili. de postul. prælat.* Verùm vide, quæ in hanc rem dicta sunt *quæst. ante hanc penult. in respons. 2. 3. & 4.* quibus adde quod tradit Laym. *in c. dilecti. de renunc. n.* 1. dum beneficiatus resignavit in manibus non sui Superioris, non teneri admittere cessionem. unde inferri videtur, in hoc casu exspectandum consensum & approbationem illius, ità ut jam invito illo, etsi de cetero consulto, resignare cum effectu nequeat. Item quod tradit *ibid. n.* 2. si Abbas, similisve Prælatus justa de causa petat cessionem, non esse ei denegandam, juxta *c. ult. caus.* 16. *q. ult.* Item quod ait C. de Luca. *de benef. d.* 65. *n.* 6. & 7. ubi: *ad effectum, ut resignatio sit valida & perfecta, opus est, quòd fiat coram legitimo Superiore, habente potestatem absolvendi à vinculo, seu resolvendi illum quasi contractum, qui iniri dicitur inter beneficiatum & Ecclesiam, quódque sequatur admissio, & sic requiritur copulativè potestas & voluntas pro hujus distractûs perfectione.*

Quæstio 378. *Quis hîc veniat nomine legitimi Superioris, potentis auctorizare resignationes, seu eas cum effectu admittere?*

1. Respondeo non nisi eum, qui potestatem habet à beneficiis amovendi, seu destituendi & deponendi beneficiatum. Paris. *l.* 7. *q.* 10. *à nu.* 6. citans quamplurimos. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 15. *n.* 7. Pirh. *de renunc. num.* 68. Laym. *ad c. admonet. de renunc. nu.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 7. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 251. citans plures. Cujus ratio est, quòd renunciationem admittere sit actus jurisdictionis in resignantem, qualem non habet in ordine ad hunc effectum alius, quàm qui de causa resignationis cognoscere potest, beneficiatúmque etiam invitum deponere & privare. Barb. Pirh. *ll. cit.* Quódque renunciatio habeat vim destitutionis, cùm per eam resignans desinat esse intitulatus, seu titulum amittat, adeóque fieri nequeat, nisi coram eo, nec admitti nisi ab eo, qui potestatem destituendi habet. Pirh. *loc. cit.* ex Paris. *cit. q.* 10. *n.* 7. Unde jam sequitur, non omnem illum, qui habet jus conferendi seu instituendi in beneficiis, posse etiam recipere resignationes, cùm conferre beneficia præcisè non sit actus jurisdictionis, ùt dictum alias, & plures, qui conferre possunt, beneficium collatum adimere non possunt; quia conferre beneficia, & beneficiorum resignationes accipere diversæ sunt potestatis, ac jura diversa, quorum unum sine alio præscribi & acquiri potest. Paris. *loc. cit. n* 10. C. Luca. *loc. cit.* fitque potestas destituendi quid plus, adeóque ab una ad aliam inferri non possit. C. de Luca *loc. cit.* Idcirco jam ex eo, quod ad inferiorem Episcopo beneficii collatio speciali jure, puta privilegio, vel præscriptâ legitimè consuetudine spectet, non sequitur, ad eum etiam spectare, ut resignationes recipiat, nisi simul etiam per privilegium, legitimámve præscriptionem potestatem illam destituendi seu deponendi beneficiatos obtinuerit. Paris. *l.* 7. *q.* 10. *nu.* 9. & 21. Pirh. *loc. cit. n.* 69. Laym. *cit. n.* 7.

2. Porrò, cùm privilegium illud conferendi seu instituendi beneficiatos sit in præjudicium Ordinariorum, strictè est interpretandum, ità ut, si à Papa concessum alicui conferre certa beneficia, non comprehendatur potestas destituendi, & per consequens recipiendi resignationes istorum beneficiorum. Paris. *cit. q.* 10. *n.* 26. addens contrarium tamen esse, si tale privilegium concessum ab eo, cujus juri dum taxat detrahitur, v. g. ab Episcopo, juxtà quod decisum à Rota teste Puteo apud eundem Parisium, eò quòd privilegium in præjudicium concedentis sit latissimè interpretandum, juxta *c. cùm dilectus. de consuetud.* Paris. *nu.* 28. Idque maximè in præsente casu ob connexitatem, quæ est inter institutionem & destitutionem Paris. *n.* 3. Quod ipsum tamen non videri sibi verum ait Garc. *n.* 263. nisi in privilegio concesso ab eo, cujus jurisdictioni tantùm detrahitur, addatur dictio taxativa; eò quòd, ùt dictum, conferre & destituere longè sint diversa; adeóque, licèt simus in privilegio latissimè interpretando contra concedentem, non potest venire facultas destituendi, uti convincitur ex eo, quod tradit ipse Paris. quòd Vicarius Episcopi habens facultatem conferendi beneficia, non possit eorum resignationes recipere, & tamen hîc agitur de præjudicio Episcopi tantùm. Sic etiam, dum alicui data potestas à Papa conferendi omnia beneficia vacantia in tali loco, non videtur adhuc data potestas excipiendi eorum resignationes. Paris. *n.* 33. qui idipsum *n.* 35. extendit, etiamsi potestas data conferendi omnia beneficia ista, etiam vacantia per resignationem, non posse adhuc ab eo recipi eorum resignationes. Quin & ex eodem principio infert Paris. *num.* 38. non posse Vicarium Episcopi habentem potestatem conferendi beneficia, eorum resignationes excipere, de quo infra. Ac proinde jam regula illa: ad quem pertinet institutio, ad illum spectat etiam destitutio, & consequenter resignationum receptio, non nisi in eo procedit, ad quem de jure communi & ordinario spectat institutio, pro ut est Episcopus, de quo loquitur *c. cùm in cunctis. de hæreticis.* non verò ad eum, cui solùm ex privilegio vel consuetudine spectat illa institutio. Paris. *cit. q.* 10. *n.* 25. citans Rotam *decis. 6. de renunc. in novis.* Garc. *n.* 262. C. Luca. *de benef. d.* 65. *n.* 7.

3. Nihilominus ex eo, quòd frequenter hæ duæ potestates in inferioribus etiam collatoribus conjunctæ sint, dum eorum quidam potestatem & jurisdictionem quasi Episcopalem habent,

habent, vel etiam citra talem potestatem id speciale privilegium resignationes admittendi obtinuerunt. Host. *in sum. tit. de renunc. §. cui sit renunciatio.* Sylv. *v. renunciat. q. 3.* & alii occasionem accepisse videntur, generatim dicendi, resignationes coram illo fieri debere, à quo accepta fuerunt beneficia: nam non sunt intelligendi, quasi sic juxta SS. Canonum præscripta fieri necesse sit; sed quia ità plerumque fieri consuevit, ùt iidem, ad quos jure ordinario pertinet beneficia conferre, seu instituere beneficiatos, resignationes etiam accipiant, saltem simplicium, v. g. Canonicatuum, quos si capitulum independenter ab Episcopo confert, etiam eorum resignationes recipere solet, ùt testatur praxis. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. *cit. num. 69.*

4. Denique hîc observandum, dum dicitur, non posse recipi resignationem nisi ab eo, qui potestatem habet destituendi, id ità accipiendum; nisi habeat potestatem destituendi hunc ipsum resignantem hoc ipso beneficio, adeóque sit Superior istius resignantis respectu istius beneficii. atque ità non juvat, quòd sit Superior resignatarii, habeátque aliàs potestatem destituendi alios beneficiatos, vel respectu aliorum beneficiorum. Ità colligitur ex iis, quæ tradit Paris. *cit. q. 10. num. 1. & 2.*

Quæstio 379. Quid in hoc puncto recipiendi resignationes possit laicus?

1. REspondeo primò in genere: Renunciatio beneficii necessariò facienda est coram Superiore Ecclesiastico, & nullatenus fieri potest coram laico eam recipiente, juxta *c. quod in dubiis.* ubi dicitur, quòd resignatio facta laico nullam obtineat firmitatem. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 68.* Paris. *l. 7. q. 9. nu. 1. juncto n. 7. & 8.* laicus enim esse aut dici nequit Superior respectu clericorum & beneficiorum Ecclesiasticorum; cùm ei nulla jurisdictio aut potestas competat in clericos, eorúmque res & jura; quippe quæ ex objecto suo est potestas spiritualis, renunciatio autem, ùt dictum, fieri debet in manibus Superioris. Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q. 9. n. 3. juncto n. 8. in fine.* Hinc

2. Respondeo secundò: Fieri non potest in manibus Notarii laici, etiamsi is sit Notarius Cameræ vel Cancellariæ Apostolicæ. Pirh. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n. 10. & 11.* citans Nav. *in c. accepta. in solutione septimæ oppositi. n. 34.* Nam etsi hi Notarii Cameræ habeant potestatem recipiendi consensus, non tamen admittendi seu auctorizandi resignationes. Paris. *cit. n. 11.*

3. Respondeo tertiò: Etiamsi laicus sit constitutus in maxima dignitate, v. g. sit Dux, Rex, aut Imperator, adhuc non potest recipere resignationes. Pirh. *loc. cit.* Paris. *nu. 12.* Barb. *juris Eccles. c. 15. n. 10.* citans Tusch. *lit. R. concl. 165. nu. 1. & 2.* Riccium &c. Nisi fortè ex privilegio habeat hanc potestatem recipiendi resignationes, qualiter eam habere potest. Paris. *nu. 13.* testans sic Proreges in regno Neapolitano habere in quibusdam beneficiis hanc potestatem recipiendi eorum resignationes ex privilegio dato in fundatione vel dotatione; qui tamẽ Proreges eas recipiant, ubi factæ simpliciter, & si eorum resignatio fiat in favorem, non fieri nisi Romæ cum beneplacito Proregis.

4. Respondeo quartò: etiamsi laicus sit patronus, non posse adhuc recipere resignationes beneficiorum sui jurispatronatûs, sed & illa resignanda non nisi coram Superiore Ecclesiastico cum consensu patroni laici; idque etiam si patronus sit Rex, & beneficium Episcopatus, aut hujusmodi Prælatura. Pirh. Barb. *loc. cit.* Paris. *num. 14.* citans Abb. *in c. quod in dubiis. nu. 6.* & alios quamplurimos.

Quæstio 380. Qualiter potestas recipiendi resignationes competat Papæ?

1. REspondeo primo: In genere competit Papæ potestas recipiendi resignationes quorumcunque beneficiorum in tota Ecclesia, & quocunque tempore. Paris. *l. 7. q. 11. à n. 1.* & *l. 8. q. 7. à n. 1.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 70.* cum communi, recipere siquidem resignationes, ùt dictum, est jurisdictionis Ecclesiasticæ, ùt Oldr. cons. 324. *n. 4.* apud Paris. *cit. q. 11. n. 1.* pertinétque ad eũ, qui potestatem habet destituendi. Jam verò Papa absolutus est Dominus, Episcopus universalis Ecclesiæ, Superior in beneficiatos omnes, jurisdictionem ac liberrimam pleniſſimámque in beneficialibus habens potestatem, adeóque potens quemcunque beneficiatum, etiam in maxima dignitate constitutum privare & destituere, uti singula hæc pluribus textibus & AA. testimoniis firmat Paris. *loc. cit.* Hinc

2. Respondeo secundò: potest recipere Papa resignationes non solùm in mensibus sibi reservatis, sed & in mensibus concessis locorum Ordinariis; siquidem facultas hac in parte Ordinariis per Papam concessa est cumulativè, non privativè. Pirh. *loc. cit.* Paris. *cit. q. 11. n. 6.* juxta dicta à nobis aliàs.

Quæstio 381. Quænam resignationes non nisi coram Papa fieri possint?

1. REspondeo primò: Resignationes ad favorem fieri nequeunt nisi coram Papa. Lott. *l. 3. q. 14. n. 8.* Pirh. *de renunc. n. 76.* Garc. *p. 11. c. 3. n. 154.* Rebuff. *in pr. tit. de resign. condition. n. 1. & 14.* Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 54.* contra Boërium, *de pot. leg. q. unica. n. 111.* Sot. *de justit. l. 9. q. 7. a. 2.* Covar. *l. 1. var. c. 5. n. 5.* apud eund. Barbos. *n. 52.* validam ac licitam censentes talem resignationem factam coram Episcopo, modò inter resignantem & resignatarium nulla conventio, aut temporalis repromissio interveniat. Rationem, cur à jure reprobetur talis resignatio, & prohibeatur, ne talis conditio, ex parte resignantis apponi, aut ab Episcopo aliove prælato Papâ inferiore recipi queat, colligi ait Barbos. *loc. cit. num. 55. ex c. plerique. 8. q. 1.* ubi Hilarius Papa decernit, ne beneficiarii in suum locum alios designare, subrogare, aut eis gratificari possint; quia, quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt, sed auctoritate Ecclesiæ; unde constituêre Pontifices pro regula, ne sanctuarium Dei hæreditario jure, aut sanguinis affectu, sed liberâ electione deferatur. Rationem addit, quòd qui verè & absolutè non est Dominus, sed tantùm administrator, nequeat adijcere conditiones, per quas Domino præjudicatur aut successor gravetur; beneficiatus autem sui beneficii Dominus absolutè dici nequeat, sed potiùs administrator, juxta *c. 2. de donat.* adeóque illi deservire, & liberè dimittere teneatur, juxta *c. dilecto. de præb.* Porrò num talis resignatio facta coram inferiore Papâ sit simoniaca, controvertitur inter AA. affirmativam tenent Lott. *loc. cit. n. 9.* & alii apud Barbos. *loc. cit. n. 53.* negat Barbos. ipse cum aliis, de quo inferiùs.

2. Respondeo secundò : Sed nec aliæ resignationes conditionatæ (intellige, exceptis iis, quæ fiunt permutationis gratiâ) v. g. quibus resignans reservat sibi fructus vel pensionem ex beneficio resignato, vel expensas in obtentione aut lite circa beneficia factas &c. ab alio, quàm Papâ recipi possunt, eruntque simoniacæ, si ab alio quocunque (etiam Legato Nuncio, ut addit Barbos. mox citandus) recipiantur. Barbos. *juris Ecclesiastici l. 3. c. 15. n. 45.* citans præter Abb. & alios *in c. ex parte, de off. delegat.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 10. à n. 1.* Covar. *l. 1. variar. c. 5. nu. 3.* Suar. *de relig. to. 1. tr. 3. l. 4. de simon. c. 35. n. 22.* Bonacin. *de simon. q. 4. §. 14. à n. 2.* Valent. *to. 2. d. 6. q. 16. part. 3.* Castrop. *to. 3. tr. ult. p. 4. n. 2.* Dian. *p. 6, tr. 7, resol. 42.* Et expressius idem Barbos. *loc. cit. n. 49.* citans insuper Filiuc. *to. 3. tr. 45. c. 8. q. 10. n. 34.* eò quòd in hoc casu temporalis conditio in spiritualibus adjiciatur, per quam conventio non sit gratuita, & aliquid contineat, quod rationem pretii habere videtur, & quòd, ùt addit Engels *ad tit. de renunc. n. 10.* talis resignatio in effectu sit permutatio beneficii pro parte fructuum & redituum ; fructus autem à beneficio separati, cùm sint res temporalis, foret permutatio rei spiritualis pro temporali. Neque contrarium probari ait Barb. *loc. cit. n. 50. ex c. nisi essent. de præb.* ubi approbatur arbitrorum compositio sub ea forma & conditione celebrata, ut alter litigantium super beneficio liti cedat, & certam pecuniam ab altero singulis annis reciperet ; eò quòd illa pecunia sine simonia dari possit ; quia non ex conventione partium, sed ex arbitrorum providentia pro bono pacis id factum seu statutum. citat pro hoc dicti tentûs intellectu Host. *in cit. c. nisi essent.* Abb & Imol. *ibid.* & Berojum *à n. 48.* In hoc tamen casu, ut evitetur adhuc simonia, requiri ait *loc. cit.* Barbos. ut ab arbitris beneficium adjudicetur ei, qui canonicum titulum habet, vel talem ex actis appareat habere ; aliter enim non solùm committendam injustitiam, sed & simoniam, quia magis pro spirituali jure, quàm pro bono pacis pecunia data videretur. De cetero nihil obstat, quin Episcopus possit simpliciter & purè resignanti pensionem ex causâ constituere. Barb. *loc. cit.* vel etiam, ùt addit Engels, ipse resignans, ùt securior sit, eam ob rem ante resignationem supplicare Episcopo.

3. Tametsi igitur ex his rectè inferatur, non posse resignari coram Episcopo sub ea conditione, ut resignatum beneficium uniatur alicui loco seu Ecclesiæ, vel etiam conferatur tertiæ personæ. Garc. *p. 11. c. 3. n. 157. & 156.* tradit tamen idem Garcias *ibidem nu. 158.* videri, posse aliquem consentire, ut suum beneficium uniatur certo loco, vel conferatur certæ personæ ; eò quòd talis non propriè & verè, sed tantùm impropriè & fictè renunciet (quanquam, ùt dictum alibi, is, qui patitur suum beneficium conferri, tacitè videatur resignare) & nullum hic pactum vel conditio interveniat, sed nudus consensus, qui simoniam non inducit.

4. De reliquo conditionalem resignationem coram Ordinario fieri, & ab eo admitti posse sub conditione, quæ de jure inest, & quamvis expressa non fuisset, tamen de jure subintelligeretur, cum communi tradit Tond. *qq. benef. p. 3. c. 151. n. 8.* ex Selv. *p. 3. q. 20. n. 2. & 3.* & nullatenus resignatio sub tali conditione facta & recepta ab Ordinario simoniam continet. Azor. *p. 2. l. 7. c. 27. q. 6.* cum communi.

Quæstio 382. *An saltem Episcopus, aliúsve inferior Papâ, in cujus manibus renunciatio conditionalis facta fuit, possit talem resignationem conditione illâ rejecta, tanquam puram acceptare, & beneficium conferre ?*

RESpondeo negativè. Garc. *p. 11. c. 3. n. 155.* citans Rebuff. *in pr. tit. de resign. condit. n. 7.* Gutier. *cons. 42. n. 8.* Roffiniac. &c. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 15. nu. 46.* Engels. *tit. de renunc. nu. 9.* citans Zoësium. *ad tit. de simon. num. 72.* Pirh. *ad tit. de renunc. n. 78.* citans insuper Less. *de just. l. 2. c. 35. n. 12.* contra Boërium. *tr. de pot. leg. q. 2.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 13. n. 9.* Covar. *l. 1. variar. c. 5. nu. 5.* apud Barb. *loc. cit.* Actus enim sub conditione celebratus, conditione non expletâ nullum effectum operatur ; & actus gestus cum qualitate, rejectâ qualitate, acceptari nequit, ùt Barth. *in l. Aurelius. ff. de liber. legit.* Felin. *in c. cum inter, de re judic.* sed in forma specifica est implendus, juxta *l. Mævius. l. qui haredi. ff. de condit. & demonstrat.* adeóque actus non potest acceptari quò ad unam partem, & rejici quo ad alteram, sed debet totus admitti, aut totus rejici ; quia si dividatur, omnino mutatur : in præsenti autem fit renunciatio non simpliciter, sed sub conditione per modum unius individui actûs. Pirh. Barb. Engels. *ll. cit.* Sed neque conditio illa haberi potest pro non adjecta ; cùm id nullo jure probetur : nec potest Episcopus privare renunciantem jure suo eo invito (utpote qui non vult, nisi dependenter ab illa conditione abdicare à se jus, & conferri beneficium) ne quidem in pœnam resignationis temerè & illicitè factæ ; cùm nullo jure caveatur, ut sic renuncians privetur beneficio, præsertim ipso facto. Pirh. *loc. cit.* Sed neque ex eo, quòd conditiones turpes à matrimonio carnali repellantur, habeantúrque pro non adjectis, sequitur repelli quoque à matrimonio spirituali, & rejectâ conditione tanquam turpi, & canonicæ institutioni contrariâ, puram remanere renunciationem. Nam respondet Barb. *loc. cit. n. 48.* æquiparationem, quam de matrimonio carnali ad spirituale facit Papa *c. inter corporalia. de transl. prælat.* non semper esse admittendam, præcipuè in hoc casu, in quo jure speciali conditiones turpes à matrimonio repelluntur. Addit, quòd talis conditio ex se turpis non sit, cùm admittatur à Papa, quin & ab Ordinario in resignatione permutationis gratiâ.

Quæstio 383. *Quorum beneficiorum resignationes, etiam puræ, non nisi coram Papa fieri possint ?*

1. RESpondeo primò : Cardinalatus, eò quòd non nisi penes Papam sit facultas privandi Cardinales. Paris. *cit. q. 11. n. 12.* & ex eo Pirh. *loc. cit.* cum communi. Fierique debet hæc resignatio in consistorio ; in eo enim ardua, quale quid est resignatio Cardinalatûs, expediri debent, non secus ac privatio Cardinalatûs fit in dicto Consistorio. Paris. *à n. 14.* tam talis resignationis quam privationis factæ in Consistorio referens exempla.

2. Secundò Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus. Paris *cit. q. 11. n. 17.* citatis plurimis, juxta *c. 1. de transl. Episc.* & *c. inter*

corpo-

corporalia. ubi: *non enim humanâ, sed potiùs divinâ potestate conjugium spirituale dissolvitur; cùm per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis Episcopus ab Ecclesia removetur, & ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione Canonicâ quàm institutione divinâ soli sunt Romano Pontifici reservata* &c. quemadmodum solus Papa Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos creare & privare potest. *c. post translation. de translat. Episc.* Paris. *n.* 22. Et licèt olim in Concilio provinciali licebat Episcopos deponere, & primas vel Archiepiscopus cum concilio provinciali (intellige, ex consuetudine & speciali Papæ concessione, ùt Paris. *n.* 24.) resignationes Episcoporum admittere, iisque licentiam cedendi dare poterat; hodiedum tamen sicut depositio Episcoporum, ità & admissio cessionum eorundem spectat privativè ad Pontificem. Pirh. *cit. n.* 70. ex Paris. *loc. cit. n.* 23. & 24. juxta Trid. quod citat *sess.* 13. *c.* 6. & *sess.* 24. *c.* 5.

3. Tertiò: Beneficia majora, seu dignitates majores post pontificalem dignitatem in Cathedralibus & Metropolitanis, & principales in collegiatis (etiam unicas, & quæ vocantur monoculares, ùt addit Paris. *nu* 30.) non nisi coram Papa resignari possunt, quia illas per regulam tertiam Cancellariæ generaliter dispositioni suæ reservat Papa. Pirh. *loc. cit.* Paris. *à nu.* 27. & *nu.* 30. in fine dicens, sic practicari communiter, ut habentes talia beneficia renuncient coram Papa, & si accedant ad Ordinarios, hi illos rejiciant & remittant ad Sedem Apostolicam: quamvis ratio, quam subdit *nu.* 31. eò quòd ipsi conferre ea beneficia non possint, non videatur tenere, ùt patebit ex mox dicendis. Limitat tamen hoc ipsum ità Pirh. nisi consuetudo privilegiúmve aliud in hac re, nempe quò ad horum beneficiorum resignationes, obtineat. De cetero beneficia alia reservata Papæ per reservationes generales clausas in corpore juris, vel per particulares resignari possunt coram locorum Ordinariis, etsi hi ea resignata conferre nequeant; sed spectet eorum collatio ad Papam, siquidem reservatio, cùm sit odiosa & restringenda, auferens Ordinariis potestatem conferendi illa beneficia, ad potestatem eorum resignationes recipiendi (etsi hæc major sit potestate conferendi) afficiendam aut aufferendam se non extendit. Pirh. *cit. n.* 70. Paris. *n.* 32. & 33. citans plures, ac dicens hanc opinionem esse communem.

4. Quartò: Beneficia exempta non nisi coram Papa resignari possunt. Pirh. *cit. n.* 70. Paris. *cit. q.* 11. *n.* 35. citans Pavin. *de pot. cap. sede vac. p.* 2. *q.* 2. *n.* 16. Calder. *cons.* 3. *n.* 1. *de renunc.* gl. *in cap. si Abbatem. de Elect. in* 6. & *ibi* AA. communiter. Superior enim exemptorum est solus Papa. *c. auctoritate. de privileg. in* 6. ad quem spectat eorum institutio & destitutio, adeóque & receptio resignationum, ità ut Ordinarii se nequeant in iis beneficiis ingerere. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n.* 36. Unde si Abbas monasterii exempti, seu immediatè subjecti Romanæ Ecclesiæ seu Papæ, cedat & renunciet in manibus Conventualium suorum, cessio illa est omnino irrita, & consequenter etiam electio novi Prælati à Conventu facta; debétque talis Abbas cedens in locum suum restitui, eóque integrè restituto, ex permissione Papæ poterit à delegatis ipsius vice & auctoritate Papæ cessio ejusdem Abbatis recipi. Pirh. *loc. cit. nu.* 71. juxta *c. ult. de renunc. & ibidem* Laym. Limitantur tamen hæc ipsa à Paris. *loc. cit. n.* 37. ità ut Legatus de latere possit quoque horum exemptorum beneficiorum resignationes recipere, juxta *c. si Abbatem. de elect. in* 6. ubi: *ab alio quàm à nobis, vel Apostolicæ Sedis Legato, si sit in provinciam de latere nostro missus, dari non potest licentia suum deserendi monasterium* &c.

Quæstio 384. *Quid potestatis habeant Cardinales in recipiendis resignationibus beneficiorum; & in specie Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius?*

1. Respondeo primò: Cardinales seu illi Episcopi Romæ viciniores, de quibus aliàs, recipere possunt resignationes beneficiorum existentium in suis diœcesibus, quia in iis non secus ac alii Episcopi in suis Episcopatibus jus instituendi & destituendi habent, ùt latè Mandos. *ad reg.* 7. *Cancell. q.* 1. *n.* 5. cum communi Paris. *l.* 7. *q.* 12. *n.* 5. & 6.

2. Respondeo secundò: Cardinales alii presbyteri & diaconi recipere possunt resignationes beneficiorum existentium in suis titulis: quippe in iis possunt beneficiatos destituere. Paris. *loc. cit. n.* 9. competente illis hoc jure ratione titulorum. Paris *n.* 9. citans Mandos. *ubi ante.* Sarnens. *ad reg. de triennali. q.* 31. *n.* 16. &c. Quippe S. R. E. Cardinales Ordinariam & quasi Episcopalem jurisdictionem habent in Ecclesia sui tituli, aliisque capellis pleno jure ei subjectis seu incorporatis, & clericos earundem. Laym. *in c. his quæ, de majorit. & obed. n.* 1. Item *ad c. querelam. de elect. n.* 2. citans Suar. *de ll. l.* 4. *c.* 5. *n.* 4. & seipsum *Th. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 10. *q.* 3. cum communi, utì & ipsum per partes ostendit Paris. *à n.* 10.

3. Respondeo tertiò: Cardinales habentes Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias vel Prioratus in commendam, possunt ratione horum Episcopatuum, Abbatiarum &c. recipere resignationes beneficiorum, non secus, ac alii Episcopi possidentes Episcopatus in titulum. Paris. *loc. cit. à num.* 21.

4. Respondeo quartò: Cardinales habentes indulta conferendi beneficia in Episcopatibus, quos habuerunt in commendam, & resignarunt (utì hæc indulta iis concedi solent pro mensibus spectantibus ad Papam) non possunt existentium ibi beneficiorum resignationes recipere in mensibus Episcopi; quia nullam amplius pro his mensibus auctoritatem habent, utpote quam per resignationem abdicarunt. Paris. *cit. q.* 12. *n.* 24 *juncto n.* 25. Sed neque in mensibus papalibus, pro quibus indultum habent conferendi, possunt ibidem recipere resignationes, sed has recipere spectat ad Episcopum; quippe qui in suo Episcopatu privativè ad tales Cardinales indultarios jus destituendi habet. Paris. *cit. n.* 25. citans Gabriel. *cons.* 187. *n.* 5. *l.* 1. Procedúntque hæc à fortiore in Cardinale habente indultum extraordinarium conferendi beneficia, utpote quæ indulta extraordinaria minoris sunt auctoritatis, quàm illud Ordinarium, de quo locuti sumus. Paris. *num.* 26. & 27. Limitanda autem hæc: nisi fortè in indulto illo ordinario aut extraordinario hujusmodi facultas recipiendi resignationes concessa, ùt Paris. *cit. n.* 27. De cetero nihilominus, dum resignatio facta coram Episcopo in mensibus, in quibus potestatem conferendi habet Cardinalis (pro ùt jam dictum, fieri illam debere coram Episcopo, & non coram Cardinali habente indultum, non solùm in mensibus, in quibus Episcopus potest conferre,

sed etiam in aliis spectantibus ad Cardinalem) beneficii illius resignati collatio, non ad Episcopum recipientem illius resignationem, sed ad dictum Cardinalem indultarium spectat, non secus, ac dum coram Ordinario fit resignatio in mensibus Papalibus, collatio beneficii resignati spectat ad Papam, & non ad Episcopum recipientem resignationem; quippe Cardinalis ille indultarius succedit in jure conferendi ipsius Papæ per indultum ab illo ei concessum. Paris. *loc. cit. n.* 28. *&* 29. citans Gabr. *ubi antè*, ac dicens communem DD. eò quòd, ùt dictum, diversa sint receptio resignationis, & collatio beneficiorum, & hæc ei competere possit, qui non habet potestatem destituendi, etiam privativè ad eum, qui in iisdem beneficiis habet potestatem destituendi; dum etiam Papa ob maximam absolutissimámque in beneficialibus potestatem, possit auferre facultatem aliàs competentem Episcopo, eámque dare alteri, adeóque multò magis reservando eam alteri, antequam Titius fiat Episcopus, providere, ne Titius factus Episcopus eam adipiscatur. Paris. *n.* 30. Et licèt aliàs in facultate data conferendi vacantia non comprehenderentur vacantia per resignationem (cujus tamen contrarium astruit Paris. *n.* 31. ex *c. ex parte, de off. deleg.* citato Bellamer. *decis.* 611. *de præb. &c.* idque eò magis, dum adderetur in indulto, ùt addi solet, clausula: *quomodocunque vacarint*) adhuc tamen id non obstaret; cùm Cardinali resignanti Episcopatum, non detur de novo illa facultas conferendi, sed indulgeatur, ut quam antè habebat, possit retinere, ùt Paris. *cit. n.* 20. *in fine.*

5. Respondeo quintò: Quidquid fuerit olim, hodiedum omnino recessit ab aula, ut ad dictum Cardinalem Vicecancellarium in ullo casu spectet recipere resignationes. Paris. *l.* 7. *q.* 17. *n.* 5. ex Papenzon. *in addit. ad decis. Rotæ* 3. *de renunc. in antiq. n.* 5. dicens ità practicari totâ die.

Quæstio 385. *Quid circa resignationes recipiendas possit Legatus Apostolicus?*

1. REspondeo primò: Legati à latere (quales sunt Cardinales constituti Legati à Sede Apostolica) resignationes simpliciter & absolutè factas recipere possunt. argumento *c. si Abbatem, de elect. in* 6. & *c.* 1. *de offic. Leg. in* 6. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 72. Laym. *in c. præsenti.* §. *prohibemus. n.* 5. Paris. *l.* 7. *q.* 13. *n.* 15. citans Rebuff. *in pr. tit. de resign. condit. n.* 5. Gambar. *de pot. Leg. à Latere l.* 6. *n.* 163. Abb. *in c. ult. de renunc. nu.* 4. Gemin. Franc. & alios communiter *in cit. c. si Abbatem.* Habent enim potestatem, ùti instituendi (intellige in beneficiis suæ provinciæ, ad quam mittuntur) ità & destituendi. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 252. citans Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 13. cùm sicut honoris prærogativâ lætantur, sic eos auctoritate decet fulgere ampliore. *cit. c.* 1. *de off. Leg.*

2. Respondeo secundò: quoque recipere resignationes possunt, quæ fiunt permutationis gratiâ, Laym. *loc. cit.* Paris. *l.* 7. *q.* 13. *n.* 16. citans Bellam. *tr. de permut. benef.* Gamb. *de pot. Leg. l.* 5. *tit. de permut. n.* 2. Quemadmodum conferre possunt beneficia omnia, & in collatione prævenire Ordinario, juxta dicta aliàs, & non minùs quàm illi est collator ordinarius, juxta dicta aliàs ex Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 6.

3. Respondeo tertiò: Resignationes tamen factas in favorem, vel aliter conditionatas recipere nequit. Pirh. Laym. *ll. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 17. citans Gamb. *ubi immediatè antè.* & Rebuff. *in pr. tit. de resign. condit. n.* 5. Tond. *loc. cit. n.* 18. sed neque potest tales resignationes conditionatas rejectâ conditione admittere, quasi factas simpliciter, juxta dicta paulò suprà. Pirh. *loc. cit.* citans Rebuff. *ubi antè n.* 7. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 48. Tond. *loc. cit.* Limitatur tamen responsio, nisi ad recipiendas conditionatas resignationes Legatus vel Vicelegatus de latere habeat specialem & expressam facultatem. Pirh. *loc. cit.* Tond. *l. c.* qui tamen addit, quidquid sit de facultatibus Legationis, se non vidisse practicatam hanc formam legationis in favorem; certúmque esse, quòd in Gallia non admitterentur provisiones in vim talium mandatorum conditionalium ab eo factas; quamvis *p.* 3. *c.* 200. dicat, Legatum vel Vicelegatum Avenionensem habere potestatem, quascumque & quorumcumque beneficiorum resignationes recipiendi.

4. Respondeo quartò: Sed neque Legati à latere potestatem habent, alicui, seu in genere, seu in specie dandi potestatem, ut beneficiorum resignationes (intelligendum videtur, etiam simplices) accipiat, & beneficia resignata conferat idoneis. Laym. *loc. cit. n.* 1. Paris. *cit. q.* 13. *n.* 18. citans Jo-And. *in rubric. de renunc. n.* 7. & remittens ad *q. ult. l.* 7. eò quòd occasione talis commissionis vacatio beneficiorum modis illicitis procurari posset contra *tex. c.* 2. *de conces. præb.* quamvis tamen Legatus talis alicui committere possit resignationis receptionem, & postquam ea recepta est, eidem committere, ut personæ idoneæ conferat. Laym. *loc. cit.* junctâ Gl. *hic.* communiter receptam.

5. Respondeo quintò: Alii verò Legati, tam missi (qui Nuncii Apostolici dicuntur) quàm nati non habent potestatem recipiendi resignationes, ne quidem simpliciter factas. Pirh. *cit. n.* 72. Paris. *cit. q.* 13. *n.* 9. quia non habent facultatem instituendi & destituendi beneficiis suæ provinciæ, juxta *c.* 1. *de offic. leg. in* 6. Paris. *n.* 10. Limitanda tamen responsio: nisi ad hoc habeant specialem facultatem, uti eam habere quandoque solent ad certum numerum beneficiorum. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n.* 11. qui etiam *n.* 13. subjungit juxta *decis. Rotæ* facultatem datam Legato conferendi & recipiendi resignationes non extendere se ad canonicatus cathedrales, nisi fortè data fuisset per verba: *quæcunque & qualiacunque*, uti etiam, ùt Paris. *n.* 14. facultas data his Nunciis, ut possint reservare pensionem ex causa resignationis cedentibus, vel aliis personis, non includit, ut possint admittere resignationes in favorem. Notandum quoque, quòd dictam facultatem recipiendi resignationes non habeant vi legationis suæ, cùm aliàs eam habeant, si sunt Episcopi, pro Episcopatibus suis.

Quæstio 386. *An Archiepiscopus seu Metropolitanus possit recipere resignationes beneficiorum existentium in diœcesibus suorum suffraganeorum?*

REspondeo negativè; cùm ordinariè jurisdictionem in illis non habeant, juxta *c. pastoralis. de off. jud. ordinar.* Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 73. cum communi.

Qua-

Quæstio 387. *Quid potestatis competat Archiepiscopo & Episcopo circa receptiones resignationum?*

1. REspondeo primò: Sicut jure communi & ordinario ad Episcopum seu Ordinarium loci spectat jus seu potestas conferendi, seu instituendi in omnibus beneficiis suæ diœcesis, *c. omnes basilicæ. c. nullus. ib. q. 7.* & destituendi beneficiatos in Ecclesiis sibi subjectis. *c. 1. de capell. monachor. c. cùm ex injuncto. de hæretic.* Paris. *l. 7. q. 14. n. 4.* cum communi: ità etiam eodem jure ordinario ad eum spectat recipere resignationes omnium dictorum beneficiorum (intellige simpliciter & purè factas) & in his dicto jure fundatam habet intentionem. Paris. *loc. cit. à n. 1. juncto n. 5.* Laym. *ad c. admonet. de renunc. n. 1.* Pirh. *ad tit. de renunc. num. 73.*

2. Amplianda responsio primò: Ut possit etiam reservatorum Papæ resignationes recipere, non autem illa conferre. Paris. *cit. q. 14. n. 6.* citans Lapum *in addit. ad Federic. de Senis de rerum permut. in novis.* quemadmodum etiam, licèt recipere possit resignationes reservatorum factas permutationis gratiâ, permutantes tamen necesse habent, post dictam receptionem factam ab Ordinario recurrere ad Papam pro perfectione resignationis. Paris. *n. 7.* citans Rotam *ubi antè.*

3. Secundò, ut etiam beneficia jurispatronatûs possint coram eo resignari. Paris. *loc. cit. n. 9. & 8.* citans Butrio *in c. quod in dubiis. n. 7.* Abb. *ibid. n. 6. &c.* Pirh. *loc. cit.* accedente tamen patroni consensu. Paris. *cit. n. 8.* sic si præsentatio spectet ad alium, v. g. Præpositum, Abbatem, Episcopus recepturus resignationem talis beneficii, consensum illius requirere debet. Laym. *ad c. dilecti. de renunc. n. 4.* juxta *c. in Lateranensi. de præb. c. ad hæc. de off. Archid.* Similiter si ad alios, v. g. ad Capitulum spectet electio, vel ad alium collatio, eorum requirendum esse consensum ab Episcopo recepturo resignationem, tradit Laym. *loc. cit. n. 5.* citans Gl. *in c. unic. de rerum permut. in 6. v. collationem.* Butrio *in c. quod in dubiis. n. 6. &c.*

4. Tertiò, ut recipere possit etiam renunciationes beneficiorum electivorum exigentium confirmationem Superioris. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n. 10.* citans Butrio *in c. quod in dubiis. n. 6.* Franc. *in c. unic. de rerum permut. in 6. n. 7. &c.* eò quòd, ùt idem Paris. *n. 12.* resignatio regulariter fit coram confirmante, juxta Gl. *in Clem. 1. de renunc. v. manibus.* debet tamen hanc resignationem recipere cum consensu eligentium. Paris. *n. 11.*

5. Quartò, ut possit recipere resignationes, etiamsi ad Cardinalem ratione indulti concessi à Papa spectet collatio, juxta dicta suprà. Paris. *loc. cit. n. 13.*

6. Quintò, ut, etiamsi collatio vel institutio spectet ad inferiorem, resignatio tamen dicto jure ordinario fieri debet coram Episcopo, cum consensu tamen collatoris. Pirh. *loc. cit.* Paris. *n. 15. juncto n. 17.* citans Abb. ac dicens communem. Quemadmodum & permutatio beneficiorum spectantium ad collationem inferiorum fit coram Episcopo cum consensu illorum habentium jus conferendi. Paris. *n. 17.* citans Federic. de Senis *de permut. q. 22.* Franc. *in c. 1. de rer. permut. n. 8. &c.* dum autem jus conferendi ad talem inferiorem spectat, renunciatione factâ coram Episcopo, dimissum beneficium is conferet, ad quem aliàs jus conferendi spectat. Azor *p. 2. l. 7. c. 19. q. 7. in fine.* cum communi.

7. Sextò, ut beneficiorum suæ diœcesis resignationem possit recipere etiam existens in Curia. Paris. *loc. cit. n. 23.* citans Gabr. *cons. 187. n. 4. l. 1.* contra Gamb. *in c. unic. de rer. permut. in 6.* In quo tamen casu dicentur beneficia istiusmodi vacare in Curia per resignationem, adeóque erunt reservata Papæ. Paris. *n. 24.* & sic Episcopus ea conferre non poterit, etsi aliàs ad ejus collationem spectantia. Quare Paris. *n. 26.* dicit, melius talem Episcopum facturum, si admittat eorum resignationem extra Curiam in sua vel aliena diœcesi, eò quòd tunc ea conferre possit etiam degens in Curia, ùt resolutum ait à Rota teste Puteo *decis. 167. l. 1.*

8. Septimò, ut possit recipere resignationes beneficiorum obtentorum per alium Episcopum, dum v. g. is promotus in Episcopum, retineret beneficia priùs habita in diœcesi alia; vel quia dimisso Episcopatu retinet aliud beneficium. Paris. *n. 30.* citans Abb. *in c. ad supplicationem. de renunc. n. 5.* ubi is notet hunc casum singularem, in quo propter beneficium receptum par in parem habet potestatem.

9. Octavò in resignatione volentium intrare religionem, quòd ea possit fieri coram Episcopo, Paris. *n. 27.* etsi aliàs eorum professio etiam inconsulto Superiore inducat resignationem & vacationem beneficii, ùt idem *n. 28.* citato D. Tho. *1. 2. q. 8.* Abb. *in c. quod Dei. de statu monachor.* Sylv. *v. religio. 2. q. 8. &c.* Denique, quòd Episcopus solus absque consensu Capituli possit recipere resignationem Prælati inferioris sibi subjecti, Paris. *n. 29.* ex Abb. *in c. lecta. de renunc. n. 3.* dicens esse communem. Porrò in quibus casibus præterea Ordinarii recipere possint resignationes, vide apud Branden. *in concord. Germ. q. 12.*

Quæstio 388. *An, & in quibus casibus, non obstante hoc jure communi & ordinario Episcopi, inferiores Episcopo recipere possint resignationes beneficiorum?*

1. REspondeo primò in genere: Frequenter accidit, ut duæ hæ potestates, nimirum conferre beneficia, & eorum resignationes admittere concurrant in inferioribus Episcopo collatoribus, juxta dicta suprà ex Laym. *in c. admonet. de renunc. num. 7.*

2. Respondeo secundò in specie: Primò ubi inferior v. g. Prælatus aliquis, etsi non Episcopus, jus tamen & jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesia, vel territorio aliquo obtineret, ac ideo jus instituendi & destituendi, & exercendi Episcopalia, quæ sunt jurisdictionis; tales enim recipiendi ibidem resignationes; etiam factas permutationis gratiâ habent. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 9.* Paris. *cit. q. 14. n. 22.* Laym. *in c. admonet. de renunc. n. 2.* Pirh. *loc. cit.* qui etiam cum communi addit, tales venire nomine Ordinariorum, & quibus, suppositâ istâ jurisdictione quasi Episcopali, jam jure ordinario, non secùs ac Episcopis competat dicta potestas.

3. Secundò, dum fortè aliquis inferior unà cum jure instituendi haberet ex privilegio vel consuetudine jus destituendi beneficiatos, absque eo, quòd cetera jura Episcopalia, seu potestatem quasi Episcopalem habeat; is enim consequenter & potesta-

potestatem recipiendi resignationes eorundem beneficiorum haberet, Paris. *n.* 19. citans Innoc. *in c. quod in dubiis. n.* 3. Abb. *ibidem n.* 6. & alios Pirh. *cit. n.* 73.

4. Tertiò, si quis (utì fieri potest, & patebit ex dicendis paulò pòst de capitulis) absque eo, quòd spectet ad eum destitutio, acquisivisset ex privilegio dictam potestatem recipiendi quorundam beneficiorum resignationes. Paris. *n.* 22. citans Jo. And. *in c. significatum. v. dimittere. de præb.* Abb. *in c. quòd in dubiis. n.* 6. *&c.* Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 389. *Quid possit Vicarius Episcopi circa receptionem resignationum?*

1. Respondeo primò: Episcopi Vicarius generalis in Spiritualibus, nisi habeat ad hoc speciale mandatum, resignationes beneficiorum recipere nequit. Paris. *l.* 7. *q.* 24. *n.* 1. *&* 2. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 12. citans Sbrozium *de Vicar. Episc. l.* 2. *q.* 130. Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. renunc. n.* 54. Ricc. *in pr. aurea. resolut.* 471. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 55. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 73. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2 §. 2. *n.* 3.

2. Respondeo secundò: Potest Episcopus Vicario suo committere hanc facultatem. Paris. *loc. cit. n.* 22. citans Selv. *p.* 2. *q.* 21. Abb. *in c. constitutus, de concess. præb. n.* 5. *&c.* Et *n.* 3. dicens, sic decisum à Rota *decis.* 2. *de offic. Vicar. in antiq.* & sic habere communem, & supponere AA. omnes.

3. Respondeo tertiò: Potest, & solet quandoque Papa deputare administratorem, quem mittit ad regendas Ecclesias Cathedrales & Metropolitanas, donec Episcopus perveniat ad legitimam ætatem. Et quandoque Vicarium Apostolicum, quem mittit cum Brevi de Consilio Cardinalium præpositorum negotiis Episcoporum ad gubernandam Ecclesiam, donec causa Episcopi inquisiti cognoscatur & decidatur, vel suspensio tollatur. Et talis administrator & Vicarii Apostolici possunt recipere resignationes beneficiorum, inspectis verbis, quæ solent apponi in concessionibus. Paris. *à. n.* 23. *juncto n.* 27. qui etiam *n.* 25. ait tales habere ordinariam jurisdictionem, & dici Ordinarios, quidquid dixerint aliqui in contrarium, nempe habere illos jurisdictionem delegatam.

4. Respondeo quartò: Potest talis Administrator Apostolicus constituere Vicarium generalem cum potestate conferendi beneficia, & recipiendi eorum resignationes. Paris. *cit. q.* 24. *n.* 74. citans But. *decis.* 224. *l.* 2. Nec obstat, quòd locum tenens alium locum tenentem deputare nequeat; non enim id potest, dando ei totam jurisdictionem, abdicando eam à se, & faciendo illum Ordinarium; secus autem contingit in præsente casu. Paris. *n.* 75. Porrò data facultas recipiendi resignationes non transit ad Vicarium successorem prædecessore mortuo civiliter vel naturaliter. Paris. *n.* 76.

5. Respondeo quintò: Concessâ Vicario hac facultate recipiendi resignationes, subsistit receptio resignationis beneficii ab eo facta, etiamsi Episcopus concedens obierit ante receptionem istius resignationis, saltem, si obitus ejus ignorabatur à Vicario. Barb. *loc. cit.* citans Sbroz. *de Vicar. l.* 3. *q.* 36. *n.* 10. Sperell. *fori Eccl. decis* 30. *n.* 16. (ubi etiam putat, quòd licèt quidam vim faciant in ignorantia Vicarii, idem tamen dicendum sit in foro externo, si Vicarius sciebat mortem Episcopi, eò quòd *L. Barbarius* se fundet in communi ceterorum errore) Paris. *loc. cit. n.* 33. citans plures alios, ubi etiam idipsum procedere ait, licèt Vicarius potuisset scire obitum Episcopi, idque eò magis, si Episcopus mortuus est in longinquis. Porrò quod dictum de morte, idem procedere de renunciatione Episcopi, ità ut, si is resignâsset Episcopatum in Urbe, vel translatus fuisset ad alium Episcopatum, subsisteret receptio resignationis facta à Vicario, antequam is de dicta renunciatione vel translatione sui Episcopi notitiam habuisset; eò quòd gesta ante notitiam revocationis à delegato valeant, tradit Paris. *loc. cit. n.* 38. sic resolutum dicens à Rota *in Oretana Canonicatus*, utì & valituram ejusmodi receptionem factam à Vicario post expressam ejus revocationem, si illam ignoret, tradit idem Paris. citatis pluribus *n.* 41. subjungens *n.* 43. præsumi in dubio ignorantiam revocationis. Poterit etiam vi acceptæ talis potestatis recipere resignationes omnes beneficiorum, sicut Episcopus ipse concedens hanc facultatem. Paris. *n.* 28. adeóque subjectorum juripatronatûs, electivorum. Paris. *cit. n.* 28. reservatorum Papæ. Paris. *n.* 30. nisi fortè ei concessa facultas recipiendi resignationes tantùm beneficiorum spectantium ad Episcopi collationem. Paris. *n.* 31. adeóque etiam poterit eas recipere existens extra diœcesim. Paris. *n.* 32. Item valebit facta ab eo receptio, etiamsi tempore receptionis fuisset irregularis, aut aliàs inhabilis, si communiter reputabatur habilis (sufficit enim communis reputatio de habilitate juxta *l. Barbarius. ff. de off. Prætoris*; idque etiam in Spiritualibus locum habet. Paris. *n.* 47.) sicut in eo casu valeret facta per ipsum Episcopum inhabilem. Paris *à n.* 44. Porrò datâ hac facultate absolutè & simpliciter admittendi resignationes, non intelligitur adhuc ei concessa facultas beneficia resignata conferendi, si eam facultatem aliàs ab Episcopo non haberet. Barb. *loc. cit. n.* 12. Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. in* 6. *n.* 6. quia non tantùm differunt hæc duo conferre & recipere resignationes, sed etiam juxta Laym. *loc. cit.* & Paris. *cit. q.* 24. *n.* 8. plus est conferre, quàm resignationes recipere, ùt patere ait Laym. dum Capitulum sede vacante potest admittere resignationes, ùt dicetur paulò pòst; non tamen conferre ea, quæ liberæ collationis sunt ad Episcopum spectantia, & tamen Capitulum sede vacante majorem potestatem exercet, quàm Vicarius Episcopi absque specialibus ei factis commissionibus. Si tamen data ei potestas accipiendi resignationes factas gratiâ permutationis, poterit etiam juxta Laym. *loc. cit.* conferre; cùm collatio illa non sit libera. Sed neque datâ ei potestate recipiendi resignationes, potest destituere, seu privare beneficiatos, cùm id sit majoris potestatis. Laym. *loc. cit.*

6. Respondeo sextò: è contra non censeri adhuc Vicarium habere hanc ab Episcopo potestatem. Primò, si constitutus ab Episcopo cum potestate administrandi in spiritualibus & temporalibus, cum honoribus & præeminentiis datis aliis Vicariis, & cum plena & omnimoda potestate de omnibus cognoscendi; quin & si adsint in mandato alia adhuc verba generalia & prægnantia, eò quòd debeat fieri specialis mentio de receptione resignationum. Paris. *n.* 6. Quemadmodum ex commissione amplissima ei datâ ab Episcopo, etiam in qua dictum fuit, ut omnia possit, quæ ipse

ipse Episcopus, adhuc conferre non poterit beneficia, juxta Paris. *loc. cit. n.* 7. citantem pro hoc Pavin. *de potest. cap. sede vac. p.* 2. *q.* 10. Decium *cons.* 128. *col.* 1. *&c.* uti nec venit in amplissima tali commissione potestas destituendi, juxta eundem Paris. *n.* 10. Secundò, si Vicario data facultas conferendi omnia & singula beneficia vacantia, non potest vi talis potestatis resignationes recipere. Paris. *loc. cit. n.* 15. & ùt Laym. *loc. cit. n.* 6. citans Sbroz. *de Vicar. l.* 2. *q.* 71. sive resignationes illæ sint absolutæ, sive factæ permutationis gratiâ. Tertiò, si Vicario data potestas destituendi, etiam omnes ac singulos beneficiatos, adhuc non poterit recipere resignationes. Paris. *loc. cit. n.* 19. Laym. *loc. cit. n.* 7. Nec obstat communis aliàs regula, quòd qui destituere potest, potest etiam resignationes recipere; hoc enim, ùt dictum suprà, procedit solùm de eo, qui id ex jure communi habet, & non de eo, qui id ex jure seu commissione speciali habet.

Quæstio 390. *Quid possit quò ad recipiendas resignationes Coadjutor Episcopi?*

1. REspondeo primò: Coadjutor potest recipere resignationes, dum ei in datione Coadjutoriæ concessa hæc potestas; secus si ea potestas ibi expressa non est; proinde inspicienda forma istius dationis coadjutoriæ. Paris. *l.* 7. *q.* 20. *n.* 19. quod secundum eò magis locum habet, si datus Coadjutor præcisè ob temporalia, nimirum dum Episcopus de cetero ritè administrans spiritualia dilapidaturus videtur bona Episcopalia. Paris. *cit. q.* 20. *n.* 21.

2. Respondeo secundò: Si datus tamen Coadjutor ob spiritualia, v. g. Episcopo seni vel infirmo, hic, etsi id in dicta forma dationis coadjutoriæ expressum non sit, poterit, de consensu tamen Episcopi, recipere resignationes. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 11. Paris. *n.* 24. citans Coras. *de benef. c.* 4. *n.* 9.

3. Respondeo tertiò: Datus Coadjutor Episcopo dementi, sicut generalam & liberam habet in spiritualibus & temporalibus jurisdictionem, ità inter cetera etiam recipere potest resignationes beneficiorum. Paris. *loc. cit. n.* 27.

Quæstio 391. *Quid possit Capitulum circa resignationes beneficiorum recipiendas?*

1. REspondeo primò: Capitulum Ecclesiæ, sive Metropolitanæ, sive Cathedralis, sive Collegiatæ insignis resignationes sede plenâ regulariter nequit recipere. Paris. *l.* 7. *q.* 23. *n.* 1. citans Abb. *in c. quod in dubiis. de renunc. n.* 6. Innoc. *n.* 3. Card. *in Clem. unic. de renunc. n.* 8. Pirh. *de renunc. n.* 74. C. Luca *de benef. d.* 65. *à n.* 5. eò quòd collatio & destitutio regulariter non ad Capitulum, sed ad Episcopum vel Prælatum spectat. Et licèt quandoque Capitula haberent potestatem conferendi seu instituendi ad Canonicatus suos, ùt contingit, dum per Turnum conferuntur, in quo casu habet Turnarius nomine Capituli potestatem instituendi, seu veriùs nominandi à Capitulo, à quo fit institutio, non tamen habet potestatem destituendi, ùt dictum. C. de Luca *loc. cit.* Et siquidem etiam Capitulum, vel ejus nomine Canonicus Turnarius ex privilegio haberet quoque potestatem destituendi (uti contingere potest, C. de Luca *loc. cit. n.* 8.) adhuc secundùm dicta ex eo non sequeretur, habere quoque illud potestatem recipiendi resignationes.

2. Ampliatur responsio primò, ut etiam procedat de resignationibus ipsorum Canonicatuum suorum. Paris. *loc. cit. n.* 1. Pirh. *loc. cit.* Secundò, ut si destitutio spectaret ex privilegio vel consuetudine ad Episcopum & Collegium communiter, adhuc Capitulum nonnisi cum Episcopo recipere posset resignationes; cùm in rebus communibus Capitulum sine Prælato agere nequeat. Paris. *cit. q.* 23. *n.* 3. Econtra limitanda responsio secundùm Parisium, nisi fortè ex privilegio vel consuetudine, ne Capitulum haberet facultatem instituendi & destituendi in quibusdam beneficiis; in hoc enim casu recipere posset horum beneficiorum resignationes, ait Paris. *n.* 5. Pirh. *loc. cit.*

3. Respondeo secundò: Capitulum sede vacante, beneficiorum spectantium ad collationem Episcopi resignationes purè factas recipere potest. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 4. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 13. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 7. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 256. citans Pavin. *de pot. Cap. Sed. vac. q.* 2. *à n.* 3. Sbroz. *de pot. Vicar. l.* 2. *q.* 21. *n.* 12. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 17. & alios, qui omnes id absolutè affirmant contra Paris. *cit. q.* 23. *n.* 20. *junctis n.* 35. *&* 37. Pirh. *loc. cit.* Laym. *in c. cùm olim. de majorit. & obedient. n.* 11. Rebuff. &c. id nonnisi limitatè admittentes de resignationibus beneficiorum spectantium ad simultaneam Episcopi & Capituli collationem, & quæ resignantur in pœnam. Item contra Rebuff. & Roffiniac. apud Garc. *n.* 256. nonnisi de admissione resignationis factæ gratiâ permutationis id admittentes; de quibus paulò post in particulari. Ratio responsionis est, quòd Capitulum succedat Episcopo in omnibus, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ (ad quam spectat receptio resignationum) exceptis casibus in jure expressis, inter quos non est dicta receptio. Castrop. Barb. *ll. cit.* sive, ùt Azor & alii, quia licèt ad Capitulum non transeant ea, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ voluntariæ, transeunt tamen ea, quæ sunt jurisdictionis necessariæ; approbare autem seu recipere resignationem spectat ad jurisdictionem necessariam, eò quòd cùm resignatio non fiat nisi justis de causis, necessitatis sit, non voluntatis consensum præstare in resignatione beneficii. Adde quòd Capitulum multa quoque possit, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ; adeóque si ex eo, quòd Capitulum possit admittere vel non admittere ex causa resignationem, dicatur ea spectare ad jurisdictionem voluntariam, nil vetet quò minùs ea potestas dicatur ei competere, Paris. *n.* 13. *juncto n.* 25. quamvis & hoc ipsò jam admittatur ea illi competere, quòd dicatur, Capitulum posse eam admittere & non admittere ex causa. Neque obstat, quòd alienatio sit interdicta Capitulo sede vacante, cùm receptio resignationis non sit propriè alienatio; quia Capitulum eam recipiens, non hoc ipsò beneficium confert aut conferre potest. Paris. *n.* 28. Neque obstat, quòd Capitulum sede vacante non possit dare licentiam transeundi de una Ecclesia ad alteram; quia & hoc ipsum falsum est. Paris. *n.* 29. juxta decis. Rotæ.

4. Ampliatur & declaratur responsio nostra, ut procedat primò in resignatione quorumcunque beneficiorum, etiam jurispatronatûs, ut nimirum & has recipere queat Capitulum sede vacante cum consensu patroni, seu patrono id sciente & non contra-

contradicente ; qui etiam eo ipso consentire videtur, si post factam à Capitulo receptionem resignationis præsentet aliquem à Capitulo instituendum. Paris. *n.* 32. *&* 33. Secundò non tantùm procedit in resignatione, quæ fit in resignantis pœnam, utpote cujus admissio est justitiæ, & in his, quæ sunt justitiæ, succedit Capitulum sede vacante ; sed & in aliis factis non in pœnam, sed merè voluntariè, Garc. *loc. cit. n.* 258. citans Sbroz. Pavinum *ubi antè* contra Paris. Pirh. Laym. quibuscum sentire videtur Fermosin. *tr. de Capitulo sede vac. q.* 25, *n.* 3. *&* 7. hoc nixos fundamento : quòd hæc admissio sit gratiosa, in iis autem, quæ sunt gratiæ, non succedat Capitulum. Tertiò etiam in resignationibus beneficiorum spectantium ad collationem solius Episcopi. Garc. *n.* 260. citans Pavin. *ubi antè*, contra AA. jam citatos, ac præcipuè contra Paris. *n.* 38. citantem pro se aliquot decisiones ; qui tamen hoc ipsum limitat, *n.* 40. nisi Capitulum sede vacante esset in possessione conferendi, & recipiendi resignationes omnium beneficiorum, etiam spectantium ad collationem solius Episcopi.

5. Respondeo tertiò : Capitulum sede vacante admittere potest resignationes factas causâ permutationis. Paris. *cit. q.* 23, *n.* 31. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 38. *q.* 4. Chok. *de permut. benef. c.* 8. *n.* 5. citans Suar. *de relig. l.* 4. *de simonia. c.* 23. *n.* 11. Feder. de Senis *de permut. benef. q.* 36. Pavin. *de pot. Cap. sed. vac. p.* 2. *q.* 2. Zerol. *in pr. Ep. p.* 2. *v. Capitulum. §.* 7. *&c* Item Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 94. *&* 95. Rossiniac. *c.* 35. *n.* 2. apud Garc. *cit. n.* 257. contra Fermosin. *loc. cit. n.* 7. & alios quosdam antiquos. Intelligendum tamen hoc ipsum est nonnisi de resignationibus illorum beneficiorum, quorum collatio aliàs pertinet ad Capitulum privativè, aut saltem simultaneè ad Capitulum & Episcopum, & non illorum, quorum collatio spectat ad solum Episcopum, eò quòd in talium beneficiorum collatione non succedat Capitulum ; etsi enim, ùt dictum, recipere possit & horum beneficiorum resignationes, ea tamen conferre nequit. Chok. *loc. cit. n.* 5. quòd autem hæc limitatio potiùs locum habeat, in receptione resignationis factæ permutationis gratiâ, quàm resignationis factæ simpliciter, ratio hæc est, quòd in hac resignatione separari possint hæc duo, receptio resignationis, & collatio beneficii resignati, & consequenter receptâ hac resignatione à Capitulo collatio illius beneficii reservari futuro Episcopo ; in receptione autem factâ permutationis gratiâ dicta duo separari non possunt (saltem ad longum tempus, aut ità, ut penes unum sit admissio resignationis, & penes alterum collatio) sed eo ipso, quo recipitur & admittitur hæc resignatio, beneficia permutata in continenti permutantibus conferri debeant ; quia hi aliter non resignant, quàm ut beneficia sibi conferantur, ùt expressè tradit Lott. *l.* 3. *q.* 19. *n.* 10. his verbis : *Permutatio secum trahit executionem, consummatúrque in simplici Superioris admissione, juxta doctrinam Innoc. in c. inter cetera. n.* 3. *de præb. quem sequitur Archid. in c. unic. de rerum permut. in* 6. *adeò ut non sit necessarius actus collationis, ùt punctualiter Federic. de Senis cons.* 73. *n.* 5. & expressiùs adhuc Gonz *ad reg.* 8. *gl.* 14. *n.* 43. *&* 44. ubi *in permutatione non est necessaria aliqua expressa collatio nova ipsis permutantibus de beneficiis permutatis facienda ; sed statim, quòd ex causa permutationis beneficia resignantur, & Superior resignationem admittit, absque alia transfert ea invicem in alterutrum, & in continenti permutatio eo ipso perfecta permanet absque alia nova collatione ; nam illa admissio habet vim tacitæ collationis* : citat pro hoc Federic. de Senis *tr. de permut. nu.* 44. *q.* 27. Anchar. *in cit. c. inter cetera.* & Rotam *decis.* 16. *n.* 6. *de rer. permut. in antiq. & decis.* 1. *n.* 3. *eod. tit. in novis.* Vide tamen, quæ circa hoc punctum, num scilicet in permutatione opus sit novâ collatione, dicendum sit inferiùs, ubi de hoc ex professo. Proinde nec subsistere videntur, quæ tradunt Azor. *loc. cit.* Wamesto. 1. *consil.* 13. *n.* 10. Chok. *loc. cit. n.* 6. & alii, posse Capitulum & horum beneficiorum spectantium ad solius Episcopi collationem, resignationes factas permutationis gratiâ recipere quidem, sed ea utrimque resignata non posse permutantibus à Capitulo conferri, sed reservanda successori Episcopo, & sic nonnisi ab eo in hoc casu perfici posse permutationem. Nam licèt admittatur quoque cum Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 2. citante pro hoc Garciam *p.* 11. *c.* 4. *à n.* 85. admissionem resignationis factæ permutationis gratiâ non esse, nequidem tacitam beneficiorum sic resignatorum collationem, eò quòd beneficia compermutantibus concedi nequeant, quousque vacent, adeóque priùs per resignationem (intellige admissam, quia per resignationem necdum admissam nondum vacant) vacent, quàm conferantur, & consequenter admitti possit resignatio illorum, quin ea resignata conferantur ; uel etiam hæc ipsa separatio resignationis à collatione probari videtur ex eo casu ; quòd, si Episcopus, postquam recepit resignationem beneficiorum spectantium ad se solùm factam permutationis gratiâ, mortuus fuisset, antequam ea contulisset, Capitulum sede vacante ea permutantibus possit ac debeat conferre, eò quòd jam præcessisset Episcopi consensus in collationem nonnisi permutantibus faciendam, & ex alia parte illa collatio debita sit permutantibus, ut Chok. *loc. cit. n.* 9. ex Mihi. *in repertor. v. Capitul. sed. vac.* Licèt id inquam admittatur ; cùm tamen dicta resignatio admitti nequeat, quin simul admittatur (intellige à recipiente hanc resignationem) conditio collationis illorum beneficiorum compermutantibus faciendæ, ùt expressè *ibidem* Castrop. & Garc. (quin & ùt Castrop. *ibid. n.* 1. *in fine*, admittens resignationem ex causa permutationis eò ipso obligetur, beneficia resignata compermutantibus conferre) adhuc Capitulum non poterit illas resignationes recipere, & collationem illorum beneficiorum reservare Episcopo futuro, eúmque obligare ad ea, hisce & non aliis conferenda, cùm libertatem, quam is habet conferendi beneficia, quæ ad illum solum spectant conferenda, constringere nequeat ; quidquid aliàs sit de eo, num longo temporis intervallo post admissam talem resignationem fieri possit collatio. De quo vide Castrop. *loc. cit. n.* 3. & citatum ab eo Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 28. id affirmantes, & casum, in quo id fieri possit, afferentes.

6. Respondeo quartò : Potest quoque Capitulum sede vacante committere receptionem resignationis beneficiorum etiam faciendæ permutationis gratiâ. Paris. *cit. q.* 23. *n.* 34. citans Pavin. *de pot. Cap. sed. vac. p.* 2. *q.* 2. *n.* 15. & nominatim Vicario suo à se constituto, ùt indicat Chok. *cit. n.* 9. Denique observandum, quod monet Paris. *loc. cit. n.* 49. quòd Capitulum sede vacante in casibus

sibus, in quibus recipere potest resignationes (intellige, quas aliàs sede plenâ se solo recipere non possit) & illa conferre, debeat hoc facere ante provisionem faciendam in Consistorio de novo Prælato, quia tamdiu vacat sedes, & factâ hac provisione nequaquam id potest, etiam ante captam à novo provisio possessionem.

Quæstio 392. *Quid possint Abbates circà admissionem resignationum?*

1. REspondeo primò: Abbates non exempti non possunt recipere resignationes, nec præstare auctoritatem permutantibus. Paris. *l.* 7. *q.* 15. *à n.* 1. Tamb. *de jure Abbat. to.* 1. *d.* 13. *q.* 8. *n.* 3. Chok. *de permut. p.* 1. *q.* 15. *n.* 2. cum communi; hæc enim facultas auctorizandi resignationes reservata est Episcopis, & aliis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus.

2. Amplianda responsio primò, ut procedat etiam respectu beneficiorum constitutorum in Ecclesiis illis aliàs subjectis, utì id ex eo etiam patet, quòd, licèt in iis jus instituendi haberent, hi tamen ab iis instituti non administrent sinè licentia diœcesani; cùm tales Abbates subjecti sint Episcopis. Paris. *cit. q.* 15. *n.* 2. Chok. *loc. cit. n.* 1. Amplianda videtur secundò; etiamsi resignantes aliàs sint regulares eorum subditi, etiam obtinentes beneficia regularia, hoc est, nonnisi solita ac debita ex fundatione aut aliunde obtineri & haberi à regularibus. Sic Chok. *loc. cit.* ubi postquam expresse quæsivisset, num Abbas præstare possit auctoritatem permutationi faciendæ inter duos Monachos subditos suos de beneficiis ad suam collationem spectantibus, respondet *n.* 2. si sermo est de Abbate non exempto à jurisdictione Ordinarii, is permutationibus supradictis auctoritatem præstare non poterit. Quamvis hoc ipsum tamen limitandum videtur, ità ut, si beneficium regulare sit verè manuale (utì à ratione regularis præsumitur rectè ad manualitatem) subjectum collationi Abbatis, seu in quo talis Abbas similsve Prælatus non exemptus instituere habet suum subditum regularem, & ab eodem illum amovendi; hic subditus illud liberè resignare valeat in manus sui Prælati, isque eam resignationem admittere. Et à fortiori, si beneficium seu officium esset merè claustrale seu religionis, quo etiam invitum sinè consensu conventûs privare posset, dum, ùt Laym. *Th. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 28. ex Abbate *in c. quanto. de off. ordinar. n.* 5. D. Tho. *in* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *a.* 3. Navar. *in comment.* 2. *de regular. n.* 63. tales prælati etiam non exempti sint Ordinarii judices suorum regularium in causis pertinentibus ad statuta regularia & disciplinam, possintque eos punire, etiam privativè ad Episcopum.

3. De cetero limitanda responsio universaliter, seu etiam respectu beneficiorum aliorum sive regularium, sive sæcularium, sive existentium in Ecclesiis propriis, sive alibi, dum fortè talis Abbas aliusve Prælatus non exemptus jus auctorizandi certorum beneficiorum resignationes & permutationes obtineret ex præscriptione aut privilegio. Chok. *loc. cit. n.* 8.

4. Respondeo secundò: Abbates, similésve Prælati exempti à jurisdictione Episcopali, possunt recipere resignationes, & auctorizare permutationes beneficiorum constitutorum in eorum Ecclesiis, locisque exemptis. Paris. *loc. cit. n.* 3. Chok. *loc. cit. n.* 2. Tamb. *loc. cit. n.* 6. dum enim exempti sunt, habentque Ecclesias, aliáque loca pleno jure sibi subjecta, utì & in suos Monachos (adde & alios eorundem beneficiatos) omnimodam jurisdictionem (utì idipsum ex eo, quòd exempti sunt, infert Paris. *loc. cit. n.* 5. & 4.) habent ibidem jurisdictionem quasi Episcopalem seu parem Episcopis, & dicuntur Ordinarii. Ad jurisdictionem autem Episcopalem & ordinariam sicut spectat destituere beneficiatos etiam invitos, sic & spontaneas eorum resignationes tam purè quàm gratiâ permutationis factas recipere. Paris. *à n.* 5. & ex eo Chok. *loc. cit. n.* 4. Tamb. *loc. cit. à n.* 7. Porrò quod de Abbate dictum, idem dicendum de Præposito, Priore, similibúsque Prælatis regularibus, quocunque demum nomine veniant.

Quæstio 393. *Quid Præpositus, Decanus, Archidiaconus, Archipresbyter, similésque Prælati in Ecclesiis sæcularibus possint circà recipiendas resignationes.*

REspondeo: Nisi ex privilegio vel aliàs (intellige consuetudine vel præscriptione) habeant hanc facultatem (utì apud Eburones & alias Belgii ditiones in plerisque beneficiis, in quibus jus instituendi habent, habere Præpositos & Archidiaconos hanc potestatem auctorizandi permutationes, testatur Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 16.) non posse illos recipere resignationes, neque simpliciter, neque permutationis gratiâ factas. Paris. *l.* 7. *q.* 16. *n.* 1. & 2. citans DD. communiter *in c. quod in dubiis. de renunc.* Chok. *loc. cit.* loquens expresse de permutationum auctorizatione. Ratio est, quia potestas talis excluso privilegio vel præscriptione, hanc præstandi auctoritatem est solius jurisdictionis Episcopalis, aut quasi talis, qualem tales non habent. Paris. *loc. cit. n.* 6.

Quæstio 394. *An Auditores Rotæ, & Referendarii utriusque signaturæ, hoc est, gratiæ & justitiæ, Notarii & judices recipere possint resignationes beneficiorum?*

1. REspondeo ad primum negativè: nisi fortè ad hoc haberent Auditores speciale mandatum Papæ. Paris. *l.* 7. *q.* 18. *n.* 1. *juncto n.* 4. citans Rotam *decis.* 15. *in antiq. & decis.* 3. *in novis. de renunc.* ubi attestetur sic servari in Rota. Possunt tamen Auditores recipere cessionem litis super beneficio coram ipsis pendentis; cùm aliud sit, renunciare juri, aliud liti. Paris. *loc. cit. n.* 1. *juncto num.* 3.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè: Paris. *l.* 7. *q.* 19. *à n.* 1. tametsi enim Rota *decis.* 3. *de renunc. in novis.* tenuit affirmativam, id tamen totum hodie abiit in desuetudinem. Paris. *ibid. n.* 2. ex Papazon. *in addit. ad dictam decis.* 3. dicens: omnibus notum esse, Referendarios illos hodie non habere facultatem, ac concludens, neque illos illam unquam habuisse.

3. Respondeo ad tertium: Neque Notarios, sive sint Imperiales, sive Apostolici; sive in Curia, sive extra Curiam recipere posse resignationes beneficiorum. Paris. *l.* 7. *q.* 25. *n.* 1. & 2. subdens ex Nav. *cons.* 1. *n.* 2. *de renunc.* factam coram illis renunciationem esse nullam, & *n.* 3. cum Rebuff. factâ coram illis resignatione, vacare beneficium

in præjudicium resignantis, non autem Superioris. Nisi fortè Notarius recipiat resignationem nomine Superioris, utì responsionem limitat Paris. *n.* 4. citans Menoch. *de recuper. possess. remed.* 1. *n.* 277. Boërium, &c. De cetero, qualiter in Curia Notarii Cameræ & Cancellariæ recipiant consensum, dictum fuit suprà. Item renunciationem factam extra Curiam in manibus Notarii esse ratificabilem, & communiter ratificari; cùm in Bullis provisionum beneficiorum soleat apponi clausula: *etiamsi vacent extra Curiam per resignationem coram Notario.* tradit Paris. *loc. cit. n.* 5. *&* 6.

4. Respondeo ad quartum negativè: Etsi coram judice, dum hic est Auditor Rotæ, fieri possit cessio litis super beneficio. Paris. *l.* 7. *q.* 28.

Quæstio 395. *An executores gratiæ deputati à Sede Apostolica ad providendum de beneficiis vacantibus vel vacaturis possint recipere resignationes, v.g. alicujus volentis resignare in eorum manibus, ut receptâ resignatione provideant beneficium resignatum?*

REspondeo negativè. Paris. *l.* 7. *q.* 22. *n.* 1. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 261. citantes Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 17. & Rotam. Nisi executor datus ad providendum in mandato suo accepisset quoque specialiter hanc facultatem recipiendi resignationes, utpote à qua forma mandati dependet ipsius potestas. Paris. *cit. q.* 22. *n.* 7. *junctò n.* 4. Garc. *loc. cit.* cùm aliàs officium talium executorum non sit, nisi providere nominato de beneficio vacante, vel vacaturo. Paris. *n.* 3. citans Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 11. *n.* 109. Bellam. *de benef. permut. p.* 5. *q.* 2. *n.* 7. & ex alia parte necesse sit, ut expresè committatur receptio resignationis. Paris. *n.* 2. citans *c. dudum. de præb. in* 6. Unde nec sinè tali speciali commissione & expressione invitum destituere possunt beneficio. Paris. *n.* 6.

Quæstio 396. *Coram quo Abbates Abbatiam resignare possint ac debeant?*

1. REspondeo primò in genere: Abbates nonnisi in manibus sui Superioris renunciare possunt ac debent. Paris. *l.* 7. *q.* 15. *n.* 19. juxta *c. dilecti. ult. de renunc.* Laym. *ibid.* & Abb. *notab.* 2. Butrio. *n.* 3. sive resignare non debent, nec possunt, nisi in manibus habentis potestatem instituendi Abbates, similésve Prælatos, & destituendi invitos justis de causis. Tamb. *de jure Abb. to.* 1. *d.* 13. *q.* 1. *n.* 3. Hinc

2. Respondeo secundò in specie: Abbatiæ & Prioratus (idem est de aliis Prælaturis sæcularibus) quarum collatio aut provisio spectat ad Papam, resignari non possunt, nisi in manibus Papæ; quia illarum institutio & destitutio ad Papam solum spectat, non secùs ac de Episcopatu & superioribus dignitatibus docet Gl. & AA. communiter *in clem. de renunc.* Tamb. *loc. cit. n.* 7.

3. Respondeo tertiò: Dum Abbates Priores, (intellige, quorum institutio non spectat ad Papam) Generalem vel Definitorem, similémve Superiorem, potentem eos deponere, agnoscunt, in ejus manibus facienda resignatio. Tamb. *l. cit. n.* 3.

4. Respondeo quartò: Nequaquam Abbates aliique Prælati, dum eliguntur à Conventibus Monachorum, vel Capitulis Canonicorum, in manibus eorum Collegiorum vel Conventuum resignare possunt suas Prælaturas. Tamb. *loc. cit. n.* 8. Laym. ad *cit. c. dilecti.* Etsi nihilominùs Capitulum vel Conventus post talem coram se factam resignationem procedant ad electionem novi Prælati, electio nulla est; & hic est casus *cit. c. dilecti.* Si enim resignatio, adeóque vacatio Prælaturæ legitimè non præcessit, non valebit etiam electio novi Prælati. Laym. Tamb. *ll. cit.* addítque etiam Tamb. posse legitimum Superiorem talis Abbatis seu Prælati resignantis Prælaturam conferre, cui vult, absque eo, quòd ad electionis cassationem priùs procedat, juxta ea, quæ in simili de Episcopo docet Nav. *cons.* 2. *de renunc.* Sed & irrita est absolutio, quà talis resignans absolvit Monachos aliósve subditos suos ab obedientia; cùm fieri nequeat, ut Prælato, dum is Prælaturam retinet, (utì fit, dum talem resignationem non ratificat Superior, aut alteri Prælaturam confert) subditi, præsertim regulares professi obedientiam non debeant; cùm Prælatura & subjectio, regimen & debita obedientia sint correlativa. Unde etiam frustra Monachi in hoc casu iterum spondent obedientiam tali Prælato, utpote à quo nunquam liberati fuerunt. Ità ferè Laym. *ad c. lectæ. de renunc.*

5. Respondeo quintò: Tametsi Abbates, Prælatique alii similes regulares non exempti à suis regularibus electi instituantur seu confirmentur ab Episcopo; non videntur tamen hodiedum posse coram Episcopo resignare suas Prælaturas. Licèt enim olim Abbates ab Episcopo, in cujus diœcesi monasterium situm erat, deponebantur, ùt colligitur ex *Concil. Turon.* 2. *c.* 1. §. 7. Tamb. *loc. cit. q.* 2. *n.* 11. Licèt etiam quantum est de jure communi, Episcopus potetat monasteriis ac regularibus Ecclesiis vacantibus Oeconomum constituere, ùt Innoc. & Host. *in c. ult. de statu monach.* nec non dare Coadjutorem Abbati, ac ipsum à suo officio justis de causis removere, & illo remoto constituere tantisper monasterio administratorem, non videntur tamen ità hodiedum Episcopi posse destituere Abbates, sed id spectare ad Superiores intrà ipsas religiones, in quos ista potestas translata videtur.

Quæstio 397. *An inferiores Papâ habentes facultatem recipiendi resignationes, possint committere receptionem resignationis?*

REspondet Paris. *l.* 7. *q.* 29. *n.* 2. posse tales committere receptiones resignationum duntaxat, quibus receptis, cùm beneficium vacet, possunt committere collationem. Vide de hoc dicta suprà, ubi de Legato Apostolico & Vicario Episcopi.

Quæstio 398. *Intra quantum tempus acceptari aut rejici debeat resignatio?*

REspondeo: Resignatione factâ extra Curiam coram ijs, ad quos id spectat, ejus acceptatio vel rejectio debet fieri intra mensem. Paris. *l.* 11. *q.* 2. *n.* 6. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 113. Chok. *ad reg. Cancell. de publicand. n.* 15. Sic enim constituit Gregor. XIII. in constitutione sua: *Humano vix judicio &c.* quæ est de publicanda resignatione, ubi: *de beneficiis, quæ deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta & facultates ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum, etiam de latere, & Delegatorum etiam spiritualium,*

ejusdem

ejusdem Sedis extra Curiam Romanam resignari, etiam ex permutationis causa, contigerit, ipsi infra mensem negotium universum admissionis vel rejectionis resignationis hujusmodi, & si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii juxta Apostolicas & alias Canonicas Sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat modo & formâ supradictis; alioquin illis elapsis nulla sit ejus provisio, & beneficium vacare censeatur eo ipso, Ordinariique & alii prædicti, qui hac, ut eis præscribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de iis beneficiis sint eâ vice privati, eorúmque dispositio eo casu ad Sedem Apostolicam devoluta existat, aut aliis idoneis ab ipsa Sede duntaxat modo & formâ prædictis concedatur. &c. Unde vides idem tempus observandum in admitendis vel rejiciendis resignationibus factis permutationis gratiâ. Paris. *loc. cit. n.* 12. Chok. *loc. cit.* Item comprehendi hoc decreto Gregoriano quoscunque non solùm jure ordinario, sed etiam ratione quorumcunque indultorum & concessarum facultatum habentes potestatem recipiendi resignationes. Paris. *n.* 8. dicens bonum fuisse, in particularii omnes illas personas exprimi, ut tollerentur lites & dubia, omnésque casus exprimerentur. Item vides, quòd, si prædicti intra mensem non admiserint vel rejecerint resignationes, sint privati ex ea vice facultate disponendi de illis beneficiis, & eorum dispositio ad Sedem Apostolicam devoluta existat. Paris. *n.* 7. Utrùm autem intra eundem mensem eadem beneficia sint conferenda, ùt sonare videntur verba dictæ constitutionis, non conveniunt AA. Affirmat Paris. *cit. n.* 7. Chok. *loc. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 285. & 337. Negat Barb. *loc. cit.* eò quòd particula *Et* in dicta constitutione disjungat, ac proinde orationem disparatam faciat, quasi dicat, quòd negotium provisionis resignati beneficii juxta Apostolicas & alias Canonicas Sanctiones omnino absolvant, & sic collationis tempus regulari debere juxta dispositionem juris communis, *in c. nulla. de concess. præb.* ità ut sola admissio & rejectio, in quibus cadere posset fraus, censeatur restricta ad mensem. Porrò dictam Gregor. Constitutionem in viridi observantia esse, & hodie adeò usu receptam, ut non possit allegari, eam in partibus non fuisse publicatam, ait Chok. *loc. cit. n.* 13. De ea, quantùm tangit publicationem, plura inferiùs.

PARAGRAPHVS VII.

De causis, ex quibus fieri & admitti possit & debeat resignatio.

Quæstio 399. *An resignatio ejúsque admissio necessariò fieri debeat ex causa aliqua?*

1. REspondeo affirmativè. Paris. *l.* 5. *q.* 1. *n.* 2. citans Imol. *in loc. cit.* 1. *de rer. permut.* ac dicens esse communem. Corrad. *in pr. benef. de benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 7. dicens, in resignatione beneficii saltem indistinctè requiri causam. Pirrh. *ad tit. de renunc. n.* 39. dicens, requiri causam justam & legitimam. Engels *ad eund. tit. n.* 5. dicens, requiri legitimam ac gravem causam; quamvis *n.* 6. *in fine* subjungat: cùm hodie non sit clericorum penuria, & jure communi non videatur in inferioribus beneficiatis specialis aliqua causa desiderata, ideo consuetudo obtinuit, ut etiam sinè causa graviore ex libera voluntate resignationes admittantur. Unde etiam ex Zypæo *in analysi juris Pontificij, hoc tit. n.* 1. testatur, Bullam Pij V. in qua resignationum coram Ordinariis faciendarum causæ statuuntur, non esse ubique usu receptam. Veruntamen, cùm, ùt ait Pirrh. *loc. cit.* si licitum foret unicuique pro libitu & arbitratu suo relinquere seu dimittere beneficia, talis libertas cederet in maximum Ecclesiæ detrimentum, nonnisi ex justis causis possint ac debent resignari beneficia. Præterea, cùm beneficia clericis semel in titulum concessa sinè justa & gravi causa eis auferri nequeant, æquum quoque sit, ut nec ipsi eadem sinè justa causa dimittere valeant.

2. Limitanda tamen responsio est: ut licèt nulla prorsus appareat causa in resignationibus factis in manibus Papæ, sint nihilominus validæ, cùm possit Papa dispensare in his, quæ sunt juris positivi, etiam sinè causa, ùt habet communis, eóque magis in beneficialibus, in quibus ipse habet plenissimam potestatem. Corrad. *loc. cit. n.* 10. Idem habet Valens. *de benef. l.* 3. *tit.* 18. *n.* 16. ubi: quantùm ad resignationem beneficiorum simplicium, quæ ex consuetudine non requirunt personalem residentiam, coram Papa de stylo & consuetudine recepta nulla videtur requiri causa, quæ ab eo recipitur resignatio simpliciter, & absque causa facta in favorem alicujus, solúmque dicitur in supplicatione: *cùm ex certis & rationabilibus causis animum suum moventibus resignare intendat. &c.* Quamvis, ùt Corrad. *loc. cit. n.* 7. hodie in resignationibus, quæ fiunt coram Papa, satis exprimitur causa, cùm in supplicatione semper dicatur: *habens aliunde, unde vivere possit:* & ex parte resignantis causa solet esse affectio, quâ ipse vult obvenire beneficium cognato, vel alteri amico suo.

Quæstio 400. *An in dubio rectè præsumatur, resignationem factam & admissam cum causa?*

REspondeo affirmativè. Corrad. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 7. Paris. *l.* 5. *q.* 1. *n.* 3. citantes Butrio *in c. super hoc. de renunc. n.* 5. & ibi communiter AA. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 180. *n.* 4. *in fine.* Et quidem primò ex parte resignantis; cùm in dubio non præsumatur jactatio proprii, *l. de indebito. ff. de probat.* & ob id non præsumitur donatio, ùt Mascard. *de probat. conclus.* 554. cum communi; neque renunciatio, ùt idem Mascard. *conclus.* 1263. Proceditque id multò magis in renunciatione beneficii Ecclesiastici, dati, ut indè vivat beneficiatus. Paris. *loc. cit. à n.* 9. Unde si reperiatur facta renunciatio, præsumendum est, ex justa causa eam factam fuisse. Paris. *n.* 7. Dein ex parte Superioris admittentis resignationem, eò quòd is non admisisset resignationem, si justa causa eam admittendi non adfuisset. Paris. *loc. cit. n.* 8. dum talis præsumitur princeps, qualis de jure esse debet. Corrad. *loc. cit.* ex Decio *cons.* 580. *n.* 2. & egisse actum, qualiter is legitimè geri debebat; adeóque non admisisse sinè ulla causa resignationem. Et hæc præcipuè, cùm resignationes admittuntur per Papam, in quo præsumitur causa, etiamsi adsit præjudicium tertii, Corrad. *cit. n.* 7.

Quæstio 401. *An necesse sit in resignatione & illius admissione exprimi causam?*

1. Respondeo primò: Tametsi in supplicationibus resignationum in favorem tam simplicium (hoc est, ubi nulla præterea apponitur conditio, puta reservandorum fructuum vel pensionis) quàm conditionalium apponi soleat hæc clausula: *ex certis causis animum suum moventibus*: eam tamen etiam non esse necessariam putat Corrad. *loc. cit. n. 6.* eò quòd resignationes, quæ fiunt in manibus Papæ, non requirant expressionem causæ; cùm resignatio ex causa fiat tantùm coram Ordinario, qui sinè aliqua de expressis in Constitutione Pij V. non potest eam admittere. Porrò, quatenus nulla causa specificaretur, sufficere nihilominus expressionem dictorum verborum: *ex certis causis*, ait Corrad. *cit. n. 7.* quod ipsum tamen intelligere videtur de resignatione facta coram Papa.

2. Respondeo secundò: Mutua resignatio, quæ contingit in permutatione, fieri potest exprimendo vel non exprimendo, illam fieri ex causa permutationis, ùt Gl. *in clem. 1. de rer. permut. v. ex causa.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 180. n. 2.* quia, si non exprimatur, sufficit illud colligi ex conjecturis, putà præcedentibus gestis & dictis, ùt Imol. *in cit. Clem. unicam. n. 7.* Tond. *loc. cit. n. 3.*

Quæstio 402. *Quænam in genere sint causæ legitimæ resignandi beneficia?*

Respondeo: Quamvis, qualis causa sit legitima & sufficiens ad resignationem concedendam, in genere vix definiri valeat; cùm difficiliùs admittenda sit resignatio unius beneficii v. g. Episcopatûs, aliarúmque Prælaturarum curam animarum habentium. Pirrh. *ad tit. de renunc. n. 39.* Item faciliùs admittendæ resignationes litigiosorum beneficiorum, vel in causa dubia amore litis componendæ seu concordiæ: Laym. *ad c. admonet. de renunc. n. 2.* Nihilominùs tamen in genere dici potest, causam sufficientem peti posse non tantùm ex utilitate Ecclesiæ, sed etiam ex utilitate personarum. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 9. n. 29.* ex Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 172.* & Riccio *decis. Curiæ Neapol. p. 1. decis. 37. n. 5.* sic Laym. *in c. quidam. de renunc. n. 1.* & ex eo Pirrh. *loc. cit. n. 40.* cum communi dicunt, duas esse potissimùm renunciationis causas: commodum Ecclesiæ, & salutem propriam. Unde patet per commodum personæ non esse intelligendum commodum aliquod merè temporale, dum Barbos. *loc. cit. n. 97.* ait: *ceterùm volens renunciare laboris vitandi gratiâ, vel ambitûs, vel avaritiæ causâ, aut ex alia minùs legitima causa, nullatenus est audiendus, juxta c. sicut vir. per tot. q. 1.* Nunc in specie

Quæstio 403. *Quæ causa requiratur, ut Papa Papatui renunciare possit?*

Respondeo nullam; cùm ei concessum, ut possit liberè renunciare, *c. 1. de renunc. in 6.* ubi verbum *liberè* positum remittit hoc ejus voluntati, & excludit causam. Paris. *l. 5. q. 1. n. 13. & 14.* quod credo intelligit ad summum de resignatione valida, non autem etiam de licita. Ad hoc autem, an Papa cogi possit ad renunciandum ex causa aliqua, non respondet Parisius, sed remittit ad Jacobat. *tr. de Concil. l. 9. a. 3. & latissimè a. 12. per totum.*

Quæstio 404. *Quæ requiratur causa in renunciatione Cardinalatûs?*

Respondet Paris. *l. 5. q. 2. n. 1.* in hac quæstione nihil scripsisse AA. eò quòd hæc resignatio de rarò contingat; ideóque se existimare, remittendum arbitrio Papæ, quæ causa dicatur ad hoc sufficiens.

Quæstio 405. *Quæ sint causæ, ob quas Archiepiscopus, & Episcopus (intellige postquam confirmatus est) possit petere licentiam resignandi, hæcq; ei concedi, & ejus resignatio admitti?*

1. Respondeo, esse earum sex *in c. nisi cùm pridem. de renunc.* expressas: nempe conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas. Ex quibus causis Episcopum non tantùm posse resignare, sed & debere, quin & à Papa cogi posse ad resignandum, tradunt Paris. *l. 5. q. 4. n. 2. & 3.* citans Hostiens. *in cit. c. nisi.* Jacobat *ubi suprà, n. 25. &c.* Pirrh. *cit. n. 40.* ubi etiam ex Laym. *qq. canonic. de Prælat. elect. q. 120.* ait: dum demum ex his causis unam sufficientem censendam ad concedendam Episcopo renunciationem, si spectatis omnibus, utilitas Ecclesiæ suadeat cessionem seu resignationem, utiliúsque eâ remedium adhiberi non possit. Jam verò examinandæ breviter harum causarum singulæ. Proinde

2. Respondeo secundò: Intelligi crimen non quodcunque, sed tale, propter quod Episcopalis officii executio, etiam post peractam pœnitentiam impeditur. Paris. *cit. q. 3. n. 8.* Engels *ad tit. de renunc. n. 6.* Pirrh. *loc. cit. n. 41.* cum communi. Unde in criminibus, de quibus pœnitere potest Episcopus remanendo in executione officii sui, non tenetur petere cessionem. Paris. *loc. cit. n. 12.* Talia autem crimina, etiam post peractam pœnitentiam, impedientia executionem officii Episcopalis sunt primò ea, quæ in ipsa adeptione Episcopatûs commissa, vel etiam præexistentia ipsum titulum Episcopatûs invalidant; v. g. si quis simoniacè electus vel promotus fuit ad Episcopatum, vel cum excommunicationis, suspensionis, aut irregularitatis impedimento institutus fuit. Laym. *in c. nisi cùm pridem. de renunc. §. intueri, n. 5. & in c. innotuit. de elect. n. 10.* Pirrh. *ad tit. de renunc. n. 42.* quamvis, ùt patet, dum ob crimen invalidus fuit titulus, dimissio beneficii non sit propriè resignatio. Pirrh. *ibid.* Porrò in hoc casu, dum crimen hujusmodi vel defectus tituli notorius est, potest cedere Episcopatu, etiam licentiâ Papæ non requisitâ, eò quòd tunc vinculum nullum extiterit talis cum Ecclesia, adeóque nec opus auctoritate Papæ ad illud dissolvendum. Laym. *in cit. c. nisi. loc. cit.* Pirrh. citans Gl. *in cit. c. nisi. v. sed duntaxat.* Abb. *ibid. n. 5.* Laym. *in qq. can. de elect. q. 174.* Dum verò crimen & defectus tituli occultus manet, resignare debet in manibus Papæ ad vitandum scandalum, vel ab eo petere revalidationem tituli, per novam scilicet legitimam institutionem. Pirrh. & Laym. *ll. cit.* Esse tamen etiam probabile, quòd, dum quis in occulta excommunicatione, suspensione vel irregularitate

fuit

fuit electus vel institutus, sublato postmodum impedimento per eum, qui potestatem habet absolvendi vel dispensandi, eo ipso revalidari titulum, ut absque nova electione vel institutione retinere possit beneficium, docet Laym. *loc. cit.* & *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 2.* & ex eo Pirrh. *cit. n. 42.* citans insuper Sanch. *de matrim. l. 8. d. 7. n. 12.* Talia quoque sunt crimina, propter quæ Episcopus canonicè institutus incurrit pœnam depositionis aut suspensionis in perpetuum sinè spe relaxationis: quale est crimen Sodomiæ, juxta constitutionem Pii V. quæ incipit: *cùm primùm.* Laym. *in cit. c. nisi. loc. cit.* Pirrh. *cit. n. 42.* In quo tamen casu si crimen occultum, ideóque infamiam annexam non habet, confessarius proprius Episcopi eum absolvere poterit juxta Trid. *sess. 24. c. 6. junctâ declar. S. Congreg. ibid. ubi: Episcopo in aliquod tale delictum prolapso licet ad se absolvendum proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse potest ex eodem capite in alios sibi subditos exercere.* Laym. & Pirrh. *ll. cit.* Talia denique sunt crimina, quibus annexa est infamia juris, hoc est, quibus ipso jure sive ab ipsa lege, seu canone, vel etiam per sententiam judicis inflicta infamia, quæ est, & dicitur infamia juris, ut si Episcopus hostiliter persequatur Cardinalem. *c. felicis. de pœnis. in 6.* Laym. Pirrh. *ll. cit.* Secus est in crimine, cui annexa est solùm infamia facti, quæ incurritur ob quodlibet crimen mortale, per quod hominis existimatio, spectatâ conditione personæ, graviter lædítur apud viros prudentes; quale v. g. est crimen incestûs, adulterii, &c. hæc enim infamia per pœnitentiam & publicam vitæ emendationem aboleri potest, ideóque per illam non privatur quis dignitate acquisitâ ante depositionem & sententiam judicis, ac proinde neque resignare cogitur. Laym. Pirrh. *ll. cit.* qui posterior citat insuper eundem Laym. *in qq. can. de elect. q. 174.* & *Th. mor. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 5.* & Gl. *in cit. c. nisi cùm pridem. v. duntaxat.*

3. Respondeo tertiò, debilitatem corporis, quæ causa est justa resignandi Episcopatum, & concedendi ad hoc licentiam, intelligi eam solummodo, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale, sive ea procedat ex infirmitate (etiam causatâ ex propria culpa & peccato, ùt addunt Paris. *n. 33.* Pirrh. *n. 44.*) sive ex senio. Paris. *l. 5. q. 3. n. 14. juncto n. 18.* Laym. *ad cit. c. nisi. n. 6.* Pirrh. *loc. cit. n. 43.* Engels *loc. cit.* cum communi. Spectatâ tamen semper utilitate Ecclesiæ; siquidem in *cit. c. nisi cùm pridem.* Alexand. III. Archiepiscopo urgenti resignandi licentiam, prætendendo senectutem & debilitatem corporis, ob quæ ad ferenda onera Ecclesiæ insufficiens esset, respondet, existimare se, consultiùs esse, ut eo tempore Ecclesia ei concessa sub umbra sui nominis ejusdemque auctoritate gubernetur, quàm ut alii novo & incognito pastori gubernanda in tanto discrimine committatur; maximè, quia quandoque corporis viribus deficientibus vigor fidei & devotionis non deficit, &c. Et, ùt dicitur *ibidem*: interdum non plus hortetur senilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas, quæ in senibus esse solet, ipsum suadet in suo officio permanere, &c. Et regulariter senes præsumuntur prudentiores juvenibus, & virtutibus excellentiores; utpote qui usû rerum docti prudentiam sibi comparare potuerint. *l. si ut certum. & ibi Gl. ff. commod.* Paris. *à n. 58.* ac proinde, ùt Paris. *n. 51.* senectus quæ non impediret in totum executionem officii pastoralis, non præberet causam justam cedendi. Porrò quæ sit infirmitas, quæve senectus præbens justam causam petendi & concedendi licentiam resignandi Episcopatum, quæque censeatur reddere inhabilem ad regimen Episcopatûs, relinquendum judicis seu Superioris arbitrio determinandum. Paris. *loc. cit. n. 32. & 33. juncto n. 56.* Pirrh. *loc. cit. n. 45.* Certè talem causam sufficientem non esse podagram, tradit Pirrh. *loc. cit. n. 45.* ex Fagn. *in cit. c. nisi. n. 51.* testante, sæpius denegatam Episcopis licentiam cedendi à S. Congregatione rerum consistorialium. Item Paris. *loc. cit. n. 41. & 42.* dicens: si ea esset justa causa cedendi, pauci remanerent in Episcopatu, cùm multi ex Episcopis sint podagrici; subjungens tamen *n. 43.* inficiari tamen non posse, quin remittendum sit totum negotium arbitrio Papæ, etiam ex hoc capite juxta Bald. *in l. 3. in fine c. de servis fugitivis.* De Episcopo verò leproso, habere illum sufficientem causam petendi & impetrandi hanc licentiam, admittit Paris. *n. 20.* Idem de facto cæco. *n. 21.* de surdo & muto. *n. 25. & 26.* De cetero Episcopi senes vel infirmi ob morbum vel senectutem parum utiles Ecclesiæ, licèt, dum suâ sponte volunt resignare Episcopatum, eorum renunciatio admitti possit, Laym. *cit. n. 6.* Pirrh. *cit. n. 45.* quin &, ùt addit Pirrh. quandoque propter Ecclesiæ utilitatem admitti debeat, assignata illis congruâ sustentatione ex reditibus Episcopatûs suæ Ecclesiæ, AA. ijdem: cogendi tamen non sunt ad resignandum, etsi morbus gravis sit, & incurabilis, vel ætas decrepita. Et sive infirmitas vel senectus reddat illos inhabiles ad administrandum sive temporalia, sive spiritualia; sed tunc Vicarius seu Coadjutor illis injungendus, qui ex reditibus Episcopalibus alatur. Paris. *loc. cit. n. 44. juncto n. 66.* citans Innoc. *in c. nisi. n. 4.* Abb. *ibid. n. 9.* Laym. Pirrh. *ll. cit.* juxta *c. 1. 2. 3. 4. 13. caus. 7. q. 1.* & *c. ex parte, de clerico ægrot. & cit. c. nisi.* siquidem quod loquitur de cedere volente, ità ut non arctet nolentem. Neque enim infirmus vel senex ex sua culpa, sed ex naturæ cursu est impotens administrare, ideóque invitus cogi non debet ad cedendum, ne afflicto addatur afflictio *cit. c. ex parte.* & inhumanum sit, ut is, qui vitam & vires curis & laboribus Ecclesiæ impendit, ab ea in senio & infirmitate repellatur, imò injustum, ut, dum molestia corporis irruit, honore suo privetur infirmus. Pirrh. *cit. n. 45.* ex *c. 1. caus. 7. q. 1.* Nihilominus posse Papam ob supremam & absolutam, quam habet in beneficialibus, potestatem disponendi, ex gravi causa Episcopos senes & infirmos, Ecclesiæ commodo sic exigente, cogere ad resignandum, tradit Paris. *n. 45. & 66.* citans Sarnens. *de lit. gratiæ. in princ.* Pirrh. *cit. n. 45.* Atque hæc hucusque dicta habere quoque locum in aliis Ecclesiarum Prælatis, tradit Laym. *loc. cit.* & *de elect. q. 173. & ex eo* Pirrh. quamvis subjungat Laym. *cit. n. 6.* parochis ob causam senii vel infirmitatis diuturnæ, propter quam Ecclesiæ regendæ minùs utiles videntur, citiùs indici posse præceptum resignandi assignatâ illis pensione, aut alio beneficio, ex quo se honestè alere queant. argumento *c. tua. de cleric. ægrot.*

4. Respondeo quartò: defectus scientiæ, tum circa administrationem spiritualium necessariæ, tum ad curam temporalium opportunæ Episcopo seu Præsuli, ut in utrisque Ecclesiam sibi commis-

sam regat, sufficiens & justa causa est renunciandi Episcopatui. Paris. *cit. q. 3. n. 67.* citans D. Tho. *a. 2. q. 185. a. 4.* Rebuff. *in pr. tit. de express. resign. in princ.* Fusc. *de visitat. p. 2. c. 28. n. 4.* Abb. *in c. 1. de renunc. notab. 1.* Laym. *ad cit. c. nisi cùm pridem.* citans seipsum *in c. qualiter. & c. innotuit. de elect.* Pirrh. *loc. cit. n. 46.* juxta ea, quæ expressè habentur *cit. c. nisi.* Etsi autem in pastore eminens scientia meritò desideranda sit, sufficit tamen, & in eo toleratur scientia mediocris seu competens, perfectione charitatis supplente imperfectum scientiæ; *cit. c. nisi. c. cùm nobis olim. de elect.* Paris. *à n. 103. juncto n. 112.* Pirrh. *cit. n. 46.* quòd si tamen Episcopus sufficienter doctus non sit ad administranda spiritualia & temporalia, adhuc eum non obligari ad resignandum, si spes sit, quòd non longo tempore sufficientem scientiam comparare queat, ad quam comparandam omnino tenebitur, si renunciare nolit, habet Paris. *à n. 105.* Pirrh. Laym. *l. ult. cit.* quin & tolerandus Episcopus, seu non compellendus ad resignandum, qui etsi aliàs sufficientem scientiam non habeat, longo tamen usu & rerum experientiâ didicit ea facere, quæ ad officium Episcopale spectant. Pirrh. *loc. cit.* ex Paris. *n. 109.* citante Abb. *in c. ult. n. 4. de ætat. & qual.* Hojed. *de incompat. p. 1. c. 24. n. 32. &c.* Habendam quoque rationem loci, v. g. civitatis parvæ & curæ exiguæ, aut nullius, v. g. dum sunt sinè territorio & absque diœcesi, ità ut tunc minùs idonei admittantur, & admissi dispensatione tolerentur, ait Paris. *n. 111.* citans Hojed. *ubi antè n. 34.* & Majol. *de irregul. l. 1. c. 32. n. 9.* ac dicens, sic communiter practicari; eò quòd, qui multas literas scit, ad talia loca non accedat; &, ùt dicitur, causâ necessitatis minùs idonei admittuntur, ubi idonei requiruntur. De cetero si defectus ille scientiæ administrandi spiritualia & temporalia tantus est, ut impediat executionem pastoralis officii, non solùm concedenda est licentia Episcopo petenti & volenti renunciare, sed etiam invitus potest ac debet compelli ad renunciandum, vel deponi. Pirrh. *cit. n. 46.* ex Paris. *cit. q. 3. à n. 83.* citante Hojed. *de incomp. p. 1. c. 24. n. 29.* Host. *in cit. c. nisi. n. 24. &c.* ac ponderante pro hoc illud Oseæ, quo utitur Papa in *cit. c. nisi. tu, inquit Dominus, scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi:* ac præcipuè adducente textum *c. ult. de citat. & qual. & ibi* Abb. *n. 1.* qui ex eo colligat, defectum scientiæ præstare legitimam causam deponendi aliquem ab Episcopatu, ac doceat practicam probandi, quem illiteratum esse, ùt quia nunquam legit librum, non intravit scholas, nec aliquem Doctorem audivit. Adde, quòd talis illiteratus sit irregularis. Paris. *n. 89.* ex Majol. *de irregul. l. 1. c. 32. n. 1.* & collatio ei facta sit ipso jure nulla, juxta dicta aliàs *de elect.*

5. Respondeo quintò: Malitia plebis obedientiam negantis, & insidias parantis Episcopo, non quidem quælibet est sufficiens causa cedendi Episcopatu, & deserendi Ecclesiam; sed ea solùm, quâ plebs subdita adeò pertinaciter se opponit, & ab eo abhorret, ut Episcopus nequeat quicquam apud illam proficere, quantumcunque conetur eam ad frugem reducere; hoc enim casu quandoque plebi ad tempus cedendum, ejusque pertinacia toleranda, & cum licentia Superioris pastor abscedere potest ad vitandum majus scandalum, ne fortè oves conversæ in lupos à vera religione & Ecclesiæ unitate prorsus deficiant. Ità ferè habetur *cit. c. nisi. §. propter malitiam.* & juxta illud Paris. *cit. q. 3. n. 117.* Laym. *loc. cit. n. 8.* Pirrh. *loc. cit. n. 47.* Et sic in hoc casu admittitur resignatio, cùm enim Episcopus principaliter constituatur, ut gregem sibi subjectum pascat & regat, si munus hoc suum pastorale ob subditorum pervicaciam exercere non potest, cessat obligatio officii sui seu curæ pastoralis, adeóque deserere gregem suum potest. Paris. *cit. n. 117.* junctis pluribus num. seq. citans quamplurimos, & inter ceteros D. Tho. *2. 2. q. 185. a. 4. & 5. in corp.*

6. Limitanda tamen hæc ità, ut procedant, si totus populus sit pertinax & incorrigibilis, absque spe emendationis sub tali Episcopo (in quo casu debet, & cogi etiam potest renunciare, transferturque ad aliam Ecclesiam, ubi potest proficere, vel datur ei recompensa. Paris. *n. 123.* citans Host. *in cit. c. nisi.*) nam si permixti malis sunt boni, qui ex Episcopi regimine proficiunt, hi propter malos deserendi non sunt, tunc enim deserere nequiret Episcopatum, nisi fortè alius magis proficere posset apud talem populum; tunc enim Superior eum transferre posset. Paris. *à n. 123. juncto n. 127. & 128.* Pirrh. *cit. n. 47.* quin etiam, si totus populus pertinaciter se opponat, & eum abhorreat, si tamen spes sit correctionis & reconciliationis, exspectari debet, aliáque adhibenda media, quibus plebs ad obedientiam debitam Episcopo reducatur, priusquam Episcopatui renuncietur, aut ab eo amoveatur, Paris. *n. 128.* & ex eo Pirrh. *loc. cit.* Porrò quandonam liceat Episcopo deserere Ecclesiam ob persecutionem, vide fusè tractatum ab eodem Paris. *cit. q. 3. à n. 123.* De cetero hic dicta etiam de parochis, aliisque animarum pastoribus intelligenda sunt; nimirum quòd interdum amovendi seu transferendi sint, si plebs aut subditi adeò ipsis, quamvis culpabiliter, contradicant, aut ab iis abhorreant sinè spe reconciliationis. Laym. *in cit. c. nisi. n. 8.*

7. Respondeo sextò: Scandalum grave, quod populus pateretur ex Episcopi alterúsve Prælati præsentia & regimine, dum id aliter vitari aut sedari non potest, sufficiens causa est, ut Episcopus non solùm licitè possit, sed etiam debeat, & cogi possit renunciare Episcopatui, ne plus honorem proprium quàm æternam subditorum salutem affectare videatur, *cit. c. nisi. §. pro gravi.* & juxta illud Paris. *à n. 153.* Laym. *in cit. c. n. 9.* Pirrh. *loc. cit. n. 48.* qui idipsum quoque procedere ait, etiamsi Episcopus ipse non sit in culpa illius scandali, citans pro hoc Barbos. *in collectan. ad cit. c. nisi. n. 14.* Distinguendum tamen inter scandalum pharisaicum, seu ex malitia scandalizatorum ortum, & inter scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum. Laym. & Pirrh. *ll. cit.* juxta quod indicatur *cit. c. nisi.* ità ut ob scandalum pusillorum cavendum vel tollendum, si caveri potest sinè peccato & periculo salutis æternæ, sæpe cedere oporteat aliquem jure sibi competente. Pirrh. Laym. *ll. cit.* & pro eo extinguendo vel cavendo juris præcepta laxentur. Paris. *n. 165.* citatis multis textibus juris, recedatúrque à regulis juris, ùt Paris. *ibid.* ex Jacobat. *de concil. l. 9. a. 12. n. 114.* Redoan. *de simon. c. 3. n. 16.* ob illud quoque vitandum resignandus sit Episcopatus. Laym. Pirrh. *ll. cit.* Ob scandalum verò pharisaicum, cùm illud plerumque curandum non sit, permittique possit sinè peccato, juxta illud Christi *Matth. 15. Sinite illos, quia cæci sunt & duces cæcorum:* resignare

non

non cogitur Episcopus, nisi ubi cum pertinaciter malis simul in ruinam trahantur simpliciores, qualiter D. Gregor. Nazian. scandali & seditionis vitandæ gratiâ, quæ ob ejus benefacta exorta, spontè cessit Episcopatu. AA. iidem *ll. cit.* Monet autem Paris. *n.* 176. quòd quoties cogitur Episcopus renunciare scandali tollendi gratiâ, danda sit ei recompensa, unde possit honestè vivere, citans Feder. de Senis *de permut. benef. n.* 40.

8. Respondeo septimò: Irregularitas causa est, ob quam Episcopus non solùm potest petere cessionem, sed etiam cogi renunciare Episcopatui. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 117. pro primo citans D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 4. Gig. *de resid. Episcop. c.* 17. *n.* 20. *& n.* 179. pro secundo citans Abb. *in c. ad supplicationem, n.* 8. *de renunc.* Jacobat. *tr. de concil. l.* 9. *a.* 3. *n.* 25. *&c.* Laym. *loc. cit. n.* 10. Pirrh. *loc. cit. n.* 49. juxta expressum textum *cit. n. nisi.* quia Episcopus, ùt *ibid.* dicitur, irregularis non potest exercere ea, quæ sunt ordinis & officii Episcopalis; & quamvis superveniens post collatum beneficium irregularitas quæcunque non inducat privationem beneficii ipso jure, Paris. *n.* 182. citans Felin. *in c. inquisitionis. de accusat.* Navar. *in c. si quando. de rescrip. except.* 10. *n.* 12. & *in Man. c.* 27. *n.* 250. potest tamen ob irregularitatem privari. Paris. *n.* 183. citans Jo-And. Innoc. Cardin. *in c. cùm in nostris. de conces. præb.* & consequenter cogi ad renunciandum. Paris. *n.* 185. citans D. Tho. *ubi antè, &c.* Porrò procedit responsio, dum irregularitas est indispensabilis, seu talis, in qua Papa ordinariè dispensare non solet: v. g. si sit bigamus, seu qui duas uxores, vel unam viduam uxorem habuit. Laym. Pirrh. *ll. cit.* secus si irregularitas est dispensabilis v. g. defectus natalium; tunc enim Episcopus, licèt non potuerit (id est, non debuerit) defectum illum subticere, si tamen & culpa latet (contracta nimirum per hoc, quòd defectum illum tempore promotionis tacuit) & causa, id est, ipsa irregularitas, adeóque v. g. defectus natalium est occultus, non expedit, seu non debet ei licentia renunciandi concedi, sed potest (seu magis expedit, seu potiùs debet) cum eo, qui aliàs laudabiliter suum implevit officium (injunctâ ei competente pœnitentiâ) dispensari propter Ecclesiæ utilitatem; ità tamen ut cum nothis seu spuriis, qui ex adulterio, vel alio damnato coitu nati sunt, vel cum Manzeribus, id est, qui ex scorto nati sunt, & vulgo quæsiti appellantur, quorum pater ignoratur, difficiliùs dispensetur, & faciliùs cum naturalibus, qui ex concubina seu simplice fornicatione nati sunt. *cit. c. nisi. §. personæ verò,* & juxta illud Laym. *ad cit.* §. Pirrh. *cit. n.* 46. citans Gl. *ibid. v. causa.* & Abb. *n.* 20. Similiter Papa dispensabit, seu dispensare solet cum eo, qui ex delicto, v. g. homicidio occulto contraxit irregularitatem, & Episcopus factus est; non item, si delictum publicum seu notorium sit. Pirrh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit.* & Th. *mor. l.* 4. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 9. & *de elect. Prælat. q.* 176. juxta Tridentinum *sess.* 24. *c.* 6.

Quæstio 406. *An ex aliis causis præter sex illas jam expositas Episcopus possit Episcopatum resignare?*

Respondeo, negativam teneri apud Paris. *cit. q.* 3. *n.* 201. ab Host. *in cit. c. nisi cùm pridem. n.* 78. Butrio *ibid. n.* 5. Fusc. *de visitat. p.* 2. *c.* 28. *n.* 1. Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Gig. *de resid. Episcop. c.* 17. *n.* 12. quibus accedit Laym. *in cit. c. nisi.* §. *verùm.* Affirmativam teneri & dici veriorem, modò causa sit honesta & utilis, à Paris. *n.* 203. Pirrh. *loc. cit. n.* 50. probabilem dicit, quamvis in fine *hujus num.* addat, DD. tenere tanquam communiorem, quòd præter sex illas causas allatas non sit alia causa resignationis faciendæ vel concedendæ Episcopis, eò quòd, si quæ aliæ causæ occurrant, videantur ad illas sex in jure expressas commodè revocari posse, & hoc velle videantur AA. pro contraria citati. & *n.* 51. si Episcopus nullam ex dictis, vel quæ ad illas revocari possit, causam allegare valeat, non potest petere licentiam cedendi, sed Episcopale officium retinere debet; cùm perpetuo matrimonii vinculo Ecclesiæ suæ sit obligatus. Affirmativam ex eo probat Paris. *cit. n.* 203. ex finalibus verbis citati textûs. *c. nisi. quia verò in postulando cedendi licentiam institisti, tibi te duximus relinquendum, ut distinctis causis, propter quas cedere oporteat, si propter aliquam causam utilem & honestam in hujusmodi proposito perseveras, de licentia nostra cedas, alioquin cedendi licentiam auctoritate Apostolicâ tibi scias penitùs esse interdictum, &c.* Neque obstare videtur, quòd Papa *in cit. textu* permittat: *Verùm si propter alias causas cessionem affectes, non est in hoc tibi postulanti favendum, cùm hujusmodi postulatio videatur non esse discreta, &c.* eò quòd ea intelligenda solùm de causis non justis nec honestis, sed indiscretis & illegitimis, cùm in fine textûs excipiatur causa justa & honesta, & sequentia declarent præcedentia. Paris. *n.* 205. & ex eo Pirrh. *cit. n.* 50. Neque etiam obstare videtur, quòd sex solùm causæ resignandi Episcopatui sint assignatæ; nam cùm hìc videantur referri solùm casus aliquot, tanquam qui frequentiùs occurrant, non excluduntur aliæ omnes causæ honestæ & utiles. Paris. *n.* 207. Pirh. *loc. cit.* Adde, quòd inclusio unius non sit exclusio alterius, præcipuè, dum casus exclusus includitur aliâ viâ, utì fit in præsente per dicta verba finalia citati textûs. Paris. *n.* 206. Verùm, quæ sit causa utilis & honesta, debere remitti arbitrio judicis, ait Paris. *n.* 208. ex Nav. *in commentar.* 4. *de regular. n.* 36. Unde

Quæstio 407. *in specie: An intemperies aëris & cæli gravitas sit causa justa & honesta resignandi Episcopatum?*

Respondeo affirmativè; si exinde incurratur periculum vitæ. *c. ad supplicationem de renunc. junctâ Gl. v. morari.* Pirrh. *cit. n.* 50. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 244. citans Host. *in cit. c. ad supplicat. in princ.* Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Rebuff. *in pr. tit. de resign. expres. n.* 2. & multa huc congerens: ùt quòd aeris intemperies sit justa causa non morandi in aliquo loco juxta Barth. excuset à residentia juxta Felin. *in c. accedens. il secundo. ut lite contest. n.* 11. Fusc. *de visitat. l.* 2. *c.* 28. *n.* 9. excuset citatum, tanquam locus non sit securus, ùt Felin. *ubi antè n.* 2. excuset à cursu præscriptionis, ùt Felin. *in c. cùm non liceat. de præscrip. col.* 6. *&c.* Porrò declarat hanc responsionem *n.* 252. si hujusmodi intemperies aëris sit in tota diœcesi.

Quæstio 408. *An inimicitiæ capitales, quas Episcopus in suo Episcopatu habet, sint sufficiens causa resignandi Episcopatum?*

Respondeo affirmativè. Pirrh. *cit. n.* 50. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 253. citans Fusc. *ubi antè n.* 8. Abb.

in c. ad supplicat. de renunc. n. 1. Butrium *n.* 2. Gl. *v. morari.* & ad hoc probandum congerens ferè eadem, quæ pro resposn. præced. Quæ autem dicendæ sint inimicitiæ capitales, remittendum arbitrio judicis ait, *n.* 258. Et inimicitias non præsumi, cùm sint facti, facta autem non præsumantur, nisi probentur. Pariſ. *n.* 259. ac modos omnes probandi inimicitias deduci à Maſcard, *de probat. concluſ.* 868. *per tot.* Ampliatur resposio ab eodem Pariſ. *n.* 263. ut etiam procedat, ſi Epiſcopus non poteſt tutè ſinè mortis periculo ad Epiſcopatum accedere, eò quòd hæc ſit juſta cauſa non residendi. citat pro hoc Abb. & Butrium *ubi antè.* Item, ut procedat, ſitque juſta cauſa reſignandi Epiſcopatum, dum Epiſcopus premitur tyrannide tyrannorum, juxta eundem Pariſ. *n.* 264. citantem pro hoc *c.* 1. *de renunc.* & *ibi. Hoſt. n.* 3. Quod ipſum tamen rectè limitat *n.* 265. quoties per alium poſſit ſaluti ſubditorum provideri, ùt D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5.

Quæſtio 409. *An ſit ſufficiens cauſa reſignandi Epiſcopatum ratio inſpirationis divinæ, humilitatis & melioris vitæ, ac præcipuè vitæ contemplativæ?*

1. REſpondeo ad primum negativè. Pirrh. *loc. cit. n.* 51. Pariſ. *cit. q.* 3. *n.* 227. juxta *cit. c. niſi.* ubi dicit Papa: Tu quomodo ſcis, quòd talis inſpiratio ſit cæleſtis, nimirum quæ à caritate & procuranda ſalute proximi, ad quam Epiſcopus eſt obligatus, avertit?

2. Reſpondeo ad ſecundum quoque negativè. AA. ijdem *ll. cit.* ſic enim dicitur quoque *cit. c. niſi. quòd ſi forſan humilitatis cauſâ de culmine quæris pontificali deſcendere, eo ipſo videris malè erigere cervicem, quòd te nimis in reſignandi propoſito exhibeas pertinacem: quia tunc veram humilitatem cuſtodies, cùm & per eam locum ſublimem fugies, & per obedientiam non dimittas. &c.* & humilitas, quæ contra obedientiam erigitur, ſuperbia eſt, ùt Butrio apud Fagn. *in cit. c. niſi. n.* 12.

3. Reſpondeo ad tertium negativè. Pirrh. *loc. cit. ex eod. c. niſi.* ubi: *quantumcunque autem quis fulgeat virtutibus, ſi caritatem (quæ maximè exercetur in Epiſcopali munere) non habeat, nihil habere cenſetur.*

4. Reſpondeo ad quartum etiam negativè; nam, ùt dicitur *eod. c. niſi. licèt vita contemplativa ſit magis ſecura & ſuavis, activa tamen magis fructifera & utilis eſt:* quòd ſi vita contemplativa cum activa conjungatur, utì fit in ſtatu Epiſcopali, præſtantior eſt & perfectior exemplo Moyſis, qui modò in montem aſcendens gloriam Domini ſpeculatus eſt, modò verò deſcendens in caſtra, neceſſitatibus populi providit. Ideóque faciliùs conceditur, ut monachus ſeu contemplativus ad Prælaturam, videlicet Epiſcopatum aſcendat, quàm ut præſul ad monachatum deſcendat. Pirrh. *c. cit. n.* 51. Laym. *cit. c. niſi. n.* 11.

Quæſtio 410. *An igitur non ſit juſta cauſa reſignandi Epiſcopatum ingreſſus religionis approbatæ, ut in ea ſecurius propriæ ſaluti vacetur?*

1. REſpondeo negativè. Pariſ. *cit. q.* 3. *n.* 233. citans Abb. *in cit. c. niſi. n.* 30. & 20. D. Tho. 2. 2. *q. ult. a.* 3. Majol. *de irregul. l.* 3. *c.* 6. *n.* 31. *&c.* Pirrh. *ad tit. de renunc. n.* 52. Leſſ. *de juſt. l.* 2. *c.* 41. *n.* 24. Laym. *ad cit. c. niſi. n.* 2. argumento *c. ſuggeſtum.* 7. *q.* 1. & *cit. c. niſi.* ubi dicitur: *Facilius indulgetur, ut monachus ad præſulatum aſcendat, quàm præſul ad monachatum deſcendat.* item: *ſi in hujuſmodi ceſſione frugem melioris vitæ tibi promittis, ſcire te debes non eſſe ſanctificato in utero* (intellige Ieremiam) *ſanctiorem.* Ex quibus ſatis colligitur, quòd ille Archiepiſcopus volebat fieri monachus, & ſcripſit pro licentia; Innocentius III. autem illam deneget reſcribens, poſtulationem non videri diſcretam. Pariſ. *n.* 233. Ratio etiam eſt, quòd melius ſit, ut quis, poſtquam ſtatum Epiſcopalem ſuſcepit, ſeque obligavit ad ſuam ſubditorúmque ſalutem procurandam, in eo ſtatu perſeveret, quamdiu muneri Epiſcopali ſatisfacere, & Eccleſiæ utiliter ſervire poteſt. Pariſ. *n.* 234. Laym. *cit., n.* 2. Pirrh. *loc. cit.* ex D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 4. *ad* 1. quin &, cùm licitum non ſit, de ſtatu perfectiore (qualis eſt ſtatus Epiſcopalis reſpectu ſtatûs religioſi, ùt D. Tho. *loc. cit. a.* 1. *ad* 2.) tranſire ad ſtatum minùs perfectum, quamdiu poteſt ea, quæ ſunt ſtatûs perfectioris, exequi; hoc enim eſſet retroſpicere, non licet Epiſcopo à ſtatu Epiſcopali tranſire ad ſtatum religionis, niſi alia ſubſit cauſa, non ſecùs ac licitum non eſt à ſtatu religionis tranſire ad ſæculum, aut à ſtrictiore ad laxiorem religionem. Pirrh. *loc. cit.* Quòd ſi verò Epiſcopus non poteſt ampliùs utiliter præeſſe gregi ſuo, melius erit, petitâ licentiâ, Epiſcopatum deſerere, & propriæ ſaluti vacare. Pariſ. *n.* 240. Laym. Pirrh. *ll. cit.* juxta *cit. c. niſi.* ubi dicitur: *modò proficere illis poſſis, etſi non omnibus, tamen multis.* & D. Tho. *l. cit. a.* 4. *ad* 1. quin & ab Epiſcopatu tranſire poterit ad ſtatum monachalem propter delictum & irregularitatem. Pariſ. *n.* 241. quod ipſum tamen intelligendum juxta dicta *q. præced.* vel etiam de delicto, ob quod depoſitus fuit ab Epiſcopatu, & detruſus in monaſterium ad agendam pœnitentiam; in quo caſu etiam ad Epiſcopatum redire non poteſt, juxta *c. hoc nequaquam. 7. q.* 1. & *ibi* Gl. *v. alterius.* Pirrh. *loc. cit.* Pariſ. *n.* 241. *&* 242.

2. Atque ex his ſequitur primò, profeſſionem religionis factam ab Epiſcopo ſinè licentia Papæ, nullâ aliâ cauſâ cogente, quàm ſtudio propriæ ſalutis, eſſe irritam. Laym. *l. c. n.* 3. citans Valent. *to.* 3. *d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. Pirrh. *cit. n.* 53. eò quòd, ùt iidem AA. Deus non acceptet profeſſionem, quæ ſit contra prohibitionem Eccleſiæ prohibentis, ne Epiſcopus Eccleſiam cui obligatus eſt, deſerat ſinè venia Papæ. Valida tamen erit profeſſio, ſi Epiſcopus id egerit cum licentia Papæ, quamvis hic malè agat concedendo ex iſta tantùm cauſa Epiſcopo hanc licentiam, Laym. *loc. cit.* citans Suar. *To.* 3. *de relig. l.* 1. *c.* 20. *n.* 7. & ex eo Pirrh.

3. Sequitur ſecundò, votum Epiſcopi, qui adhuc præeſſe poteſt utiliter Eccleſiæ, voventis ingreſſum religionis, ut propriæ ſaluti meliùs vacare poſſit; eſſe omnino irritum, eò quòd votum eſſe debeat de meliore bono, & de eo, quod Deo gratum eſt, profiteri verò religionem ſit minus bonum, quàm officium Epiſcopale in eo, qui ſuſcepto Epiſcopatu ſe obligavit Eccleſiæ, & ei adhuc utiliter præeſſe poteſt. Laym. *loc. cit. n.* 4. citans D. Th. *ubi ſuprà a.* 5. ubi: quòd Epiſcopus, qui Eccleſiæ adhuc utilis eſt, retrocederet ſeu deſcenderet à perfectione, ſi religionem ingredi veller: Item Valent. *ubi ſuprà.* Sot. *de juſt. l.* 10. *q.* 2. *a.* 4. Sed neque in tantùm adhuc valere tale votum, in quantùm talis eo edito obligatur ad aperiendum

hoc

hoc suum votum Papæ, petendámque ab eo licentiam, quâ denegatâ demum evadat liber à voto, tradunt iidem Pirrh. & Laym. *ll. cit.* eò quòd talis Episcopus frustra peteret talem licentiam cedendi Episcopatu, ut ingredi posset religionem, utpote quam Papa non concederet, neque secundùm Canones concedere posset, nisi alia legitima causa adsit, ob quam consultum, ut Episcopatum deserat, contra Suar. *to.* 1. *de relig. l.* 3. *de voto. q.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 16. *q.* 2. Sanch. *to.* 1. *de relig. l.* 4. *c.* 25. *n.* 26. & alios apud Laym. ad quos accedit Less. de just. *l.* 2. *c.* 41. *n.* 25. ubi: si Episcopus voveret religionem, votum non foret invalidum, quia fieri potest, ut id ipsi & Ecclesiæ sit melius, ergo tenetur Papæ aperire suum votum, & copiam id exequendi petere; nam sub conditione, si Papa consenserit, censetur factum; unde etiam implicitè vovit eidem proponere, alioqui non serium, sed illusorium esset votum, &c. Idque videtur valdè probabile, quòd nimirum teneatur suum votum exponere Papæ, non quidem ad petendam licentiam, dum is judicat eum adhuc utilem Ecclesiæ, sed ad hoc, ut is hoc ipsum dijudicet, expensis omnibus, num sit adhuc utilis nunc. Pro distinctione tamen serviet, quod tradit Hurtad. *de resident. l.* 2. *resolut.* 13. *à n.* 21. ubi: qui votum fecit religionis, exprimens conditionem, si Papa dispensaverit, prudenter & timoratè judicat, causas, quas habet, ad ingrediendum religionem, non esse sufficientes, ut Papa dispenset, & licentiam concedat; atque idem judicent viri timoratæ conscientiæ, non tenetur petere licentiam à Papa, sed semper manet votum conditionatum, quousque superveniat causa, quæ prudenter judicetur sufficiens ad dispensandum. De cetero aliud est cum eo, qui ante susceptum Episcopatum voverat ingredi religionem, & postea, non impleto hoc voto, factus est Episcopus; tenetur enim is resignare Episcopatum, & votum implere, juxta *c. per tuas, de voto.* non exinde, quòd status religionis perfectior sit Episcopali, sed quia votum priùs Deo factum; cùm posset, & ei, qui illud ediderat, expediret, implendum, & hoc ipsum Deo gratius; etsi enim status Episcopalis perfectior religioso, id tamen ex eo est, quòd supponat & requirat in eo perfectionem, qui illum suscipit; non autem, quòd ad perfectionis consecutionem multùm conferat sicut status religiosus, ùt D. Tho. 2. 2. *q.* 186. *a.* 1. *ad* 3. *& a.* 2. *ad* 1. adeóque melius est, Deóque gratius, ut quis ante susceptionem Episcopatûs ingrediatur religionem, in qua proficere potest, quàm ut Episcopatum suscipiat, seclusâ necessitate Ecclesiæ; & per consequens votum valet, nec commutari potest in susceptionem Episcopatûs: utì è contra editum post susceptionem Episcopatûs non valet votum tale, quia vovens ob impedimentum satisfaciendi officio Episcopali inhabilis factus ad ingrediendam religionem, nisi prius à Papa absolvatur à vinculo, quo obstrictus Ecclesiæ. Ità ferè Pirrh. *cit. n.* 53. & Laym. *n.* 4. remittens ad Suar. *to.* 3. *de relig. l.* 1. *c.* 19. *&* 20.

Item *de elect. Prælat. q.* 173.

*****
* *

Quæstio 411. *Ex quibus causis Prælati aliique constituti in dignitatibus Episcopali inferioribus, & curati, vel etiam habentes beneficia merè simplicia admitti possint & soleant in Curia ad resignandum sua beneficia?*

1. Respondeo primò, ob easdem causas, ob quas conceditur resignatio Episcopatuum, resignari potest quælibet dignitas Ecclesiastica & quodlibet beneficium curatum. Paris. *l.* 5. *q.* 4. *n.* 1. citans Redoan. *tr. de simon. p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Rebuff. *in pr. tit. de resig. expres.* Pirrh. *ad tit. de renunc. n.* 54. Tamb. *de jure Abb. to.* 1. *d.* 13. *q.* 1. *à n.* 10. loquens in specie de Abbatiis, similibúsque Prælaturis regularibus, & ordine singulas prædictas causas illis applicans. Laym. *ad cit. c. nisi cùm pridem. de renunc. n.* 6. causam senii & infirmitatis applicans aliis Prælatis Ecclesiarum & Parochis, *& n.* 8. causam illam malitiæ plebis parocho. Et ratio est, quòd, cùm difficiliùs concedatur resignatio seu cessio Episcopis, utpote arctiori vinculo alligatis Ecclesiæ, quàm aliis Prælatis aut animarum curatoribus, necessariò sequitur, faciliùs eam ob easdem causas concedi istis inferioribus. Unde etiamsi eæ causæ renunciandi quoad inferiores Prælatos & animarum curatores non fiat in jure expressæ, sicut quoad Episcopos, quia tamen militat eadem ratio in his quoque, eædem quoque causæ in iis locum habent. Paris. *loc. cit. à n.* 2. Pirrh. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò, quin & hodie in Curia Romana renunciationes harum inferiorum dignitatum & beneficiorum curatorum passim admitti ex longè levioribus causis, tradunt Paris. *loc. cit. n.* 15. Pirrh. *n.* 54. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 19. *q.* 4. *in fine.* Et in specie curatorum resignationes admitti etiam in favorem cum reservatione pensionis, vel absque ea, si curatus servierit Ecclesiæ per annos aliquot, nec aliam solere requiri causam, etsi, si alia quoque causa adsit & exprimatur, admittantur faciliùs, ait Paris. *cit. n.* 15. quin & sufficere ferè causam, ut beneficium dimissum alteri, in cujus favorem dimittitur, conferatur, ex Azor. *loc. cit.* tradit Pirrh. *loc. cit.* Dum autem resignantur simpliciter in Curia, vix singularem causam requiri, satis indicat Paris. *loc. cit.*

Respondeo tertiò: Quidquid de jure dici possit, de stylo & consuetudine recepta resignatio beneficiorum simplicium, residentiam non requirentium facta in Curia seu coram Papa specialem causam non requirit, sed simpliciter ea recipitur, ùti & resignatio eorum in favorem alicujus, & sic ad vota resignantium admittitur, etsi in supplicatione dicatur: *ex causis certis animum suum moventibus:* resignare intendat. Paris. *l.* 5. *q.* 5. *à n.* 3. & ex parte resignantis in favorem sufficit, & esse solet causa affectio, quâ quis consanguineo vel amico suo, aut alteri bene vult. Paris. *ibid. n.* 6. citans Rebuff. *in pr. tit. de resign. expres.* Pirrh. & Azor *ll. cit.*

Quæstio 412. *Ex quibus causis resignationes beneficiorum fieri possint extra Curiam Romanam coram Ordinariis?*

1. Respondeo primò: Renunciatio simplex (quæ sola, ùt dictum de jure communi coram Ordinariis

dinariis fieri potest) facta coram iisdem requirit causam. Paris. *l. 5. q. 6. n. 1.*

2. Respondeo secundò: expressæ in *cit. c. nisi.* quòad resignationes Episcoporum valent, & locum quoque habent in resignationibus factis coram Ordinariis. Sic enim expresè Pius V. in constit. sua: *quanta Ecclesiæ. de dato Anno 1568. 1. April.* ubi, postquam plures retulisset causas, ob quas Ordinarii recipere possunt resignationes, inquit: *denique in causis positis in Constitut. Innoc. III. nempe in cit. c. nisi cùm pridem.* Paris. *l. 5. q. 3. n. 1. in fine.* præter quas causas aliquot alias ibidem exprimit.

3. Respondeo tertiò in specie, causas in dicta Constitut. Pii V. expressas esse sequentes: Prima, si beneficiatus est senio confectus: quinam autem senio confecti censendi sint, in ordine ad hunc effectum, remittendum judicis arbitrio, spectatâ personarum qualitate & complexione. Paris. *cit. q. 6. n. 7.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 1. n. 6.* Azor *p. 2. l. 7. c. 19. q. 5.* Pirrh. *loc. cit. n. 55.* Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 100.* Secunda, si utatur quis incommodâ valetudine, seu sit valetudinarius, quod item relinquendum judicis seu Ordinarii arbitrio. Barbos. *loc. cit. n. 101.* Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *loc. cit. n. 12.* citans Menoch. *de arbit. casu 60. n. 5.* & alios plures, ac dicens: prudentem igitur Ordinarium sumpturum conjecturam, quòd beneficiatus aliquo modo corporis habitu & affectu malè valeat, & sæpius aut semper ægrotet, ut non possit muneri sibi injuncto satisfacere. Tertia, si corpore impeditus, ità ut non possit commodè præstare id, ad quod ratione beneficii tenetur, ùt si leprâ, paralysi, morbo gallico, vel comitiali, aliòve contagioso vel periculoso laboret. Paris. *à n. 14.* Azor. Pirrh. Castrop. *ll. cit.* Barbos. *n. 102.* idem ex Parisio dicens de lunatico, apoplectico, producente ulcera per corpus, habente tremulas manus, vel chiragram continuam. Quarta, si sit corpore vitiatus, v. g. cœcus, claudus, mutus, surdus, aliúdve habens corporis membrum abscissum, contractum, deformatum. Unde, ùt Castrop. promoveri non potest ad ordines. Lege enim divinâ, nimirum *Levit. 21.* (qui etiam locus insertus est *c. hinc etenim. d. 49.*) cautum est, ne Ecclesiis serviant corpore vitiati, quales sunt isti. Paris. *n. 33.* tales enim (inter quos & deformiter gibbosos numerat. Paris. *n. 52.* & ex eo Barbos. *n. 103.* idem dicens de habente manum mutilam, vel manus ad utendum inefficaces) cùm non possint promoveri, & promoti non possint ministrare, ùt habetur *in tit. de corpore vitiato*, per consequens habere nequeunt beneficium; & sic superveniente tali vitio corporis meritò ad resignandum, quæ habent beneficia, admitti possunt. Paris. *n. 54.* Quinta, si sit obnoxius crimini, ob quod privari possit beneficio. Paris. *n. 57.* eundo per istiusmodi crimina, de quibus Barbos. ait *n. 104.* quòd inquisitione pendente, etiam post receptas probationes, & concluso in causa, imò & pendente appellatione à sententia privationis, possint resignari coram Ordinario, juxta dicta à nobis suprà. Sexta, si censuris Ecclesiasticis irretitus, quibus non ità facilè possit absolvi. Castrop. *loc. cit.* Paris. *à n. 67.* eundo pariter per singulas censurarum species. Septima, si nequeat, aut non debeat Ecclesiæ aut beneficio deservire, puta quia dœmoniacus (utpote qui perpetuò ab ordinum susceptione excluditur, *c. communiter. d. 33.* Paris. *n. 94.*) bannitus seu regulatus, illiteratus, aut aliter irregularis. Paris. *n. 98.* vel si turpiter cum scandalo seu offensione aliorum vivat; etsi enim talis possit, non tamen debet servire in Ecclesia ob scandalosam vitam. Paris. *n. 101.* quò spectant, qui, etsi non vivant scandalosè, in ipso tamen servitio Ecclesiæ, ad quod obligati sunt, dant scandalum, puta quia lunatici, vel quia ob languorem stomachi patiuntur identidem vomitum. Paris. *n. 103.* citans D. Tho. *3. p. q. 82. a. ult. ad 3.* Majol. *de irregul. l. 2. c. 26.* Octava, si quis duo vel plura beneficia, etiam simplicia, quorum unum sufficit ad sustentationem, obtinet, cùm tunc uno eorum regulariter debeat esse contentus. Azor, Pirrh. Castrop. *ll. cit.* Nona, si beneficiatus ad aliud beneficium sufficiens ad sui sustentationem promoveatur, maximè si id cum prælabito est incompatibile; cùm tunc ex necessitate debeat prius dimittere. AA. iidem. Decima, si religionem ingressurus est, aut matrimonium contracturus, resignationem illius ex hac causâ recipere potest Ordinarius, modò resignans id statim exequatur. AA. iidem Paris. *à n. 163.* in quo casu statim à contracto matrimonio conferri poterit beneficium; in ingrediente verò religionem exspectandum usque dum professio emissa. Castrop. *loc. cit.* Undecima, si quis ob capitales inimicitias nequit, aut non audet residere in loco beneficii, puta exigentis residentiam. AA. ijdem. *ll. cit.*

Quæstio 413. An, & quid præter has causas, ex quibus Ordinarii recipere possunt renunciationes, eisdem observandum vi dictæ Constitut. Pij V.

1. Respondeo: Debere illos observare binas sequentes conditiones. Primò, ut dispiciant, num resignaturus in sacris constitutus habeat aliunde, unde commodè vivat; quia in casu, ubi non habet resignaturus aliunde, unde vivat, non possunt recipere illius resignationem. Paris. *à n. 173.* Pirrh. *n. 56.* Castrop. *loc. cit. n. 7.* C. de Luc. *de benef. d. 37. n. 14.* Secùs est; dum resignaturus est in minoribus tantùm Ordinibus. Paris. *n. 178.* Limitanda insuper responsio, ut opus non sit in receptione resignationis in hoc inquirere, dum resignatio fit causâ ingrediendi religionem; ingressurus enim religionem resignare potest, etsi non habeat aliunde, unde vivat. Paris. *cit. q. 6. n. 182.* Et hæc exceptuatio, quâ in dicta Constitut. Pij V. excipitur casus ingressuri religionem, nempe ut in eo casu opus non sit recepturo resignationem illius inquirere in competentiam aliunde vivendi, non extenditur ad casum contracturi matrimonium; cùm constitutus in sacris nequeat contrahere matrimonium, constitutus verò in minoribus resignare possit, etsi non habeat aliàs unde vivat. Paris. *n. 184.* contra Fusc. *de visitat. l. 2. c. 28. n. 19.* Atque ità hæc unica exceptio à dicto onere inquirendi posita in Constitut. Pij V. firmat regulam in ceteris casibus non exceptuatis, sive quòd, dum ex aliis causis recipitur resignatio, inquirere priùs necesse sit in dictam competentiam vivendi. Paris. *n. 186.*

2. Alterum observandum recipientibus resignationem est, ut resignata coram se beneficia non conferant suis aut resignantium consanguineis, affinibus, familiaribus, &c. de quo suprà.

Qua-

Quæstio 414. *An dictæ causæ & conditiones servandæ quoque sint in receptione resignationum factarum permutationis gratiâ?*

REspondeo negativè. Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 1. n. 8.* Azor *cit. q. 5. in fine.* Fusc. *de visitat. l. 2. c. 28. n. 12.* contrà Paris. *cit. q. 6. n. 231.* dicentem, se de hoc dubitare, & vidisse dubitari, eò quòd Pius V. *in constit. sua 41.* suspendat facultates Ordinariorum recipiendi resignationes & permutationes beneficiorum, donec detur modus; in dicta autem constitut. *quanta Ecclesiæ.* præscribat hunc modum, nimirum, ne sinè causis à se ibi expressis fiat hæc receptio. Verùm ratio est in oppositum, quòd nimirùm cesset in permutationum receptione ratio, ob quam emanavit dicta constitutio, dum in permutatione locus non est fraudi, sicut in resignatione simplici, cùm permutatio beneficiorum reciprocam beneficii resignationem contineat, eáque de causa in dicta Pij V. constitut. expresè permittuntur permutationes beneficiorum fieri juxta canonicas sanctiones & Apostolicas constitutiones, seu juris communis dispositionem. Castrop. *loc. cit.* Azor *loc. cit.*

Quæstio 415. *An, si Ordinarius admittat de cetero resignationes simplices absque ulla earum causarum in dicta Constitut. Pij V. expressarum, resignatio sit nulla, & recipiens incurrat pœnas in dicta Constitut. expressas?*

REspondeo ad primum affirmativè. Paris. *cit. q. 6. n. 225.* citans Fusc. *ubi antè n. 26.* Castrop. *loc. cit. n. 7.* Pirth. *cit. n. 56.* Azor *loc. cit.* eò quòd in Constitut. illa Pij V. habeatur decretum irritans expressum his verbis: *quod si secus, ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictarum fuerit à quoquunque temerè attentatum, id totum ex tunc vires & effectum decernimus non habere, &c.* Extenditque hoc ipsum Paris. *n. 230.* ad receptores resignationum etiam ignorantes prædictam constitutionem, quia decretum irritans ligat etiam ignorantes respectu nullitatis actûs. Ex quibus à fortiori sequitur, nullam esse resignationem, quæ fit non solùm sinè causa expressa in dicta constitutione, verùm etiam absque omni alia legitima causa, puta laboris vitandi gratiâ, vel ambitûs aut avaritiæ causâ, idque etiamsi dicatur, istam Pij V. Constit. hodiedum non esse in isto rigore in usu, quin absque graviore causa resignationes simplices maximè simplicium ab Ordinariis admitti possint & soleant. De quo vide dicta *q. 1. hujus §.* & mox *q. seq.* dicenda.

Quæstio 416 *An præscindendo etiam à dicta Constitutione Pij V. licitè & validè resignari possit beneficium vel dignitas, ut aliud pinguius obtineatur?*

1. REspondeo ad primum negativè, sistendo nimirùm in hoc motivo. Navar. *de reditib. q. 1. monito 5.* ubi sic ait: *Moneo, me nescire Episcopos & Ecclesiarum parochialium Rectores à peccato excusare, qui honestum victum in terris salutiferis habentes, sinè necessitate aut utilitate publica relinquere sua beneficia studeant, eò solùm, quod minores sint reditus, & capiant alia, eò solùm, quòd sint majores, &c.* Hanc Navarri doctrinam valdè se approbare ait Hurtad. *de congrua sustent. Ecclesiasticor. l. 2. resolut. 1. subresolut. 17. n. 199. & n. 206.* ubi inquit: *si hujusmodi mutationes fiant & translationes, sollicitantibus ipsis Episcopis, ut ad majorem Ecclesiam transferantur, propter cujus fructuum pinguetudinem abundantiorem habeant congruam, & sic majore cum pompa & ostentatione vivant, & hic sistat motivum, existimo illicitum esse.* Et ità expresè D. Tho. *2. 2. q. 185. a. 1. in corp.* in quem locum Cajetanus §. *ad hoc dicitur.* sic habet: *Si motivum ulteriùs non progrediatur, existimo, esse peccatum mortale ex genere suo; nam, si finis appetentis est major, & abundantia temporalium postponit finem Episcopatûs, & beneficii curati bonis istis temporalibus, quæ in se sunt media ad finem illum consequendum. Si verò bona temporalia abundantiora, major dignitas & honor, sunt finis appetitûs non appetentis, etsi sit illicitum, non tamen est mortale secundùm genus suum, ex eo, quòd talis appetitus compatiatur secum rectitudinem voluntatis aliorum in Episcopatu inventorum: v. g. moveatur quis ad appetitum Episcopatûs aut majoris ratione bonorum circumstantium, ut scilicet habeat sufficientiam temporalium & honorem; verumtamen, cùm hoc intendit facere, debitum suum circa curam animarum & distributionem bonorum tam Ecclesiæ, quàm pauperibus, non intendit uti Episcopatu, aut majori ad finem temporalium, sed quantùm sibi conceditur, portione suâ & debito sibi honore, & hujusmodi ad laudem Dei; in hoc appetitu ex hoc capite ego nullam video deformitatem mortalem propter dictam rationem, & propterea puto, Auctorem (D. Thomam) dixisse illicitum, & non dixisse mortale. Et confirmatur; quia neque avaritia, neque ambitio sunt peccata mortalia, quando deest materia injusta, aut finis ultimus non ponitur in pecunia seu honore; in hoc enim casu non ponitur finis ultimus in hujusmodi, nec in justitia ex parte materia appetita.* Ita Cajetanus; quibus subjungit ipse Hurtad. *n. 209. Caveant ergo Episcopi & curati, ne dum zelo bono se moveri putant, dum altiora petunt & pinguiora, ambitione & cupiditate seducantur.* & *n. 20.* concludit: *Illicitum ergo est, pinguiorem procurare Ecclesiam, ut major assignetur congrua.*

2. Limitatur tamen etiam hæc doctrina, ut excipiantur mutationes & translationes, quæ fiunt parochialium in concursu, in quo admittuntur curati, qui habent beneficium parvum, in quo se exercuerunt, & durarunt per aliquot annos, ut possint experti majus & pinguius tenere; sicque in præmium laboris, literaturæ & meritorum ad majus evehuntur, quod licet desiderare, non ambiendo, sed ut majorem utilitatem Ecclesiæ, pauperibus, & cultui divino afferat. Sic quoque translationes Episcoporum, quæ ex præsentatione regia aut providentia summi pastoris fiunt, licitæ sunt, & ex motivis præfatis appeti possunt: semper enim Papa præsumitur illas facere ob utilitatem Ecclesiæ & boni publici. Hurtad. *loc. cit. n. 212. & 213.*

3. Ex quibus jam inferri videtur responsio ad secundum, nempe neque talem resignationem fieri validè. Si enim jura resignationem non permittunt fieri sinè causa omni, vel etiam sinè causa honesta, multò minùs permittunt, eam fieri ex causa illicita. Resignatio autem, quæ fit jure eam non permittente est invalida. Et certè, qui resignavit beneficio suo tenui, dum alius habet exspectativam ad proximè vacaturum, ut vel sic iste exspectans impediatur à consecutione pinguioris, quod

quod ipse resignans intendebat sibi, in pœnam utroque beneficio carere debet. Primo, quia resignavit illud, posteriore etiam, quia alteri debitum: tum quia ipsi calliditas hæc sua & fraus (quæ semper in tali casu præsumitur) prodesse non debet, nec ex propria iniquitate ferre commodum. *c. si te. de renunc.* §. *cæterum.* Laym. *ibidem.*

PARAGRAPHVS VIII.

De resignatione sub reservatione fructuum aut pensionis.

Quæstio 417. *In genere, quænam sint eâ, quæ quandoque in resignatione reservantur resignanti?*

REspondeo esse sequentia: Fructus omnes, vel eorum medietas, pensio, potestas transferendi pensionem, regressus ad beneficium & accessus. Paris. *l. 6. q. 1. n. 1.* Item administratio. Paris. *loc. cit. n. 11.* citans Mandos. *tr. de signat. grat. tit. fructuum reservationes. col. 2.* Item reservatio nominis seu denominationis, stalli in choro, & loci in capitulo, habitationis, distributionum quotidianarum. Paris. *n. 13.* citans *c. cùm inter. de renunc.* & ibi Abb. *n. 1.* Tamb. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 11. a. 8. n. 3.* Sarnens. *de annali q. 60. &c.* Item reservari consuevit quandoque resignanti collatio omnium beneficiorum pro tempore vacantium. Paris. *n. 14.* citans Rebuff. *super concord. rubric. de mandato apost.* §. *1. vers. quòd si collationes.* Mandos. *de sign. grat. tit. fructuum reserv. col. 2.*

Quæstio 418. *An reservatio omnium fructuum fiat licitè, quâ de causa, & à quo?*

REspondeo ad primum: fieri quandoque & admitti resignationes reservatis omnibus fructibus, ità ut ad resignatarium solum jus & titulus beneficii transferatur. Azor *p. 2. l. 7. c. 21. q. 1.* Paris. *l. 6. q. 1. n. 2.* citans Card. Paris. *cons. 39. n. 7. vol. 4.* Perret. *cons. 93. n. ult. &c.* Fitque hæc reservatio licitè. Azor *loc. cit. n. 10.* uti id à Campegio *in tr. de reserv. omnium fruct.* ostendi ait, dum nimirum sit justis de causis.

2. Respondeo ad secundum: talis causa inter alias hæc est: ne is, qui beneficium resignat, nimio dispendio ex ipsa resignatione gravetur, sed habeat, unde commodè vivat, vel debita contracta solvat. Azor *loc. cit.* Paris. *n. 5. juncto n. 7.* Et sic fructus resignanti reservari pro pensione, & haberi loco pensionis, quæ in subsidium vitæ dari solet, tradunt iidem, Azor *loc. cit.* Paris. *n. 6.* ex Rebuff. *in pr. tit. de reservat. tam general. n. 13.* Sarn. *de annal. q. 60.* Mand. *de annal. q. 30. n. 1.* ubi is etiam attestatur, poni tunc in supplicatione: *fructus loco pensionis annuæ reservare, constituere, & assignare dignemini.*

3. Respondeo ad tertium: hanc fructuum reservationem fieri non posse à jure communi, eò quòd jure communi beneficium dividi non possit. *c. majoribus. de præb.* vel etiam, quòd beneficia sinè diminutione conferenda, *c. ut beneficia sinè diminut.* qualiter dividuntur, vel saltem cum diminutione conferuntur beneficia, cùm fructus uni reservantur, alteri verò jus beneficii confertur. Sed fieri posse à solo Papa, utpote potente de beneficiis disponere liberrimè in iis omnibus, quæ sunt juris scripti, non naturalis aut divini. Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 3. & 4.* citans Rebuff. *in pr. de reservat. tam general. quàm spec. n. 16.*

Quæstio 419. *Quis usus hujus reservationis fuerit olim, sitq. hodiedum?*

REspondeo: Hujusmodi reservatio olim indistinctè & passim non concedebatur, sed solùm ex causa magna. Paris. *n. 34.* citans Rebuff. *ubi ante n. 14.* Statuit dein Alexander VI. ut nemini concederetur dicta reservatio nisi Cardinalibus. Paris. *n. 35.* citans Rebuff. *in pr. tit. de regress. verbo fin.* quod licèt per tempus aliquod observatum, postmodum tamen fuisse concessam dictam reservationem resignantibus, & ipsam resignationem judicatam esse causam sufficientem, tradit Paris. *tit. n. 35.* Nunc autem stante Trident. *sess. 24. c. 13.* tarò concedi talem reservationem omnium fructuum, administrationis, jurisdictionis, &c. ex Mand. *de sign. grat. tit. fructuum reserv. col. 3.* ait idem Paris. quin & passim hodiedum aliis, exceptis Cardinalibus, id negari à Papa; & justissimâ quidem ratione, ne serviens altari nihil de altari habeat, unde vivat; cùm tamen reditus Ecclesiastici instituti sint propter spiritualia & illa tractantes, tradit Paris. *à n. 36. & n. 42.* subjungens ex Rebuff. ob eandem rationem in regno Franciæ istiusmodi reservationem omnium fructuum prohibitam.

Quæstio 420. *In quibus beneficiis soleat hodiedum concedi istiusmodi reservatio omnium fructuum?*

REspondeo primò: In Ecclesiis Cathedralibus seu Episcopatibus non dari istiusmodi reservationem fructuum, nisi detractis seu remanentibus pro Episcopo mille ducatis annuè secundùm verum valorem. Paris. *l. 6. q. 1. n. 36.* vidisse se sic servari de stylo. Secundò nec dari in parochialibus, nisi relictis Rectori centum ducatis. Paris. *ibid.* Tertiò in Abbatiis, Prioratibus, Præposituris, & aliis similibus non concedi, nisi Cardinalibus duntaxat juxta decretum Alexand. VI. quibus etiam, dum resignant, id à Papa petentibus reservantur seu relinquuntur præter dictos fructus administratio, institutio, collatio beneficiorum, ut asserit *loc. cit.* Paris.

Quæstio 421. *An, & qualiter resignans reservatis omnibus fructibus habeatur adhuc pro titulari, etsi re ipsa titulum amiserit, habeátque in eo regula Cancellar. de annali, & regula de publicando locum?*

1. REspondeo ad primum: Si resignanti reserventur solùm omnes fructus, non habetur loco titularis, sed duntaxat loco pensionarii, quia illi fructus habentur loco pensionis. Paris. *tit. q. 1. n. 43.* citans Sarn. *ad reg. de annal. q. 60.* si verò præter omnes fructus reservatur quoque ei denominatio, stallum in choro, vox in capitulo, habetur post resignationem loco titularis, & æquiparatur titulari. Paris. *ibid.*

2. Respondeo ad secundum: Hoc casu juvatur quoque talis regula *de annali.* Secùs est in primo casu

casu, sive dum resignanti reservantur solùm omnes fructus; cùm regula illa loquatur de titulo. Paris. *n.* 44. ex Mandos.

3. Respondeo ad tertium: Dum reservati sunt fructus unà cum denominatione, videtur in eo non habere locum regula de publicando, quia talis resignans in effectu videtur remanere beneficiatus post resignationem sicut antè, & effectus attendi debet. Paris. *n.* 45. ex Sarn. *ad reg. de public.* quamvis *n.* 46. subjungat Paris. hodiedum ex Constitutione Gregor. XIII. locum etiam in tali casu habere dictam regulam.

Quæstio 422. *An in reservatione omnium fructuum necesse sit fieri mentionem pensionis jam impositæ beneficio resignato?*

REspondeo negativè; Sed absque dicta mentione facta valida erit dicta reservatio omnium fructuum, Paris. *cit. q.* 1. *n.* 26. sic testans conclusum in Rota. Estque hoc ipsum singulare omninò, utpotè cujus contratium est in reservatione pensionis, dum ea constituta super fructibus beneficii jam aliâ pensione gravati non valet; quia non præsumitur Papa voluisse gravare Ecclesiam, seu ejus fructus duplici onere, quod ipsum cessat in reservatione omnium fructuum; cùm constet; eo ipso gravari Ecclesiam de omnibus fructibus, adeóque ubi beneficium jam gravatum esset pensione aliquâ, eâ solutâ, reliquos fructus deberi reservatario. Paris. *à n.* 27. Hortari nihilominùs Mandosium *de sign. grat. tit. fruct. reservat. col.* 4. ut apponatur mentio antiquæ pensionis; quin & testari eundem, decisum à Rota, quòd non valeat facultas transferendi illos fructus vel partem, non factâ priùs mentione pensionis primo loco impositæ tali benefico ait Paris. *n.* 30.

Quæstio 423. *An in istiusmodi reservatione omnium fructuum requiratur expressus consensus resignatarii?*

REspondeo affirmativè. Azor *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 1. *n.* 22. citans Campeg. *tr. de reservat. omnium fruct. n.* 2. Siquidem is, qui titulum beneficii habet, onus sinè ullo fructu & emolumento subire & sustinere non cogitur; sed qui altari servit, etiam de altari vivit; adeóque hæc reservatio omnis emolumenti, seu omnium fructuum fieri non debet eo renitente, sed consentiente: in quo casu jam scienti & volenti gratis inservire Ecclesiæ, & propriis impensis militare, non fiet injuria, nec in hoc ab ullo prohibebitur; idque præcipuè, dum ei, qui aliunde habet unde vivat, resignatur, seu datur beneficium reservatis omnibus fructibus alteri. AA. iidem.

Quæstio 424. *An reservatarius possit fructus omnes reservatos capere propriâ auctoritate?*

REspondeo: Si, dum reservantur omnes fructus, apposita est clausula apponi solita per signaturam percipiendi fructus propriâ auctoritate, potest dictos fructus propriâ auctoritate percipere. Siquidem per hanc clausulam significatur concessa resignanti beneficium reservatis omnibus fructibus facultas capiendi & percipiendi fructus illos per seipsum, & absque alicujus licentia vel consensu, ac si adhuc beneficium resignatum retineret; tametsi tunc non dicatur eos capere ut possessor beneficii, sed veluti is, cui beneficium ejúsque bona sint obligata, & tanquam is, qui à re sibi addicta, & servitutem debente eam exigit. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 21. *q.* 1. §. *verum si.* Paris. *cit. q.* 1. *n.* 15. & 16. citans Mandos. *ad reg. de ann. q.* 30. Unde etiam talis resignans seu reservatarius potest remanere in possessione (intellige percipiendi auctoritate propriâ fructus) ac si non resignasset, utpote quam non amittit. Paris. *n.* 17. & 18. citans Card. Paris. *cons.* 39. *n.* 7. *vol.* 4. Mand. *tr. de sign. grat. tit. fruct. reserv. col. ult.* & Rotam *in Paderana* 5. *Febr.* 1546. Quòd si verò clausula hujusmodi apposita non est, debet fructus percipere de manu resignatarii, sive percipere illos jure non potest sine consensu resignatarii. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 21. citantes Rebuff. *in pr. tit. de reservat. tam general. quàm special. n.* 13.

Quæstio 425. *An, si fructus omnes reservati fuerint cum clausula:* Vel si maluerit pensionem annuam, v.g. centum ducatorum: *& reservatarius per aliquot annos perceperit pensionem, possit dein variare, & pro sequentibus annis exigere fructus?*

REspondeo negativè. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 31. citans Rotam *in Cordubens. dimidiæ portionis,* 11. *Jan.* 1547. & 9. *Martii.* 1548. eò quòd variatio maximè prohibeatur clericis. *Clem. unic. de renunc.*

Quæstio 426. *Quid sit circa reservationem medietatis fructuum?*

1. REspondeo primò: Tametsi resignanti reservari non soleant omnes fructus, nisi sit Cardinalis, solet tamen ei concedi reservatio mediæ partis fructuum loco pensionis annuæ. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 47. citans Rebuff. *in pr. loc. cit. nu.* 15. Mand. *de sign. grat. loc. cit. col.* 1. Boër. Staph.

2. Respondeo secundò: Est & dicitur hæc reservatio medietatis fructuum justa, si beneficiatus ex altera medietate potest commodè vivere, & onera beneficii portare. Paris. *n.* 55. citans Rebuff. *ubi ante n.* 19.

3. Respondeo tertiò: Non datur in hoc casu clausula, dictam medietatem fructuum percipiendi auctoritate propriâ, adeóque fructus illos debet reservatarius percipere de manibus titularis. Paris. *n.* 53. & 54. ex Rebuff. *loc. cit. n.* 18.

Quæstio 427. *Dum in supplicatione est clausula:* cujus fructus 24. ducatorum summam non excedunt (*utì ex stylo Curiæ non exprimitur major valor Canonicatuum, etsi sæpe reserventur pensiones longè majoris valoris, v. g.* 300. *vel* 400. *ducatorum*) *interim autem à parte rei fructus beneficii excedant* 24. *ducatos, conficiántque v. g.* 400. *an inquam in hoc casu, dum resignans reservavit sibi medietatem fructuum, is habere debeat* 12. *ducatos, an* 200.?

REspondeo, debere eum habere 200. quia hæc est medietas veri valoris, & mens Papæ est reservare medietatem fructuum, & non valorem medietatis fructuum. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 51. citans Mand. *l. ult. cit. col.* 3. & Rotam *in Calagurit. medietatis fructuum de mense Nov.* 1537.

De natura, qualitate, & introductione pensionis.

Quæstio 428. *Quid nominis sit, & quid in genere significet pensio?*

REspondeo: Vox hæc latè accepta omne debitum annuum vel menstruum, & universaliter, quidquid per certa tempora distributum præstatur, significat. Strictiùs verò accepta annuam pecuniæ vel fructuum quantitatem, ex beneficii emolumentis à beneficiato debitam alteri. Lott. *de re benef. l. 1. q. 35. n. 9. 10. & 11.* In utraque hac significatione idem hujus vocis est etymon. Lott. *ibid. n. 12.* nimirum vel *pendo pendis*, quod est solvo, juxta quod etiam pensionis solutio dicitur pensitatio, ùt Gamb. *de off. leg. l. 6. n. 39.* apud Lott. vel *pendeo pendes.* non quidem quia dependet à beneficio, unde extrahitur velut usus fructus à proprietate, ùt Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 2.* Gig. *de pens. q. 1. n. 9.* Caccialup. *eod. tr. q. 2.* aliique apud Lott. *n. 14.* ne aliàs diversa hujus vocis sumptæ genericè & sumptæ specificè admittenda sit derivatio; sed quia ex natura sua semper pendet, seu est debitum in suspenso, dum soluto debito unius anni, quod pendebat, incipit alterius anni debitum pendere, ità ut nulla detur pars temporis, quo non dicatur debitum pendere, seu esse in suspenso. Lott. *n. 15. & 16.* ex Connan. *in Commentar. juris civil. l. 4. c. 15. n. 9.* neque enim minùs, ùt idem Lott. *n. 17.* pendentiam ex tempore, quàm ex re, cui cohæret, æstimamus, & ità fructus pendentes dicimus, quorum colligendorum necdum tempus advenit.

Quæstio 429. *Quid rei sit pensio Ecclesiastica, seu qualiter definiatur?*

1. REspondeo primò: Pensionem multifariam definiri à diversis, ùt videre est apud Garc. *de benef. p. 1. c. 5. n. 162.* disconvenientiâ harum definitionum potissimùm ex eo ortâ, & in eo sitâ, quòd quidam definiendam susceperint pensionem, ùt quid, seu ùt res juris est, alii ùt quid rei seu facti est; uti hanc differentiam insinuat Azor *p. 2. l. 8. c. 5. q. 1. in fine.* proinde ad conciliandos inter se Auctores illos,

2. Respondeo secundò: Pensionem in posteriore acceptione sic rectiùs & exactiùs videri definiri à Coras. *de benef. p. 1. c. 4. n. 6.* apud Garc. *loc. cit. n. 163.* quòd sit moderata portio ex reditibus beneficii auctoritate Superioris ad tempus separata per modum quantitatis, & cum causa alteri assignata; cum qua ferè coincidit illa, quam affert Lott. *loc. cit. n. 11.* quòd sit annua pecuniæ quantitas alicui in perpetuum debita à beneficiato in ejus vitæ subsidium super ipsius beneficii emolumentis per Papam reservata. Neque in eo differre videntur, quòd prior dicat, *ad tempus separata*: & secunda dicat, *in perpetuum debita.* Hæc enim duo bene simul consistunt, dum per primum intelligitur, quòd sit pars fructuum ad tempus nimirum v. g. ad mortem pensionarii separata à reliquis fructibus beneficiato remanentibus, & non in perpetuum, seu semel pro semper, ità ut nunquam pars illa fructuum redeat ad beneficiatum; per alterum vero: *in perpetuum debita*: intelligatur, solvendam pensionario usque ad ejus mortem, quemadmodum commenda in perpetuum sonat commendari beneficium usque ad mortem commendatarii. Item illa, quam affert Card. de Luc. *de pens. d. 19. n. 8.* quòd sit quædam fructuum portio, quæ per Papam extrahitur à fructibus beneficii pensionario assignata, reliquis fructibus remanentibus ad commodum titularis. Item illa, quam affert Azor. *loc. cit. q. 1. ad initium.* quòd sit certa portio ex alieno beneficio Ecclesiastico justa de causa ad tempus detracta & separata: adde, alteri solvenda. Pensio autem in priore acceptione definiri potest, quòd sit jus exigendi & percipiendi dictam portionem, &c. ùt colligitur ex Garc. *loc. cit. n. 170.* nisi, quòd is, uti & Navar. apud illum *n. 167.* addat *jus spirituale*, quod utrum rectè addatur, patebit ex sequentibus. Et hoc erat, quod contendebat Nav. *cons. 63. n. 6. de simon. & in man. c. 23. n. 111.* apud Garc. *n. 166.* nempe, quòd sicut beneficium non est fructus, qui percipiuntur ex illo, sed jus illos percipiendi, ità etiam pensio non sit illa certa portio fructuum, sed potiùs jus illam percipiendi. Porrò dicitur in definitione portio de reditibus beneficii detracta & separata, quia est pars quædam dictorum reddituum, & res per se à titulo & jure beneficii separata, sicut usus fructus à proprietate sejunctus per se distinguitur. Azor *loc. cit.* Cetera datæ definitionis declaratoria petenda ex sequentibus.

Quæstio 430. *Qualiter differat hæc pensio à reservatione fructuum, item à pensionibus domuum, prædiorum &c. beneficii?*

1. REspondeo ad primum: reservatarius fructuum plus aliquid habere videtur, quàm simplex pensionarius; unde etiam non venit sub legibus disponentibus de pensionariis: illudque majus jus, tale, quale est, concernit quandam majorem servitutem (intellige respectu Ecclesiæ seu beneficii gravati) redolentem speciem usufructûs, quàm pensio. Card. Luc. *de pens. d. 63. n. 3.* Unde usque adeo hæc inter se diversa sunt, ut qui habet mandatum ad resignandum sub reservatione fructuum, aut quotæ illorum, censeatur excedere fines suos, & ità nihil agere, si resignationi consentiat sub reservatione pensionis in justa quantitate. Lott. *l. 1. q. 35. n. 60.* quinimò tali reservationi fructuum ne quidem convenit nomen pensionis latissimè sumpto hoc vocabulo, ex quo talis, cui reservati fructus, auctoritate propriâ, & ex se fructus percipit ad instar veri usufructuarii, cui ideo æquiparatur ad distinctionem pensionarii, quod non contingit in pensione, quâ pensionarius tenetur, ùt dictum, recipere de manu alterius. Lott. *loc. cit. n. 56. juncto n. 59.* Et quamvis pensio imponatur super fructibus, hi tamen sunt in simplice obligatione, & non in solutione. Lott. *loc. cit. n. 51. & 5.* De quo plura infrà.

2. Respondeo ad secundum: Quamvis de cetero etiam pensio Ecclesiastica quoad plures effectus assimiletur usufructui, pensionisque materia reguletur secundùm eosdem terminos, quibus regulatur usus fructus, Card. Luc. *de pens. d. 68. n. 14.* Lott. *l. 1. q. 42. n. 20.* ità ut non defuerint, qui arbitrati sint pensionem esse verè usumfructum: Lott. *loc. cit. n. 21.* uti id patet potissimùm inter reliqua ex eo, quòd sicuti in usufructu distinguitur jus formale à jure causali, factâque separatione juris causalis (quod nuncupat Lott. *n. 23.* commoditatem)

ditatem) à jure formali, durante illius causâ, usufructuarius nullam ex ipso usufructu utilitatem consequatur; cùm apud eum nihil remaneat, quàm nudus titulus; ità etiam in pensione remanente illo jure formali penes pensionarium, jus causale, seu ea commoditas percipiendi possit cedi & transferri veluti quodvis aliud expositum libero hominum commercio. Lott. *loc. cit. à n.* 22. Nihilominus non idem omni ex parte juris est de pensione, quod de usufructu. Azor *loc. cit. c.* 3. *q.* 8. adeóq; ejus cũ usufructu assimilatio æquivoca est. Card. de Luc. *cit. d.* 68. *n.* 23. utì id potissimùm ex eo constat, quòd ususfructus sit in commercio nostro, secùs verò pensio, Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 35. *n.* 7. & quòd ususfructûs commercium non impediatur ex ipsius intrinseca natura, sed solùm ob jus & interesse proprietarii, secus autem sit in pensione, quæ cedi nequit alteri aut extingui cum recompensa temporali, non ob aliquod interesse Papæ (cujus consensus ad hoc omnino requiritur) sed ratione subjectæ materiæ, cujus commercium ex stylo Curiæ interdictum est. Card. Luc. *cit. d.* 68. *n.* 23. de quo infra. Item ex eo juxta Azor *loc. cit.* ex eo, quòd pensiones, quia ex bonis Ecclesiæ & fructibus beneficii conceduntur, relictæ post mortem inter spolia habentur, & ad hæredes non transmittuntur, secùs ac ususfructus, utpote qui ex bonis patrimonii conceditur: quæ num vera, statues ex dicendis infrà.

Quæstio 431. *An pensio sit onus reale?*

REspondeo, esse onus reale inhærens beneficio seu fructibus illius, ac sequens beneficium, super quo reservatum, nec non possessorem ejus fructus percipientem. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 34. *n.* 47. Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *n.* 97. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 7. *n.* 9. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 75. Unde & quantitas pensionis respicit directè rem & ejus æstimationem, nec attenditur mutatio personæ succedentis in beneficio gravato & diversitas statûs illius. Lott. *loc. cit. n.* 76.

Quæstio 432. *Quotuplex sit pensio?*

1. REspondeo primò in genere, pensionem esse duplicem, nempe aliam spiritualem, quæ clerico quà tali conceditur, adeóque in pensionario requirit statum clericalem, & officium aliquod spirituale expostulat, quale v. g. est recitatio officii B. Virginis; aliam temporalem, quæ est portio aliqua extracta ex aliquo beneficio talem statum pensionarii non requirens, concessa ob temporale aliquod ministerium exercitum vel exercendum. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. *n.* 2.

2. Secundò: Pensio alia est temporalis, seu non perpetua, quæ tantùm ad vitam pensionarii reservatur: & hæc est propriè pensio, de qua in præsenti. Alia est perpetua, quæ non est verè pensio, sed potiùs species oneris realis perpetuò infixi Ecclesiæ, ejúsque fructibus per modum canonis vel censûs, ac proinde minimè regulanda juxta terminos generales pensionum temporalium, v. g. cum regula est, ut in reservatione novæ pensionis faciendæ sit mentio antiquarum, non tamen veniat hæc species pensionis perpetuæ. Card. de Luc. *de pens. d.* 77. *n.* 12. & 13.

3. Tertiò: Alia reservata ex causa onerosa, nempe resignationis, seu cessionis in favorem alterius propter extinctionem litis, & sic in causa concordiæ vel simili. Alia reservata ex causa lucrativa, quando nimirum vacante beneficio, uni illud confertur, & alteri reservatur pensio super fructibus ejusdem beneficii, ut iste reservatarius indè commodiùs sustentari, vel studiis vacare, aut etiam titulo dictæ pensionis ad ordines promoveri valeat. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 2. *ad initium.* Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 7. *juncto n.* 10.

Quæstio 433. *Vnde, & quo jure introductus pensionum usus?*

1. REspondeo primò: Antiquioribus Ecclesiæ temporibus pensiones non adeò in usu fuêre. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11.

2. Resp. secundò: Sed neque hunc usum pensionum Ecclesiasticarum à jure positivo seu canonico introductum, neque tamen etiam ab eo rejectum, (de quo *q. seq.*) sed potiùs ab eo non agnitum, tradit Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 9. ex Gabriel. *conf.* 191. *n.* 1. *l.* 2. asserente, super materia pensionum non haberi leges canonicas; licèt enim in aliquibus earum fiat mentio pensionum, eas tamen loqui de pensionibus non nisi latissimè sumpto hoc vocabulo, non verò de pensione per Papam ad vitam alicujus pro alimentis reservatâ, & speciatim *c. audivimus. de collusion. deleg.* si attentiùs legatur, non loqui de hac pensione, sed de præstatione voluntaria ex causa confictæ transactionis sinè aliquo Papæ assensu, & sic inefficaci, ait Lott. *loc. cit. n.* 10. Servatum igitur potiùs hunc usum à jure quodam commentitio, non ità dicto, quasi id falsum, vel etiam fictitium, sed quia non à lege aliqua, vel à Principe aliquo constitutum vel positum sit, sed simpliciter citra ullam constitutionem ab antiquo tempore relictum asserit *ibid.* Lott. *n.* 11. Idem sentit Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 21. *q.* 5. dum ait, reservationes pensionum usu tantùm, & jure novo esse introductas.

3. Respondeo tertiò: Ratio verò, unde dictum jus commentitium profluxit (quippe talis juris commentitii non ità difficulter reddi potest ratio, secùs ac contingit in jure positivo, dum vix fieri potest, ut, quod sinè lege recipitur, recipiatur etiam sinè ratione. Lott. *num.* 12.) sive ratio istius introductionis pensionum fuit, ut commodiore sustentatione egentibus provideretur de eo, quòd alteri, nempe titulari, superabundaret. Lott. *n.* 13. Barbos. *loc. cit. n.* 54.

Quæstio 434. *Vtrum reservatio pensionis sit honesta & licita, an verò sit contra ordinem naturæ & charitatis: item contra canones & jus positivum?*

1. REspondeo primò: Quamvis beneficia Ecclesiastica sinè diminutione sint conferenda, ùt dicit Innoc. *c. unic. eod. tit.* ex causa tamen honesta potest imponi pensio solvenda ex reditibus beneficii. Paris. *l.* 6. *q.* 2. citans Abb. Felin. & AA. communiter *in c. ad aures. de rescrip.* citatum verò caput illud unicũ vetat solùm, ne collator redituum partem quasi paciscendo sibi reservet, & ea ratione beneficia cum diminutione conferantur. Paris. *ibid. n.* 2. ità dictum textum interpretante. Sic itaque licitum & honestum est reservare pensionem, dum duas hasce causas habet, nimirum unam ex parte reservatarii, ut scilicet is egeat, alteram ex parte illius, qui pensione gravatur, ut ei sint reditus super-

superflui Ecclesiastici, ait Lott. *l. 1. q. 36. n. 42.* Siquidem omnino justum & sanctum est, ex superfluis ab uno auferre, ut detur egenti, per eum, cui redituum Ecclesiasticorum absoluta est administratio, dum etiam aliàs clerici ad horum redituum superfluorum in pauperes erogationem tenentur. *c. sicut. 8. dist. 47.* Lott, *n. 43.* Unde jam

2. Respondeo secundò: Non est contra naturæ & caritatis ordinem ex eo, quòd victus de altari subtrahatur servienti altari, & applicetur non laboranti, dum nimis durum & irrationabile videtur, ut, cùm pensionarius in Ecclesia non laboret, neque servierit, nihilominùs ex ea metat, & fructus sinè labore manducet; nam quatenus beneficiatus servit altari, ei relinquitur, quod ei sufficit ad victum & ultra: nec queri justè potest de insufficientia, cùm semper præcaveat Papa, ut congrua titulari pro ejus sustentatione, detractis etiam oneribus præstandis, remaneat, quæ congrua seu congruentia vivendi non pendet à proprio affectu (qui ùt in homine est inordinatus, ùt Seneca *3. de benef. c. 3.* ità perpetuò est contrarius æquitati *c. ult. de elect. in 6.* faciléque resolvitur in cupiditatem, neque satietatem, neque ullum admittit finem, *c. sicut ij. d. 47.*) sed ab æstimatione & arbitrio moderatoris reipublicæ, cujus præcipua cura est, modum ponere sumptibus cujusque privati; cessante insuper hac amaritudine propter adhibitum consensum titularis, qui ideo non potest allegare, se esse circumventum. Lott. *loc. cit. n. 49. 51. & 52.*

3. Respondeo tertiò: neque est contra canones seu jus positivum, Lott. *cit. q. 36. n. 45.* contra Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 2. n. 4.* & Hostiens. *in c. ad audientiam de rescrip. n. 2.* censentes, hunc usum esse reprobatum à jure, præcipuè propter illud edictum: beneficia sinè diminutione conferantur. Non primò contra textum *Clem. 2. de relig. domib.* ex eo, quòd per hujusmodi pensionum reservationes distincta ad pium usum in alium convertantur, quod vetat citatus textus; dum ad istiusmodi reservationes requiritur auctoritas Apostolica, quæ per citatum textum intacta in hoc reservatur, ibi: *salvâ quidem Sedis Apostolicæ auctoritate.* Lott. *n. 54.* Non secundò contra *c. exstirpandæ. de præb.* siquidem textus ille simpliciter prohibet, dismembrari fructus ab Ecclesia parochiali, per quam dismembrationem ipsa efficiatur alterius Ecclesiæ censuaria, quod non convenit terminis pensionis. De illius autem dismembrationis justitiâ agemus alibi. Lott. *cit. q. 36. n. 3.* Non tertiò contra *c. prohibemus. de censibus.* nam ibi prohibentur duo: nempe Ecclesiam fieri alterius Ecclesiæ censuariam, & collatorem partem fructuum sibi appropriare; in pensione autem neque Papa sibi applicat fructus, neque constituitur unum beneficium censuarium alterius, siquidem gravatur solùm Rector beneficii in certa pecuniæ quantitate, quod non pertinet ad gravamen Ecclesiæ, nisi quis tropicè loquatur. Lott. *nu. 4.* Non quartò contra *c. audivimus. de collusione deteg.* nam per textum illum non prohibetur usus, sed abusus, non pensio, sed collusio, quâ nimirum duo inter se colludunt, uno sustinente se super beneficio ab alio molestari, ut sic cedenti ex causa transactionis reservetur pensio annua. Lott. *n. 6.* Non quintò contra *c. unic. ut benef. sinè diminut. conferantur*, quia id locum non habet in pensione ùt vidimus. Lott. *n. 5.* Non extò contra *c. majoribus. de præb.* ubi prohibetur, ne beneficia scindantur, quia pensionum reservatio non infert beneficiorum divisionem. Lott. *loc. cit. n. 47.* Atque ità contra Paul. Roman. *in tr. de pens. c. 8. n. 22.* Gig. *eod. tr. q. 96. n. 1.* & alios variis dicteriis pensionum usui invidiam conciliantes concluditur cum Lott. *n. 55.* illum in se amarum nihil aut dissonum juri in se continere, secùs ac fortè de reservatione omnium fructuum dici posset, tametsi & in hac causa honestatis prævaleat. ùt Lott, *n. 56.* Nihilominùs magis adhuc in specie sit

Quæstio 435. An licita sit pensio in favorem resignantis sic volentis & non aliter, beneficio resignato imposita à Papa?

Respondeo affirmativè. Azor *p. 2. l. 7. c. 21. q. 5.* Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 2. n. 1.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 67.* citans Abb. Anan. Felin. *in c. non satis. de simon.* Tametsi enim resignatio debeat esse pura & libera, *c. ex parte il. 1. de off. deleg. & ibi* DD. communiter, id tamen intelligitur, nisi Papa aliter deposuerit, siquidem factum Papæ in hoc puncto tollit omne vitium simoniæ, prout de jure & stylo inveterato attestatur Nav. *in man. c. 23. n. 107.* Paris. *loc. cit. n. 68. & 69.* Proceditque ipsum, etiamsi ante resignationem inter resignantem & resignatarium de solvenda annuatim pensione præcesserit tractatus, ità ut secutâ dein resignatione, impletâque hac conditione vitium nullum simoniæ etiam mentalis remaneat. Paris. *loc. cit. n. 70.* citans Felin. *in c. ad audientiam. il. 2. de rescrip. n. 3.* Gamb. *de pot. leg. l. de pension. n. 116. n. 1. &c.* ac subdens *n. 71.* quod nisi Papæ auctoritas redderet istiusmodi resignantes rutos, immineret laqueus valde universalis, ùt Redoan. *de simon. p. 2. c. 13. n. 7.* dum quotidie fiunt tales resignationes in manibus Papæ, & conceduntur resignantibus pensiones, Papâ sciente saltem in genere, quòd ambæ partes inter se tractaverint. Sed neque tractatus de renunciando certo modo est prohibitus, sed solùm pactio firma; præcipuè, si apponatur clausula: *si Sanctissimo placuerit:* & ità nihil concludatur in hoc tractatu, vel si concludatur, remittatur Papæ. Paris. *n. 72. & 73.* citatis pluribus. Et sic hodiedum permissos esse hujusmodi tractatus de stylo, ut in mandato & supplica dicatur, quòd renunciet reservatâ pensione, & hoc toleretur à Papa, tradit Paris. *n. 75.* unde, si quandoque in literis apponatur: *modò non præcedat prius pactio privata:* id intelligitur, ut non detur pecunia, Paris. *cit. n. 75.* ex Præposit.

Quæstio 436. Num odiosa, an verò favorabilis sit pensionum reservatio?

1. Respondeo, minimè odiosam esse. Sequitur ex respons. *ad qq. præced.* dum enim duplici dictâ causâ honestatur, & uni communi nullatenus contrariatur, sed potiùs valde congruit, odiosa minimè dici potest, præcipuè ubi concurrit consensus illius, qui videbatur gravari (quod ipsum esse de forma, dicetur infra, & in quod oculos perpetuò defigit Papa, ùt ait Lott. *cit. q. 36. n. 46.*) ità ut abstersâ omni odii consideratione judicetur absolutè dispositio favorabilis. Lott. *loc. cit. n. 42. juncto n. 46.*

2. Contrarium nihilominus, nempe impositionem pensionis esse odiosam, quia est contra jus, tenet

tenet Corrad. *l. 5. c. 2. n. 4.* idem asserit Paris. *l. 6. q. 2. n. 5.* pensionem odiosam, quia imponit servitutem beneficio. citans pro hoc Sarn. *ad reg. de infirm. q. 16.* Item *n. 84.* dicens materiam pensionis strictam, odiosam & pœnalem esse. Distinguunt alii, ità ut velint pensionem ante concessionem, dum illa in esse deducitur, odiosam, post concessionem, quando jam in actum deducta, favorabilem dici. Bursat. *cons. 126. nu. 90.* apud Corrad. *loc. cit.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 6. procem. n. 21.* citans Gig. *de pens. q. 94. ad initium.*

Quæstio 437. Quænam sit causa formalis & materialis impositionis pensionum?

1. REspondeo ad primum: Causa formalis est concursus consensûs titularis & auctoritatis Papæ; nam neque sinè illo consensu Papa reservat pensionem, neque consensus ille partium sinè auctoritate Papæ præstat aliquid. *l. 1. q. 35. n. 65. & 66.* De quorum utroque in sequentibus.

2. Respondeo ad secundum: Causa materialis pensionum est dicta quantitas fructuum, vel, ùt Lott. *loc. cit. n. 52. & 53.* quantitas certa pecuniarum; eò quòd, quamvis pensio imponatur super fructibus & emolumentis beneficii, fructus tamen hi sint in simplice obligatione, non autem in solutione. De quo infrà.

Quæstio 438. Quæ sit causa impulsiva & finalis reservationis pensionum?

1. REspondeo ad primum: Causas impulsivas, quibus Papa impellitur ad reservandam pensionem, de qua hìc sermo, duas solùm principales assignat Lott. *l. 1. q. 35. n. 45.* nempe resignationem, sive simplex ea sit, sive sit pro concordia, & contingentem novam vacationem beneficii, utpote, quæ non intenduntur ùt finis, sed quæ simplicem solùm occasionem præstant reservandi Pensionem, & ad quas omnes aliæ reducuntur, vel, si quæ sunt aliæ huc non reducibiles, hæ terminos hujus resignationis excedunt. Lott. *loc. cit. n. 46.* Idem ferè volunt alii, dum duplicem statuunt causam pro pensione Ecclesiastica (etsi eas non vocent impulsivas) unam onerosam, dum alicui sub onere aliquo pensio conceditur, v. g. quia beneficium resignat, vel permutat cum altero tenuiori, vel quia cedit liti & juri prætenso. Alteram lucrativam, sub qua comprehenditur ferè omnis alia causa concedendi alicui ex alieno beneficio pensionem, v. g. quia bene meritus est de Ecclesia, vel quia is, aut ejus consanguinei servitium aliquod vel obsequium præstiterunt, in cujus obsequii gratitudinem pensio conceditur, Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 2. n. 1.* Azor *p. 2. l. 7. c. 21. q. 6.* Paris. *l. 6. q. 2. à n. 7.* quin etiam *ibid. n. 130.* ex Paul. Rom. *tr. de pens. q. 1. n. 1.* causarum illarum impulsivarum comprehensarum sub causa lucrativa quatuor enumerat: nempe literaturam, sive quia quis literatus est, seu studiis vacat: hospitalitatem, seu quia quis hospitalitatem exercet: præmium & amorem, additque in usu esse has, morum & vitæ honestatem, aliáque laudabilia.

2. Respondeo ad secundum: Causa propriè finalis in utraque illa causa impulsiva semper est unica, nempe alimentorum suppeditatio. Lott. *cit. n. 46.* Card. de Luc. *de pens. d. 19. n. 11.* ubi pensio reservata seu assignata dicitur pensionarii alimentis, quorum naturam habere dicitur, & quorum jure regulatur. Quotiescunque enim Papa providet alicui sub reservatione pensionis, sive ex causa simplicis resignationis, sive ex causa cessionis jurium pro concordia, aut simpliciter pensionem reservat, tam in supplicatione quàm in procœmio literarum inserit clausulam expressivam causæ hujus alimentorum. Lott. *n. 47.* nam in casu cessionis seu resignationis, etiam ex concordia, hæc clausula concipitur per hæc verba: *ne ex cessione tua hujusmodi nimium patiaris detrimentum, &c.* &, cùm ex natura subjectæ materiæ id referatur ad pensionem clerici dimittentis beneficium vel jus in eo, præsefert intentionem Papæ eam reservandi in causam alimentorum, ùt Gabriel *cons. 187. n. 11. l. 2.* Lott. *cit. n. 47.* Paris. *cit. q. 2. n. 11.* In alio verò casu simplicis reservationis, cùm vacat, vel providetur beneficium, inseritur hæc clausula: *ut commodiùs, vel ut decentiùs sustentari valeas, &c.* Paris. *n. 8.* Lott. *n. 50.* Et quidquid sit de hac clausula inserta legatis vel aliis privatorum dispositionibus, in hac materia pensionis adjecta in supplicatione, & in literis Apostolicis causam alimentorum necessariò infert. Lott. *cit. n. 50.* citans Gig. *de pens. q. 51. n. 20.* & Rotam *decis. 99. n. 1. p. 1. recent.* unde jam concludit Lott. *n. 51.* quidquid sit in aliis anomalis pensionibus, in pensione, de qua hìc, non cadere distinctionem, an reservata ex causa alimentorum, vel secus; cùm hæc causa alimentorum vi dictarum clausularum semper sit implicita, quantumcunque non facta mentio expressa de alimentis; citátque pro hoc Riminald. *cons. 298. n. 11. & 13.* idque præcipuè, cùm gratia pensionis facta est clerico, ùt Gabriel *cons. 191. n. 9. l. 2.* apud eund. Lott. *loc. cit.* atque ità causa pensionis semper est pia; cùm causa alimentorum dicatur pia. Paris. *cit. q. 2. n. 9.* citans Gig. *de pens. q. 96.* De cetero, num sinè causa validè, etiam à Papa, reservetur pensio, dicetur infrà.

Quæstio 439. An pensio sit quid spirituale?

1. REspondeo primò: Supponendo, quæstionem præcedere non de pensione, quæ datur in titulum beneficii, nempe quando certa pensio extrahitur ex pingui beneficio, ut deinceps sit beneficium Ecclesiasticum; sed de pensione, quæ simpliciter constituitur ad tempus super fructibus beneficii, & assignatur alicui auctoritate Superioris. Hoc suppositio,

2. Respondeo secundò: AA. planè non convenire in eo, num pensio ista sit quid spirituale. Utriusque sententiæ faurorum fundamenta & ferè verba proponam. Primò Garc. *p. 1. c. 5. n. 8.* tradit, pensionem illam (subintelligendum videtur: etiamsi de cetero constituatur super fructibus beneficii alicujus) quæ titulo sæculari & utì laico assignatur in stipendium pro servitio temporali, puta, pro patrocinio, pro pulsandis campanis, vel aliàs pro remuneratione laborum esse omnino profanam; pro quo citat Gig. *de pens. q. 67. n. 2.* Duaren. *de benef. l. 6. c. 4.* Mand. *ad reg. 19. cancell. q. 11. n. 2.* Pensionem verò illam, quæ hodie est in usu, nempe quæ loco beneficii assignatur (intellige absque eo, quòd ipsa sit, aut inducat rationem beneficii, aliud enim est assignari illam tanquam beneficium, & aliud succedere illam in locum, seu loco beneficii) ut commodiùs quis sustentari valeat, vel ex causa resignationis, ne ex ea nimium dispendium patiatur (quam proinde Mandos. *loc. cit.* malè vocat illam, quæ datur in titulum

titulum; de pensione enim datâ in titulum beneficii, eam esse quid spirituale, non dubitatur ab AA. oppositæ sententiæ, ùt videre est apud Less. *de just. l. 2. c. 55. n. 114.*) non esse quid merè temporale, sed potiùs esse spiritualem aut spirituali annexam, dependenter seu consequenter instar beneficii asserit Garc. *loc. cit. n. 10.* eò quòd, sicut beneficium, prærequirat & præsupponat clericatum, & ideo dicatur spiritualis seu spirituali annexum dependenter. Insuper, ùt Garc. *n. 17.* quia ex Constitut Pij V. obligatur pensionarius ad recitandum officium B. Virginis, exinde etiam dicatur pensio annexa spirituali hac ratione, quia ùt Nav. *de restitut. l. 2. c. 2. n. 200.* jam datur propter officium sicut beneficium; adeóque post hanc constitutionem, ùt Henriq. in sum. *l. 13. c. 13. §. 2.* jam pensio detur titulo Ecclesiastico. Pro hac sententia Garc. *n. 18.* citat Navar. *in man. c. 21. n. 111. & cons. 63. n. 59. de simon.* Vegam *in respons. casuum. cas. 37.* Eman. Rodriq. *in sum. to. 2. c. 21. n. 7. & 8.* Vivald. *in append. ad candelab. aureum. c. 1. n. 33. Redoan. &c.* & Rotam *in Britonorien. commendæ 12. Decemb. 1588.* Ac denique *n. 20.* hinc infert Garc. citatis pro se quamplurimis pensionem istam non posse pecuniâ redimi, nec pretio transferri sinè simonia, si id fiat sinè auctoritate Papæ. Idem cum Garc. tenet Paris. *l. 6. q. 4. n. 54.* ubi ait: hodie Rota tenet, pensionem non esse quid profanum, sed spirituali annexum.

3. Contrarium, nimirùm pensionem non esse quid spirituale, tenent Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 25.* ubi expresè de illa pensione ait: *Pensio est quoddam jus temporale separatum formaliter, & per se distinctum ab ipso beneficio.* Card. Luc. *de pens. d. 63. n. 7.* ubi inquit: *Pensio non tangit spiritualitatem beneficii, neque in eo aliquod jus in re, aut ad rem tribuit, sed solùm percutit temporalitatem fructuum*: & *d. 78. n. 10.* ubi: *Pensio est quid temporale, non autem spirituale, utpote super fructibus, non autem super Ecclesiæ rectoria vel administratione, & consequenter de ejus natura etiam laici sunt capaces; & quamvis clericatus sit necessarius, adeò, ut eo cessante cesset pensio; id tamen provenit ex stylo Curiæ non reservandi pensiones, nisi pro clerico. &c.* In idem inclinat Azor *p. 2. l. 8. c. 5. q. 6.* ubi ait: *Communis est omnium juris canonici interpretum sententia, pensionem non esse jus aliquod spirituale, aut rei spirituali annexum, sed commodum quoddam temporale, seu jus quoddam profanum per se à beneficio distinctum & sejunctum, eò quòd beneficium Ecclesiasticum non sit, nec conferatur jure & ratione ministerii spiritualis, sed in vitæ subsidium: & certè pensionem rem esse profanam, sæpius in Rota judicatum fuisse,* testatur Gamb. *de offic. Leg. l. 6. n. 633. sic etiam esse jus quoddam temporale formale à beneficio per se separatum, dicitur in decis. 425. p. 1. recent.* Idem docent Anchar. Card. Imol. *in clem. 1. de suppl. negl. prælat.* Ità quoque Gig. *de pens. q. 7. n. 2. q. 16. n. 1. q. 99. n. 7.* ubi allegat Bald. Felin. & alios idem sentientes. *At verò pensionem non esse rem seu jus profanum, sæpe hoc nostro tempore responsum esse in Rota,* tradit Paris. *l. 6. q. 4. n. 54. Item esse jus rei spirituali annexum ùt consequens,* ait Nav. *to. 1. cons. 52. de præb. Non esse rem profanam,* sentit etiam Gamb. *loc. cit. n. 54. Sunt quoque pensioni multa cum alio quovis jure rei spirituali annexo communia. Ego tamen, ut valde probabile judico, pensionem jus esse simpliciter non sacrum, hoc est, non convenire clerico, cui datur ob officium & ministerium sacrum, quoniam datur ùt alimentum, & in subsidium vitæ, non ratione alicujus spiritualis ministerii; quia tamen est portio quædam ex beneficiis fructibus detracta, ideo voluerunt Pontifices, ac usus ac consuetudo recepit, ut non detur nisi clericis, nec absque Papæ auctoritate conferatur, redimatur, aut transferatur, & ut per matrimonium extinguatur, & ut ex ea solvatur annata; denique ut habeat multa cum beneficio communia, & propterea si quis contendit, pensionem, quæ datur alicui, quia clericus est, esse jus rei spirituali annexum ùt consequens, valde probabiliter loquitur; imò nunc hæc sententia videtur communi consensu recepta, & meo judicio vera.* Ità verbotenus Azor, quem vides, dùm per ultima verba inclinat potiùs in spiritualitatem pensionis, vim omnem facere in *tò clerico ùt clerico*, seu quia clericus est, Omnium expressiùs pro temporalitate pensionis stat Lott. *l. 1. q. 44. n. 15* ubi ait: quòd pensio in substantia & quò ad effectum, ut ipsa ab initio debita transeat ad hæredes. reputetur quid merè profanum, reguletúrque secundùm terminos usufructûs in rebus profanis; citat pro hoc G. g. *de pens. cons. 4. n. 4.* & Rotam *in Aquilegien. fructuum. 14. Jun. 1599.* Item *l. 1. q. 42. n. 37.* dicens, pensiones propiùs accedere ad contractus profanos, quàm reliqua Ecclesiastica; pro quo citat Gomes. *ad reg. de infirm. q. 16. circa finem.* Et fusiùs *l. 3. q. 29. à n. 76.* ex fundamento id resolvens, dum ait: Dum agitur de crimine simoniæ, supponendum necessariò, subjectum pacti seu pactationis nullum aliud esse, quàm rem spiritualem, aut spirituali annexam. Difficultas autem est in eo, quid in hac materia dicatur spirituali annexum. Et scribentes *in c. quæsitum, de rer. permut.* id intelligunt de connexione, quæ inseparabilitatem inducit, adeò ut pro constituenda hujusmodi annexitate in re illa, quæ de per se æstimatur temporalis, contemplemur simplex jus incorporale, ad effectum, ut possit permisceri rei spirituali, quæ & ipsa incorporalis. Tale est jus patronatûs, cùm in eo detur ista inseparabilis connexio hujus juris cum jure spirituali ipsius tituli beneficialis, & hinc circa jus patronatûs committitur simonia, circa alia autem, in quibus non datur ista annexio, sed duntaxat quædam contiguitas, sive adhæsio, etiamsi sint incorporalia, simonia non committitur, cujusmodi est pensio; nam illa est quidem jus incorporale, at minimè annexum beneficio annexione inseparabili, & unius entis constitutiva; ad hunc enim effectum necesse est jus illud spirituale subjici tanquam materiam alteri juri incorporali velut formæ, quæ in ea vivat, ùt probat D. Tho. *2. 2. q. 100. a 1. ad 6.* utì contingit in jure patronatus; illi enim subjicitur beneficium, quod est jus spirituale, in quo vivat, & quo destructo quoque destruitur. Quod minimè trahendum ad pensionem, cujus subjectum non est beneficium seu titulus beneficialis, ùt malè existimavit Navar. *in man. c. 23. n. 111. & cons. 60. n. 1. de simon.* unde & intulit, committi circa pensiones simoniam, cujus sententiam probârunt aliqui apud Paris. *l. 6. q. 4. n. 54.* & Garc. *p. 1. c. 5. n. 19.* maximè nixi auctoritate Rotæ *Britonorien. commendæ 12. Decemb 1588.* Verius enim est, nullum aliud esse subjectum pensionis, quàm fructus beneficii, pro ut sunt distincti & separati ab ipso beneficio (ùt idem Lott. *l. 1. q. 39. à n. 37.*) & per consequens in mera temporalitate consistere absque ulla spiritualitate, cùm, utcunque reputetur onus reale, subjectum illius oneris non sit ipsum beneficium (ùt idem Lott. *cit. q. 39. n. 73.*) unde adhæret quidem rei spiri-

spirituali, sed non dicitur ei annexa inseparabiliter; tametsi enim titulus beneficialis extinguatur per suppressionem vel unionem, adhuc pensio integra remanebit, non secus ac vice versâ extinctâ pensione non extinguitur beneficium. Quapropter, ut Lott. *n.* 88. citans pro hoc Rebuff. *tr. de pariſ. poſſeſ. n.* 132. Gig. *de penſ. q.* 1. *n.* 1. *& q.* 21. *ad initium. & q.* 99. *n.* 6. *&* 7. *&c.* si ineatur pactum super pensione jam reservata, nec tangatur beneficium, pactio non erit simoniaca, præterquam si pensio esset concessa in titulum beneficii, ut distinguit *n.* 89. cum Bursat. *conſ.* 178. *n.* 28. & Less. *de juſt. l.* 2. *c.* 55. *n.* 114. Constituere verò spiritualitatem in pensione ex eo, quia reservetur clericis, & his imponatur obligatio recitandi officium B. Virginis; Lott. *n.* 90. dicit esse meram vanitatem; cùm jus spirituale longè aliter æstimetur: utì se ostendisse ait, *l.* 1. *q.* 9. *n.* 5. & præcipuè *n.* 14. siquidem nec onus psallendi in choro causat spirituale aliquod jus, nisi sit canonicè institutum, ut tale esse debeat. Neque præbenda, quæ pro istiusmodi munere præstando assignatur, reputatur spiritualis, quo minùs sit expers simoniæ, ut Lott. *n.* 91. Porrò ad illud, quod Rebuff. *loc. cit. n.* 13. subdit, pensionem esse connexam cum beneficio, sicut jus patronatus, ac propterea non posse vendi, respondet Lott. *n.* 95. eum loqui de annexione cohæsivâ, & in ordine ad nullitatem actûs venditionis, non autem in ordine ad crimen simoniæ. Proinde se mirari ait, *n.* 92. qualiter sic ex simplice auctoritate Rebuffi & Probi contrarium pronunciârit Rota *in dicta Britonorienſ. commenda.* Ac denique ad illud, quod censet Mand. *de ſignat. grat. tit. de extinct penſ.* posse fieri hanc extinctionem auctoritate Papæ, quia illa excludat omnem labem simoniæ, ait Lott. *n.* 96. illam quidem auctoritatem esse necessariam ad hanc extinctionem; non tamen pro abstergenda labe simoniæ, nisi eatenus, quatenus processerit pensio ex causa resignationis vel alia, ex qua possit argui pactio circa ipsum beneficium cedendum; & ità intelligendos omnes illos, qui nimis effuso sermone pronunciârunt, redimentem pensionem sinè auctoritate Papæ committere simoniam. De quo vide plura infrà, ubi de redemptione pensionis.

Quæſtio 440. *An penſio Eccleſiaſtica ſit verè ac propriè beneficium?*

1. REspondeo primò: ea, quæ verè datur in titulum, dum nimirum, ut dictum, certa pensio extrahitur ex pingui beneficio, ut deinceps sit beneficium, propriè ut beneficium, & beneficii appellatione venit, nec refert, quòd pensio appelletur, quia non est vis in nomine. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 5. *q.* 5. Garc. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. citans Redoan. *de ſimon. p.* 2. *c.* 14. *n.* 18. Covar. *pract. qq. c.* 36. *n.* 10. Navar. *conſ.* 11. *de reſtitut. in fine.* Suar. *to.* 5. *de cenſ. d.* 15. *ſ.* 1. *n.* 7. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *§.* 5. *&c.*

2. Respondeo secundò: Ea, quæ ex fructibus assignatur alicui ob ministerium temporale, quod præstat Ecclesiæ seu clericis, v.g. quia curam habet pulsandi campanas, vel docendi pueros Grammaticam, vel cantum Ecclesiasticum, vel obeundi munus Advocati vel Procuratoris, nullatenus est verè beneficium, dum nequidem statum clericalem in pensionario requirit. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. *§.* 1. *n.* 3. Barbos. *juris Eccleſ. l.* 3. *c.* 11. *n.* 16. Garc. *loc. cit. n.* 18. *in fine.* contra Vegam *in reſponſ. caſ. caſ.* 37. citatum ab eod. Garc.

3. Respondeo tertiò: Ea pensio, quæ conceditur loco beneficii, seu quæ datur alicui clericò ob beneficium ab eo simpliciter, vel in favorem resignatum, vel cum altero beneficio tenuiore permutatum, vel ob litem & controversiam renunciatam vel omissam, ne nimium dispendium patiatur, vel etiam, quæ reservatur clerico simpliciter ex alieno beneficio, ut indè commodiùs sustentetur, talis inquam pensio (etsi regulatur jure beneficiorum, C. Luc. *de penſ. d.* 49. *n.* 4. *& d.* 42. *n.* 3. sintque multa illi cum beneficio similia, puta, quòd non detur laico, non constituatur, nec transferatur, nisi auctoritate Papæ, Lott. *l.* 1. *q.* 37. *n.* 17.) non est verè ac propriè beneficium. Lott. *cit. num.* 17. item *ibid. num.* 1. dicens, materiam pensionis nihil commune habere cum beneficio, *&* *n.* 14. dicens, pensionis Ecclesiasticæ materiam non pertinere ad materiam beneficialem. Azor *p.* 2. *l.* 8. *q.* 5. *n.* 4. dicens esse communem omnium DD. sententiam, pensionem minimè contineri appellatione beneficii Ecclesiastici. *&* *l.* 3. *c.* 5. *q.* 2. ubi: communi omnium consensu receptum est, annuam pensionem Ecclesiasticam non esse beneficium. citat pro hoc Abb. & Felin. *in c. ad audientiam. de reſcrip.* Selv. *de benef. p.* 1. *q.* 3. *n.* 10. Gomes. *ad reg. de infirm. q.* 16. Mandos. *ibid. q.* 11. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. *§.* 1. *n.* 4. citans Tolet. *in ſum. l.* 5. *c.* 82. *n.* 2. Item Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *§.* 5. *n.* 1. citans Hojed. *de incompat. p.* 2. *c.* 7. *n.* 4. Rebuff. *tr. de nominat. n.* 39. *&c.* ac subdens *n.* 3. idem procedere, sive pensio detur in titulum, ut communiter fieri solet, quando reservatur super fructibus beneficii in favorem alicujus clerici ad vitam illius (per quæ verba satis indicat, se per dationem in titulum non intelligere ipsum titulum beneficialem, seu erectionem illius in titulum) sive detur in stipendium, puta, pro patrocinio præstando, pro negotiis sollicitandis, &c. Item hanc negativam tenent Pariſ. *de reſign. l.* 2. *q.* 15. *n.* 11. ubi: *penſio non ſapit titulum beneficialem, nec eſt beneficium Eccleſiaſticum.* & *l.* 11. *q.* 4. *n.* 31. Garc. *loc. cit. n.* 6. citans præter citatos ab eo pro *reſponſ.* 1. *ad hanc q.* Quintadv. *Eccleſiaſtic. l.* 1. *c.* 3. *n.* 13. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 4. *n.* 1. quin & expressè Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 48. ait, quòd etiamsi pensio sit quid spirituale, adhuc tamen non sit verè ac propriè beneficium, nec veniat nomine beneficii. Item Barbos. *juris Eccleſ. l.* 3. *c.* 11. *n.* 52. dicens: pensionem istam à beneficio differre non solùm nomine, sed etiam naturâ, quin & effectu; ac *n.* 8. citans pro hoc Filliuc. *de ſtatu cleric. tr.* 42. *de penſ. c.* 1. *n.* 8. Ugol. *de off. Ep. c.* 26. *§.* 14. Riccium, &c. quamvis idem Barbos. *ibid. n.* 16. dicat sententiam affirmativam, quòd pensio sit beneficium, intelligi seu procedere, de pensionibus, quæ dantur in titulum clericis, scilicet ut commodiùs sustentari valeant, vel ex causa resignationis, ne ex ea nimium detrimentum patiantur. Contrariam sententiam tenentibus Gamb. *de off. leg. l.* 6. *n.* 309. Paul. Rom. *de penſ. c.* 6. *n.* 34. Barbatiâ *in c. ad audientiam. de reſcrip. apud* Castrop. *loc. cit. n.* 3.

4. Ratio responsionis nostræ desumitur primò ex *c. quamvis. de præb. n.* 6. ubi dicitur: *non in penſione, ſed in beneficio tantùm volumus providere. &c.* adeóque pensionem & beneficium contra distinguit hic textus. Azor, Castrop. *ll. cit.* Item ex Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. ubi postquam statuisset, ut nemo clericus sæcularis promoveatur ad ordines, nisi qui priùs consecutus beneficium Ecclesiasti-

cum sufficiens, subjungit: *Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari post hæc non possint*: adeóque distinctionem facit inter beneficium & pensionem. Castrop. *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. n.* 10. quamvis is subjungat, ad hoc responderi posse; Concilium facere hanc specialem prohibitionem non ob id, quòd pensio dici non possit saltem latè beneficium Ecclesiasticum, sed ne nimiùm crescceret ordinandorum numerus. Item hoc ipsum ex eo videri probari, ait Barbos. *loc. cit. n.* 11. quòd pensionarius ratione pensionis etiam clericalis & in titulum datæ, non teneatur divinum officium (quod magnum dicitur, & ad quod aliàs omnes beneficiati tenentur) recitare, sed tantùm ad officium B. Virginis. Petitur secundò ratio ex ipsa natura beneficii seu rei; siquidem pensio hæc non est jus spirituale perpetuum percipiendi fructus ob ministerium spirituale: tum quia pensionarii vitâ finitur & extinguitur velut usus fructus; neque in ea datur successio, secùs ac in beneficio, quod morte beneficiati non extinguitur, sed vacat, ut per alios deinceps possideri queat: tum quia juris pensionis spiritualitas (gratis dato, quòd aliqua ei insit) & beneficii est diversa, quia beneficium semper fundatur in spirituali officio & ministerio; at spiritualitas pensionis non in officio, sed in personæ tantùm qualitate (intellige clericali) fundatur; non enim pensio concessa in titulum datur propter officium spirituale, tametsi illius obligatio (nempe recitandi officium B. Virginis) detur ex lege, sed datur in subsidium vitæ. Ità Castrop. *loc. cit. n.* 4. Maximam quoque distinctionem pensionis à beneficio ex utriusque causis tam intrinsecis, quàm extrinsecis ostendit Lott. *l.* 1. *q.* 37. *à n.* 14. nam causa efficiens beneficii non tantùm est Papa, sed & Episcopus, & quicunque habens Episcopalem jurisdictionem; pensionis verò solus Papa, Lott. *cit. n.* 14. causa finalis beneficii est retributio pro officio divino, quo fungitur beneficiatus; pensionis verò alimentorum suppeditatio, quamvis ea nonnunquam non sit simplex, sed respectiva ad gradum & dignitatem personæ pensionarii tenendum & conservandum. Lott. *loc. cit. n.* 15. Causa materialis beneficii sint fundi & reditus Ecclesiastici, eorúmque administratio; pensionis verò certa quantitas pecuniæ ab illis separata. Lott. *n.* 16. Causa formalis beneficii est reductio profanæ materiæ ad spiritualitatem; pensionis verò est auctoritas Papæ & consensus titularis. Lott. *n.* 17. *&* 18. Unde concludit asserens, pensionem multas præterea differentias extrinsecas, seu desumptas ab effectibus diversis, quos inducit beneficium præ pensione, passim congerunt AA. de quibus in sequentibus.

5. Neque in contrarium facit primò textus *cit. c. ad audientiam*, ubi dicitur: *recipientes ab iis annuas pensiones seu alia beneficia &c.* terminus autem sive pronomen *alius* in jure similia denotat, seu repetit, ùt videre est apud Castrop. *loc. cit. n.* 3. nam tametsi dictus terminus in LL. sæpe similia repetat, non tamen semper similitudinem continet, aut eandem qualitatem ampliat; præsertim cùm ex subjecta materia aliquid absurdi indè sequeretur, ùt constat ex illo *Matth.* 28. *& Marc.* 15. *Crucifixi sunt cum eo (nempe Christo) & alii duo latrones.* Azor *loc. cit. q.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 5. citans Gl. *in c. sedes. verb. majores. de rescrip.* & ibi Imol. *n.* 11. Felin. *n.* 8. & Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 20. *n.* 8. Neque facit secundò, quòd pensio subrogetur in locum beneficii; subrogatum autem in locum alterius, ejus vim & naturam sortiatur. Nam id non est simpliciter verum, præcipuè, cùm ex ipso jure constat apertè, subrogatum esse alterius naturæ, quemadmodum hujus in præsente materia manifestum est exemplum in patrimonio, quod in ordine ad suscipiendos ordines loco beneficii subrogatur, cùm tamen nullatenus sit beneficium. Azor, Castrop. *ll. cit.*

Quæstio 441. *An quis initiari possit sacris ordinibus titulo pensionis?*

REspondeo: Posse aliquem jure communi promoveri titulo pensionis ad sacros ordines, modò ea ad commodam vitæ sustentationem sufficiat. Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 5. *q.* 3. argumento *c. tuis. & c. Episcopus. de præb.* ubi dicitur, posse aliquem titulo patrimonii ordinari. Limitanda tamen responsio juxta decretum Triden. *sess.* 21. *c.* 2. ubi dicitur: *pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum.* Proinde hoc jure novo nemo titulo pensionis ad ordines admittendus, nisi id suadeat necessitas vel utilitas Ecclesiæ, prout judicaverit Episcopus. Gonz. *ad reg.* 8. *cancell. gl.* 5. §. 5. *n.* 4. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11. *n.* 10. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 82. Idque etiamsi de cetero (intellige præscindendo ab emolumento, quod indè Ecclesiis sperari possit) talis pensionarius idoneis moribus, scientiâ, ætate instructus esset, utì colligitur ex antecedentibus Concilii verbis, quibus constituitur, nullum promovendum ad ordines, etiamsi idoneus moribus, scientiâ, ætate, nisi priùs constiterit, habere illum beneficium sufficiens Ecclesiasticum. Barbos. Gonz, *ll. cit.* qui & exinde notant, pensionem non esse verum beneficium Ecclesiasticum. Idem tamen esset etiam de pensione, nempe quòd, sicut quis promoveri potest ad titulum beneficii absque ulla necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, ità etiam ad titulum pensionis, dum datur pensio in titulum perpetuum beneficii Ecclesiastici, quia tunc reipsâ esset beneficium. Ventrigl. *loc. cit.* citans Gig. *cons.* 33. *& de pens. q.* 94.

Quæstio 442. *An obtinens pensionem gaudeat privilegio fori?*

1. REspondeo primò: Quamvis pensionarius, modò sit clericus, gaudeat privilegio canonis, hoc est, ut percutiens illum incidat in excommunicationem, hoc enim gaudet quis eo ipso, quòd clericus sit, etsi pensionem non habeat, etiamsi nec habitum, nec tonsuram clericalem deferat, licèt ob istam non delationem habitûs & tonsuræ privetur privilegio fori juxta declarationem Cardinal. S. Congreg. Concil. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 5. *n.* 7. *& seq.* Non tamen exinde præcisè, quòd pensionem quis habeat, gaudet privilegio canonis aut fori, etiamsi in habitu & tonsura clericali incedat, si verè clericus non est, adeóque nec pensionem in titulum spiritualem obtineat, patebit ex mox subjiciendis.

2. Respondeo secundò: Sed neque (etiam dum clericus est, & habitum clericalem defert) si pensionem non obtineat in titulum spiritualem, seu loco beneficii, gaudet privilegio fori. Gonz. *loc. cit. n.* 6. Barbos. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11. *n.* 17. pro hac parte negativa citans plures, & pro parte oppo-

posita

posita seu affirmativa longè plures, quos inter se hac ratione conciliat, ut affirmativam tenentes dicat loqui de pensione data in titulum spiritualem, seu loco beneficii.

De ijs, qui pensionem imponere seu reservare possunt.

Quæstio 443. *An Papa imponere possit pensionem, idque sine causâ?*

1. REspondeo ad primum: certum esse, Papam posse imponere, seu reservare pensionem; cùm penes ipsum bonorum omnium Ecclesiasticorum sit administratio, juxta *c. 2. de præb. & clem. 1. ut lite pend. in fine.* & pleniſſimam habeat in beneficialibus potestatem. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 2. n. 1.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 274.* citato Gig. *de pens. q. 6. n. 1.* cum communi.

2. Respondeo ad secundum primò: Licitè imponere nequit pensionem sinè causa, & quidem legitima. Azor *p. 2. l. 8. c. 5. q. 8.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* tum quia generale est, quamlibet actionem sinè legitimo fine factam esse illicitam, &, ut bene Azor, quod sinè justa causâ fit, ut minimùm imprudenter, leviter & temerè fit: tum quia contra rationem bona Ecclesiæ dispensare extra finem, ad quem fuerunt relicta, nempe pro bono Ecclesiæ, & in augmentum fidei & cultûs divini. Castrop. *cit. n. 3.* & sic, cùm reditus Ecclesiæ in pios usus erogari debeant, pensio in eum, qui bonis abundat, sinè ulla rationabili causa jure conferri non potest, & esset id potiùs dissipare, quàm dispensare bona Ecclesiæ. Azor *loc. cit.* Tenebitur proinde Papa in hoc casu impositam pensionem revocare. Castrop. *cit. n. 3.*

3. Respondeo ad secundum secundò: Potest nihilominus validè absque causa, vel etiam sinè causa legitima imponere pensionem, & pensionarius eam licitè & securè obtinere & retinere. Azor *cit. q. 8.* Corrad. *in pr. benef. l. 5. c. 1. n. 7.* Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 55.* Card. de Luca *in sum. de pens. n. 4.* Paris. *de resign. l. 6. q. 2. n. 131.* Castrop. *cit. n. 3.* citans Sanch. *in decalog. l. 7. c. 29. n. 97.* Gig. *de pens. q. 6. à n. 6. & q. 10. &c.* Garc. *loc. cit. n. 275.* citans Rebuff. *de pacif. poss. n. 129.* & plurimos alios contra Vasq. *in opusc. de benef. c. 2. §. 3. dub. 11. à n. 68.* Less. *de just. l. 2. c. 34. n. 204.* Tolet. *in sum. l. 5. c. 83. n. 1.* Rodriq. *in sum. to. 2. c. 21.* Gamb. *de off. Leg. l. 10. c. 186.* & plures alios, quos refert Castrop. *loc. cit. n. 2.* Ratio nostræ responsionis est, quòd cùm dominium bonorum Ecclesiasticorum resideat penes Ecclesiam, & consequenter penes Papam tanquam illius caput & superiorem, si is ea alienet, validè alienet, etsi tam ipse, quàm ejus successor alienationem, si facta sinè ulla justa causa, revocare possint ac debeant. Castrop. *cit. n. 3.* Et esto, Papa bonorum illorum dominus non sit, sed solùm dispensator; si tamen inter clericos ea dispensavit, valida erit talis dispensatio, etiam sinè causa facta, quis quoad substantiam non est contra voluntatem Christi & Ecclesiæ, sed solùm quoad modum; uti id confirmatur exemplo provisionis beneficiorum factæ dignis omissis dignioribus, utpote quæ illicita est, quia contra bonum commune Ecclesiæ, & modum ab ipsa præscriptum, valida tamen, quia non est contra substantiam, dum non contradicit substantiali Ecclesiæ intentioni, quæ est, ut ministris dignis fiat collatio. Castrop. *loc. cit.* qui etiam ex hac posteriore parte rationis infert, invalidam quoque fore hanc impositionem pensionis sinè causa, si impositio non pro clerico, sed pro laico imponatur, & Pontifex sit solùm administrator bonorum Ecclesiæ.

4. Respondeo ad secundum tertiò: Quòd si tamen Papa reservans pensionem putavit adesse legitimam causam eam reservandi, cùm tamen à parte rei causa nulla legitima adesset, utique concessio pensionis est nulla, quia est contra voluntatem Papæ. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Garc. *loc. cit. n. 280.* Azor *cit. q. 8. in fine.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 77.* Unde etiam, si causa expressa est, debet justificari, Garc. *n. 279.* juxta *decis. Rotæ in Reæina pension. Anno 1588.*

5. Respondeo ad secundum quartò: Sed neque regulariter Papa assignat pensionem sinè causa. Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 7.* dicens Papam non solere reservare pensionem sinè causa finali, quæ est suppeditatio alimentorum; vel impulsiva, quæ solet esse resignatio vel cessio, sive simplex, sive pro concordia. Garc. *n. 278.* Corrad. *loc. cit. n. 2.* qui etiam *l. 1. c. 5. n. 177.* ait, in reservationibus pensionum, quæ ex stylo Curiæ dicuntur *de consensu*, non solere Papam reservare pensionem sinè alicujus causæ expressione. Et licèt causam non expressisset, præsumendus nunquam tamen est, sinè causa eam imposuisse. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Et in dubio censendus motus causâ justâ. Garc. *cit. n. 279.* juxta citatam Rotæ decis.

Quæstio 444. *Quid possit circa impositionem pensionis Archiepiscopus, Episcopus?*

1. REspondeo primò, posse Archiepiscopos, Episcopos, aliósve locorum Ordinarios justa de causa, puta, pro bono pacis ac litis terminandæ, pro utilitate Ecclesiæ, pro alimentis pauperum, imponere pensionem ipsis beneficiatorum personis, seu talem, quæ ad successorem in beneficio non transit, sed ipsius beneficiati, cui imponitur, morte extinguitur, adeóque onus est personæ beneficiarii, non ipsi beneficio impositum. Azor *p. 2. l. 8. c. 6. q. 1.* dicens, id de jure posse Episcopos, prout colligitur ex *c. nisi essent. de præb.* & hoc, nihilque aliud, velle AA. absolutè aliàs tenentes, posse Episcopos, aliósve Ordinarios pensionem alicui reservare. Card. de Luca *de pens. d. 40.* dicens, esse receptam. Lott. *l. 1. q. 35. n. 21. & 22.* dicens, id posse Episcopum, dum v. g. ex potestate compromissoria inter duos super beneficio contendentes uni illorum adjudicat beneficium, & pro bono pacis jubet per eundem, quoad vixerit, alteri aliquam quantitatem persolvi absque ullo præjudicio successoris. Sic quoque ait Laym. *in c. decetero. de transact. n. 2.* per transactionem litis terminandæ causâ institutam auctoritate judicis delegati, onus pensionis aut censûs imponi potest, non ipsi beneficio, ità ut ad successores transeat, sed parti transigenti ad certos annos, aut ad tempus vitæ. Atque Lott. *loc. cit.* hunc esse casum *cit. c. nisi essent.* & in his terminis consuluisse Anchar. *cons. 279. n. 1.* Decium *cons. 141. n. 4.* Felin. *in c. ad audientiam 2. de rescrip. n. 2.* Verùm pensionem sic constitutam ad vitam tantùm beneficiati non esse pensionem nisi latè accepto hoc vocabulo, ait idem Lott. *loc. cit. n. 21.*

2. Re-

2. Respondeo secundò: Potest quoque Episcopus constituere pensionem super fructibus beneficii alicujus pinguioris in hoc casu, dum egente aliquâ Ecclesiâ ministro, de consensu illius Rectoris constitueret reditum annuum ex dicti beneficii fructibus excrescentibus, ut deinceps deserviret pro dote novi beneficii erecti. Lott. *l.c. n.13.* juxta *c. conquerente. de cleric. non resid.* & Abb. *ibi n. 5.* Sic etiam ait Laym. *loc. cit. n.3.* quandoque ità postulare necessitatem, ut ex superabundantibus reditibus unius beneficii subveniatur alteri Ecclesiæ, vel beneficio habenti insufficientes & exiguos omnino reditus, & in hoc casu non tantùm posse, sed & debere Episcopum subvenire illi Ecclesiæ, assignatâ in perpetuum portione ex reditibus illius pinguioris Ecclesiæ. Idem voluisse videtur D. Tho. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *in fine* citatus ab eodem Laym. dum ait: Si Episcopus, antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinaverit, aliquid subtrahendum de fructibus beneficii conferendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum. &c. Similia habet Laym. *in c. cùm clerici, de pactis. n.* 2. remittens ad seipsum *Th. mor. l.* 4. *tr.* 2, *c.* 18. *q.* 3. *n.* 2. nempe quòd auctoritate Episcopi cum Capituli consensu possit imponi beneficiis pensio ad sublevandam inopiam fabricæ, aut solvenda debita Episcopatûs, quin & ob rationabilem causam necessitatis quandoque non prohibeatur Episcopus, cum consensu Capituli pensionem beneficii vacantis augere, si videlicet majores nunc quàm antea proventus ex beneficio proveniant. Sed neque hunc casum spectare ad pensionem propriè & strictè dictam, dum ea non personæ alicui, sed rei, id est, novo beneficio deputatur, ait Lott. *n.* 25. *juncto n.* 26. multóque minùs, ùt idem Lott. *loc. cit. n.* 64. spectare ad hanc tractationem de pensionibus assignationem illam possessionum Ecclesiæ factam Rectori ex causa indè deturbato ad illius vitæ sustentationem.

3. Respondeo tertiò: Nequit tamen Episcopus aut ullus alius Ordinarius constituere pensionem in ipso beneficio, seu gravare pensione ipsum beneficium; cùm cautum sit jure communi, ne beneficium cum diminutione conferatur. Azor *loc. cit.* saltem si sermo est de pensione strictè tali, seu in perpetuum, hoc est, ad vitam illius, cui reservatur, constituta, ità ut nedum præsentem titularem, sed & ejus in tali beneficio successores afficiat. Azor *loc. cit.* (qui etiam ex eo, quòd pensio constituta ab Episcopo transire nequeat ad successorem beneficiati obligati eam solvere, infert, non esse eam impositam beneficio) Paris. *de consid. q* 28, *n.*120. Navar. *consil.* 8, *n.* 9. *de jurep. &c.* apud Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 331. Card. de Luca *de pens. d.* 40. *n.* 5. hisce expressis verbis: *Verum est, quòd hujusmodi pensio, quamvis hæc requisita* (quæ præmiserat. *n.* 3. nempe justa causa, & pro bono pacis pro lite componenda, pro utilitate Ecclesiæ, pro aliquo paupere scholari; discretio ad mensuram & proportionem necessitatis & beneficii opulentiam, non in quoto, &c.) *concurrant, reservari non potest perpetuò ad vitam pensionarii, sed solùm conceditur durante vitâ vel jure provisi, ex ea ratione, quòd in potestate Ordinarii non est gravare ipsam Ecclesiam, eique onus reale vel servitutem imponere cum continuato effectu, etiam in casu novæ provisionis; sed solùm conceditur ei facultas gravandi personam provisam &c.* Unde etiam hic Cardinalis *loc. cit. d.* 41. *n.* 14. hanc notabilem observat & tradit differentiam inter reservationem pensionis factam à Papa, & illam factam per Ordinarium; quòd facta per Papam, licèt pensionario non tribuat jus formale in beneficio, ejusque administratione, adhuc tamen tribuat jus reale in ipsis fructibus etiam futuris pro terminis decursis per quandam hypothecam vel actionem rei prosecutoriam privilegiatam, adeò, ut inter pensionarium & titularem quædam communionis species in fructibus inducta videatur, sive constituta sit servitus in ipsius Ecclesiæ fructibus ac bonis, sive Ecclesia sit plena, sive vacans; ac sive pensionarius indigeat sive non, non curatâ personâ Rectoris, &c. cùm Papa habeat tanquam absolutus Dominus bonorum Ecclesiasticorum, hanc potestatem, & quamcunque obstantiam à jure positivo manantem tollendi. In pensione verò impositâ per Ordinarium nulla servitus Ecclesiæ, vel ejus bonis imponi dicitur, nullúmque jus reale acquiri exercibile contra successorem, vel de tempore vacationis; sed tantùm dicitur injungi quædam obligatio personalis ipsi provisо, ut, quamvis invitus, hanc subventionem tanquam eleemosynæ distributionem præstare debeat, dictâ obligatione cum ejus persona terminatâ; adeò, ut non afficiat successorem, minúsque Ecclesiam tempore vacationis, ideóque dici non potest, quòd beneficium patiatur diminutionem. Eandem sententiam tenet Lott. *loc. cit. n.* 18. *&* 37. dicens: potestatem hanc constituendi talem pensionem, cujus solvendi obligatio transeat quoque ad successores in eodem beneficio, majorem esse, quàm ut cadere possit in inferiorem Papâ, citans pro hac sententia Staph. *de lit. just.* §. 5. *maximè n.* 15. Mandos. *de signat. gra. lit. extinctiones.* & Rotam *decis.* 437. *n.* 3. *in recent.* quod ipsum Lott. *loc. cit. n.* 39. vel ex hoc ipso probat, quòd dum de facto talem pensionem reservat Ordinarius, petítque illius confirmationem à Papa, vel talis supplicatio rejiciatur, vel ipsemet Papa, nullâ habitâ ratione præcedentis facti per Ordinarium, providet de beneficio, & pensionem reservat, ùt Rebuff. *in pr. tit. de reservat. n.* 17. Idque ex alia ratione non fiat, quàm quia Ordinarius funditus hac in re caret omni potestate, ùt advertisse quoque ait Mandos. *loc. cit.* §. *confirmationes.* Ad quod tamen respondent adversarii cum Gonz. *gl.* 5. §. 5. *n.* 29. id fieri in casibus, in quibus Ordinarius non potuit reservare pensionem, & justa aliqua causa non intercedebat; quo etiam facit, quod tradit Ventrigl. *q. seq.* citandus, non esse hanc tam petitionem confirmationis reservationis pensionis ab Episcopo, quàm nominationem pensionis & ejus, cui ea reservatur. Eandem cum Lott. prædictisque AA. sententiam tenent Tolet. *in sum. l.* 5. *c.* 26. *in fine.* Sot. *de just. & jure. l.* 9. *q.* 7. *a.* 2. Zechus *de benef. & pens. c.* 11. *n.* 2. apud Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 306. nimirum ex stylo Curiæ communi & consuetudine recepta esse hodiedum interdictum Episcopis, imponere pensiones. Item Laym. *loc. cit. n.* 3. *in fine.* dum ait: *secundùm stylum Curiæ Romanæ concessum non est hodie Episcopis, ut pensiones, præsertim in perpetuum, beneficioque imponant;* citans seipsum *Th. mor. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 5. *& c.* 18. *q.* 3. Verumtamen in hoc dissentiunt hi AA. à Lotterio & aliis, quòd supponant & expressè dicant, ùt Tolet. *loc. cit.* quod aliàs (præscindendo ab illo stylo moderno Curiæ Romanæ) jure non sit id prohibitum Episcopis. & Laym. *loc. cit. n.* 2. expressè dicens; spectato jure antiquo videtur affirmandum, posse Episcopum cum consensu Capituli ex ratio-

rationabili causa beneficium pensione in perpetuum gravare. Ait namque Lotterius *loc. cit. n. 33.* Rebuffum *de pacif. poss. n. 120.* pro opposita sententia sic argumentantem: quod permittitur à jure, & Romanis Pontificibus non reservatur, id posse Episcopos; rectè concluserum, si subsumptum seu subsumendum probaret, ostendendo, quòd unquam jure permissum fuerit Episcopis, reservare pensiones perpetuas ad commodum alterius gravando titulares & successores in beneficio. Quin & Ledesm. *in sum. p. 2. tr. 12. conclus. 20. & 21.* apud Garc. *p. 1. c. 5. n. 306.* ait; jure positivo facultatem imponendi pensionem esse reservatam Papæ, ut constat ex usu. Unde & Lott. *n. 34.* explodit alterum assumptum Rebuffi *in pr. l. 3. de reservat. n. 28.* ubi ait, posse per Episcopum constitui pensionem clerico, quousque fuerit illi provisum de beneficio; veruntamen Episcopos ob suam ruditatem & literarum insciriam ex non usu hanc facultatem amisisse, cui asserto Rebuffi innixus Camillus Cautius *tr. de pens. Episc. n. 4.* inferre videtur, Episcopos posse hodiedum hanc sibi facultatem resumere; cùm debeant esse in Theologia vel jure graduati, adeóque melius scire debeant. quin & apud Garc. *loc. cit. n. 307.* tradat, hanc facultatem ex non usu vel aliàs non esse amissam saltem quoad Episcopos hodie suo jure uti scientium & volentium. De cetero num insuper positivè per constitutionem Pij V. ablata sit Episcopis facultas imponendi pensionem super beneficiis per eos collatis, controvertunt AA. affirmat Paris. *de confident. q. 28. n. 120.* & quòd, dum Episcopi priùs, ut ipse ait, non simpliciter poterant pensiones reservare, sed adhibitis quibusdam modificationibus, ad tollendos scrupulos & difficultates sæpe natas ex dubio, an hic & nunc pensio esset bene reservata per Episcopum, an ex causa sufficiente, bonum fuerit tollere eis hanc facultatem. Econtra negat Garc. *loc. cit. n. 313.* dicens, errasse in hoc Parisium, eò quòd constitutio illa solùm loquatur, quando per Episcopum in collatione per eum facta pensio fuisset constituta personæ sibi bene visæ, & postea declarandæ, quo casu esset reservatio talis simoniaca & confidentiaria, & sic intelligendam hanc constitutionem probat ex *decis. Rotæ in Metevitan. Canonicatus, 6. Martii 1595.* Sic etiam Filliuc. *in append. posth. de statu clericor. tr. 42. c. 3. n. 5.* ait, per constitutionem hanc nullam facultatem Episcopis abrogatam, quia priùs licitè uti poterant, sed tantùm punitam impositionem pensionis ab ipsis factam sinè causa, & hoc non in omni casu, sed in collatione beneficii, intelligè, ab ipsis facta.

4. Nihilominùs directè contrarium, nimirum posse Episcopos absolutè ex causa rationabili imponere pensiones ad vitam pensionarii, & quæ transeant ad successores, licèt non cum facultate easdem transferendi, docent Caccialup. *de pens. q. 4. n. 5.* Gig. *q. 6. n. 4.* Cuchus *in institut. parvis. l. 2. tit. 8. §. ante omnia.* Cautius *de pens. Episc.* apud Garc. Sic etiam posse Episcopum absque eo, quòd necesse sit recurrere ad Papam, imponere beneficio pensionem ex justa causa, v. g. pro bono pacis, ad sedandas lites, pro studio alicujus pauperis scholaris, pro alimento illius, qui renunciavit beneficio, vel ad utilitatem Ecclesiæ, in terminis hisce tenet Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 75.* addítque *n. 79.* pensionem bono pacis, & ad sedandas lites impositam solius Episcopi auctoritate afficere successores in beneficio, licèt de cetero, ut inquit *n. 78.* inter pensiones alio fine impositas ab Episcopo & eas, quæ constitutæ auctoritate Papæ hæc sit notabilis differentia, quòd hæ ligent successores etiam, illæ non. Sic (licèt Tonduto directè contrarium teneat Garc. *p. 1. c. 5. n. 334* nempe ex causa concordiæ, & ut à lite recedatur, non posse Episcopum imponere pensionem, quæ transeat ad successorem in beneficio, sed solùm durantem ad vitam onerati, argumento *c. nisi essent. de præb.* eò quòd, si Papa in casu citati textûs non vult tolerare, ut pensio imposita ex causa pacis & concordiæ transeat ad successores, ne circa proventus videatur facta aliqua sectio, clarum videatur, inferiores Papâ, quamvis non sint judices delegati, ut in *cit. cap.* sed Ordinarii, ut Episcopus vel Legatus, non posse ex causa concordiæ imponere pensionem, quæ ad successores transeat. Item ex eo, quòd, cùm in dicto casu concordiæ non agatur de jure personali, non possit obligari beneficium seu successor, utpote de cujus utilitate non agitur, citatque pro hac parte Granut. *ad simonet. de reservat. q. 62. n. 7.* & binas Rotæ decis.) econtra tamen *n. 339.* tradit idem Garcias, ex aliis causis rationabilibus evidentem Ecclesiæ utilitatem importantibus posse Episcopum pensionem imponere, quæ transeat ad successores pro vita pensionarii. Explicat quoque idem Garc. *p. 1. c. 5. à n. 296. ad 300.* decretum Pauli IV. quod adducit Mandos. *de signat. tit. de pens.* & vi cujus, ait, hodiedum imponi non potest beneficio, de quo alicui per obitum provideatur, pensio sinè ipsius Papæ expressa licentia: nimirum id factum solùm pro dataria, ne ministri & officiales Papæ sinè expressa licentia Papæ pensiones imponant. Item *n. 302.* dicens: declarationem S. Congregat. quam adducit Granut. *de reserv. q. 62. n. 6. & 7.* concernere id solùm, quòd Ordinarii nequeant pensionem constituere absolutè, & sinè causa justa. Eandem sententiam quoad hoc, quòd ex dictis causis possit ab Episcopo imponi pensio ipsi beneficio, tenent Gonz. *gl. 5. §. 5. à n. 27.* Barbos. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 56.* qui etiam *n. 57.* inter justas causas numerat amorem, quo Episcopus suum ex fratre nepotem prosequitur, constituendo ei pensionem, ut commodiùs Theologiæ studere possit; eò quòd idipsum quoque respiciat utilitatem Ecclesiæ universalis viris literatis egentis subvenire; aitque *n. 58. & 59.* causam hanc esse adeò favorabilem, ut etiam Episcopus possit contra Canones dispensare, & cum minore parte, majore parte Capituli contradicente, statuere, ut quilibet Canonicus de suis præbendis conferat alicui pauperi scholari studenti certam quantitatem singulis annis, pro quo citat Rebuff. *de privileg. scholar. privileg. 41.* Bottæum *de Synod. Episc. conclus. 17. n. 1. &c.* quamvis Barbos. non dicat expressè, posse constitui pensionem ab Episcopo in ipso beneficio, multóque minùs dicat: *in perpetuum*: ut onus hoc transeat ad successores, sed omninò contrarium expressè dicat in fine *n. 57.* ex Gratian. *discep. for. c. 617. à n. 12.* quemadmodum & de aliis AA. sequentibus hanc sententiam dicit Ventrigl. *to. 2. annotat. 11. §. 1. n. 8.* quòd totum intelligant, ut reservatio fiat tantùm in vita onerati; & non præjudicet successori.

***

Quæstio 445. *An Episcopus seu Ordinarius possit in permutatione beneficiorum inæqualium coram se facta imponere pensionem super beneficio pinguiore, solvendam compermutanti accipienti beneficium tenuius, ut vel sic constituatur æqualitas, seu coæquentur fructus utriusque beneficii?*

1. Respondeo primò: id non posse Ordinarium, ubi de hoc intervenit antecedenter aliqua pactio. argumento *c. nisi essent. de præb.* Garc. *p. 1. c. 5. n.* 344. Chok. *de permut. benef. p. 3. c. 7. n. 3.* & à fortiore AA. omnes, qui stant pro responsione sequente contra Navar. *cons. 43. de simon. n. 4.* apud Garc. *loc. cit.* pro cujus sententia, dum citantur Delphinas, Valent. Corrad. &c. hos expresè loqui de casu, in quo cessaret pactum partium, & in quo ex officio pensionem imponeret Episcopus, ait Garc. *loc. cit. n.* 347. Ratio responsionis nostræ est generalis, nempe quòd inferiores Papâ imponere nequeant pensionem, ubi intervenit aliqua de hoc conventio partium. Garc. *loc. cit. n.* 340. (nisi fortè quis specialem à Papa haberet facultatem recipiendi resignationes, cum impositione pensionis, ùt idem Garc. *n.* 342.) Murga *de benef. q. 3. a. 5. §. 5. n.* 991. citantes Rebuff. *de pacif. poss. n.* 122. *aliàs* 105. Cuch. *in institut. tit. 8. §. illa quoque.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 14. in fine.* Cautium *de pens. Episc. n. 5.* contra Suar. apud Murgam *loc. cit. n.* 995. docentem posse Episcopum ad petitionem partium & earum conventione præcedente approbare concordiam seu transactionem super beneficio litigioso cum onere pensionis spiritualis, id est, quæ datur clerico ut clerico. Unde jam etiam neque judex pro bono pacis pensionem imponere potest, si priùs de hoc partes inter se convenissent. Garc. *loc. cit. n.* 348. contra Ugolin. *de simon. grat. tab. 1. c. 29. n. 2.* uti nec verum est, quod tradunt Hieron. Paulus *in pract. cancell.* Sarnens. *de annal. q. 2.* Redoanus *de simon. p. 2. c. 2. n. 14. & c. 3. n. 23.* & alii apud Garc. *loc. cit. n.* 350. in beneficialibus licitè aliquid dari ratione expensarum, ut à lite discedatur, etiam intercedente auctoritate Superioris, si partes priùs de hoc inter se conveniant. Sed ad summum, si judex, in quem fortè partes compromiserunt, aut ejus ordinationi hac in parte acquieverunt, intellige, citra suam de hoc priùs factam conventionem. Garc. *loc. cit. n.* 351. *&* 352. qui etiam *n.* 349. uti & Murga *n.* 996. dicit, de hoc intelligendam Rotam, dum *decis.* 519. *p. 1. divers.* ait, posse Ordinarium causâ litis & cessionis pensionem imponere, ad summum nempe, si id faciat ex officio ùti compromissarius, & non ex conventione partium, juxta quod docetur ab Abb. *in c. cùm pridem. de pactis n. 8.* In summa itaque non ab ipsis partibus conventio de pensione reservanda initium habere debet, sed à Superioris auctoritate (intellige ad summum, sive dum is id potest) Murga *loc. cit. n.* 992. juxta *decis. Rotæ in Calagurit. pens. 29. Maij* 1595.

2. Respondeo secundò: Sed neque id poterit Ordinarius, etiamsi partes priùs super hoc non convenerint. Castrop. *p. 3. d. 3. de simon. p. 16. n. 3.* Murga *loc. cit.* dicentes esse magis receptam in praxi & communem, ac citantes pro ea Suar. *l. 4. de simon. c. 34. n. 16.* Valent. *d. 6. q. 16. p. 3.* Rodriq. *in sum. to. 2. c. 65. n. 6.* contra Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 27.* Chok. *de permut. p. 3. c. 7. n. 4.* Less. *de just. l. 2. c. 34. dub. 38. n.* 205. docentes, inæqualitatem fructuum compensandam esse causam justam, ut Ordinarius in permutatione possit imponere pensionem. Zerolam *in pr. Ep. p. 2. v. pensio. n. 1.* Gig. *de pens. q. 6.* Paul. Rom. Caccialup. Anchar. Felin. & plures alios citatos à Castrop. Rationem responsionis dat Castrop. *loc. cit.* quòd Episcopus prohibeatur beneficia conferre cum diminutione, conferret autem cum diminutione beneficium (scilicet pinguius) si in hoc statuere posset pensionem. Neque in contrarium facere, ait Castrop. ex Suar. quem citat *c. ad quæstiones. de rer. permut.* ubi Clemens III. approbat commutationem factam unius Ecclesiæ Parochialis, & illius possessionem cum alia Ecclesia, & illius possessionibus, compensatâ inæqualitate possessionum per pecuniam, eò quòd possessiones illæ erant merè temporales, & sub dominio temporali Ecclesiarum, adeóque poterat in harum possessionum permutatione inæqualitas compensari refusâ certâ pecuniæ quantitate; quoad permutationem verò Ecclesiæ seu beneficii, & fructûs ei annexi ratione tituli (quales fructus sunt etiam decimæ, primitiæ & oblationes) nequit ex consensu Ordinarii inæqualitas horum fructuum compensari, neque de hoc loquitur citatus textus. An verò idipsum si fecerit Ordinarius, committatur simonia, alibi fortè decidetur commodiùs; hic breviter dico, Castropalaum citantem pro se Suar. *l. 4. de simon. c. 34. à n.* 10. Less. *de just. l. 2. c. 25. dub. 17. n.* 107. Gl. *in c. cùm pridem. de pactis* affirmare, esse id injustum & simoniacum; eò quòd translato titulo necessariò & jus ad fructus transferatur, adeóque Episcopus non valens fructus, seu jus illud fructuum à titulo spirituali separare (ùti id potest Papa) si pro hoc jure consentiret pretium exigi (quale videtur etiam annua talis pensio) ageret simoniacè. Porrò intelligi hæc à dictis AA. etiam partibus priùs desuper non convenientibus persuadet perseverans etiam in hoc casu eadem ratio ab iis adducta, etsi idipsum illi non exprimant, sed simpliciter dicant, non posse ex hoc capite æqualitatis faciendæ constituere pensionem in beneficio. Denique ex his infert Castrop. *loc. cit. n.* 4. quòd multò minùs possit auctoritate Ordinarii permutari beneficium cum pensione, quæ erecta non sit in titulum beneficii; eò quòd Ordinarius, dum non habet potestatem pensionem imponendi in permutationibus, non habeat etiam facultatem transferendi illam.

Quæstio 446. *An non saltem Episcopus possit clerico ægrotante & consentiente ei substituere alium, reservatâ ægro pensione pro alimentis, quoad vixerit?*

Respondet Garc. *p. 1. c. 5. n.* 359. videri sibi, quòd id possit, si ægritudo sit perpetua; eò quòd pensio illa non procedat ex pactione inter substitutum & ægrotantem, sed ex dispositione juris & Superioris. citat pro hoc Abb. *in c. tuanos. de clerico ægrot.* & Gamb. *l. 5. rubric. de coadjutore. n. 16.* & seipsum *p. 11. c. 3. n.* 260. Idem ex Garcia exscripsit Murga *loc. cit. n.* 999. quamvis Garc. *n.* 355. & ex eo Murga contra Ferret. *cons. 373. n. 7.* dicat, talem infirmum resignare non posse in manibus inferioris Papâ cum reservatione pensionis pro suis alimentis.

Quæstio

Quæstio 447. *Qualiter justificanda causa reservatæ ab Episcopo pensionis, intellige talis, qualem, & in casu, in quo is eam imponere potest?*

REspondeo: Non deferri in hoc assertioni Ordinarii, sive non sufficere assertionem Episcopi dicentis, causam legitimam interveniſſe in reservatione pensionis à se factâ; sed debere de hoc aliunde constare, seu justificanda causa aliunde per extrinsecas probationes. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 56.* ex Gratian. *discept. for. c. 617. n. 8.* Card. de Luc. *de pens. d. 41. n. 2. & d. 40. n. 1.*

Quæstio 448. *An pensionis reservatio facta per Episcopum (in casibus, in quibus, & modo, quo ea per illum constitui potest) egeat confirmatione Papæ?*

REspondeo: Facta per eum reservatio pensionis, si tenet, non eget confirmatione Papæ; si verò non tenet, non vult Papa eam approbando & confirmando quodammodò dare occasionem, ut imposterùm Ordinarii perperam faciant iniquas provisiones, & pensionum reservationes. Hinc ex inveterato Curiæ stylo Papa nunquam concedit confirmationem provisionis aut reservationis pensionis factæ per Ordinarium; sed solùm concedit novas provisiones beneficiorum, & novas pensionum reservationes scholaribus pauperibus. Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 30. & seq.* ex Rebuff. *in pr. tit. de nova provis. n. 14.* Addit tamen Gonz. *n. 33.* quòd nova illa provisio & reservatio pensionis sit ferè quædam confirmatio factæ per Episcopum reservationis, saltem in effectu: pro quo citat Put. *decis. 308. n. 2. l. 1.* Sic etiam, inquit Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 8.* in praxi servatur, Episcopum reservare pensionem indifferenter, moderatè tamen; sed pro expeditione & Bullis recurrendum ad Sanctiſſimum, quæ Bullæ in signatura, & dein pensio præjudicat successori. Advertendum autem est, quòd Ordinarius tantùm nominat pensionem, & illum, ad cujus favorem reservatur; & in signatura expediuntur literæ. Non potest tamen ipse Ordinarius Bullas reservationis relaxare, & concedere, & dein petere confirmationem à Papa; hoc enim faciendo Papa non solet confirmare, sed solùm contra factum Episcopi seu Ordinarii providere de beneficio, & pensionem reservare.

Quæstio 449. *Quid possit Vicarius Episcopi circa impositionem pensionis?*

REspondeo: Non posse illum constituere pensionem, nisi hoc ipsum specialiter fuisset ab Episcopo concessum. Garc. *p. 1. c. 5. n. 317.* citans Sbrozium *tr. de Vicar. Episc. l. 2. q. 71. n. 24.* Bervium *cons. 18. nu. 10. vol. 1.* In quo casu specialis concessionis non poterit plus, quàm ipse Episcopus in hoc puncto, ut patet.

Quæstio 450. *Quid possit Legatus Apostolicus circa reservationem pensionis?*

1. REspondeo primò: Legatus de latere idem potest circa constitutionem pensionis ratione sui muneris, seu officii, & legationis suæ, quod potest Episcopus. Garc. *p. 1. c. 5. n. 284.* Azor *p. 2. l. 8. c. 6. q. 2.* Filliuc. *in append. posth. de statu cleric. tr. 42. c. 3. n. 6.* Castrop. *tr. 13. de benef. d. 1. p. 11. §. 2. n. 5.* Siquidem idem juris habet talis Legatus in provincia sibi commissa, quod Episcopus in sua Diœcesi. AA. ijdem cum Gamb. *de pot. Leg. l. 6. n. 77.* & Abb. *in c. 1. de off. leg.* nec minùs quàm Episcopus dicitur Ordinarius. Unde jam inhærendo sententiæ Lotterii & Azoris, imponere poterit ex causa legitima pensiones ipsis beneficiatorum personis, non autem beneficiis, nisi fortè à Papa ad hoc acceperit facultatem specialem. Azor *loc. cit.* Poterit etiam citra talem specialem facultatem eas imponere beneficiis eo modo ac ordine, ex iisdem causis sicut Episcopus alius in sententia aliorum, adscribentium eam potestatem Episcopis. Idipsum verò non poterit, nisi in iis beneficiis, quæ ad illius spectant collationem, seu quæ ipse conferre potest (intellige etiam concurrenter ad Episcopum) qualia sunt omnia illius provinciæ beneficia Papæ non reservata, ùt Castrop. *loc. cit.* Secus est in iis, quæ ad illius collationem non spectant. Garc. *loc. cit. n. 285.* Azor *loc. cit.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 5.* nam reservata Papæ, sicut conferre nequit, ita nec eis imponere pensionem. AA. ijdem citatis Gig. *de pens. q. 6. n. 19.* Zecho *de benef. & pens. c. 11. n. 5.* Idque etiam, etsi aliàs specialem à Papa facultatem haberet recipiendi resignationes, & conferendi beneficia cum reservatione pensionum, ùt expresè Azor *loc. cit.* Porrò quod hìc dicitur de Legato à latere, idem tenendum de Legato seu Nuncio misso cum potestate Legati à latere. Filliuc. *loc. cit.* citans Gig. *q. 8. n. 18.* Cuchum *in institut. parvis l. 2. tit. 8. §. ante omnia.*

2. Respondeo secundò: Legati alii missi vel etiam nati, quemadmodum ex vi legationis suæ (dico: vi legationis suæ, nam quatenus Archiepiscopi vel Episcopi sunt, poterunt id in suis Archidiœcesibus vel Diœcesibus sicut alii Episcopi) ita nec citra specialem comissionem imponere possunt pensiones. Garc. *loc. cit. n. 287.* Azor. *l. c. q. 4.* Castrop. *l. c. n. 5.* Quin nec ut Azor *cit. q. 4.* inhærendo suis principiis, imponere eas poterunt beneficiatorum personis, dum beneficia conferre non possunt. Quòd si autem potestatem hanc conferendi beneficia, quam de se non habent, haberent specialiter à Papa, an possent eo ipso imponere pensiones, qualiter Episcopi eas imponere possunt? Respondet Azor. *l. c. q. 3.* non posse eos adhuc imponere pensiones, sicut id possunt Episcopi, quia hi potestate ordinaria conferunt beneficia, dicti autem Legati in eo casu non nisi potestate delegata ea conferunt. Quam eandem causam, cur in dicto casu nequeant Legati imponere pensionem, assignat Gig. *de pens. q. 6. n. 1.* apud Garc. *l. c. n. 291.* quos proinde perperam pro se citat Castrop. ùt mox patebit ex ejus doctrina. Distinguit ipse Garc. *l. cit. n. 292.* & affirmat, id eos posse, si dicta potestas conferendi fuit eis concessa simul cum ipsa legatione: secus si ea potestas sit eis concessa separatim à commissione legationis; eò quòd in priore casu ea potestas censeatur ordinaria, ac proinde ùt ordinaria regulanda & extendenda. In secundo verò casu sit delegata, ac proinde restringenda, quemadmodum de Vicario Episcopi docuerat Garcias *p. 5. c. 8. n. 41.* & de Legato tradit Gamb. *de off. leg. l. 9. n. 33. & 37.* quòd licèt Legatus non sit Ordinarius, sed delegatus in iis, quæ ei competunt ex speciali facultate seu commissione, quando seorsim committuntur, dum tamen in literis suæ legationis simul exprimuntur omnes facultates, & sub una concessione emanantes simul stant & cadunt, & hc

& sic in omnibus censetur Ordinarius. Castropalao tamen *loc cit.n.5.* rejectâ hac distinctione, tradit absolutè, quòd, quocunque demum modo hæc potestas conferendi concessa Legato, sive simul cum commissione legationis, sive separatim ab ea, non extendat se ad impositionem pensionis; eò quòd pensionum impositio sub collatione beneficiorum non comprehendatur; unde nec Episcopus seu Ordinarius ex potestate conferendi imponere potest pensionem; sed quia à jure est id specialiter ei concessum ex causa pacis & concordiæ *ex c. de cetero. de transactionibus.*

Quæstio 451. *Quid circa statuendam pensionem possint inferiores collatores, vel etiam non collatores, puta, compromissarii, judices, &c.*

1. REspondeo primò: Collatores alii Ordinario seu Episcopo inferiores nullatenus statuere possunt pensionem, seu conferre sub reservatione pensionis. Tond. *qq. benef. p.3. c.123. n.9.* siquidem collator ordinarius (comprehendendo etiam hoc nomine collatores Episcopo, & habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem inferiores) beneficium sine diminutione conferre tenetur. *c. unic. ut benef. sine diminut. conferantur.* Intelligendo idipsum etiam de pensione statuta in persona beneficiarii, & non in ipso beneficio, etsi tunc propriè non fiat diminutio beneficii seu fructuum beneficii; quòd autem id possint Episcopi, id specialiter est dictum *q.præced.* in jure illis concessum, adeóque non extendendum ad alios simplices collatores. Porrò similes reservationes pensionum à talibus factas non reddere collationem ipsam nullam, eò quòd reservatio pensionis sit quid separatum à collatione, & utile per inutile non vitietur, tradit Tond. *loc. cit. n.11.* sic decisum inquiens à Rota.

2. Respondeo ad secundum: Sed neque compromissarii, in quos fortè partes compromiserunt, constituere pensionem possunt, etiâ in persona beneficiati, & licèt partes priùs non convenerint de tali aliqua pensione aut aliquo loco illius dando. Garc. *p.1. c.5. n.243.* & ex eo Murga *de benef. q.3. n.992.* ubi: quòd conventio de pensione reservanda ne quidem à compromissariis initium habere debeat, sed à Superioris auctoritate, pro quo recitant decis. Rotæ *in Calagurit. pens. 29. Maij 1595.* in qua (dum partes compromiserant in quosdam arbitros, qui paulò post de licentia Ordinarii, & sub beneplacito Apostolicæ Sedis pronunciarent, adjudicando uni parti portionem, super qua litigabatur, ità ut is quolibet anno solvere teneatur certam tritici mensuram loco pensionis annuæ) resolutum fuit à Rota, impositionem pensionis non fuisse validè reservatam; quia non fuit constituta ab Episcopo, nec de ejus consensu ex rationabili causa; & cùm arbitri reservassent sub conditione beneplaciti Apostolici, adhuc non fuisse validam ante adimpletam hanc conditionem; cùm conditio non purificata nihil ponat in re, &c. facere etiam pro hac responsione *c.2. de arbitris.* ait *ibid.* Garcias.

3. Respondeo ad tertium: Neque Superiorem seu judicem alium inferiorem Episcopo (nisi fortè is ex commissione papali ad hoc haberet specialem facultatem) posse pro bono pacis pensionem imponere, si partes inter se de hoc conveniissent, seu approbare conventionem partium desuper factam, etiamsi beneficium penes eum remaneret, seu ei adjudicaretur, qui habet jus in eo. Garc. *loc. cit. n.348.* & ex eo Murga *loc. cit. n.995.* juxta dicta *q. præced.* contra Nav. *de simon. cons. 46.* apud Garc. *n.352.* docentem, posse judicem talem conventionem approbare. Et certè, si id nequidem Episcopo licet juxta dicta *ibid.* multò minùs judici inferiori. Secus videtur, si judex seu Superior, in quem fortè partes liberè compromiserunt, ex officio, sine præcedente conventione simile aliquid provideret seu statueret, scilicet, ut daretur aliquid ratione expensarum, ut à lite recedatur, & pro concordia. Garc. *loc. cit. cit. n.352. juncto n.350.* Idem tenere videtur Murga *l.c. n.998.* ubi ait, posse fieri compositionem in beneficialibus dato vel accepto aliquo auctoritate Superioris; secus verò esse, si fiat compositio auctoritate puri arbitri.

Quæstio 452. *Quid possint monasteria vel collegia circa imponendas pensiones beneficiis sibi incorporatis?*

REspondeo: Posse monasterium in Parochiâ sibi incorporata facere investiri Vicarium reservatâ sibi pensione annuâ secundùm redituum facultatem, tradit Laym. *in c. cùm clerici. de pactis, n.3.* Quin & posse eandem pensionem augeri auctis reditibus parochialibus (intellige notabiliter & constanter, & nisi ea auctio proveniat ex industria Vicarii) tradit *ibid.* ex Abb. *in cit. c. cùm clerici.* Sed, ut vides, non est hæc propriè impositio pensionis, de qua hìc, utì constat ex dictis à Lotterio suprà, & dictis aliàs de Vicariis.

Quæstio 453. *Quid possit Superior regularis circa impositionem pensionis respectu beneficiorum suæ religionis?*

REspondeo: Posse Prælatum regularem super beneficio manuali alicui religioso obedientiario suo reservare pensionem aliquam temporariam & manualem, seu amovibilem & tollibilem. Lott. *l.1. q.35. n.41. & 42.* Barbos. *juris Eccl. l.3. c.11. n.61.* dicens: posse quemlibet regularium Superiorem in beneficiis religionis suæ manualibus ex iisdem causis, ex quibus potest Episcopus imponere pensionem, quæ quòad proprietatem non transeat in religiosum, citátque uterque Abb. *in c. nisi essent. de præb. n.12.* Verùm, inquit Lott *n.43.* eas temporarias pensiones tam esse extraneas à natura pensionum propriè talium, ut in nulla sint consideratione respectu regulæ de valore. Sic in specie Magnus Magister Ordinis S. Joannis Hierosolymitani in Commendis suæ religionis spectantibus ad illum, ad favorem religiosorum seu equitum cujusdam ordinis reservare potest pensiones. Barbos *loc. cit.* Card. de Luca, *de pens. d.42. n.4.* de quo plura infra, ubi de regularibus, an capaces sint pensionum.

Quæstio 454. *An, & qualiter reservari vel exigi possit pensio ex conventione privata sine auctoritate Apostolica?*

1. REspondeo primò in genere: Pensio privatâ auctoritate constitui nequit. Card. de Luc. *de pens. d.30. n.11.* atque ita consentius partis sine auctoritate Papæ nihil præstat Lott. *l.1. q.35. n.66.* Et constituta pensio solâ auctoritate privatâ inter resignantem & resignatarium redolet simoniam,

Card.

Card. de Luc. *loc. cit.* Lott. *l. 3. q. 19. n. 52.* ubi: *impossibile est, consentientem pensioni aliter posse evadere incursum simoniæ, quàm si accedat auctoritas Papæ.* juxta decis. Rotæ *in una Montis Falisci 31. Martij 1631.* sed de his satis constat ex antecedentibus. Qualiter nihilominus cedi possit sine auctoritate Papæ commoditas pensionis, dicitur infrà, ubi de translatione pensionis. Vide tantisper Conrad. *in pr. benef. l. 5. c. 6. n. 69.*

2. Respondeo secundò: Potest de cetero beneficiatus auctoritate propriâ in suo beneficio constituere pensionem in hoc sensu valde improprio, obligando se per conservum gratuitum vel onerosum ad certam portionem fructuum sui beneficii cuiquam persolvendam, servandis tamen iis, quæ requiruntur in alienatione, & longa locatione rerum Ecclesiasticarum, tradit Filliuc. *in append. posth. de stat. cleric. tr. 42. c. 2. n. 10.* cum communi. Sed ait, talem decisionem fructuum & jus, quod per hoc quis consequitur ad certam portionem fructuum non esse pensionem, de qua hìc; quia non est directa super fructibus, sed super beneficiario fructus possidente, haberéque potiùs rationem contractûs civilis.

Quæstio 455. *An, & qualem causam requirat impositio pensionis facta ab inferiore Papâ?*

1. Respondeo ad primum: Impositio pensionis facta per inferiorem absque causa est omnino nulla. Garc. *p. 1. c. 5. n. 322.* citans Sarn. Coras. &c. cum communi. Et sic pensio reservata ex falsa causa est nulla. Paris. *l. 6. q. 2. n. 77.* Sed &, dum motu proprio pensio assignatur à Papa ex causa aliqua, quæ non esset vera v. g. ob merita vel paupertatem, adhuc non valebit gratia, seu motus hic proprius non faciet gratiam valere, non obstante subreptione. Garc. *loc. cit. nu. 502. juncto n. 499.* contra Salust. Tiber. *in pr. Auditor. Camer. l. 3. c. 3. n. 22.* Nam etsi clausula motûs proprii tollat subreptionem *c. si motu proprio. de præb. in 6.* Garc. *cit. n. 502.* citato Coras. *de benef. p. 1. c. 4. n. 8. &c.* si tamen exprimatur falsa causa seu qualitas de facto alieno, nihil prodest dicta clausula, si talis est falsitas, ut ea stante, non, vel saltem difficiliùs concederetur gratia; quia gratia concessa motu proprio non debet operari ultra mentem & intentionem concedentis, & intelligitur, veris existentibus expressis, sine quibus aliàs gratiam non concessisset, aut saltem difficiliùs. Atque ita falsitas causæ perpetuò annullat gratiam, quamvis motu proprio concessam. Garc. *nu. 503.* citans Sanch. *de matrim. l. 8. d. 21. n. 47.* & plurimos alios. Unde etiam, licèt stetur prædictæ narrativæ factæ motu proprio, potest tamen probari contrarium. Garc. *loc. cit.* juxta Put. *decis. 101. l. 3. in fine* Limitat tamen hæc Garc. *n. 504.* nisi narrentur v. g. in motu proprio merita in genere. Item *n. 505.* nisi fortè illa subreptio non esset valde notabilis, ut dicitur aliàs de falso valore expresso in genere motu proprio, dum non esset error notabilis quantitatis. Debétque de causa constare, aliàs adhuc pensio est nulla. Garc. *l. c. n. 325.* Et nisi de causa constet, præsumitur dicta impositio pensionis facta in fraudem. Garc. *loc. cit. n. 324.* Neque, ut dictum suprà, sufficit assertio Episcopi asserentis intervenisse causam, sicut non creditur patri donanti filio, qui testatur, præcessisse merita juxta Gl. & DD. *in l. si donatore. c. de donat.* Garc. *n. 326. & 327.*

Qualiter verò causa narrata in gratia pensionis debeat verificari per pensionarium, dicetur infrà, ubi de obligationibus pensionarii. Vide de hoc tantisper Garc. *p. 1. c. 5. à n. 442. per plures num. seq.*

2. Respondeo ad secundum: Requiritur causa commensurata pensioni, seu pensio commensurata esse debet causæ, ita ut eam non excedat. Garc. *loc. cit. n. 328.* citans Gig. *q. 6. n. 2.* Rebuff. *de pacif. poss. n. 125 aliàs 109.* Non esset tamen talis pensio excedens causam in totum nulla, sed reducenda ad debitam quantitatem, ut dicitur de donatione remuneratoriâ excedente merita; juxta Garc. *n. 239.* Verùm de hoc inferiùs.

De consensu reservationi pensionis præstando à beneficiato.

Quæstio 456. *An, & qualiter Papa reservare possit ac soleat pensionem sinè consensu titularis seu beneficiati?*

1. Respondeo primò: Papa reservare potest pensionem sinè consensu ullo beneficiati. Garc. *p. 1. c. 5. n. 275.* citans plures. Paris. *l. 6. q. 2. n. 131.* Chok. *ad reg. 43. de consensu. n. 47.* dicens, esse communiter receptam. Card. de Luc. *de pens. d. 10. n. 13.* dicens, esse extra controversiam potestatem Papæ reservandi pensionem etiam pleno beneficio, nullo desiderato consensu titularis; eò quòd, si potest tollere eidem titulari beneficium tanquam supremus Dominus & arbiter, multò magis potest hoc onus & servitutem imponere. Et dum quæritur de reservatione pensionis facta sine consensu titularis, quæstio non cadit super potestate Papæ, sed super voluntate ejusdem. Lott. *l. 1. q. 35. n. 72.*

2. Respondeo secundò: Regulariter tamen pensionem non reservat sinè consensu titularis, & hic consensus requiritur. Garc. *loc. cit. n. 278.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. 8.* Lott. *l. c. n. 65.* Card. de Luc. *loc. cit.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 5. n. 1.* dicens, requiri consensum titularis usque adeò, ut si de eo non constet, invalida sit pensio; eò quòd non præsumatur Pontifex velle pensionem imponere aliter, quàm ipse præscripsit imponendam; præscripsit autem, ut nulla pensio imponatur, nisi de consensu illius beneficiarii, qui pensionem solvere debet, adeóque absque hujusmodi consensu vel illius expressa derogatione impositio pensionis sit nulla.

3. Respondeo tertiò: Hoc ipsum intelligendum de consensu titularis principali & causali, ita per beneficialistas appellato, quòd per modum causæ tam in supplicatione, quàm in literis narratur, utpote causa productiva gratiæ, quæ sinè illo concessa non fuisset, sive in quo radicatur gratia. Ventrigl. Card. de Luca *ll. cit.* Lott. *l. c. n. 69.* &, ut ait Card. de Luca, perficiens gratiam pensionis reservatæ aliàs imperfectam ex deficiente intentione Papæ, quæ à stylo regulatur. Et est causa formalis, seu de forma pensionis, ut Lott. *loc. cit. n. 65. juncto n. 46. q. 36.* Et absque hoc consensu titularis non solet unquam Papa constituere pensionem, (nisi, ut addit Card. de Luc. id expresè dicat) sive non derogat unquam huic consensui. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *cit. q. 35. n. 72.* sed est id, in quod reservaturus pensionem defigit oculos, unde & omnis consideratio odii abstergitur, & judicatur constitutio pensionis impositio favorabilis. Lott. *l. 1. q. 36.*

q.36. n. 46. Quin & derogationem hujus consensûs impracticabilem esse, ait Lott. *cit. q.35. n.72. in fine.* idque declarat *n.73.* & *cit. q.36. n.117.* indicat, consensum illum de potestate ordinaria suppleri non posse, quamvis *ibidem* pariter judicet, illum posse suppleri, seu ei derogari de plenitudine potestatis, quæ in se semper habet aliquid amari. Quod ultimum satis indicat Card. de Luca in parenthesi illa paulò supra adducta. Et de hoc consensu loquuntur ferè AA. dum dicunt, consensum resignatarii seu gravati requiri. v.g. Paris. *l. 6. q.2. n.155.* Item illius, qui habebat beneficium, dum nimirum pensio imponitur beneficio pleno & non vacanti, de quo Card. de Luc. *l.c. n.12.*

4. Respondeo quartò: Minimè verò intelligenda hæc sunt de consensu illo, qui ad differentiam præcedentis, dicitur formalis, qui præstatur in expeditione literarum juxta *reg. cancell.* 45. utpote qui, ut Lott. *cit. q.35. n.70.* formam solùm expeditionis literarum respicit, & non substantiam gratiæ, sive ut Card. de Luc. *loc. cit.* ad quandam formalitatem potiùs, quàm ad necessitatem requisitus. Et cui Papa consuevit derogare. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *cit. q.35. n.71.* Et de derogatione hujus consensûs intelligendus Chokier *ad reg. de præst. consensu. n.47.* quem Lotterius ait, non attendisse ad distinctionem horum duorum consensuum gravati. Porrò huic posteriori consensui derogatur, quoties confertur beneficium absenti cum reservatione pensionis. Paris. *l.8. q.8. n.118.* Chok. *ad reg. 44. cancell. n.47.* Ventrigl. *loc. cit. n.9.* citans Gig. *de pens. q.10. n.7. & 11.* Card. Paris. *cons. 5. n.56. vol.4.* Item quoties resignatur beneficium in favorem minoris absentis, ita ut hujus consensus necessarius non sit. Chok. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.120.* Ventrigl. *cit. n.9.* Item quando reservatur pensio juxta concordiam. Ventrigl. *ibidem.* & in casu Mohedæ *decis. 501.* ad quam remittit Paris. *loc. cit. n.121.* Oportet tamen derogationem hujus consensûs esse nominatim & expressam, cùm regula dicta Cancell. 45. habeat decretum irritans. Ventrigl. *loc. cit. n.10.* ex Paris. *loc. cit. n.122.* Proinde jam dictus consensus formalis citra hujusmodi derogationem requiritur regulariter. Ventrigl. *loc. cit. n.8.* Sed non nisi ad satisfaciendum dictæ regulæ, vel etiam pro majore cautela pensionarii. Card. de Luca *loc. cit. n.10.* quemadmodum, ut Card. de Luc. *l.c. n.11.* licèt omnino necessaria sit expeditio literarum, sinè qua pensio exigi nequit sub pœna amissionis pensionis (de quo infra) id tamen procedit ratione decreti, quod in eadem reservatione adjici solet pro juribus & emolumentis officialium absque eo, quòd concernat substantiam & perfectionem gratiæ, cùm expeditis literis exigi possint, ac debeantur termini ante expeditionem literarum decursi, computando tempus à die signatæ supplicæ, ex quo gratia perfecta est.

5. Illud hic circa utrumque hunc consensum causalem & formalem notandum ex Lott. *cit. q.35. n.86. & 87.* quòd si Papa (quod tamen se nunquam vidisse contigisse, ait idem Lott.) pensionem reservaret beneficio adhuc vacante, neque esse locum regulæ de præstando consensu formali, neque etiam deficere formam talis pensionis ex defectu consensûs causalis, quia Papa hunc tantisper suspendit, non autem removet, quia mox ut providet de beneficio, & provisus illud acceptat pensione gravatum, dicitur de facto consentire & contrahere.

Quæstio 457. An requiratur quoque consensus illius, qui pensionem solvere debet in impositione pensionis facta per Episcopos vel Legatos in casibus, in quibus ipsi imponere pensionem possunt?

Respondeo: Multò magis requiri consensum illum respectu illorum; cùm illi juri Pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare non possint. Castrop. *loc. cit.* Azor *p.2. l.8. c.8. q.6.* Garc. *p.1 c.5. n.320.* citantes Gig. *de pens. q.10.* Caccialup. *tr. eod. q.5.* Sed quid, si tanquam arbiter & judex imponeret pensionem non beneficio, sed personæ beneficiati pro bono pacis, an non ad consentiendum cogere posset partes?

Quæstio 458. An, & qualiter, seu cujus consensus requiratur in impositione pensionis beneficio, dum illud rectorem non habet, sed vacat?

Respondeo: Castrop. *de benef. d.1. p.11. §.5. n.2.* Azor. *loc. cit.* censent constituendum beneficio defensorem, qui loco beneficiarii consentiat pensioni; eò quòd, ut Castrop. licèt pensio non sit propriè alienatio (in quo casu requiritur talis defensor) sit tamen quasi alienatio; tum etiam & maximè, quia aliquis est obligandus ad solutionem pensionis, qui in eo casu non possit esse alius, quàm dictus defensor & fructuum custos. De quo dicendum videtur, quod dicetur paulò pòst de beneficiato consentiente etiam pro successoribus suis, nimirum, quòd, dum provisus de tali beneficio acceptando illud jam gravatum, ratihabendo consensum illum, eam obligationem contrahat. Nihilominus Garc. *p.1. c.5. n.320.* censet, non requiri talem defensorem ad consentiendum pensioni, sed posse eam imponi absque eo, quòd tunc consensus aliquis requiratur. Loquuntur autem hi AA. de pensione imponenda per Episcopum. De cetero enim procedere posset doctrina Garciæ respectu pensionis imponendæ per Papam beneficio vacante.

Quæstio 459. An requiratur consensus habentis regressum ad beneficium, cui imponitur pensio, ità ut si hic desit, pensio reservata sit nulla?

Respondeo negativè, seu validam adhuc fore pensionem talem. Paris. *l.6. q.2. n.86.* citans Gig. *de pens. q.79. col.1. & n.87. in fine.* subdens; id eò magis procedere, si in supplicatione narretur, esse reservatum regressum in illo beneficio, intellige absque eo, quòd requisitus sit istius reservatarii consensus, aut is concessus exprimatur in illa supplicatione, quia hoc ipsum tacitum esse in impetratione non importat subreptionem; etsi enim causæ de præsenti aut præterito existentes aliàs tales, quæ retraherent, aut difficiliorem redderent Principem in concedenda gratia, sint in consideratione quò ad subreptionem, obreptionem, & intentionis defectum inducendum, non autem, quæ sunt de futuro potenter contingere & non contingere, adeóque de futuris habentibus se ad esse & non esse, non est in impetratione necessariò facienda mentio; jam verò regressus pendet à futuro eventu, & illi potest esse locus vel non esse. Paris. *n.87.* Nihilominus istiusmodi pensionem annullandam, cùm locus erit regressui vel accessui, ait Paris.

Paris. *n.* 88. citans Gig. *ubi ante*, & aliquot Rotæ decisiones. Eò quòd dicta reservatio pensionis non debeat valere quòad præjudicium ejus, qui regressum habebat, cui non consentienti Papa non censetur velle præjudicare, Paris. *n.* 89. idipsum *n.* 90. & 91. exemplificans pluribus, v.g. sicut si feudatarius non habens filios, feudum det in dotem filiæ, concessio illa valet in vita ipsius patris, & non ultra; cùm successori præjudicare non possit. Res subjecta restitutioni, si alienetur, valet alienatio in vita alienantis tantùm, & ad illius præjudicium, sed adveniente casu restitutionis, seu pro quo urget restitutio, alienatio fingitur retro nulla. Ità & adveniente casu regressûs, pensio erit nulla: idque etiamsi motu proprio esset assignata talis pensio, Paris. *n.* 92. ex Gig. *cit. q.* 79. *n.* 3. cùm motus proprius non operetur in præjudicium tertii. Unde etiam inoleviſſe praxin ait Paris. *cit. n.* 92. quòd, si in supplicatione narrabatur, quòd alicui reservatus regressus super tali beneficio, ponitur: *qui etiam consentit huic reservationi.* Et si id non apponatur, signatura soleat illud apponere: de consensu ejus, qui regressum habet, & tunc necesse sit, ut det consensum habens regressum. Quamvis, ut Paris. *n.* 93. *in fine*, si Papa factâ mentione regressûs, nihilominus imponeret pensionem absque alio consensu, valida foret pensio.

Quæstio 460. *An titularis consentiens pensioni possit pœnitere, priusquam accedat consensus Papæ?*

Respondeo affirmativè; cùm enim consensus partium sinè auctoritate Papæ nihil præstet, si dictus consensus titularis præveniat ante obtentam gratiam, est revocabilis. Lott. *l.* 1. *q.* 35. *n.* 67. Idque, ùt ait idem, non obstante quovis juramento, siquidem, ùt ait Chok. *ad reg.* 44. *n.* 52. consensus ille ante obtentum beneplacitum Apostolicum præstitus, etiam cum juramento non valet.

Quæstio 461. *An, & qualiter præsumatur consensus titularis præstitus?*

Respondeo: Præsumitur præstitus consensus ex diuturna observantia factæ solutionis, non elisâ hac præsumptione per contrariam probationem, & ex hac apparente veritate. Consensus enim ille non requiritur pro solemnitate de formâ præcisa, ita ut expresè in ipso actu intervenire debeat; neque certam formam habet, adeóque præcedere potest & subsequi, modò re integrâ & ante declaratam nullitatem, ac etiam implicitè præstari. Dum enim actus non est requisitus pro forma præcisa, impletur per quodvis æquipollens implementum (quale respectu illius consensûs expressi & expliciti videtur talis diuturna observantia solutionis factæ à titulari, utpote in se complectens rationem consensûs impliciti) ita ferè tradit Card. de Luca *de pens. d.* 53. *à n.* 3. An verò ad præsumendam extrinsecam solennitatem vel alium actum requiratur observantia longissimi, an sufficiat longi temporis, desumendum ex eo, quòd ea, quæ expressam ac vehementem juris resistentiam habent, ut alienatio bonorum Ecclesiæ, observantia debet esse longissimi temporis; ad ea verò, quibus jus non adeo resistit, sufficit longi temporis observantia, ut tradit idem Card. de Luc. *loc. cit. à n.* 6. qui etiam *num.* 9. ait, talem pensionem videri habere speciem alimentorum; favore autem alimentorum suffragetur observantia triennalis.

Quæstio 462. *An, & qualiter titularis consentiens pro se, consentiat etiam pro successoribus suis?*

Respondeo: Dum reservatur pensio, titularis non consentit pro se solùm, sed etiam pro suis in eodem beneficio successoribus, quousque vivat pensionarius, obligando se & suos successores expresè in forma Cameræ. Unde ex eo actu resultat formalis contractus, tam respectu ipsius, quàm successorum, qui licèt efficaciter non obligentur, nisi priusquam succedendo ratum habuerint talem contractum; nihilominùs secutâ ratihabitione ex simplice acceptatione beneficii fit retrotractio cujusdam obligationis ad diem ipsius contractûs; cùm hæc sit vis ratihabitionis, ut retrotrahatur. *l. ult. ff. ad Macedon.* Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 101. Card. de Luc. *de pens. d.* 6. *n.* 4. dicens, procedere idipsum de successore, qui independenter ab antecessore suo habet illud beneficium; ita ut provisus de beneficio illo gravato acceptando provisionem censeatur consensisse oneri pensionis, & cum pensionario quasi contraxisse. Proindéque idem est, ac si omnes successores cum ipso titulari à principio pro solvenda pensione constituissent se plures reos debendi in solidum, & omnia bona juráque sua pro solutione hujusmodi hypothecassent; cùm ita sit vis obligationis cameralis. Lott. *ibid. n.* 104. Et hinc consequitur, nedum realem, sed etiam personalem actionem & obligationem contra successorem in beneficio dari pro terminis decursis & non solutis. Lott. *n.* 107. De quo ex professo infra, ubi, qualiter successor solvere teneatur pensionem.

Quæstio 463. *An consensus pensioni præstitus ab eo, cui de beneficio nulliter provisum erat, præjudicet ei, qui beneficium legitimè obtinuit?*

Respondeo negativè. Chok. *ad reg.* 44. *n.* 52. ex Farinac. *de is.* 437. *p.* 1. *n.* 1. *in novissimis.*

Quibus beneficiis ac rebus imponi possit pensio?

Quæstio 464. *An pensio per Papam imponi possit beneficiis jurispatronatus, idque absque consensu patroni?*

1. Respondeo ad primum affirmativè; id enim expresè supponunt AA. quærendo ferè solùm, an patroni ad hoc consensus requiratur? Proinde

2. Respondeo ad secundum primò: Extra dubium esse, posse Papam de plenitudine potestatis beneficii, jurispatronatûs, etiam laicalis, imponere pensionem, irrequisito seu non curato patroni consensu; cùm & hæc beneficia uti & cetera omnia subdantur supremæ illius in beneficialibus potestati. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 361. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 2. *n.* 7.

3. Respondeo ad secundum secundò: Sed & minimè necessarium esse consensum patroni laici in impositione pensionis factâ à Papa, resolvit Rota *in Columbrien. pens.* 11. *Febr.* 1598. apud Garc. *loc. cit.* Idem absolutè tenet Gig. *de pens. q.* 23. *n.* 8. testans sic ex usu & stylo Curiæ receptum esse. Sequitur illum Ventrigl. *to.* 2. *Annot.* 11. §. 1. *n.* 11. & Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 1. hisce expressis (quibus

etiam rationem responsionis comprehendit) *respondeo posse* (nimirum inscio patrono constitui illam pensionem) *quia pensio in hujusmodi beneficio imposita nihil derogat juri patroni; beneficium siquidem sinè ejus consensu non confertur, sed postquam nutu ejus collatum alicui, pensio absque ejus consensu alteri reservatur. &c.* Hanc Gigantis sententiam approbat Lott. *l. 1. q. 35. n. 89.* eò quòd causam formalem pensionis statuat (intellige adæquatè) in consensu titularis, & auctoritate seu consensu Papæ. Hoc ipsum tamen referendum ad simplicem statum validitatis gratiæ seu reservationis pensionis ab initio; non autem ad illius durationem, eò quòd, nisi consensus patroni fuerit adhibitus, si patronus ad egestatem devenerit, ità ut alimentari debeat, procul dubio ad ejus instantiam removendum sit gravamen illud à beneficio seu ejus rectore; quia, cùm ille sit unus ex fructibus jurispatronatus, utique patrono, qui non consensit ab initio, non potuerit inferri præjudicium aliquod, Lott. *loc. cit. n. 90.* Azor. *cit. q. 1.* ubi: *si contingeret, ut patronus alimentis egeret, & utrique, videlicet ipsi & pensionario satisfieri ex fructibus beneficii nequiret, potior esset patroni causa, quàm pensionarii, est enim beneficium obligatum patrono; is autem, qui in aliqua re anteriorem hypothecam habet, jure præfertur. &c.* Subjungit autem Lott. *n. 91.* juxta Abb. *in c. postulasti. n. 2. & 5. de jurep.* consensum patroni fore necessarium, scilicet ne adveniente casu, quo ipse debeat recipere alimenta, pensio revocetur, & sic meliorem esse hanc responsionem quàm præcedentem. Sic etiam Castrop. *de benef. tr. 13. d. 1. p. 11. §. 2. n. 7.* ait; non esse censendum Papam habere eam voluntatem, nimirum constituendi pensionem in beneficiis jurispatronatûs laicorum, nisi id clarè exprimat, quia cedit in damnum Ecclesiæ quælibet hujus jurispatronatûs diminutio; sicut illius integra conservatio redundat in bonum Ecclesiæ, citat pro hoc Covar. *qq. pract. c. 36. n. 10.* Less. *l. 2. de just. c. 34. n. 20. &c.* Secus verò esse, sive non esse opus speciali derogatione in impositione pensionis in beneficiis jurispatronatûs Ecclesiastici; eò quòd patroni Ecclesiastici non ex fundatione, sed gratia Papæ juspatronatûs obtinuerunt.

4. Resp. ad secundum tertiò: Tametsi non necessariò requireretur consensus patroni, requiratur tamen, quòd in impetratione & constitutione pensionis in istiusmodi beneficio fiat mentio jurispatronatûs laicalis, ità ut aliàs pensio sit subreptitia, eò quòd, cùm difficiliùs ea beneficia gravare soleat Papa, requiratur desuper scientia in Papa; secus est de jurepatronatûs Ecclesiastico. Ventrigl. Garc. Azor. *ll. cit.* Etsi posteriores duo cum Gigante distinguant, veluntque id procedere in jurepatronatus laicali acquisito ex fundatione, dotatione vel ædificatione (idque etiam, ut expressè Azor, dum præter patronum istiusmodi est quoque patronus alter clericus; eò quòd tunc juspatronatûs perinde se habeat, acsi esset simpliciter laicorum) non verò in jurepatronatus laicali acquisito consuetudine, præscriptione vel privilegio, utpote quo neglecto vel expressè abrogato solet Papa conferre beneficia istiusmodi, & pensione gravare. Sic in specie de jurepatronatus regio ait Card. de Luc. *de pens. d. 58.* quòd in reservatione pensionis super beneficio istiusmodi jurispatronatûs regii requiratur patroni consensus, vel saltem specialis mentio de eo fieri debeat; cùm Papa non soleat facilè id agere sinè tali consensu.

Quæstio 465. An in casibus, in quibus Episcopus potest pensionem imponere beneficio, hæc ejus potestas extendat se ad beneficia juris patronatûs, ità ut in iis absque consensu patroni id possit?

REspondeo, negativam videri probabiliorem, maximè, si, ut ait Castrop. de patrono laico sit sermo. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 2. nu. 9.* (idipsum expressè extendens ad beneficia istiusmodi gravanda pensione etiam ad vitam tantùm beneficiati seu possessoris illorum) citans pro hoc Barbos. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 69. n. 21.* Zechium *de benef. & pens. c. 11. n. 7.* Rebuff. *in pr. p. 3. signat. n. 28.* contra Gig. *q. 23.* Gamb. *de off. Leg. l. 6. 2 n. 64.* Less. *de just. l. 2. c. 34. n. 207.* Item contra Garc. quatenus is *p. 1. c. 5. n. 359.* tenet, posse Episcopum imponere pensionem beneficio, dummodò ea non transeat ad successores in eodem beneficio; eò quòd hoc posterius cederet in considerabile præjudicium patroni propter præsentationem, quæ foret de beneficio gravato, & non libero. Item quatenus *n. 360.* tradit, posse Episcopum etiam pensionem transituram ad successores imponere beneficio sinè consensu patroni, & eo invito, si vocatus consentire nolit, si id cederet in majorem Ecclesiæ utilitatem. Quod ipsum improbat Castrop. *loc. cit. n. 10.* dicens, rarò vel nunquam adesse posse Ecclesiæ necessitatem, ut non possit consensus Papæ postulari, saltem ut pensio ad successores in beneficio transeat. De cetero rationem primariæ responsionis dat Castrop. *cit. n 9.* quòd negari nequeat, grave fieri præjudicium patrono, gravando ejus beneficium pensione, etiamsi ad solam beneficiarii vitam gravatum sit; eò quòd tali gravamine posito, beneficium, quod aliàs maximè appetebatur, vix sit, qui illud velit suscipere; quod præjudicium Episcopus tali patrono inferre nequeat, quia ultimis voluntatibus, ex quibus regulariter procedit tale juspatronatûs ex fundatione, præjudicare nequit; tum etiam quia uni à Papa approbato & confirmato, quale est illud jus patronatûs, derogare non valet; quæ tamen ratio, ut patet, non militat contra eos, qui tenent posse Episcopum beneficio jurispatronatûs imponere pensionem durantem solùm ad vitam beneficiati.

Quæstio 466. An, & qualiter Episcopatus gravari soleat & possit pensione?

1. REspondeo primò: Quin Episcopatus per Papam gravari possint pensione, dubium non est; solitos tamen non gravari, nisi ex magna causa, ajunt ex Gig. *de pens. q. 7.* & Paul. Rom. *de pens. c. 1. n. 1. in 1. causa.* Azor *p. 2. l. 8. c. 8. q. 7.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 35.* Hinc in Concilio Lateran. sub Leone X. statutum, ne mensis Episcopalibus imponantur pensiones, nisi ex causa resignationis, vel etiam alia, quæ in Consistorio secreto honesta, licita, & probabilis videatur. Ac proinde Papa, dum Episcopatibus per obitum vacantibus imponit pensionem, Concilio dicto derogare debet Lott. *l. 1. q. 40. n. 87.* Sed & derogare consuevit per clausulam istiusmodi: *non obstantibus constitutionibus cujusvis Concilii generalis*: cui aliàs, utpote constitutioni Concilii generalis non censetur derogatum per clausulam illam: *non obstantibus quibuscunque constitutionibus.* Azor *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: hodie ex Decreto Concilii Trid. *sess. 24. c. 13. de reform.* in Episcopalibus seu

seu Ecclesiis Cathedralibus, quarum reditus annui in vero valore non excedunt summam mille ducatorum, constitui nequit pensio; gravari autem possunt pensione, si dictam summam excedunt hi reditus; sed non nisi in eo, in quo dictam summam excedunt, ita ut semper Episcopo mille ducati remaneant liberi ab omni obligatione & onere; & sic, dum imponitur iis pensio, apponitur semper clausula: *dummodo mille remaneant pro Episcopo.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 393. & 394. Azor *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 34. dicens hoc Decretum Trid. esse in viridi observantia. Castrop. *loc. cit.* §. 4. *n.* 1. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 40. qui etiam *n.* 46. addit, quòd omissio dictæ clausulæ: *dummodo*, sit evidens signum, quòd Papa sciens ac volens gravarit talem Episcopum, licèt ejus fructus tenues essent, & derogarit Concilio; & citat pro hoc Rotã *in Ferentina. pens.* 23. *Jan.* 1602. Valor autem illorum ducatorum mille remanentium Episcopo intelligitur juxta valorem ducatorum illius regionis, in qua est Episcopatus. Garc. *loc. cit. n.* 373. Lott. *l.* 1. *q.* 11. *n.* 27. Ventrigl. *loc. cit. n.* 41. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 69. Zechius *de rep. Eccles. c.* 28. *n.* 4. Porrò Episcopatibus Hispaniæ, quia opulentiores sunt, solere Regem (qui in omnibus juspatronatus habet) ex auctoritate Papæ expediendas pensiones reservare usque ad tertiam partem, testantur Azor. *loc. cit.* Garc. *n.* 395. Paris. *loc. cit. n.* 39. Unde, ut Azor & Paris. in schedulis consistorialibus, Cardinalis, qui Ecclesiam vacantem denunciat, & à Papa petit, ut nominatum, præsentatum, oblatum à Rege Episcopum instituat, dicit in hunc modum: *Supplicatur pro expeditione pensionis annuæ in favorem personæ N. quæ una cum pensionibus antiquis (intellige, si fortè adhuc iis idem Episcopatus gravatus sit) non excedit tertiam partem.*

Quæstio 467. *An, & qualiter aliis beneficiis parochialibus, vel aliàs curatis imponi possit & soleat pensio?*

1. REspondeo primò, vel potiùs suppono, quæstionem hanc non procedere de Parochiis incorporatis alicui monasterio, & imponenda iis pensione in constitutione Vicarii, id enim dictum est suprà, fieri posse.

2. Respondeo secundò: Sed neque dubium hìc iterum esse posse, quin Papa beneficiis omnibus aliis curatis, sive magni, sive exigui valoris pensionem propriè talem, in ea quantitate, quæ sibi bene visa fuerit, imponere possit. Castrop. *l. c. n.* 1.

3. Respondeo tertiò: In parochialibus, quorum valor non excedit centum ducatos, pensio non imponitur juxta decretum Trid. *cit. c.* 13. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 5. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 21. Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 41. (dicens, reservationem talis pensionis nullam, si illa conditio remanentiæ centum ducatorum deficeret, etsi de cetero consentiat titularis etiam in defectu illius conditionis) Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 372. testantes sic usu, & ex stylo observari, æstimato illo valore secundùm valorem ducatorum loci, in quo est beneficium. Ventrigl. Garc. (qui tamen *n.* 373. *in fine* addit, quòd clausula *dummodò remaneant pro rectore centum*, intelligenda sit de ducatis de Camera, si fructus narrentur in ducatis de Cameta) Barbos. Castrop. citati pro hoc puncto *q. præced.* juxta declarationem S. Congreg. Concil. de qua testantur ijdem.

4. Respondeo quartò: Si verò parochialis fructus excedunt valorem 100. ducatorum, pensio solet reservari in & pro quantitate excedente dictum valorem. Garc. *l. c. n.* 374. Ventrigl. *cit. n.* 41. Azor *cit. q.* 5. Paris. *l. c. n.* 24. dicens, id mente tenendum; eò quòd antiquo tempore nõ habebatur hæc ratio, sed imponebatur pensio, usque ad tertiam partem in omnibus beneficiis, adeóque etiam in curatis, cum clausula: *modò tertiam partem non excedat*: quia hæc censebatur justa pensio.

5. Resp. quintò: In clausula illa apponi solita in constitutione illa pensionis: *modò pro rectore remaneant annuatim centum liberi*: *tò liberi* importat libertatem ab omni diminutione & gravamine, utpotè in sustentationem parochi deliguati. Garc. *n.* 376. Castrop. *loc. cit.* juxta dicta *q. præced.* de Episcopo. Veruntamen intelligitur hoc ipsum de oneribus & gravaminibus ordinariis, ita ut si deductis oneribus non remaneant liberi isti centum ducati, pensio dicatur nulla. Ventrigl. *l. c. n.* 44. citans Gig. *de pens. q.* 96. *n.* 2. ac dicens sic expresè decisum à Rota *in Roman. pens.* 6. *Nov.* 1619. quæ confirmata fuerit à Rota *in Crescentina pens.* 8. *April.* 1620. Nequaquam autem hoc intelligendum de oneribus extraordinariis, & de raro contingentibus, ità ut, si illis deductis non remaneant centũ illi ducati, non censeatur propterea pensio nulla, licèt minuenda pensio, nisi fortè ipsa pensio libera sit & immunis ab oneribus. Ventrigl. *l. c.* ex Gig. *ubi ante*, sic passim quoque ab aliis tradi asserens. Sic itaque remanere debent illi 100. deductis juribus Episcopalibus per parochum solvendis. Ventrigl. *l. c. n.* 45. citans Ricc. *in pr. p.* 3. *resol.* 109. *n.* 3. Item detractis expensis pro cera, hostiis, vino pro sacrificio, oleo pro lumine coram Eucharistia, pro musica in festo Sancti, sub cujus invocatione est Ecclesia, pro salario inservientis Missis & in summa detractis omnibus necessariis. Ventrigl. *cit. n.* 45. citans Barbos. *de clausulis. clausul.* 47. *n.* 9. Econtra non requiri, ut remaneant 100. detractis oneribus, quæ possunt per ipsum titularem subiri, & loquendo generaliter detractis oneribus arbitrariis & voluntariis, *ibidem* tradit Ventrigl. ex Barbos. *ubi ante n.* 8.

6. Resp sextò: Tametsi Castrop. *l. c.* dicat, nunquam Papam censendũ velle gravare pensione beneficia parochialia non excedentia valorem centũ ducatorum, tradit tamen Ventrigl. *l. c. n.* 46. quòd, si narrato vero valore beneficii curati, nihilominus reserver Papa pensionem in tali quantitate, ita ut non remaneant 100. liberi pro rectore, etiam quòd non derogetur expresè dispositioni Trid. pensionem fore validam, & censeri tacitè derogatum dictæ dispositioni, citat pro hoc Rotam *in Gegolien. tertiæ partis fructuum* 25. *Maij*, 1612. quam referat Barbos. *ubi ante clausul.* 47. *n.* 11.

7. Resp. septimò: Quod dictum hìc de beneficiis parochialibus, idem etiã dicendum de quovis alio curato; cùm Trid. loquatur indistinctè de Ecclesia curata. Ventrigl. *l. c. n.* 42. citans Anton. Maceratens. *in var. resol. l.* 1. *resol.* 31. *n.* 9. & 10. referentem sic à Rota decisum.

Quæstio 468. *Pro quo tempore debeant remanere illi centum ducati liberi pro Rectore, & illi mille pro Episcopo, ut pensio imposita sit & maneat valida?*

1. REspondeo: Debere illos remanere pro tempore constitutæ pensionis, ità ut, si tempore illo seu datæ remanebant (intellige, detractis oneribus ordinariis & necessariis solvendis) illi centum & illi mille, & postea tractu temporis diminuãtur, pensio imposita fuerit & remaneat valida, & non cassanda; & econtra, si pro tempore illo constitu-

tionis pensionis non remanebant illi mille & centum, etsi dein augeantur fructus, pensio ab initio invalida non convalescat; cùm in hoc casu semper attendatur tempus datæ, & conditio illa (nempe remanentiæ centum pro Rectore & mille pro Episcopo) sub qua Papa gratiam pensionis concedit, non debeat stare in suspéso, nec variari secundùm eventus futuros. In ordine tamen ad reducendam pensionem seu diminuendam, attendendum etiam tempus futurum, ita ut si centum & mille illi remanentes pro tempore cõstitutæ pensionis, tractu temporis diminutis fructibus non remaneant ampliùs, ita ut Rector & Episcopus non possint se sustentare ampliùs congruè, & onera incumbentia curæ præstare, etsi pensionem annullari non liceat, peti tamé possit eam diminui, & ad convenientem quantitatem reduci. Ita in quam docent Garc. *p. 1. c. 5. n. 398. juncto n. 399 & 400.* quem sequitur Ventrigl. *l. c. n. 47. juncto n. 48.* citantes Navar. *cons. 13. de rescrip.* Tiber. Salust. *in pr. Auditor. Camer. l. 3. c. 1. n. 11.* Cæsar *de Graff.* Caputaq. &c. citátq; specialiter Ventrigl. pro posteriore potissimùm parte hujus doctrinæ Gig. *de pens. q. 5. n. 4. & q. 53. n. 5.* & Paril. *l. 6. q. 2. n. 143.* ubi tamen is expressè solùm ait, solere apponi clausulam, quòd annullari, reduci aut minui nequeat pensio, quæ nisi addatur, decrescentibus dein fructibus seu reditibus, pensionem reddendã invalidam, vel saltem reducendam ad minorem sumam.

2. Eatenus tamen in contrarium se sentire putat Castrop. quatenus *cit. §. 4. n. 4.* tradit, illos centum pro Rectore, & mille pro Episcopo non solùm pro tempore gratiæ & reservationis verificandos esse, sed etiam successu temporis firmos remanere debere; eò quòd quantitas illa assignata sit in sustentationem parochi & Episcopi; ad hunc autem effectum æquè necessaria sit quantitas illa successu temporis, ac tempore gratiæ; adeóq; licèt gratia Papæ quòad præsentem valorem non dependeat à futuro eventu, sed à præsente conditione, cùm de præsente constare possit, remaneántne 100. pro Rectore & mille pro Episcopo, quòd ad durationem & conservationem valoris gratiæ hæc gratia pendeat ex futuro eventu dictæ conditionis, cui annectitur; & sic conditione hac tractu temporis deficiente, pensio non subsistit, saltem pro illa parte sui, nimirum quæ opùs est ad supplendum, quod deficit, ex illis centum Rectori, vel ex illis mille Episcopo. Veruntamen reipsa non multùm recedere videtur hucusque à Garcia; cùm & is expressè dicat *n. 400.* eumque sequentes libenter admittant, in casu non remanentiæ istorum centum peti posse reduci seu imminui pensionem, si ab initio remanebant illi 100. Dixi hucusque non multùm recedere Castrop. à Garcia; nam ei, quod postmodùm Garcias *n. 403.* tradit; nimirum, si computatis funeralibus & ingressu remaneat Rectori congrua, non posse eum petere reductionem pensionis, non obstante, quòd tempore reservationis debent remanere Rectori centum in fructibus parochialis, ei inquam, directè contrarium asserit Castrop. *cit. n. 4.* nimirum, illos centum, qui deductâ pensione & oneribus remanere debent, non esse aliter computandos successu temporis, quàm computabantur in principio, adeóque, cùm à principio computabantur in fructibus certis beneficii, successu temporis sic quoque & non aliter, seu in aliis incertis computari debent. Item quod Garc. tradit *n. 422.* nimirum, si pensio ab initio ex consensu resignantis imposita in tanta quantitate, & non aliter, eam simpliciter fore nullam, dum postmodum tractu temporis decrescentibus reditibus, ea præstari non potest integra, remanentibus illis 100. Rectori; eò quod in isto casu pensio sit individua, unde in minori summa deficit consensus resignantis, & consequenter consensus Papæ super illo consensu resignantis fundatus. Secus autem sit, si pensio reservata super beneficio vacante per obitum, vel aliàs extra prædictum consensum conditionalem resignantis, nimirum, quòd tunc clausula illa: *modò remaneant* 100. *Rectori:* non operetur nullitatem pensionis, sed solùm reductionem illius; hoc primum inquam directe improbat Castrop. *l. c. n. 5.* etsi probet posterius; eò quòd ex hac Garciæ doctrina sequatur, pensionem integrè solvendam, quamvis successu temporis nec 100. nec congrua remaneat titulari; durum autem sit, titularem obligatum esse, inservire beneficio absque stipendio justo ei à jure assignato. Ac proinde censet ipse, resignationem firmam esse; cùm præsumendũ non sit, velle actum facere inutilem, & consequetèr credendum est, velle (intellige, in casu decrescentiæ redituum) ut resignatario remaneant ea, quæ illi à jure conceduntur, scilicet 100. Rectori, & mille Episcopo, ne aliàs haberet voluntatem iniquam & juri contrariam, quod præsumendum non est. Ac ita tacitè eum velle, ut in casu istius diminutionis fructuum pensio ad minorem, & juri proportionatam quantitatem reducatur. Plura de his in sequentibus, ubi de quantitate & reductione pensionis.

Quæstio 469. Utrum Abbatiis consistorialibus, hoc est, quarum Abbates à Sede Apostolica suarum electionum confirmationem obtinere habent, seu quæ à Papa conferri debent, & in Consistorio à Papa providentur, ut Tamb. de jure Abb. to. 1. d. 13. q. n. 4. *imponi possit pensio?*

REspondeo: Eam iis imponi non posse ab Ordinariis, seu auctoritate Ordinariorum; quia id esset jurisdictionis Episcopalis, cui præfatæ Abbatiæ minimè subjiciuntur. Tamb. *l. c.* quin tamé illis imponi possit pensio à Papa, nullatenus dubitatur.

Quæstio 470. An, & qualiter imponi possit pensio beneficiis simplicibus, puta Canonicatibus, &c.?

1. REspondeo primò: Beneficio simplici non excedenti 24. ducatos de Camera, non solere imponi pensionem. Azor. *p. 2. l. 8. c. 8. q. 7. in fine,* citans Mandos. *de signat. gratiæ & just. tit. pensiones.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 27.* (qui tamen ait, se tempore Sixti V. vidisse servari contrarium, nimirum beneficio non excedenti valorem 24. ducatorũ imponi pensionem) Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 39. in fine.* Castrop. *cit. §. 4. n. 2.* Idem est de Canonicatu & dignitate non excedente valorem centum ducatorum. Paris. *n. 28.* Castrop. Azor. *ll. cit.* Ratio horum est, ut inquit Castrop. quia æquum est hanc tenuem summam relinqui pro alimentis beneficiati.

2. Respondeo secundò: Beneficia simplicia, & in specie Canonicatus & dignitates excedentes hanc summam, pro parte hujus excessûs gravare solet Pontifex pensione. Castrop. Azor. *ll. cit.* Porrò in qua quantitate reservari possit in iis pensio, dicetur §. *seq.* An verò beneficia non excedentia quidem valorem 24. ducatorum, spectatis purè ac propriè fructibus, longè tamen illum excedentia spectatis proventibus quotidianarum distributionum, quæ pro interessentia in choro iis beneficiatis

designatæ sunt, gravari possint & soleant, dicetur paulò post de constituta pensione in distributionib⁹.

Quæstio 471. *An, & qualiter imponi possit pensio præbendis theologalibus?*

REspondet Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 51.* negativè, dicens, hanc esse indolem præbendæ theologalis, ut nullius pensionis onere gravari possit, ejusdémq; exemptionis privilegio potiri præbendas præceptoriales: citat pro hoc Lover. *lit. P. n. 46.* subjungit tamen *n. 52.* quòd nihilominus is, qui resignationi consensit, & qui hujusmodi beneficia sub onere pensionis sibi resignata acceptavit, quamvis reclamaret ad pensionis solutionem, condemnatus tamen sit ratione perfidiæ & doli.

Quæstio 472. *An imponi possit & soleat pensio super beneficiis commendatis?*

REspondeo: Posse imponi Abbatiis aliisque beneficiis, quæ hodiedum de more commendantur, hoc est, non in perpetuum; cùm illa idem juris habeant, quod beneficia collata. Tamb. *de jure Abb. to. 1. d. 13. q. 7. n. 3.* Azor *p. 2. l. 8. c. 8.* q. 8. Paris. *l. 6. q. 2. n. 19.* citantes Gamb. *de pot. Leg. tit. de pens. n. 154. &c.*

Quæstio 473. *An ex causa resignationis imponi possit pensio super beneficio tertio, hoc est, non in beneficio resignato & collato Ioanni, sed in alio beneficio, quod idem Ioannes jam ante habebat?*

REspondeo affirmativè; sic Azor *l. c. q. 9.* ait, usu receptum, ut clerico dimittenti suum beneficium in favorem alterius, reservetur seu constituatur pensio in alio beneficio, quod resignatarius habebat, nimirum si beneficium resignatũ nequit onus pensionis sustinere ob tenues suos reditus; tunc enim imponi pensionem vel simpliciter in aliis resignatarii beneficiis, vel simul in beneficio ei resignato, & in alio ab eo jam antè habito.

Quæstio 474. *An imponi possit pensio super fructibus Ecclesiæ, seu beneficii necdum erecti?*

REspondeo negativè: Conrad. *in pr. benef. l. 2. c. 7. n. 7.* cùm enim tale beneficium non sit in rerum natura ante erectionem ejus in titulum, per consequens super eo imponi nequit pensio: & sicut Ecclesia non erecta in titulum non potest impetrari, ita etiam nequit ùt beneficium gravari pensione; quia hoc esset dare accidẽs sine subjecto, quod neq; natura, neque jus admittit. Conrad. *l. c. n. 8. & 9.* ubi etiam, quòd proinde fuerit annullata pensio, etiamsi pensionarius esset in quasi possessione exigendi.

Quæstio 475. *Num super fundo unius beneficii imponi possit pensio pro dote alterius beneficii?*

REsp. affirmativè. Lott. *l. 1. q. 3. n. 17.* citans Abb. *in c. conquerente. de cleric. non resid. n. 1.* Gig. *de de pens. q. 28. n. 20.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 42.* Ratio est, quia hoc onus reale & perpetuum est, non extinguibile cum persona, sed cum ipsa re transmissibile ad quemcunque possessorem seu successorem. Lott. *ibid. n. 18.* Neque etiam minùs talis reditus annui assignati in dotem beneficii, si ex certo fundo debeantur, dicantur fructus fundales, seu reditus veluti cohærentes fundo, cujus propterea naturam sortiuntur, quam dicatur dotalis fundus, seu dotale prædium, quod in dotem datum est mulieri. Lott. *loc. cit. n. 15 & 16.*

Quæstio 476. *An ex causa resignationis constitui quoque possit pensio super beneficio tertii, v. g. Titio resignanti in favorem Caji, constitui pensio in beneficio Sempronii?*

REspondet affirmativè Azor *loc. cit. q. 10.* dum nimirum beneficium resignatum adeo tenue est, ut pensionem ferre nequeat, neque etiam Cajus resignatarius aliud beneficium habeat, in quo dicta pensio constitui possit: nihil enim vetare, quòd minùs id fiat auctoritate Papæ, & hac ratione evitetur omnis species simoniæ. Idem tenet Paris. *l. 6. q. 2. n. 20. & 23.* dicens, solere id fieri etiam in resignatione parochialis, dum ejus valor non excedit centum ducatos; quamvis expressè subjungat *cit. n. 23. in fine* hæc verba: *pensio autem super beneficio tertii non de facili conceditur ob fraudes, quæ fieri possent.* Ait etiam Azor, minimè hâc ratione imponi pensionem Cajo dissentiente. Unde infertur, multò magis requirendum illius tertii, nimirum Sempronii consensum, utpote qui gravatur non gravato Cajo. Porrò talem impositam pensionem super beneficio tertii validam fore, etiamsi excedat medietatem fructuum, ait Paris. *loc. cit. n. 64. in fine.*

Quæstio 477. *An pensio reservata super pluribus beneficiis intelligatur reservata in solidum?*

REspondeo: Non esse intelligendam reservatam in solidum, sed pro rata. Lott. *l. 1. q. 38. n. 20.* citans Abb. *in c. constitutus. de religios. domib. n. 8.* cujus doctrinam secutam ait esse Rotam, ita ut jam, si Papa reservavit pensionem super pluribus beneficiis, quibus unum eundémque providit, & dein eo proviso seu titulari mortuo singula illa beneficia gravata singulis personis conferat, pensionarius agere non possit contra unam illarum pro solida pensione, utì id posset, & foret in ejus electione retinere solidam pensionem super uno corpore illorum beneficiorum, modò id esset illius capax, si reservatio pensionis facta in solidum. Lott. *loc. cit. n. 19. juncto n. 21.* Eandem doctrinam tradit Lott. *l. 1. q 39. n. 84.* ubi ait, reservatâ pensione super pluribus beneficiis vel principaliter unitis, vel ex dispensatione uni tantùm collatis, si vel sequatur unionis dissolutio, vel pluribus ea contingat conferri, fiet divisio oneris, nempe pensionis pro modo fructuum singulorum. citat pro hoc Mantic. *decis. 224. n. 2. & 3.* & Rotam *decis. 181. n. 3. p. 1. recent.* Idem jam ante Lott. docuerat Paris. *l. 6. q. 2. n. 64.* ex Gamb. *de pot. Leg. l. 6. tit. de pens. n. 667. & n. 664.* ubi is: quòd si duo illa beneficia gravata pensione erant æqualis valoris, æqualiter onus dividi debere, si inæqualis valoris, divisio facienda pro rata fructuum.

Quæstio 478. *An, & qualiter pensio reservetur, & residere dicatur in fructibus?*

1. REspondeo tametsi causa materialis pensionis est certa pecuniarum quantitas, pensio tamen imponitur & imposita dicitur super fructibus & emolumentis, quatenus hi fructus sint in simplice obligatione, non autem in solutione. Lott. *l. 1. q. 35. n. 52.* usus siquidem Sedis Apostolicæ non est, reservare pensiones de fructibus, sed de certa pecuniæ quantitate. Lott. *ibid. n. 53.* Et licèt ex magna causa & intuitu personæ alicujus eximiæ concedatur quandoque gratia reservationis fructuum, vel quotæ illorum, ea tamen non dicitur pensio, sed reservatio fructuum aut quotæ nuncupatim

patim loco pensionis, quod innuit, illam esse quid penitus distinctum ab ista. Lott. *num.* 55. Ex quo is, cui reservati fructus aut illa quota fructuum propriâ auctoritate, & ex se percipit fructus ad instar usufructuarii, nisi fortè quota illa taxata esset ad certam quantitatem pecuniarum, in quo casu illam non reciperet, nisi de manu gravati, sicut pensionarius pensionem. Lott. *loc. cit. n.* 56. *juncto. nu.* 58. Unde etiam reservatarium illum fructuum non teneri justificare valorem narratum; cùm gratia non sit de quota valoris, sed de quota fructuum, quam omninò percipit, sive fructus sint in magna sive in minima quantitate, ait Lott. *n.* 57. In eo ita que sensu subsistantia pensionis residere dicitur in fructibus, qui sunt ejus subjectum, ut inquit Card. de Luca. *de pens. d.* 1. *nu.* 18. nimirum quòd pensio sit onus fructuum, & ipsis fructibus inhærens, & debita ab eo, qui fructus percipit, ita ut, licèt cohæreat beneficio, tamen magis inhæreat fructibus, illósque tantùm sequitur. Barbos. *juris eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 93. Cujus ratio non est alia, nisi quia de intentione Papæ, dum pensionem reservat, est, gravare illius fructus, super quibus imponitur pensio, & non beneficium, ut est beneficium, qui propterea dicuntur pro ipsa pensione affecti & hypothecati. Barbos. *loc. cit.* Quamvis autem hoc nomen *fructus* in propriissima sua significatione aliud nihil significet, quàm id, quod ex fundo funditur & renascitur; in latiore tamen significatione omne emolumentum & commodum complectitur. Lott. *cit. q.* 35. *nu.* 61. *&* 62. Quin & hæc omnia generaliore adhuc voce, quàm est vox *fructus* exprimuntur, nempe voce *reditus annui.* Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 22. In summa itaque duo sunt veluti subjecta pensionis, quorum unum est in obligatione, nimirum fructus seu reditus annui, alterum in solutione, idque nihil aliud est, quàm pecunia. Lott. *cit. q.* 39. *n.* 1.

2. Porrò sicut pecunia hic non accipitur in latissima illa significatione, ita ut ejus appellatione veniat omne, quod, ut ait Aristoteles *Eth.* 4. *c.* 1. nummo mensuratur, ità nec econverso accipitur ita strictè, ut ejus appellatione veniat duntaxat æs cusum, ut vulgò accipitur, sed servata analogia id solùm comprehendimus, quod constat numero, pondere, mensura. Lott. *cit. q.* 39. *n.* 2. unde nil vetat, quin pensio reservetur (intellige solvenda, seu quò ad solutionem) in quantitate certa tritici, vini, olei &c. Lott. *ibid. n.* 7. Appellatione verò fructuum, in quibus quò ad obligationem statuitur pensio, non veniunt distributiones quotidianæ, etiamsi persolvantur, & sint ex fructibus. Lott. *cit. q.* 39. *n.* 23. juxta *c. licet. de præb.* & Gemin. *cons.* 85. *n.* 23. quos citat. unde condemnatus in fructibus, non censetur condemnatus in distributionibus. Lott. *ibid. n.* 26. sed de hoc postremo mox plura.

Quæstio 479. *An, & qualiter alternativè in quantitate rei. v. g. in quantitate certa tritici, vini, olei &c. vel in quantitate pecuniæ, accipiendo nomen illud in strictâ illa significatione pro ære cuso, seu pro moneta reservetur pensio.*

REspondeo, id quandoque fieri, ita ut tunc electio sit penes pensionarium, ut præstetur seu solvatur pensio vel in certa illa quantitate rerum hujusmodi, vel in certa quantitate pecuniæ, ità ut si mallet sibi solvi in pecunia, hæc succedat loco frumenti, pensionario sic volente & eligente. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 2. *n.* 12. (quamvis addat, talem reservationem alternativam pensionis rarò admitti in Dataria) Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 7. qui etiam ait, id ita accipiendum de hac electione, ut si verba sint clara, eorundem sensum sequamur: si sint dubia, dum gratia facta favore pensionarii, pari modo id interpretemur, nempe, ut electio sit penes pensionarium; quemadmodùm in alternativa posita ad favorem creditoris, ipsius electio est penes hunc, & non penes debitorem, juxta Cassan. *ad consuetud. Burgundiæ.* 9. *l.* 9. §. 21. *n.* 1. Procedere idipsum, nimirum electionem fore penes pensionarium, etiamsi tempore reservationis inter alternata fuisset inæqualitas, etiam dum verba sunt dubia, & stante dubietate aliàs facienda interpretatio pro eo, quod minus est, eò quòd in præsenti casu seu materia reservatio illa alternativa sit de consensu titularis, idipsum, inquam, censet Lott. *loc. cit.* à*n.* 12. Censet tamen *n.* 18. pensionarium factâ semel electione non posse variare; eò quòd electionem non habeat simpliciter vi solius disjunctivæ orationis, quo casu semper mutari posset voluntas, sed eam habeat qualificatam ex concesso sibi arbitrio, quod illico per electionem consumitur.

Quæstio 480. *An, & qualiter imponatur pensio super fructibus seu reditibus incertis?*

1. REspondeo primò, non super incertis, sed tantùm super certis ex stylo curiæ imponitur pensio. Lott. *cit. q.* 39. *nu.* 36. citans Gig. *cons.* 35. *n.* 7. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 379. Idque etiamsi diceretur: *super reditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis universis.* Garc. *ibid. n.* 380. citans Rodriq. *qq. regul. to.* 3. *q.* 74. *a.* 4. quamvis *n.* 381. dicat, fuisse resolutum in Rota *in Augustan. Præpositura* 13. *Jan.* 1559. verba illa: *juribus & obventionibus universis*: posita in supplicatione comprehendere omnes reditus, cujuscunque sint qualitatis. Et sic in specie, sub verbis: *fructus, reditus, proventus, jura, emolumenta canonicatuum* (intellige in hac materia pensionis imponendæ) non comprehenduntur anniversaria & manualia missarum & eleemosynarum. Nav. *cons.* 13. *n.* 1. *de cleric. non resid.* apud Garc. *n.* 385.

2. Respondeo secundò à dicto stylo Curiæ tunc receditur, cùm etiam super incertis expresè imponitur pensio, uti id quandoque fit. Lott. *loc. cit. n.* 37. qui etiam addit, in eo casu illud incertum cadere sub æstimatione, & inter incertos illos reditus reputari etiam omnes qui potuerunt percipi, & ob socordiam aut negligentiam titularis percepti non fuerunt.

Quæstio 481 *An, & qualiter reservari possit & soleat pensio in distributionibus quotidianis?*

1. REspondeo primò: non minùs distributiones quotidianæ, quàm fructus & alii quicunque proventus & reditus sunt receptibiles seu capaces obligationis pro pensione. Lott. *l* 1 *q.* 39. *n.* 32. cujus *ibidem* hanc dat rationē, quia Papa intelligitur eas afficere antequam inter præsentes distribuantur. Idque etiam in præjudicium juris accrescendi inter præsentes, sive ita, ut huic juri accrescendi pro modo pensionis locus non sit, repugnante nimirum Papæ voluntate. Unde etiam, quando Papa reservat pensionem nuncupatim etiam

iam super distributionibus, non attenditur, an sit præstitum servitium, vel secus; cùm non attendatur servitium, sed simplex destinatio. Lott. *l. c. n.* 34.

2. Respondeo secundò: dum Papa reservat alicui fructus aut eorum partem loco pensionis, semper eos expresè distinguit à distributionibus quotidianis, eásque excipit in individuo. Proindeque in tali casu non est satis reservatario agenti pro executione suæ gratiæ probare, exstare tales vel tales reditus, nisi etiam justificet, eos non esse distributiones quotidianas, neque ad illas pertinere. Lott. *loc. cit. n.* 35.

3. Respondeo tertiò: Quin etiam hodiedum nullo casu intelligitur reservata pensio in distributionibus, nisi hoc ipsum sit expressum, adeóque sub illis verbis positis in pensionis concessione: *super reditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis*: non veniunt hodiedum distributiones quotidianæ (quidquid in contrarium aliàs senserit Rota *in Toletan. pension.* 1565. & *in Toletan. parochiali.* 29. *Apr.* 1592. apud Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 282. & 283.) Lott. *loc. cit. n.* 36. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 4. *nu.* 3. Garc. *loc. cit. nu.* 387. ubi ait: *Data ria & Cancellaria per illa verba non intelligit distributiones & incerta, ut intellexi Romæ à quodam Notario Cancellariæ, & constat &c.* contra Boërium. *decis.* 224. *n.* 5. Gutt. *cons.* 8. *à n.* 4. Mand. *cons.* 35. *n.* 7. Abb. &c. apud Garc. *n.* 384. visos sentire, quòd per verba: *quibuscunque aliis reditibus*: comprehendantur distributiones quotidianæ. Idque etiam, sive omnia emolumenta seu reditus consistant in meris distributionibus quotidianis, sive eorum pars aliqua. Lott. *loc. cit. n.* 36. Tametsi, ut idem Lott. præmiserat *nu.* 27. in eo casu, dum omnes reditus consistunt in istis distributionibus, idem feratur de iis, quod de fructibus, judicium, veniantque & censeantur nomine fructuum, hanc interpretationem suadente subjectâ materiâ. Ab ista tamen regula universali, quam statuunt Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8 *q.* 17. Castrop. *loc. cit.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 386. & alii passim: beneficia (etiam quorum potiores proventus consistunt in distributionibus quotidianis, ut sunt ferè Canonicatus Hispaniæ, de iis enim loquitur Castrop.) non censentur gravari pensione ex clausula, quæ pensionem imponit super reditibus, fructibus proventibus beneficii: excipiunt quidam eorum hunc casum, seu censent etiam pensione gravari distributiones, etiamsi id explicitè non diceretur, dum nimirum absque eo id satis ex subjecta materia & Curiæ stylo constaret; ut, si in narratione dictum fuerat, beneficium 24. ducatorum valorem non excedere, & hoc non obstante imponatur pensio centum & ampliùs, absque dubio tunc censenda est imposita pensio in distributionibus, ne dicamus concessionem esse vanam & inutilem. Ita Garc. *loc. cit. n.* 388. Azor. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit.* quamvis hic, postquam hanc exceptionem posuerat, expresè subjungit: *ut autem tota dubitatio tollatur, quoties Papa intendit distributiones has gravare, id exprimit hac clausula appositâ: etiamsi in solis distributionibus, & non nisi præsentibus & divinis officiis interessentibus dari, & per eos lucrari consuetis.* Unde jam infero &

4. Respondeo quartò: juxta sententiam Lott. nempe, quòd hodiedum, ut ait, in nullo casu, etiam dum omnes reditus consistunt in distributionibus, hæ non intelligantur gravari pensione, nisi idipsum exprimatur: Canonicatus & dignitates non excedentes valorem 24. ducatoum spectatis, eorum propriè proventibus, excedentes tamen illum valorem spectatis quotidianis distributionibus, ad mille etiam ducatos ascendentibus, non censeri gravari pensione, nisi idipsum exprimatur, nimirum pensionem imponi super istis distributionibus, pro quo etiam sentire videtur Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 29. ubi ait: *aliquando exprimitur præbenda valere* 30. *distributiones* 100. *& solet tunc concedi pensio* 30. *aut* 50. *& sic distributiones quotidianæ computantur cum clausula; etiamsi in solis distributionibus.* &c. Secus videtur dicendum juxta dictam Garciæ & Azor exceptionem, quòd scilicet in dicto casu, saltem si narrato valore 24. ducatorum, adhuc constituatur in tali beneficio pensio, expressione aliâ opùs non sit, subjectâ materiâ satis suadente, esse tunc mentem Papæ gravandi has distributiones.

Quæstio 482. *An, & qualiter imponatur pensio super massâ grossâ, ac aliis reditibus communibus, qui dividantur inter eos, qui certis temporibus intersunt?*

Respondeo: de his pariter ac de aliis distributionibus quotidianis loquendum. Paris. *l.* 6 *q.* 2. *n.* 32. hoc est, quod sicuti in quotidianis distributionibus pro præsentibus & servientibus jure antiquo non imponebatur pensio, jure tamen novo in iis imponitur pensio, dum in iis consistunt reditus beneficii; id tamen nunquam fieri intelligatur, nisi exprimatur, ità etiam super massa illa grossa antiquitus non imponebatur pensio (cum esset universalis regula: quod ubicunque requireretur certum servitium, ad consequendos fructus, iis pensio non possit imponi. ut Gamb. *de post. leg. l.* 6. *n.* 20.) sed de jure & stylo novo, ità tamen, ut fieri id non censeatur nisi exprimatur. Filliuc. *in append. post. de stat. cler. tr.* 42. *c.* 5. *q.* 2.

De quantitate & reductione pensionis.

Quæstio 483. *An, & in qua quantitate constituenda pensio?*

1. Respondeo ad primum: Pensio constituenda est (intellige, qnò ad solutionem) in quantitate v. g. 100. vel 50. ducatorum, & non in quota v. g. in dimidia, tertia, vel quarta parte fructuum; eò quòd hoc posterius videatur esse scindere beneficium, quod vetitum est *c. majoribus.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 362. citans Gig. *de pens. q.* 8. Caccialup. *eod. tr. q.* 6. Rebuff. *de pacif. poss. n.* 121. *aliàs* 104. Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *nu.* 11. & plures alios. Atque ita observat Papa, & habet stylus Curiæ, ut non nisi reservatio fructuum, aut pars illorum ex causa resignationis cum Cardinalibus admittatur. Garc. *loc. cit. n.* 363. Adeóque jam Papâ inferiores nullatenus valebunt pensionem in dicta quota imponere. Garc. *n.* 364. etsi subjungat: de ceterò, inspecto jure communi, satis probabilem esse sententiam oppositam Corasii *de benef. p.* 1. *c.* 4. *n.* 10. & 11. eò quòd ex constitutione quotæ non videatur dividi beneficium, quodque tunc propriè fiat, cùm ex uno beneficio fiunt duo, pensio autem non sit beneficium, & ea morte pensionarii extinguatur.

2. Respondeo ad secundum primò: oportere pensionem moderatam esse, ità ut remaneat titulari seu rectori beneficii, unde is congruè sustentetur. Garc. *loc. cit. nu.* 366. citans Caccial. *de pens. q.* 7. Gig. *eod. tr. q.* 4. *n.* 1. Coras. *ubi ante. n.* 7. Abb. in

in c. conquerente. de cler. non resid. Rebuff. *ubi ante. n.* 134. *aliàs.* 116.

3. Respondeo ad secundum secundò: olim imponebatur pensio usque ad tertiam partem reditnum in omnibus beneficiis, & hæc judicabatur justa pensio, apponebatúrque clausula: dummodo tertiam partem non excedat. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 24. citans Paul. Rom. *de pens. c.* 1. *n.* 6. Caccial. *eod. tr. q.* 9. Gig. *q.* 7. Rebuff. *in pr. de reservat. tam general.* &c. *n.* 19. *aliàs* 31. sic in specie ex praxi Curiæ ante Trid. etiam Parochiales gravabantur usque ad tertiam partem fructuum, sicut quæcunque alia beneficia, & in Parochialibus quoque adijciebatur clausula: *modò tertiam partem non excedant.* Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *nu.* 27. sic non posse concedi pensionem ultra tertiam partem, eâ ratione, quòd æquum non sit, ut qui minus meretur, qualis est pensionarius, minus præstans Ecclesiæ quàm titularis, plus exigat, defendunt Comitul. *l.* 1. *resp.* 86. Paponz. *l.* 3. *tit.* 5. *Arresto.* 8. *&* 10. apud Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 39.

4. Respondeo ad secundum tertiò: hodiedum de stylo beneficia simplicia regulariter gravantur ad medietatem & non ultra. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 55. Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 38. Corrad. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. nu.* 26. Item Ricc. *in pr. p.* 3. *resolut.* 109. *nu.* 4. Boër. *decis.* 162. apud Ventrigl. *loc. cit.* quamvis dicat; nihil quidem certum determinatum esse hac in parte circa beneficia non curata, sed esse arbitrarium; videre tamen nos passim servari, ut in beneficiis non curatis valorem 24. ducatorum excedentibus non imponatur pensio ultra medietatem. Idem forè ait Garc. *loc. cit. n.* 371. nempe circa quantitatem pensionis non posse dari certam regulam in beneficiis non curatis; eò quòd licèt Parisius & alii quidam dicant, de stylo hodie regulariter dari in iis pensionē ad medietatem, videamus tamen etiam sæpe dari ultra medietatem.

Quæstio 484. *An, si pensio excedat medietatem, vel etiam aliàs fuerit excessiva tempore Datæ, sit penitus nulla, aut debeat annullari?*

1. Respondeo: Non convenire in hoc AA. nam quòd, si pensio excederet medietatem fructuum beneficii gravati, non ideo annullandam esse, sed reducendam ad legitimam quantitatem, tenet Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 144. quod ipsum procedere ait Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. § 4. *n.* 43. etiamsi reservata cum dicta clausula: *dummodò medietatem fructuum non excedat*; eò quòd pensio in eo casu non vitietur in totum, sed solùm in excessu. citat pro hoc Mantic. *decis.* 153. *nu.* 2. Gratian. *discep. for. discep.* 995. *n.* 11. Idem tenet Garc. *p.* 1. *c.* 5. *à n.* 417. pro quo multas adducit auctoritates & Rotæ decisiones.

2. Contrarium, nempe si pensio (idque, sive simus in pensione super beneficio curato, imposita cum clausula: *dummodò tot remaneant rectori*; sivè in pensione super simplici, cum clausula: *dummodò medietatem, vel talem partem fructuum non excedat*) tempore datæ excedat vel in minimo, etiam in totum corruere, seu nullam esse quo ad totam, ità ut reductioni locus non sit, eò quòd clausulæ prædictæ videantur continere protestationem Papæ; quòd nisi res se ita habeat, nolit gratiam aliquam fecisse, & sic consideretur tunc tanquam unum integrale, quod non potest pro una parte valere, & pro altera parte non. sic inquam, tenent Barbos. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 39. §. 3. *n.* 45. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 54. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 49. citantes Gig. *de pens. q.* 35. *n.* 2. Rotam. *decis.* 626. *nu.* 6 *p.* 1. *divers.* Vide de hoc plura supra.

3. Porrò extenditur hoc ipsum primò, ità ut sive prædicta clausula: *dummodò*, importet modum sive conditionem (licèt enim inter conditionem & modum hæc sit præcipua differentia, quòd conditio suspendat, modus verò secus; modus tamen adhuc ipsam obligationem coarctet, ità ut nisi impleatur, nihil debeatur. *l. si tibi legatum. ff. de legat.* Lott. *cit. q.* 38. *n.* 41.) nihil actum censeatur, donec plenè sit justificata. Lott. *loc. cit. nu.* 40. Ventrigl. *loc. cit.* 50. Secundò; ut licèt titularis sit obligatus ad solutionem pensionis in forma Cameræ, adhuc astringi nequeat ad solutionem prædictâ clausulâ non justificatâ. Ventrigl. *num.* 51. citans Rotam. *in Asculan. pens.* 7. *Feb.* 1586. *& in Firmian. pens.* 14. *Decemb.* 1592. Tertiò, ità ut per dictam clausulam suspendatur gratia reservationis pensionis, ut ante illius justificationem pensio non dicatur debita, nec titularis cogi possit ad eam solvendam, nisi per modum manutentionis, dum pensionarius esset in quasi possessione exigendi. Ventrigl. *n.* 52. citans Cassador. *decis.* 10. *n.* 8. *de rescrip.* Rotam. *decis.* 547. *nu.* 2. *p.* 1. *recent.* Quartò, ut nec contra eum, qui consensit pensioni tali, agi possit ad solutionem illius, dictâ clausulâ non justificatâ; eò quòd iste consensus æquè ac gratia, cui accedit, habeant hanc tacitam conditionem: *dummodò* &c. in ventre. Lott. *n.* 46. *&* 47. Ventrigl. *nu.* 53. citans Cassador. *decis.* 8. *n.* 8. *de rescrip.* Mohed. *decis.* 9. *n.* 1. *&* 2. *de caus. possess.* Quintò, ut clausula dicta sit justificanda, etiamsi pensio imposita esset moru proprio. Ventrigl. *n.* 54. citans Rotam *in Neritonens. pens.* 15. *Nov.* 1601. Vide de hac necessitate justificandi dictam clausulam plura infra, ubi de obligationibus pensionarii.

3. De cetero in casu pensionis reservatæ resignanti, qui resignavit, reservatâ sibi pensione tantâ, & non aliàs, nec aliter, nec alio modo, dictam clausulam *dummodo* &c. causare nullitatem pensionis in totum si excedat; eò quòd tunc sit individua, quia jam deficit consensus resignantis, & consequenter etiam super eo fundatus consensus Papæ, tenent Garc. *nu.* 422. Card. *de Luc. de pens. d.* 12. *n.* 4. *& d.* 14. *n.* 2. etsi ejus contrarium, ut vidimus *q. ante hanc* 14. teneat Castrop. dum semper est de excessu pensionis, seu non remanent amplius centum aut medietas, non tempore Datæ, sed successu temporis. Item in totum corruere, seu nullam esse pensionem reservatam cum narrativa, quòd medietatem, seu aliam partem fructuum non excedat, si excedat, tradit Garc. *n.* 428. dicens, hoc esse, quod vult Gig. *q.* 9. *n.* 3. *& q.* 35. *n.* 2. de quo ex plura. Hoc ipsum quoque procedere, seu pensionem in totum vitiari, & esse nullam, si imposita ultra potestatem imponentis, v. g. si à Legato habente facultatem reservandi pensionem usque ad tertiam partem, illa imposita fuisset etiam in modico ultra tertiam partem, tradit idem Garc. *à n.* 430. citatis plurib. ex Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *à nu.* 712. qui tamen id admittat, dum constat Legatum voluisse excedere tertiam partem; quia tunc, quod potuit, noluit, & quod voluit, non potuit: si autem de eo non constet, reipsa tamen pensio excedat illam partem, non fore in totum nullam, sed esse reductioni locum; quia in majore summa includitur minor.

Quæstio

Quæstio 485. *An, narato valore, eóque non justificato; vel etiam an falsò narrato valore, reductioni sit locus, an verò in totum corruat pensio?*

1. REspondeo primò: Narrato valore, eóque non justificato in toto, etiamsi in modico, unde falsa diceretur narrativa, pensio corruit in totum, & non admittitur reductio seu æquitas moderativa ad proportionem veri valoris, & sic illud: qui cadit à syllaba cadit à toto, hic locum habet. Card. de Luc. *de pens. d. 6. n. 12.* Idem tradit Lott. *l. 1. q. 41. n. 26.* Et sic, sub distinctione tamen, nimirum, ut si pensionarius in justificatione valoris per ipsum narrati deficiat, vel si titularis assumpto in se onere probandi probet, valorem falsò expressum, pensio in totum corruat, & non sustineatur in ulla parte; si defectus sit infra congruam semel determinatam (intellige vel expresè, ut dum Papa expresè eam determinat per clausulam: *dummodò remaneant tot pro titulari*: vel tacitè, ut cùm illa consequitur ex suppositâ quantitate fructuum, & determinata quantitate pensionis, v. g. si narrati fructus sint 200. ducati, & Papa reservet 100. sive cum clausula: *modò medietatem non excedat*, consequitur enim tunc determinatam congruam rectori 100. ducati) secus verò, si dictus defectus sit supra congruã; eò quòd tunc nulla sit ratio, ut nõ sustineatur pensio illa in minore quantitate constituta. Siquidem valor pensionis, ut Lott. *n. 30. & 31.* principaliter exprimendus pro statuenda congrua favore ipsius titularis, adeóque quamvis expressio valoris pensionis sit falsa, quia tamen est falsitas commissa supra verum valorem pensionis, non præjudicat titulari, sed potiùs ei maximè prodest; cùm vel sic determinetur ei, seu relinquatur major congrua; & sic falsitas ista, cum careat omni dolo, non est considerabilis. Neque tamen etiam negat Lott. *nu. 32.* posse ex hoc capite pensionem alterari & reduci; sed solùm hinc sequi negat, quòd tota corruat. Quodipsum tamen etiam limitat. *n. 33.* nimirum in hoc casu pensionem in totum fore nullam, si pensio reservata esset in quantitate individuâ; nihil autem prohibeat id, quod naturâ dividuum est, ex mente disponentis individuum effici, quodipsum in hac materia contingat; cùm econverso expressio fructuum sit ad determinandum principaliter ipsam pensionem, & consecutivè ad determinandam congruam titularis, nempe in pensionibus, quæ reservantur ex causa resignationis; in his enim quia resignans seu pensionarius protestatur, se nec aliter, nec alio modo velle resignare, quàm reservatâ sibi validè pensione in tanta quantitate propter dictam clausulam, quæ conditionem, & sic formam importat, quod aliàs erat naturâ sua dividuum, est effectum individuum vi formæ, ac proterea nequit valere in parte & in parte non, ita Lott. *à cit. n. 33.*

2. De cetero ubi expressus valor falsus per ascensum, adhuc locum fore pensionis reductioni (saltem dum ageretur non cum primo resignatario, in quo intrat fortè specialis ratio; sed cum ejus successore directè provisо per Papam ex vacatione per mortem) si hæc duo copulativè concurrant, nempe deficientia doli in resignante seu pensionario (dum fortè is à Curia absens, ubi supplicatio cum dicta narrativa concepta fuit, in mandato dato ad resignandum fecit veram expressionem valoris, idemque fecit resignatarius in mandato dato ad consentiendum pensioni, ita ut error ille commissus per expeditorem) & verisimilis voluntas Papæ, pro ut ea colligitur ex pluribus consimilibus resignationibus beneficiorum ejusdem Ecclesiæ sub narrativa ejusdem valoris, & cum reservatione consimilis, vel etiam majoris pensionis per eundem Papam aliósque prædecessores, tradit Card. de Luc. *de pensio. d. 12. à n. 5. & d. 14. n. 9. & d. 6. n. 7. juncto n. 11. & d. 4. n. 6.*

Quæstio 486. *Incidens, num ergo in casu pensionis reservatæ cum dicta clausula: dummodo: & cum consensu resignantis non aliàs, nec aliter, in totum corruentis ob excessum, dictus resignans possit redire ad beneficium resignatum, & sit restituendus ad possessionem illius?*

REspondet negativè Garc. *p. 1. c. 5. n. 441.* dum resignans ipse fuit in culpa, quia sciens tantam pensionem non habere locum, tamen sic resignavit. Respondet è contra affirmativè idem Garc. *n. 436.* idem tenet Barb. *juris Eccles. l. 1. c. 39. §. 3. nu. 45.* (nimirum in casu, ubi dictum excessum nescivit) eò quòd, licèt tunc resignans acceptando reservationem pensionis cum clausula *dummodo* &c. & dando consensum tali resignationi, consentiat nullitati pensionis, si non purificetur dicta clausula seu conditio, sive non remaneant 100. &c. non tamen consentit, ut resignatio maneat valida; quinimò velit contrarium, cùm resignet, reservatâ sibi validè, ut putat, dictâ pensione, & non aliter, nec alio modo. citat & recitat pro hac posteriore responsione Rotam *in Arctina pens. 4. Decemb. 1600.* non obstante, quòd contrarium senserat Rota *in Senensi pens. 12. Jan. 1596.* quam recitat. *num. 435.*

Quæstio 487. *Quandonam igitur, & qualiter in specie reducenda pensio, quando ea ab initio seu tempore impositionis non fuit excessiva?*

REspondeo ad primum: Dum apposita clausula: *quod annullari, reduci aut minui non possit pensio* (uti ea quandoque solet apponi teste Mand. *tr. de signat grat. tit. de pens. col. penult.* apud Paris. *l. 6. q. 2. n. 143.*) decrescentibus etiam fructibus seu reditibus, reduci non poterit, ita supponere videtur Paris. *loc. cit.*

2. Respondeo ad primum secundò: de cetero, diminutis ex post reditibus in tanta quantitate, ut solutâ pensione non maneat congrua titulari, nihil est, quin diminui debeat quantitas pensionis. Lott. *l. 1. q. 42. nu. 54.* ex Gig. *de pens. q. 35. nu. 8.* cum communi. aitque Lott. *ibid. n. 57.* id sanè longè facilius admitti, si contingeret, prædium aliquod insigne evinci, seu per evictionem divelli à beneficio; modò beneficiarius ipse probet, solutâ pensione, restantes fructus sibi non sufficere pro congrua, citat pro hoc Rotam *in Aquens. pens. 4. Maii. 1604.* quin & in eadem decisum ait 10. *Martii 1610.* intentionem titularis pro reductione semel fundatam ex justis istiusmodi circumstantiis minimè posse elidi per oblationes pensionarii de conducendo reditus latiùs, seu pro majore quantitate; cùm neque sic concludatur ad valorem, neque Ecclesia possit cogi ad locandum, cui etiam id minimè unquam expedit ob occasionem litigii.

3. Respondeo ad primum tertiò, non esse reducendam pensionem, si per annos tantùm aliquot non remaneant centum pro rectore (idem est, dum non reamanerent mille pro Episcopo, vel etiam medietas, vel duæ tertiæ in beneficio simplice, dum eò usque ei imposita pensio sub dicta clausula *dummodo* &c.) ob sterilitatem eorum, quæ posset compensari cum fertilitate aliorum annorum. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 399. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. § 1. *n.* 48. *in fine*, citans Barb. *de clauſ. clauſ.* 47. *n.* 6.

4. Respondeo ad secundum primò: reductionem pensionis posse deduci tum ex persona pensionarii, per viam nimirum replicationis, cùm videlicet ipse agit, & deficit in justificatione clausulæ *dummodo*: vel etiam pensionario ipso petente vel volente; quemadmodum enim solâ voluntate pensionarii cessare potest & remitti pensio, ita etiam multò magis potest minui. Lott. *cit. q.* 42. & 43. Tum ex persona titularis, per modum nimirum vel actionis vel exceptionis; dum nempe probat & justificat, aut valorem fuisse falsò expressum ab initio, aut ex post illum fuisse imminutum. Lott. *loc. cit. n.* 60. Gig. *cit. q.* 35. *nu.* 8. & Staph. Porrò si titularis excipiat ex probationibus per eum factis, sibi non remanere congruam in summa taxata, posse pensionarium replicare, ut sibi solvatur in ea quantitate, quæ supereſt, ita ut ad illam fiat reductio, tradit Lott. *ibid.* citans Crescent. *decis.* 17. *n.* 3. *de rescrip.*

5. Respondeo ad secundum secundò: Ex quocunque demum capite fiat reductio, id perpetuò observandum, ut fiat salvâ congruâ ab initio constitutâ titulari, ita ut illa semper integrè percipiatur per ipsum titularem, neque ullam diminutionem patiatur. Lott. *loc. cit. n.* 61. quam in rem incidenter.

Quæstio 488. *Quinam fructus vel emolumenta reputentur in ipsius congruæ æstimatione?*

1. REspondeo: Præter ea, quæ dicta sunt sub initium de erectione beneficii. Primò, cùm agitur de beneficio simplice carente omni administratione, vel etiam habente administrationem aliquam, sed sine jurisdictione, congrua constituitur ex fructibus certis tantùm, nisi aliter sit cautum. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 61. Incerta autem reputantur ea, quæ pendent à futuro eventu prorsus contingibili. Lott. *ibid. n.* 62. qualia sunt distributiones. Lott. *ibid.* citans Covar. *var. resol. l.* 13. *c.* 3. *nu.* 3. Item oblationes, spolia mortuaria, anniversaria, & his similia. Lott. *ibid.* ex Rebuff. *tr. de congrua. n.* 86. Hoc tamen ita accipiendum, ut hujusmodi obventio seu eventus sit prorsus contingibilis, ita ut talia emolumenta nullam possint recipere certitudinem, ut, quia, si etiam vellet titularis ea vendere aut locare, nullum esset nacturus emptorem, qui se vellet huic periculo exponere; alioquin si talis redemptor posset commodè & passim reperiri, id ipsum, pro quo communiter possent in annum locari vel vendi, reputaretur inter emolumenta certa. Lott. *nu.* 63. citans Anchar. *in clem* 2. *de conceſſ. præb. n.* 4. Rebuff. *ubi ante n.* 87. & Rotam *in Manianen. penſ.* 13. *Jun.* 1625. ubi idem tradit Card. de Luc. *de penſ. d.* 8. *n.* 8. dicens; attendi in his experientiam plurium annorum, quorum coæquatio ita fructum certum ex incertis constituere dicitur, dum conductorem inveniunt ita ementè incertam aleam. Sic multa vectigalia singulis annis locari pro pensione, quæ solvatur pro emptione incertæ aleæ transitûs mercium, animalium, à plurium annorum experientia certificatæ. Porrò circa emolumenta aliarum functionum Ecclesiasticarum hanc distinctionem hanc in rem notatu dignam tradit idem Cardin. *loc. cit. n.* 9. nempe, quòd alia sint emolumenta, quæ proveniunt à meræ voluntaria devotione populi, qui potest eas functiones non facere, vel eas faciendo, non invitare beneficiatum; qui proinde in his emolumentum principaliter obtinet ratione laboris personalis, & hæc tanquam incerta non venire in fructu seu valore. Alia verò esse emolumenta debita ratione beneficii, seu juris Parochialis, quod vicissitudinariam continet necessitatem inter Parochum, & Parochianos ratione funerum, Baptismorum, matrimoniorum, & tunc, quia necessario nascimur, morimur, matrimonium contrahimus, aliáque sacramenta & divina percipere debemus à Parocho, cujus interventus est necessarius, idcirco ea venire in fructu.

2. Secundò cùm agitur de beneficio, cui annexa administratio cum jurisdictione, ut sunt Ecclesiæ Cathedrales, Abbatiales; tum congrua, sicut est in mensâ, ita pensio reservatur super omnibus fructibus & emolumentis mensæ. Lott. *loc. cit. n.* 64. Ea autem dicuntur bona de mensâ, quorum dominium tam utile, quàm directum pertinet ad Ecclesiam, sive fuerint de novo donata Ecclesiæ, seu ipsi Prælato intuitu Ecclesiæ; sive à longissimis temporibus fuerint in bonis Ecclesiæ; si enim nunc devolvantur ex solidatione dominii utilis cum directo, eatenus inter talia reputantur, quatenus Prælatus id declarat, jubendo ea describi inter alia bona mensæ per officiales ad id deputatos per ipsum Prælatum; quæ omnia præsumuntur facta post annum. Lott. *n.* 65. remittens ad Menoch. *de arb. Jud. caſu* 433. *ex nu.* 1. *per totum.* Sic quoque, cùm inter bona mensæ reputetur ipsa jurisdictio, fructus quoque ejus, ut sunt mulctæ, pœnæ, & quidquid emolumenti reddunt causæ civiles & criminales, ipsiusque magistratûs, Cancellaria, scribania &c. reputabuntur, in hac congrua. Lott. *n.* 66. qui etiam *n.* 67. Quòd, licèt nonnullis quandoque Episcopis rescriptum fuerit, ut se abstineant à locandis, vel vendendis scribaniis hujusmodi, ne conductores excorient litigantes, & latrones suspendant in bursa, ita exigente singulari quorundam avaritiâ; id tamen minimè à jure prohibitum iis, quidquid sit de elocationibus perpetuis, hinc posse Cancellarias Episcopales locari, & mercedem reputari oportere inter fructus certos tanquam fructum jurisdictionis, responsum esse à Rota, ait Lott. *n.* 69.

Quæstio 489. *An, & qualiter resignatarius allegare possit exceſſum pensionis?*

1. REspondeo: Cessionarii seu resignatarium, seu debentem solvere pensionem ex resignatione sibi facta teneri omnino ad solutionem pensionis cum resignante conventæ, non obstante allegato ejusdem pensionis excessu, & opponi illi semper posse illud: *Solve vel dimitte*: cùm æquum non sit, resignatarium ex dolo & perfidia suæ consequi utilitatem, & resignans deludatur; maximè, dum resignatio facta conditionaliter cum clausulis: *non aliàs, aliter, nec alio modo*. Tond. *qq. benef. p.* 2. *l.* 1. § 4. *n.* 4. dicens, sic sæpe judicatum in supremis Galliæ tribunalibus. Card. de Luc. *de penſ. d.* 12. *n.* 10. di-

10. dicens, hoc concernere gratiam & favorem ipsius resignantis ac pensionarii respectivè contra resignatarium, ut allegare nequeat hanc reductionem, ejúsque prætextu impedire regressum vel ingressum reservatum; sed debeat vel totam pensionem solvere, vel regressum hunc pati. Monet autem idem Cardin. *cit. n.* 10. hoc ipsum non esse in odium talis pensionarii detorquendum, ita ut, si in minimo falsò narratus valor, pensio in totum deficiat, & sic titularis liberetur à solutione absque eo, quòd pati debeat regressum resignantis; si quidem rigorosa illa propositio: *qui cadit à syllaba, cadit à toto*: locum habeat in reservatione pensionis voluntariæ, seu de consensu impositâ beneficio pleno ob præsumptam fraudem & odibilitatem illius. Subjungit etiam Tond. *loc. cit. n.* 47. sæpe declaratum, non modò resignatarium, sed etiam resignatarium resignatarii ad pensionis solutionem astringi posse, non obstante reductione petita, & excessu allegato; limitat tamen hoc ipsum *n.* 48. nisi pensionarius fuisset negligens in exigendo pensiones decursas, & beneficium per plures & diversas manus transivisset, nullâ factâ in illius provisione mentione pensionis, quam successores probabiliter ignorassent. Et *n.* 49. nisi agatur de beneficio curato; eò quòd ejus possessor semper possit pensionis reductionem, vel totalem ejus cassationem petere, si non habeat unde vivat.

2. Quinimo si prætendatur & deducatur excessus pensionis ab initio, etiamsi falsus valor fuerit expressus, non suffragari ad huc istam deductionem titularis, qui consensit, & propterea eum in vanum prætendere reductionem; tametsi ea deductio optimè suffragetur ejus successori, cui non potest vitio verti, quòd non fuerit conquestus ab initio de enormi pensione, tradit Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 55. ex Staphil. *tit. de institut.* §. *& est narrandum. n.* 1. *&* 2. Item *l.* 1. *q.* 41. *num.* 38. ubi expressè: *in hoc casu* (nimirum ubi pensio reservata resignanti in individua quantitate, v. g. 50. ducatorum, & sub clausula: *& non aliàs, nec aliter*) *non sustinetur pensio in statu excessivitatis quasi contra justitiam; sed simpliciter denegatur actio titulari quasi proponenti de directo contraria, ex quo validitas ejus tituli pendet ex toto à validitate reservatæ pensionis in ea quantitate, unde vel debet solvere vel dimittere beneficium resignatum; quia, dum petit reduci, concludit ad non consensum resignantis, & consequenter ad nullitatem totius gratiæ, aperitque viam resignanti ad redintegrationem sui beneficii.* citat pro hoc Lotterius Mantic. *decis.* 173. *nu.* 1. & Rotam *decis.* 631. *n.* 1. *p.* 1. *recent.* & fusiùs *decis.* 286. *n.* 2. *p.* 2.

Quæstio 490. *An, & qualiter successor dicti resignatarii allegare possit excessum pensionis?*

REspondeo: Quidquid sit de resignatario hujus primi resignatarii, seu successore illius per resignationem ab eo factam, de quo *q. præced.* ex Tond. successor illius resignatarii obtinens illud beneficium simpliciter à Papa ex vacatione illius per mortem, potest allegare dictum excessum ab initio, sufficitque illum intentantem actionem super libertate beneficii (ad modum illius negatoriæ, quæ domino vel possessori fundi secundùm terminos juris civilis competit adversùs possessorem servitutis) negare veritatem narrati valoris, ut pensionario volenti sustinere pensionem incumbat onus perfectæ & concludentis probationis, quâ non factâ, pensio corruit in totum, neque sustinetur in parte. Card. de Luc. *de pens. d.* 11. *nu.* 3. qui etiam *n.* 4. id verum esse astruit, etiamsi in reservatione pensionis ex causa resignationis accesserit consensus titularis (nempe istius primi & immediati resignatarii) quia iste consensus isti consentienti præjudicat, non autem successori, utpote suum jus directè & immediatè metienti à Papa independenter à prædecessore, quemadmodum idem tradit Lott. *l.* 1. *q.* 41. *n.* 38. ut vidimus *q. præcedente*, quorum similia habet *l.* 1. *q.* 43. *n.* 6. ubi: quòd etsi consensus titularis liberet pensionarium ab onere probandi narratum valorem, id tamen se non extendat ad successorem, ut pluribus ibi ostendit. Verùm de his plura infrà, ubi de obligatione pensionarii. Illud hìc obiter notandum, hinc videri sequi, in hoc casu non subsistere, quod aliàs asserunt A A. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 59. *&* 66. allegantem, quòd pensio excedat medietatem, debere id probare.

Quæstio 491. *An, si pensio imposita beneficio jurispatronatûs sit immodica, patronus possit excipere & petere, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem reducatur?*

REspondet affirmativè Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 2. citans Gig. *q.* 24. *n.* 12. nimirum, ut ait, si id noceat Ecclesiæ.

Quæstio 492. *A quo facienda reductio?*

1. REspondeo primò: Dum tractu temporis ob diminutionem fructuum non remanentibus ampliùs 100. Rectori, vel etiam ob eandem rationem non remanente ampliùs medietate, ad quam, usque facta reservatio pensionis, facienda reductio, poterit ea fieri per Ordinarium, etiamsi pensio fuerit reservata auctoritate Papæ, nisi in literis adsit clausula: *quòd pensio non possit annullari, reduci seu minui*; quia tunc requiritur Papæ commissio. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 401. *&* 402. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 48. citans Gig. *cons.* 147. Staph. *de lit. Just. tit. de commiss. super reduct pens. n.* 7. *& seq.*

2. Respondeo secundò: quando à principio fuit pensio excessiva reservata per Papam, & ea ad petitionem successoris illius, qui consenserat tali pensioni (& cui proinde soli ea præjudicabat, ut dictum *binis quæst. præced.*) reducenda, fieri ea non potest per Ordinarium, vel per Legatum, vel alium judicem, nisi ex speciali rescripto. Garc. *loc. cit. & n.* 369. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *n.* 708.

3. Respondeo tertiò: intelligenda hæc sunt respectu titularis, seu debentis solvere pensionem, quòd ejus solâ voluntate pensio diminui nequeat. de pensionario namque tradunt Lott. *l.* 1. *q.* 43. citato Gig. *de pens. q.* 99. *n.* 8. Item Conrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 3. *n.* 9. quòd sicut solâ ejus voluntate cessare potest vel remitti pensio absque licentia Papæ, ita etiam multò magis possit minui ejus quantitas; cùm in quantitate illa sic imminuta conservetur idem jus, nec propterea censeatur diversa, sed eadem prorsus, quæ priùs reservata est pensio, ut Rota *in Parmensi pensionis* 17. *Julii.* 1622.

4. Respondeo quartò: verumtamen, dum in reservatione pensionis de cōsensu, seu ex causa lucrativa (sic dicta, quia reservatur auctoritate Apostolica, de consensu tamen titularis seu possidentis beneficium ita volentis alicui tertio, v. g.

ut is commodiùs alatur in studiis) adjicitur decretum nullitatis reservationis in eventum non factæ verè ac realiter integræ solutionis, remissio & diminutio pensionis facta per pensionarium titulari non habet locum: siquidem pensionarius nec minimam partem talis pensionis titulari remittere potest, sed tenetur eam integrè solvere titularis; quia dictum illud decretum ad amussim servandum sine alia interpretatione aut alteratione, sub pœna nullitatis ipso jure.

Quæstio 493. *An interea, dum petitur reductio, suspendatur executio?*

Respondeo negativè; dum nimirum pensionarius est in possessione percipiendi pensionem. Card. de Luc. *de pens. d.* 11. *n.* 3. ubi: quòd, donec causa petitorii terminetur per rem judicatam, vel tres conformes, tali existenti in quasi possessione exigendi pensionem denegari nequeat solutio. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 73. ubi ait: satis operatur quasi possessio in hoc, quòd, dum lis durat, non retardatur solutio sub prætextu, quòd non sit probatum; nec attendatur sententia, à qua sit appellatum; nec quòd agatur contra eum, qui consensit expressè, sed contra successores. Item *l.* 1. *q* 42. *n.* 56. ubi: quòd solutio non suspendatur, interim dum agitur de reducenda pensione, tam cùm prætenditur ob supervenientem diminutionem fructuum, quàm cùm prætenditur defectus abinitio ob expressum falsum valorem.

De modo imponendi pensionem.

Quæstio 494. *An pensio imponenda sit in collatione beneficii, an post illam?*

Respondet Azor *p.* 2 *l.* 8. *c.* 8. *q* 4. usu servari, quòd pensio utroque modo imponatur, quamvis prior modus eam imponendi sit frequentior. Si verò imponatur secundo modo, id non fieri sine ejus, cui collatum beneficium, consensu; quia is jam jus habet in beneficio, & ab initio integros fructus, seu potiùs jus ad illos accepit, adeóque ad hoc, ut fructus hi imminuantur, opus sit ejus consensu. Observandum tamen, ut tradit Laym. *in c. cùm clerici. de pactis. n.* 2. nimirum quòd auctio pensionis (quam facere posse episcopum ait cum consensu Capituli ob rationabilem causam, dum majores nunc quàm ante ex beneficio proventus proveniunt) & omnis impositio pensionis (intellige facienda ab Episcopo) fieri debeat ante collationem beneficii; eò quòd, si in ipsa collatione fiat, periculum sit pravitatis simoniacæ, quando pensionis solutio in commodum collatoris directè vel indirectè cedit.

Quæstio 495. *Quæ forma seu praxis reservationis pensionis tam beneficio pleno, quàm vacante?*

1. Respondeo ad primum: Beneficio pleno reservari consuevit pensio de consensu titularis illud possidentis (unde & pensio de consensu, & ex causa lucrativa vocatur) exigitur autem causa urgens, & ad tollendas imposituras adjicitur decretum, ut nisi per titularem pensio solvatur statis temporibus, gratia sit ipso jure nulla. Lott. *l.* 1. *q.* 41. *n.* 17. Porrò decretum hoc summo studio à Dataria excogitatum ad occurrendum fraudibus, dum compertum, tales pensiones ut plurimùm fieri in fraudem, & ferè semper pro fraudulentis habitas à Dataria; reservabantur enim communiter tales pensiones consanguineis & amicis titularium, qui libenter hujusmodi reservationi consentiebant, non tamen, ut ipsi in vita sua eam solverent, sed ut successores eorum in tali beneficio eam solverent; vel etiam, licèt titularis præstitisset consensum ad hoc, nec non supplicatio signata, literæ tamen Apostolicæ super dicta reservatione non expedirentur, nisi mortuo titulari, qui consenserat, vel quando is credebatur de proximo moriturus. Unde hoc modo beneficia reperiebantur gravata pensionibus, quæ à titulari successore ignorabantur. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 3. *n.* 10. *juncto n.* 6. qui etiam *n.* 13. addit, hinc optimo jure stylum Curiæ obtinere, ut in vim prædicti decreti hujusmodi solutiones integrè factæ probari nequeant, nisi per instrumenta publica cum subscriptione Notarii publici, & duorum testium saltem afferentium, se vidisse pensionario à titulari solvi pensionem; nec suffragari quamcunque pensionem de recepta & soluta pensione propter collusionis suspicionem. De quo vide eundem Corrad. pluribus *num. seq.* uti & Card. de Luc. *de pens. d.* 8. *à n.* 3. Porrò formulam tam supplicationis offerendæ Papæ pro obtinenda hac reservatione pensionis, quàm literarum similis reservationis secundùm Cancellariæ Apostolicæ stylum subjicit Corrad *loc. cit. n.* 1. *&* 2.

2. Respondeo ad secundum: Dum Papa reservat pensionem super fructibus vacantis beneficii, ante omnia contemplatur vacationis factum certum, tam ex persona, quàm ex modo sibi subjectis. Unde, si nulla hujusmodi seu diversa sit vacatio, intrat defectus intentionis Papæ ex defectu causæ, & gratia est nulla ipso jure, neque ullo temporis tractu convalescit. Lott. *loc. cit. n.* 18. citans Verall. *decis.* 298. *à n.* 1. *p.* 2. Dein contemplatur certam personæ, cui reservat, qualitatem; non enim consuevit pensiones Ecclesiasticas reservare aliis quàm personis itidem Ecclesiasticis, de quo inferiùs copiosiùs. Ethinc, si Papæ fuerit suggestus clericatus, vel status regularis illius, cui reservat, secus ac res se habet, censetur quoque deficere ejus intentio, & ex hoc defectu gratia est nulla, neque ex superveniente qualitate convalescit, neque reputatio communis in contrarium attenditur. Lott. *à n.* 19. subjunges *n.* 21. idem fore, si persona quidé esset ecclesiastica, sed diverso modo ab expresso, veluti quia regularis expressisset se clericum, & Papa existimans esse clericum sæcularem, reservaret ei pensionem super beneficio sæculari. Ac denique attenditur ab eo quantitas redituum beneficii gravandi pensione, ut congrua titulari dereliquatur, seu determinata à jure servetur illæsa, ita ut, cùm reservatur pensio, perpetuò suppnonatur, ultra congruam titularis supereſſe fructus, qui possint pensione gravari: ac ideo, si nulli existent fructus, nihil quoque actum censeatur ex eodem intentionis defectu. Lott *n.* 22. Atque ita ex his tribus efformatur intentio Papæ, secundum quam tota disputatio regulanda, dum prætenditur nullitas pensionis à principio. Lott. *n.* 16. De cetero, quæ praxis sit reservationis pensionis ex causa resignationis, quæ vocatur ad distinctionem præcedentium resignatio ex causa onerosa, præcipuè cum regressu ad beneficium, tum constat ex dictis, tum constabit ex dicendis.

Quæstio

Quæstio 496. *An ad impositionem pensionis necessaria sit scriptura?*

REspondeo: Ad reservationis pensionis essentiam seu validitatem præcisè necessaria non est scriptura; cùm gratia solo verbo Papæ perfici dicatur, supplicatio verò signata deserviat ad faciliorem probationem concessionis ac perfectionis voluntatis, non autem ad substantiam gratiæ. Card. de Luc. *de pens. d.* 1. *n.* 3. citans Gig. *de pens. q.* 34. Lott. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 4. *& seq. & q.* 2. *per tot.* Et quamvis in materia beneficiali, ut pergit Card. de Luc. *loc. cit. n.* 4. neque supplicatio signata sufficiat ad perfectionem & certitudinem gratiæ, nisi sequatur registratio, per quam, & non priùs, resultare dicitur jus quæsitum; attamen id provenit ex eo, quòd ante registrationem supplicatio detineri, ac etiam lacerari possit per Datarium ob aliquam detectam ignotam circumstantiam, seu ex alio motivo, non autem ut supplicatio sit præcisè necessaria ad substantiam & probationem; ideóque aliud est agere, an supplicatio cum sola signatura ante registrationem tribuat jus nec ne; aliud, an amissio supplicationis super gratiâ aliunde justificatæ per literas illi præjudicet. Licèt enim literæ non expediantur sine prævia supplicatione; attamen postquam per manus tot officialium sunt revisæ & plumbatæ, non existentia ipsius supplicationis originalis, de facili amissioni subjectæ, non tollit substantiam gratiæ; &c. Eadem expressiùs tradit idem Card. *de pens. d.* 40. *n.* 7. ubi: quòd reservatio pensionis oretenus facta sustineretur, ita ut literæ ex intervallo expediri possint; eò quòd scriptura non sit de substantia gratiæ, quæ solo verbo perficitur, literæ autem expediri soleant ad memoriam, magisque certam ac tutam probationem ex deductis per Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 12. *n.* 47. *& gl.* 55. *n.* 23. Unde licèt in pensionibus per Papam reservatis necessariæ sint literæ, sine quibus pensio exigi nequit, & si defacto exigatur, gratia corruat; attamen id proveniat ex particulari stylo pro juribus & emolumentis officialium; idque concernat potiùs impedimentum executionis, quàm substantiam seu perfectionem gratiæ. De quo postremo puncto specialiter nihilominus sit

Quæstio 497. *An, & qualiter super pensionis reservatione expediendæ literæ?*

REspondeo: Præter jam dicta ad valorem gratiæ reservationis non sunt necessariæ dictæ literæ; gratia enim pensionis à principio fuit in esse deducta; solâ enim signaturâ perficitur; neque literæ sunt necessariæ ad alium effectum, quàm probationis. Lott. *l.* 1. *q.* 37. *n.* 56. Et quamvis ex decreto irritante (nimirum ipsam pensionem) apponi solito in reservatione pensionis, illa ante expeditionem literarum desuper confectam, seu aliàs quàm vigore literarum exigi nequit; veruntamen id solùm procedit ad impediendam exactionem pensionis (intellige jam quò ad esse & valorem suum independenter ab illis constitutæ) eò quòd, si solutio illa fieri posset ante dictam impeditionem, cederet id in grave detrimentum Datariæ & Cancellariæ, ad quem effectum decretum illud adjici solet. Card. de Luc. *de pens. d.* 29. *n.* 3. De cetero etiam, si dictæ literæ non fuerint expeditæ intra novem menses, redditur quoque nulla reservatio pensionis ex decreto Clem. VIII. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 29. citans Garc. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 42. Lott. *l.* 1. *q.* 37. *n.* 7. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 98. Salust. Tiber. *in pr. Audit. Cam. l.* 3. *c.* 4. *n.* 3. *&c.* Verumtamen de hoc infrà, ubi de potestare pensionarii exigendi pensionem; hic enim sufficiebat resolvere, dictam expeditionem literarum non esse de substantia, seu forma pensionis quòd ad primam ejus constitutionem, etsi sit de ejus substantia quoad conservationem seu durationem pensionis jam validè constitutæ.

Quæstio 498. *An reservari possit alicui pensio sub conditione, ut eam dimittat, si beneficium assequatur?*

REspondet Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 15. id fieri non posse sine labe simoniæ ab Inferiore Papâ, v.g. à Legato, habente potestatem reservandi certas pensiones, si is ita conveniat cum Titio: Reservabo tibi pensionem annuam quinquaginta aureorum eo pacto, ut eam dimittas, cùm tibi beneficium contulero, eò quòd promittat ei se daturum beneficium sub conditione pensionis à Titio relinquendæ; beneficium autem sub conditione nec promitti nec conferri posse. Verùm non video, quomodo iste actus: Confero tibi pensionem duraturam, usque dum beneficium consequaris à me: contineat talem conditionatam promissionem; cùm per istum actum ne quidem promitttat se ei collaturum beneficium; cùm possit illum habere absque eo, quòd de facto cogitet ei conferre aliquando beneficium.

Quæstio 499. *An justè constituatur pensio sub hac clausulâ apponi solita:* habitâ vel non habitâ possessione beneficii?

1. REspondet affirmativè. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 1. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 8. citantes Nav. *to.* 1. *consil. tit. de præb. cons.* 51. *n.* 4. ac ita supponunt Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 146. Filliuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 6. *n.* 1. Licèt enim pensio constituatur in fructibus, obligationem tamen quis suscipere potest solvendi, etsi fructus nullos percipiat, modò jus habeat ad illos percipiendos, sicut potest quis obligari pensionem solvere illis annis, in quibus nullos fructus collecturus esset. Cúmque hæc obligatio sponte suscepta sit, dum quis beneficium tali pensione gravatum suscepit, non debet ei durum & difficile esse eidem satisfacere; cùm difficultas rem promissam præstandi præsertim prævisa, promittentem non excuset, uti nec eventus, quem potuit ac debuit prævidere, periculúmque ac damnum, quod quis sua sponte incurrit & sustinet, ipsi imputetur Azor Castrop. *ll. cit.* Proinde in contrarium nihil facit, quòd obligatus solvere certam mensuram tritici colligendi ex prædio, non teneatur ad solutionem, dum nihil tritici ex illo prædio collegit; nam si obligasset se talis mensuram tritici solvere, sive eam collegisset, sive non, sicut contingit in præsente casu, teneretur eam solvere, etsi tritici nihil collegisset: sicut econtra obligatus non esset titularis, si absolutè solùm obligatus esset ex fructibus ex beneficio perceptis, dum per eum non stat, quò minùs eos percipiat. AA. ijdem. Sed neque simoniacum quid continet, ex eo, quòd, si pensio non habitâ possessione beneficii, adeóque nullis perceptis fructibus solvenda adhuc esset, videatur, quòd ea debeatur ex ipso titulo beneficii, & beneficiatus

eam solvere cogatur ex suo patrimonio. Nam præterquam, quòd debeatur adhuc ex fructibus beneficii pensio, propter jus & spem, quam titularis habet eos percipiendi, non nisi ex consensu Papæ, qui satis purgat omnem simoniæ suspicionem, ea obligatio suscipitur. Castrop. *loc. cit.*

2. Nihilominus in Auditorio Rotæ hanc clausulam mitiùs acceptam, nimirum ne ultra duos aut tres annos protendatur, hoc est, ut beneficiatus ad duos vel tres annos, non ampliùs pensionem solvat possessionem beneficii minimè adeptus (intellige absque sua culpa) testatur Paris. *loc. cit. nu.* 148. quod ipsum approbat Azor *in fine cit. q.* 1. De cetero dictam clausulam: *ut solvatur pensio etiam non habitâ possessione*, solitam imponi solùm ultra montes, præsertim in Hispania, ob specialem in tanta distantia difficultatem probandi, an capta, nec ne possessio, & quis sit verus possessor, quis intrusus; non verò in beneficiis Italicis, eò quòd pensionarius tunc facilè scire possit, possideátne, nec ne beneficium is, qui solvere debet pensionem, tradit Mandos. *de signat. grat. tit. pensiones.* quod ipsum tamen negant Paris. & Azor *ll. cit.* testantes, promiscuè etiam beneficiis Italicis, & aliis imponi pensionem cum dicta clausula.

3. Porrò quod dictum de justitia istius clausulæ: *habitâ vel non habitâ possessione:* idem dicendum ob easdem rationes de clausula illa: *etiamsi fructus non perciperentur.* Filliuc. *loc. cit. n.* 6. citans Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 49. Gig. *de pens. q.* 62. *n.* 2.

Quæstio 500. *An valeat reservatio pensionis pro persona incerta nominanda, & non expressa?*

REspondeo negativè, si ea fiat ab inferiore Papâ, imò secundùm plures continere simoniam. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 123. *n.* 10. juxta constit. Pij V. *de confidentia*, quam in Gallia receptam testatur *ibid.* Tond. addit tamen sufficere, quòd persona nominetur in literis collationis.

Quæstio 501. *Pensio super pluribus beneficiis qualiter imponatur, an in solidum, an pro rata?*

REspondeo: Tametsi per Papam imponi possit in solidum singulis, in quo casu foret in electione pensionarii, retinere solidam pensionem, seu pro uno corpore beneficii, modò id illius capax esset. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 21. non tamen censetur pensio ab initio in solidum imposita. Unde si pensionarius in casu, quo plures plura illa beneficia possiderent, ageret contra unum eorum pro solida pensione, ageret perperam. Lott. *ibid. n.* 20. *juncto n.* 19. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 2. *n.* 15. ubi: quòd si plura beneficia consequeretur cum eadem reservatione pensionis, cùm contingere posset, ut post obitum resignatarii ea beneficia diversis conferantur, propterea, ut unusquisque impetrantium sciat, quanta pensio per ipsum solvenda, dicitur tam in supplicatione, quàm in literis, quòd pensio ipsa reservetur super dictorum beneficiorum fructibus proportionaliter, & sic ratione hujus dictionis *proportionaliter* unusquisque ex provisis de dictis beneficiis solvet ratam proportionatam fructibus sui beneficii, ac propterea his stantibus, pensionarius non poterit agere contra unum eorum pro tota pensione; cùm pensio ipsa non sit à principio reservata in solidum, sed pro rata. &c.

Quæstio 502. *An in impetratione pensionis super beneficio aliquo facienda mentio in literis pensionis anterioris super eodem beneficio, ita ut nisi id fiat, concessio & impetratio pensionis sit nulla & invalida?*

1. REspondet affirmativè Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 6. *n.* 1. citans Gig. *de pens. q.* 29. Boërium *decis.* 192. *per tot. &c.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 561. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 40. & 41. expressè loquens etiam de pensione resignationis causâ Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 36. dicens ex Cassad. *decis.* 4. *n.* 3. *de pens.* hanc nullitatem adeo ab initio ipso jure incurri, ut, si vacet prima pensio, adhuc secundâ non reviviscat. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 5. *in fine*, expressè addens, sive beneficium antiquâ pensione gravatum sit in favorem illius, cui illa nova constituitur, sive in favorem alterius. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 47. dicens; debere necessariò fieri mentionem de antiqua pensione, sicut & de alio onere. Card. de Luc. *de pens. d.* 4. *n.* 2. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 56. dicens: quòd si vel unica harum pensionum antiquarum taceatur, gratia corruat, & quidem ab initio, ut ait, *n.* 59. adeóque non ope exceptionis, sed ipso jure inducatur hæc nullitas; cujus tamen contrarium tradit Paris. *loc. cit. n.* 61. eò quòd hæc nullitas ipso jure nullibi in jure exprimatur: tum etiam, quòd æquitas non patiatur, ut, qui se spoliavit beneficio, amittat etiam pensionem. Ratio est, quòd Papa in dubiis (etiamsi reservatio fiat motu proprio, ut expressè addunt Garc. Card. de Luc. Lott. Ventrigl.) non censetur velle beneficium gravare duplici pensione. AA. ijdem; & si sciret Papa hanc circumstantiam, difficiliùs imponeret illam pensionem, vel etiam simpliciter non imponeret, & sic ratione subreptionis est concessio talis nulla. Paris. *loc. cit. n.* 44.

2. Ampliatur responsio primò, ut procedat, etiamsi antiqua pensio esset perpetua, & de novo imponenda temporalis. Corrad. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 47. Garc. *loc. cit. n.* 564. cujus tamen contrarium in tantum tradere videtur Card. de Luc. *cit. d.* 4. *n.* 3. ubi: quòd procedat in pensionibus vacabilibus, quæ ad favorem certæ personæ reservantur, non autem in perpetuis, quæ validè reservantur pro Seminario, vel alio pio loco, quia illæ in effectu non dicuntur pensiones, sed potiùs onera fixa & realia, imminuentia fructum eo modo, quo sunt canones & census perpetui, ideóque inolevit stylus modernus non faciendi de iis mentionem.

3. Ampliatur secundò, ut procedat, etiamsi prior pensio esset conditionalis. Garc. *n.* 562. sic resolutum dicens in *Valent. pension.* 25. *Maij* 1601. Circa quod notandum, quod ait Card. de Luca *de pens. d.* 1. *n.* 27. nimirum quòd in secundæ pensionis reservatione purâ facienda non sit mentio primæ pensionis eventualis seu conditionalis, id concernere diversum effectū validitatis secundæ pensionis ob casum contingibilem, nimirum, quòd prima reservatio effectum sortitura non sit; eò quòd reservatarius ille primæ pensionis priùs decesserit, quàm conditio purificaretur, seu casus contingeret, in quem executio vel effectus istius primæ reservationis dilatus fuerat, adeóque jam cesset ratio duplicis oneris seu gravaminis ejusdem beneficii, cui rationi innititur illa necessitas in secunda reservatione faciendi mentionem de prima.

4. Amplia-

4. Ampliatur tertiò, ut non suffragetur scientia aliunde probata. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *n. 58.*

5. Ampliatur quartò, ut non suffragetur ignorantia renunciantis, ignorantis beneficium, quod resignat, jam gravatum aliquâ pensione. Paris. *loc. cit. n. 48.* Idem est de ignorantia imponentis beneficio pensionem, bonâ fide liberum esse putantis, quod tamen gravatum jam est aliâ pensione, ita ut invalida sit in hoc casu impositio novæ pensionis. Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans Gamb. *de potest. Leg. l. 6. n. 426.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 9. q. 3.*

6. Ampliatur quintò, ut annullatâ ex hoc capite pensione, resignanti non detur regressus. Paris. *loc. cit. n. 49.* citans Gamb. *de pot. Leg. tit de pens. n. 232.*

7. Limitatur è contra responsio primò, ut hæc necessitas exprimendi antiquam pensionem extendat se tantùm ad pensionem antiquam validam, ita ut, si illa invalida est, impetrans de ea necesse non habeat facere mentionem in impetratione novæ; cùm, quod nullum est, nullum præstet effectum seu impedimentum, juxta regulam: *non præstat. de reg. juris.* Paris. *loc. cit. n. 50. & 51.* Ventrigl. *loc. cit.* Card. de Luc. *cit. d. 4. n. 4.* (addens hoc ipsum, nimirum antiquam pensionem esse invalidam, seu exceptione elidibilem, ostendere, non incumbere pensionario, sed onus esse titularis, allegantis pro fundamento suæ exceptionis, probare illam esse validam, effectuatam, & sine dubio exigibilem) Lott. *loc. cit. n. 61.* Circa quod tamen notandum, quod habet Laym. *ad c. ad audientiam. de rescrip. n. 3.* nempe in impetratione beneficii (idem videtur de impetratione novæ pensionis) mentionem faciendam esse pensionis antiquæ, si ea titulo & jure beneficii Ecclesiastici statuta sit, esto ea injustè & simoniacè possideatur, ne alioqui commodum ex sua iniquitate consequatur, & stultus melioris conditionis sit, quàm sapiens.

8. Limitatur secundò à Paris. *n. 52.* ut necesse non sit, facere de ea mentionem, si ea non probetur acceptata. citat pro hoc Mand. *in signat. grat. tit. pensiones.*

9. Limitatur tertiò, ut opus non sit facere mentionem prioris pensionis, si ea jam extincta sit. Paris. *loc. cit. n. 60.* Sic Card. de Luc. *de pens. d. 4. n. 8.* consuluit, antiquæ pensionis mentionem nullam faciendam in casu, quo titularis satis fundatam habebat intentionem credendi, illam jam extinctam per mortem pensionarii, dum nimirum Cardinalis pensionarius in vim indulti pensionem transtulerat, quam titularis putabat & prætendebat invalidam, hanc credulitatem confirmante diuturno silentio translatarii, eam per viginti annos non exigentis.

10. Limitatur quartò ab eodem Card. de Luc. *loc. cit. n. 7.* ita ut, si fiat reservatio motu proprio super beneficio vacante, occasione illius provisionis, sive etiam ex causa resignationis, concurrente bonâ fide, si antiquæ pensionis mentio facta esset in parte, sustinenda sit pensio nova pro rata narrata ob cessantem rationem deficientis voluntatis Papæ, cùm versemur in materia dividua.

11. Limitatur quintò à Paris. *loc. cit. n 59.* quando mentio pensionis facta est in genere; unde etiam *n. 55.* idem sic limitat (prout ait decisum *in Valen. pens. 15. Jan. 1552.*) ut sustineatur reservatio secundæ pensionis, non factâ specificâ mentione prioris, dum adest in hac reservatione secundæ clausula: *præsens & aliæ desuper pensiones assignatæ non excedant medietatem fructuum*: eò quòd Papa saltem in genere cogitarit de antiqua pensione, & satis expressum dicatur, quod continetur sub generalitate. Idque eò magis procedere ait idem Paris. *n. 55.* si in reservatione dictæ pensionis aderat clausula, in qua datur facultas, quòd priorum omnium major & verior specificatio fieri possit. Vel si aderat alia clausula, nempe: *non obstante quâcunque dictæ Sedis indulgentiâ generali vel speciali, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus dictæ gratiæ pensionis impedire valeat, vel quomodolibet differre, &c.* utpote quæ clausula tollat omne impedimentum. Pro limitanda ulterius responsione sit

Quæstio 503. *An, dum plures sunt pensiones eidem beneficio impositæ, non sufficiat in genere narrasse antiquas pensiones?*

REspondeo: Sufficere ut exprimantur genericè & collectivè, modò verè exprimantur omnes, nec esse necessarium narrare omnes specificè. Ventrigl. *loc. cit. n. 38.* Lott. *cit. q. 38. n. 62.* dicens, in eo casu certos nos esse de intentione Papæ, quòd velit pensionem omninò sustineri; ampliarique tunc gratiam per hujusmodi adjectam clausulam; *etiamsi super illius fructibus pensiones aliæ reservatæ existant.* Et ne illa ampliatio in immensum excrescens nimis noceat titulari, statim subjungitur: *Dummodò omnes pensiones hujusmodi simul fructuum medietatem non excedant*: cujus posterioris clausulæ ratio longè sit diversa à natura prioris, utpote quæ adjicitur substantiæ ipsius reservationis.

Quæstio 504. *An excipiens contra secundam pensionem, seu illam impugnans ex eo, quòd non fuit facta mentio de prima, teneatur probare, quòd tempore secundæ pensionis prima erat reservata, & quòd erat valida?*

REspondeo affirmativè. Garc. *p. 1. c. 5. n. 565.* citans Gig. Caputaq. &c. Rot. *in Valen. pens. 25. nunti 1601.* & sic alàs sæpe resolutum dicens.

Quæstio 505. *An in impetratione pensionis Ecclesiasticæ necessario facienda sit mentio de obtentis jam ante à reservatario seu pensionario beneficiis & pensionibus?*

1. REspondet primò distinguendo Garc. *p. 1. c. 5. à n. 83.* nimirum in impetratione pensionis ex causa lucrativa (qualis est omnis illa, quæ conceditur extra causam resignationis) faciendam esse mentionem de jam obtentis tam beneficiis, quàm pensionibus (nisi forte gratia reservata motu proprio, ut super Episcopatibus) tum quòd hæc pensio ex causa lucrativa sit loco beneficii; ad impetrandum autem beneficium necessariò sit facienda mentio de obtentis beneficiis & pensionibus, ut idem Garc. *loc. cit. n. 81.* tum quòd stylus Curiæ est, ut fiat mentio de obtentis. Econtra in impetratione pensionis ex causa resignationis necesse non esse facere mentionem obtentorum beneficiorum & pensionum; eò quòd hæc pensio detur, ne resignans in resignatione nimium detrimentum patiatur, adeóque hæc pensio succedat loco

beneficii resignati, quod retinere poterat. Dico, quod retinere poterat: nam si pensionem quis impetrat in resignatione beneficii, quod nullatenus retinere poterat, v. g. quia consecutus, vel consecuturus aliud incompatibile, per cujus assecutionem vacaturum erat illud beneficium, quod resignat, in tali pensionis impetratione adhuc necessariò faciendam mentionem de obtentis, & præsertim de illo beneficio incompatibili, in quo, vel ad quod jus habet; eò quòd jam non sit amplius pensio ex causâ resignationis seu onerosâ, & ne nimium dispendium patiatur, sed lucrativâ, docet idem Garc. *loc. cit. n.* 90.

2. Respondet secundò aliter, & in contrarium distinguendo Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 5. nimirum in nulla impetratione pensionis, sive neque in impetratione pensionis ex causa lucrativa, neque in impetratione pensionis ex causa onerosa faciendam esse mentionem de beneficiis obtentis, aut jure ad illa; eò quòd nullus textus hanc mentionem expostulat, ac proinde nullum quòd ad hanc necessitatem faciendi mentionem de beneficiis obtentis in jure fundamentum habeat illa à Garcia allata distinctio inter pensionem ex causa onerosa, & ex causa lucrativa: solúmque jure caveatur, in impetratione beneficii faciendam esse mentionem cujuscunque beneficii obtenti, pensio autem in illis, quæ odiosa sunt & pœnalia, non comprehendatur nomine beneficii. Quod ipsum confirmatur ex eo, quòd plures gravissimi AA. prout videre est apud Gonz. *gl.* 5. §. 5. *à n.* 16. & Garc. *loc. cit, n.* 75. censeant, in impetratione beneficii necessariò non esse faciendam mentionem pensionis jam obtentæ. Sed &, quod stylum Curiæ attinet, de eo non satis constet, quin & contrarium colligatur in ipsis literis pensionis, dum sæpè in favorem illorum, qui beneficiis aliis jam obtentis gaudent, expediantur absque eo, quòd in ipsis ulla mentio fiat beneficiorum illorum. Econtra verò in impetratione pensionis fieri necessariò debere mentionem pensionis alterius jam obtentæ, prout idipsum docere ait Azor, *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Paris. *l.* 6 *q.* 2. *n.* 40. Garc. *loc. cit, n.* 561. ubi tamen hi AA. id non docent, sed solùm tradunt faciendam mentionem pensionis jam statutæ (intellige cuicumque demum) super eodem beneficio. Adeóque quod pro ratione hujus partis adducit Castrop. nimirum quòd, nisi idipsum exprimatur, Papa non censeatur velle gravare duplici onere Ecclesiam, non congruit huic parti, nisi fortè per Ecclesiam intelligat universalem, vel certè Ecclesiam aliam, in qua plura sunt beneficia.

Quæstio 506. *An, dum exprimenda pensio jam præhabita à pensionario, vel etiam imposita eidem beneficio novâ pensione gravando, exprimenda quoque sit quantitas harum pensionum, uti & quantitas redituum beneficii pensione gravandi?*

1. Respondeo ad primum negativè. Castrop. *cit. p.* 11. *n.* 7. citans Gig. *de pens. q.* 67. *concl.* 6. & Rot. *in Abulens. beneficii de Mobeltran* 30. *Octob.* 1595. contra Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 101. & quos citat *n.* 93 & 94. Caccialup. *de pens q.* 26. Mascar. *de prob. concl.* 888. *n.* 16. Gamb. *de pot. Leg. l.* 6. *n.* 350. Zechum &c. Nam vi juris commnis dicta quantitas exprimenda non est: regula autem illa cancellariæ de exprimendo valore loquitur solùm de impetratione beneficiorum; sed neque, utpote exorbitans à jure communi, extendenda est ad impetrationem pensionum ob generalitatem illam verborum: *& aliorum quorumcunque beneficiorum.* tametsi enim quandoque sub dicta generalitate comprehendantur pensiones, ut multis ostendit Sanch. *l.* 2. *in decalog. c.* 28. *n.* 36. Gamb. *de pot. Leg. l.* 6. *n.* 350. Rebuff. & alii citati à Castrop. id tamen intelligendum de materia favorabili ad summum, non de odiosa, præsertim si adjecta particula limitativa, ut in præsenti verba illa regulæ limitantur ex dictione *aliorum*, quæ similia replicat, non impropria & dissimilia illis, quibus dicta dictio applicata, qualia sunt pensiones comparatione beneficiorum.

2. Respondeo ad secundum affirmativè, nempe in casu, quo in beneficio jam gravato pensione constituenda nova pensio, valorem istius antiquæ pensionis esse exprimendum, ne contingat beneficium ultra vires gravari. Castrop. *cit. n.* 7. *in fine*; etsi sub medium istius *num.* dixisse videretur contrarium, sed ex errore typographi, qui omisisse videtur TÒ *excepto.*

3. Respondeo ad tertium affirmativè, seu exprimendam quoque quantitatem redituum beneficii gravandi pensione; efformatur siquidem super dicta quantitate intentio Papæ constituentis pensionem. Lott. *l.* 1. *q.* 41. *n.* 22. determinatam verò & certam quantitatem fructuum, uti nec illius expressionem necessariam esse simpliciter ad pensionem constituendam, sed tantùm, ut Papa secundùm illam determinet congruam ipsius titularis; adeóque narrativam illam, non pensionarii, sed titularis tantùm gratiâ fieri, ait Lott. *n.* 23.

Quæstio 507. *An, si reservatio pensionis ex causa resignationis est nulla, nulla quoque sit resignatio, & contrà?*

1. Respondeo ad primum: Si pensio reservata in resignatione conditionali *non aliàs, aliter, aut alio modo*, subsistere nequiret, similiter neq; resignatio sortiri posset effectum; quia jus non abdicatur à resignante, nisi conditio, sub qua resignatio facta fuit, sit verificata. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 139. *n.* 8. loquens expressè de resignatione conditionali ex causa permutationis.

2. Respondeo ad secundum: Si resignatio est nulla, regulariter etiam pensio est nulla, quando fuit imposita ex causa resignationis; cùm reservatio pensionis ex falsa causa sit nulla. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 76. & 77. Corrad. *p.* 2. *benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 47.

Quæstio 508. *An, si facta nulliter reservatio pensionis, collatio quoque beneficii sit nulla, v. g. dum inferior collator, non habens potestatem reservandi pensionem, confert beneficium, & in hac collatione reservat pensionem; & è contra, si collatio sit invalida, sit quoque invalida facta in collatione impositio pensionis?*

1. Respondeo ad primum negativè; cùm enim reservatio pensionis sit quid separatum à collatione beneficii, utile per inutile non vitiatur, in iis, quæ separationem recipiunt. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 123. *n.* 11.

2. Respondeo ad secundum quoque negativè; nam defectus intentionis in una parte gratiæ non vitiat

vitiat gratiam in altera parte distincta & separata, in qua cessat defectus intentionis. Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 9. n. 59. & 60.* Hinc si vacante aliquo beneficio per obitum, Papa conferat illud Petro cum reservatione pensionis ad favorem Joannis, si collatio facta Petro sit nulla ex aliquo vitio obreptionis seu incapacitatis illius, & propterea Antonius impetret hoc beneficium vacans per obitum uti priùs, quamvis in hac gratia collationis ei facta non fuerit reservata aliqua pensio, tenebitur tamen iste Antonius solvere dictam pensionem prius ad favorem Joannis reservatam, quia prima concessio continebat duas gratias; unam collationis, alteram pensionis: & quamvis altera gratia collationis deficiat, non tamen deficit gratia pensionis; præsertim cùm quilibet, ut solet, diversas literas gratiæ suæ expediat. Cujus tamen doctrinam quò ad hoc reprobat Garc. *p. 1. c. 5. n. 513.* quem vide, uti & dicenda à nobis infra, ubi, an pensionarius teneatur probare jus primò consentientis pensioni.

Quæstio 509. *An, & qualiter pensio affecta aliquo vitio convalescat?*

1. REspondeo primò: Pensionem ob non factam mentionem pensionis anterioris nullam & invalidam, lapsu diuturni temporis confirmari posse, si possessor per longum tempus in solutione utriusque pensionis perseveraverit, & hoc casu locum fore regulæ de pacificis possess. tradit Tond. *qq. benef. p. 1. c. 6. n. 2.* Secus tamen esse, seu pensiones nullo tractu temporis confirmari, seu validas reddi, si ab initio vitio aliquo reali, puta simoniæ, aut simili affectæ fuerunt, tradit idem Tond. *l. c. n. 3.* citans Charond. *l. 1. respons. 47.* de cetero

2. Respondeo secundò: Validare pensionem invalidam, non dependet à facto partium, sed à potestate Papæ. Parit. *l. 6. q. 2. n. 80.*

De iis, qui obtinere possunt pensionem.

Quæstio 510. *An incapax beneficii sit quoque incapax obtinere pensionem?*

1. REspondeo: Non convenire in hoc AA. nam primò id negat Lott. *l. 1. q. 40.* ubi postquam *n. 114.* proposuisset sententiam oppositam, nempe incapacem beneficii, super quo imponitur pensio, incapacem quoque esse pensionis super tali beneficio impositæ, v. g. regularem, quia incapax est beneficii sæcularis, incapacem quoque esse pensionis impositæ super beneficio sæculari, citassétque pro ea sententia Abb. *in c. exstirpa. de. de prab. n. 7.* Rotam *in Nolan. pens. 10. Jan. 1610.* subjungit tandem *n. 120.* suam sententiam his verbis: *Dicendum tamen est pro capacitate pensionis, sive in actu translationis, sive in actu reservationis à principio solum clericatum sufficere, etiamsi persona clerici non sit capax beneficii, super cujus fructibus est imposita pensio; quia dum pensio reservatur, creatur jus quoddam penitùs distinctum & separatum à beneficio, unde valet quidem argumentatio affirmativè concepta: Ille est capax beneficii, ergo & pensionis, tanquam à majore ad minus, prout, & non aliter argumentatur Gamb. l. 6. n. 241. non tamen valet argumentatio negativè concepta: Iste non est capax beneficii, ergo nec pensionis: cùm longè minus sit pensionem obtinere, quàm beneficium. Et licèt pensio & beneficium in hoc æquiparentur, quòd utrumque exigat statum clericalem in obtinente pensionem, tamen non licet argumentari ab uno ad aliud ultra id, in quo æquiparantur.* Ita ille. Ad Abbatis aliorúmque auctoritatem respondet *nu. 123.* loqui eos de pensione, quæ extrahitur de fructibus beneficii per Episcopum, ut deserviat pro titulo novi beneficii, juxta terminos *c. exstirpandæ*, verùm istiusmodi pensionem non esse habendam in numero earum pensionum, de quibus hìc. Ad decisionem Rotæ *in dicta Nolan.* ait, *nu. 124.* eam loqui de milite Hierosolymitano, atque ita obedientiario, cui præter defectum clericatûs oritur aliud impedimentum ex voto, cujus effectus est, eum æqualiter arcere à pensione & beneficio, & quocunque alio jure, unde efficiatur proprietarius, prout declarat Gamb. *loc. cit. à n. 245.* Nota tamen, quæ idem Lott. *l. 1. q. 36. n. 19.* visus in contrarum tradere, dum ait: Sanctissimos Pontifices, cùm usum hunc introduxerunt (nimirum, ut non nisi clericis concederentur pensiones) hanc quoque habuisse mentem, ut non aliis personis vellent pensiones illas reservari, quàm quæ essent capaces tituli, super cujus fructibus reservarentur, ne quid in fraudem canonum videatur attentari. Eandem negativam, & quidem loquendo non tantùm de incapacitate beneficii, cui pensio imponitur, sed & respectu alterius beneficii, tenent Tond. *qq. benef. p. 3. c. 174. n. 18.* Garc. *p. 1. c. 5. à n. 138.* innixi declarationi S. Congregat. Concil. super ejus *c. 7. sess. 14.* censenti, decretum hoc, quod loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua sunt homicidæ, non extendi ad pensiones. De qua declaratione ait Garc. *loc. cit. n. 138.* quòd, etsi difficultatem patiatur ex dictis (intellige à se, *à nu. 123.* ubi sententiam oppositam firmat & sequi videtur) ei tamen standum propter auctoritatem S. Congregat. cujus declarationes sunt necessariæ, & habent vim legis. Item tenent eandem Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. nu. 26.* Navar. *cons. 2. n. 15. de rescrip.* nempe ut Gonz. privatum & inhabilitatum ad obtinenda beneficia, non esse inhabilitatum ad obtinendas pensiones; quod ipsum verum quidem esse, dum inhabilitatio procedit à sententia hominis, utpote quæ est strictissimi juris & rigorosæ interpretationis, asserit Garc. n. 124. & cum eo Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 3. n. 6.* dicentes, in hoc sensu procedere sententiam Suar. *to. 5. de censu. d. 27. s. 1. n. 15.* docentis, quòd suspensio à beneficio non comprehendit pensiones, quia pœna non est extendenda ultra proprietatem vocis sine cogente fundamento, & pensio non est beneficium propriè, neque est jus vel ratio, quæ cogat ad hanc extensionem legis. Hinc

2. Econtra affirmativam, nimirum inhabilitatum (saltem per constitutionem juris seu legem, etsi hinc pœnalem & odiosam) ad beneficia, inhabilitatum quoque ad pensiones tenent. Castrop. *loc. cit.* item Nav. *cons. 11. n. 2. de temp. ordin.* Zerol. *in p. 2. Ep. p. 2. v. irregularitas. §. 8.* Sanch. *de matrim. l. 7. d. 44. n. 9.* citati à Garc. *n. 121.* Item Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 44.* citans insuper Ciarlin. *controv. forens. c. 10. à n. 5.* Item Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 18.* ubi expressè: inhabilitatus ad beneficia generaliter per constitutionem, non est capax pensionis, secus verò de inhabilitato per decretum seu sententiam hominis juxta opinionem

nionem Suarez. Quorum sententiam sic intelligendam credo, quòd qui inhabilis ad omnia beneficia, sit quoque inhabilis ad omnes pensiones; & qui inhabiliratus ad certi generis beneficia, sit etiam inhabilis ad pensiones tali generi beneficiorum impositas. Jam verò in specie sit

Quæstio 511. *An, & qualiter Laicus obtinere possit pensiones Ecclesiasticas?*

1. Respondeo primò: Pensionis temporalis, id est concessæ ob præstitum ministerium aliquod temporale capax est Laicus, & hæc ei concedi potest, & sæpe conceditur Garc. *p. 1. c. 5. nu. 2.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 3. nu. 1.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 2* cum communi plerique nixi hoc fundamento, quòd ea pensio, quæ titulo sæculari, & utì laico assignatur in stipendium, vel aliàs pro remuneratione laborum, sit quid merè profanum seu temporale, ut Garc. *loc. cit. n. 25.* si tamen auctoritas Papæ accesserit, non enim ab alio, quàm illo concedi potest, utpote cujus solius est, fructus beneficii à beneficio separare, & profanos efficere. Tond. & Castrop. *ll. cit.*

2. Respondeo secundò: pensionem Ecclesiasticam, quæ loco beneficii (absque eo tamen, quòd ea verè beneficium, seu in beneficium erecta sit) assignatur, ut commodius quis sustentari valeat, vel etiam ex causa resignationis, ne ex ea nimium detrimentum patiatur, etiamsi spirituale aliquid dicatur, posse quoque à Papa ex plenitudine potestatis constitui laico, certum est. Garc. *loc. cit. nu. 16.* citans Nav. *de orat Miscell. 45. & in man. c. 25. n. 118.* Rodriq. *in sum. to. 2 c. 21. n. 12.* Veg. Ledesm. &c. Quinimo Azor. *p. 2. l. 8 c. 7. q. 3.* loquens expressè de hac pensione quam plures qu.d spirituale volunt, vel saltem jus rei spirituali annexum, absque eo, quòd absolutæ istius potestatis, seu plenitudinis potestatis mentionem faciat, tradit Pontifices posse eam concedere laico. si rationabilis causa subsit, v. g. si laicus bene de Ecclesia meritus, & tali vitæ subsidio egeat. item ad redimendam vexam iniquam, vel ad deterius malum avertendum, ad pacem componendam; quamvis addat satiùs facturum Papam, si fructus donet laico ad totam ejus vitam, ut eos colligat, non suo, sed Ecclesiæ seu beneficiati nomine. Sic quoque à pluribus Pontificibus certis militum collegiis ipsisque militibus in particulari, etsi in conjugio vivant, pensiones usque ad. 150. vel 200. ducatos auri de Camera constitutas testatur idem Azor. Notat etiam Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 5. num. 198.* quòd, dum contingit Papam pensionem puro laico reservare, illud de more Datariæ servetur, ut oratorem nunquam vocet laicum, sed sub nomine scholaris supplicationes desuper admittat, quæ quidem qualitas nedum in illis, qui scholas frequentant, verificetur, verùm etiam in qubusvis aliis, quantumcunque provectæ ætatis; nec tamen sic expressa aliud operetur, nisi ut ipse scholaris à clericis distinguatur. Ac proinde, si orator non est clericus, non debet se clericum, sed scholarem appellare.

3. Respondeo tertiò: sed & harum pensionum de jure capaces esse laicos & infantes, tradit Card. de Luc *de pens. d. 10. n. 5. 10.* Quòd, ut inquit, pensio sit quid merè temporale super fructibus absque aliqua participatione juris spiritualis, vel administrationis Ecclesiæ. Idem tradit Lott. *l. 1. q. 36. n. 102.* nempe, quòd, cùm pensio sit quid merè temporale, inspectis juris communis regulis, ejus capax est quævis persona quantumcunque profana. Item has pensiones de jure communi antiquo potuisse conferri laicis, teneri à Gig. *de pens. q. 21.* & Lott. *l. 1. q. 36. n. 16.* ait Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 1. n. 12.* Docet etiam *cit. n. 16.* Lott. ex natura subjectæ materiæ, hoc est, pensionis, laicum esse pensionis capacem, idque conformiter iis, quæ dicta fuerunt ex eodem suprà; nimirum etiam has pensiones in substantia nihil esse spirituale.

4. Respondeo quartò: de cetero hodie ex stylo & observantia sedis Apostolicæ non consueverunt hæ pensiones reservari aliis, quàm clericis, saltem primæ tonsuræ, ut eadem quò ad hoc capacitas exigatur, quæ exigitur pro obtinendo beneficio simplici. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 63.* Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 5. n. 163.* dicens nec Datariam in praxi admittere consuevisse reservationes pensionum, nisi pro clericis beneficiorum capacibus, ac propterea suprà dictum stylum servari pro lege: ac subdens *n. 168. & 169.* idem esse in reservatione fructuum loco pensionis. Lott. *loc. cit. n. 16. & nu. 102.* ubi: quòd pensio sit quid merè temporale, cujus inspecto jure communi capax sit quælibet persona profana, ex honestate tamen quadam & congruentia non consuevit assignari nisi clericis. Ventrigl. *cit. nu. 12.* citans Nav. *cons. 11. num. 2. de temp. ordin.* Sanch. *de matrim. l. 7. d. 44. n. 9.* Et usque adeò, ad conservandum hunc usum illibatum, Papam, dum intendit subvenire alicui laico valde egeno & miserabili, consuevisse reservare pensionem in caput clerici alicujus, cum facultate transferendi, tradit Lott. *loc. cit. nu. 102.* Quin insuper etiam ex constitutione Pii V. *sub data 5. Idus Octob. 1568. in Bullar. 73.* in qua (dum videretur dictus ille stylus & usus nonnihil turbari, ut ait Lott. *loc. cit. n. 17.*) statuit, ut deinceps prætextu quorumcunque privilegiorum (quæ prorsus abrogavit) laici, etiam extra conjugium in cælibatu viventes, nullas pensiones novas obtinere valerent, invalida est omnino & nulla reservatio pensionis facta laico. Castrop. *loc. cit.* Lott. *loc. cit. n. 17.* de cujus constitutionis extensione & limitatione in sequentibus.

Quæstio 512. *Qualiter ampliandum id ipsum, quòd non nisi clericis constituatur pensio?*

1. Respondeo ampliandum primò: Ut necesse sit clericatum adesse tempore reservationis pensionis, & nullatenus sufficeret, pensionarium statim post reservationem fieri clericum; cùm ut dictum aliàs, qualitas certo tempore requisita in aliqua persona, si postea superveniat, nihil operetur. Lott. *cit. q. 36. n. 20.* Corrad *pr. benef. l. 1. c. 5. n. 165.* Ventrigl. *cit. n. 12* citans Gig. *de pens. q. 22. nn. 8. & 16.* Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. q. 7. a. 7.* contra Filiuc. *in append. posth. tr. 42. c. 3. q. 6.* inquientem: *certum est, virum & statum laicalem esse omnino repugnantem pensioni ecclesiasticæ, & tamen eo non obstante, validè ea confertur, si, qui eam obtinet, clericatum vult suscipere, & postea suscipit; adeoque potiore etiam ratione validè potest ab eo pensio impetrari, qui impedimentum vitæ clericalis habet, si illud paulò post est amoturus.* Item contra eundem Filiuc. docentem, *loc. cit. q. 5.* eum, qui certus est, facilè se obtenturum dispensationem impedimenti vitæ clericalis; quique, quamprimum pensionem obtinuerit, curatu-

rus

rus est, ut dictam dispensationem obtineat, tacito licèt dicto impedimento, validè pensionem impetrare, citantem pro hoc Sylv. *v. excommunicat. 4. n. 4.* eò quòd subticentia talis impedimenti vitæ clericalis non censetur rationabiliter gratiam facere subreptitiam; cùm proximè accingendus habeatur pro accincto; & quòd parum distat, nihil distare videtur. Nisi forte, uti quandoque fieri solet, reservaretur à Papa pensio laico cum clausula: *quamprimùm clericali charactere fuerit insignitus.* Ventrigl. *loc. cit. n. 13.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 142.* quamvis & in hoc casu contrarium tanquam in praxi non semel discussum, & quotidie receptum tenendum esse dicat Corrad. *loc. cit. n. 182.* eò quòd hujusmodi clausula sit conditionalis, eáque referatur ad diem suscepti characteris clericalis, ac propterea ante existentiam & adventum illius diei pensio prædicta non possit dici reservata; cùm gratia conditionalis nihil ponat in esse ante conditionis existentiam; unde in ea tempus conditionis inspiciendum, non autem tempus Datæ. Neque obstare adjectam dictionem *ex nunc*, utpote, quæ in actu conditionali non denotet inchoationem temporis; cùm dicta clausula non operetur à tempore Datæ, sed attendatur tempus impletæ conditionis, non autem prolati sermonis; eò quòd licèt adsit illa dictio *ex nunc*, quæ videtur tempus præsens designare, adsit tamen etiam illa dictio *ex tunc*, quæ extremitatem temporis & conditionem significet, de quibus vide ulterius eundem Corrad. Unde jam idem rectè concludit *n. 192.* pensionem reservatam laico cum dicta clausula: *ex nunc pro ut ex tunc* non posse exigi à pensionario, nisi postquam effectus fuerit clericus, & ex tunc tantùm pensionem sumere vigorem, & non antea, quò ad illius exactionem: & sic non posse exigi ipsius pensionis decursos terminos à die Datæ literarum hujusmodi reservationis, usque ad diem, quo effectus est clericus, sed illos percipere titularem beneficii. Notat etiam circa hoc punctum requisiti clericatûs tempore reservationis Corrad. *loc. cit. nu. 172.* juxta *decis. Rotæ in Abulens. pensionis*, id procedere in pensionibus ordinariis, quæ à principio reservantur in favorem certæ personæ: secùs verò in iis, quæ reservantur quasi in abstracto pro persona nominanda (uti contingit in reservatione super fructibus Episcopatuum Hispaniæ juripatronatus regio subjectorum) ita ut necesse non sit adesse clericatum tempore reservationis, sed sufficiat adesse tempore nominationis, quo gratia effectuatur & perficitur (quemadmodum sufficit, clericatum adesse tempore præsentationis, & necesse non est, adesse illum tempore nominationis, quæ quandoque præcedit præsentationem factam Superiori) non obstante, quòd literæ reservationis expediantur sub data reservationis, & in iis appelletur clericus juxta stylum. Quamvis contrarium sentiat Garc. apud eundem Corrad. *loc. cit.* dicens se nunquam potuisse sequi supra dictam Rotæ sententiam. Quin & id ipsum sibi displicere dicat Castrop. *loc. cit. n. 3.* eò quòd tempore Datæ reservationis persona nominanda debeat habere omnes qualitates requisitas ad pensionem; quia esto, quòd jus non habeat ad pensionem, quousque nominatio accedat, jus tamen non proveniat ex nominatione, sed ex reservatione, cum potestate nominandi; nominatio autem sit quædam conditio, quæ retrotrahitur ad tempus reservationis.

2. Ampliatur secundò, ut procedat, etiamsi laici extra conjugium in cælibatu vivant. Ventrigl. *loc. cit. n. 14.* Lott. *loc. cit. n. 18.* juxta expressa verba dictæ constitutionis Pianæ.

3. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamsi laicus quisquam per plures annos incessisset in habitu & tonsura clericali, ita ut communiter reputaretur clericus. Ventrigl. *loc. cit. n. 16.* Lott. *loc. cit. n. 20.* citans Rotam *decis. 20. p. 3. l. 3. divers. & decis. 158. n. 2. p. 1. recent.* contra Corrad. *loc. cit. nu. 214.* ubi expressè: Licèt constito de incapacitate pensionarii ob defectum clericatûs annulletur pensionis reservatio, tamen si illa, aut illius translatio fiat in eum, qui communi reputatione in acceptatione hujusmodi pensionis reputabatur clericus, valebit quidem talis reservatio sive translatio, donec detegatur, eum non esse clericum, ex eo quòd clerico putativo, de cujus clericatu non constabat, nisi per communem reputationem, potest reservari pensio, quia sufficit communis reputatio &c.

Quæstio 513. An, & qualiter subvenirì possit ei, qui existens laicus obtinuit pensionem?

REspondeo, eam esse Papæ non rarò pietatem, ut oratori se falsò clericum in precibus asserenti, cùm sit laicus, ne in hoc quoque casu reservationis pensionis gratia careat effectu, prædictam gratiam revalidet; adeóque pro ea revalidanda preces eidem offerri consueverunt. Corrad. *pr. benef. l. 1. c. 5. n. 200.* harum precum formulam adjiciens. Porrò in hujusmodi casu reservationis pensionis, vel etiam fructuum revalidatio petenda in specie ab ipso reservatario, factâ mentione supradictæ nullitatis reservationis pensionis ob defectum clericatûs tempore dictæ reservationis, nec aliàs prodesse poterit. Corrad. *loc. cit. num. 201.* id fusè exemplificans. De cetero servari quoque in praxi, ut quandoque ob hujusmodi clericatûs defectum tempore dictæ reservationis oratori succurratur per viam novæ reservationis, testatur Corrad. *loc. cit. n. 211.*

Quæstio 514. An clericus non incedens in habitu clericali & tonsura, sit incapax pensionis?

REspondeo negativè: Nam etsi eum inhabilem ad hoc tradidisset Sixtus V. in priore sua constitutione; postea tamen *constitut. sua 31.* hunc rigorem mitigavit, ut solùm pensionarius obligatus sit in habitu & tonsura incedere, dum pensio excedit summam 60. ducatorum de Camera, & postquam pensionem exigere aut percipere cæperit, vel per ipsum steterit, quò minùs percipiat. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 3. n. 3.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 13.*

Quæstio 515. An clericus conjugatus, vel etiam bigamus, aut aliàs habens clericatum inexequibilem capax sit pensionis?

1. REspondeo ad primum negativè: sic enim expressè disponitur in dicta Constitut. Pii V. ut clerici conjugati nullas pensiones aut fructus habere, neque ipsi etiam, qui conjugati non sunt, si ad primas, aut alias nuptias transierint, antiquas deinceps percipere nequeant; clerici verò & alii matrimonium cum unica & virgine contracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec novas assequi possint. Et sic per dictam consti-

constitut. hodiedum clericos conjugatos nequaquam capaces esse pensionum, tradunt Lott. *l.* 1. *q.* 36. *nu.* 18. (subdens quoque *n.* 19. quòd quò ad hoc punctum de clericis conjugatis & bigamis per dictam constitut. non tam jus novum introductum, quàm jus antiquum declaratum) Ventrigl. *loc. cit. n.* 15. cum communi.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè: Idem enim de bigamis (intellige, etiam actu constitutis extra matrimonium) disponitur in dicta constitut. quod de clericis actu conjugatis. Lott. Ventrigl. *ll. cit.* Quin & fortiùs per bigamiam supervenientem clericus retruditur in statum laicalem, in quo priùs erat, districtiùs sic sanciente concilio generali *c. unic. de bigam. in 6.* Lott. *l.* 1. *q.* 40. *nu.* 149. Unde clericus effectus bigamus reputatur omnino laicus, ut Rebuff. *de pacif. possess. num.* 323. Coras. *de benef. p.* 3. *c.* 4. *nu.* 2. Garc. *p.* 7. *c.* 6. *nu.* 2. apud Lott. *loc. cit. n.* 15. ita ut, si in eum fieret translatio (multóque magis reservatio) pensionis, hæc sit omnino nulla, Lott. *nu.* 152. Neque enim sufficit, aliquem fuisse quandoque clericum cum clericatu exequibili, sed requiritur, ut talis sit tempore reservationis, vel etiam translationis pensionis. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 147. Hinc

3. Respondeo ad tertium: Neque etiam reservari posse pensionem in favorem clerici, habentis clericatum aliunde, quàm ex contracto matrimonio aut bigamia non exequibilem, puta ab initio; quia v. g. ordinatus est ab Episcopo non suo sine licentia proprii Episcopi, Lott. *loc. cit. n.* 21. Conrad. *loc. cit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 215. Ventrigl. *loc. cit. n.* 17. citans Paris. *l.* 6. *q.* 4. *n.* 23. Nav. *cons.* 11. *n.* 5. *de temp. ordin.* &c. Atque reservatio tali facta nulla. Ventrigl. *loc. cit.* Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 41. Quod tamen secus esse, si pensio data titulo merè temporali, ait Ventrigl. *loc. cit.* citans Squillan. *de privileg. clericor. c.* 5. *nu.* 12. Riccium *collectan. p.* 5. *collectan.* 1678. Notat circa hoc Conrad. *loc. cit. nu.* 216. consuevisse propterea Datariæ Apostolicæ officiales in similibus pensionum reservationibus pro scholari ad majorem cautelâ addere in ipsa supplicatione: *postquàm clericali charactere ritè insignitus fuerit*: non ut per hoc excludatur invalida caracteris susceptio, sed intelligatur, characterem debere esse susceptum bene & secundùm ritum. De cetero, dum accessit ratificatio Episcopi proprii, talis evadit habilis ad obtinendam pensionem. Necesse autem est, ratificationem hanc fieri, antequam clerico sic malè promoto ad clericatum, reservetur pensio, alioquin ipsa reservatio erit adhuc nulla; neque enim illa ratificatio retrotrahitur in præjudicium tertii, nimirum titularis. Conrad. *loc. cit. n.* 218. & 219.

Quæstio 516. *An, & qualiter Papa cum clerico conjugato aut bigamo dispensare possit & soleat, præveniendo factum matrimonii aut bigamiæ, ita ut is dein contrahens matrimonium aut bigamiam, in ea existens citra ullam aliam dispensationem obtinere possit constitutam sibi, aut in se translatam pensionem?*

1. REspondeo primò: Tametsi Papa nullis adstrictus sit regulis, quò minùs cum clerico conjugato aut bigamo, etiam per hoc retrusis ad statum laicalem dispensare valeat, ut pensiones obtinere, & retinere in eo statu valeant: nihilominùs pro sua modestia & prudentia nunquam solet super hoc dispensare cum tali clerico, præterquam ex suppositione continuationis statûs Ecclesiasticitatis. Lott. *l.* 1. *q.* 40 *n.* 198. citans Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 44 *nu.* 9. Gutt. *qq. can. l.* 2. *c.* 5. *nu.* 26. Nav. *in man. c.* 25. *n.* 119. *prope finem*. Pro quo uteriùs declarando,

2. Respondeo secundò: cùm bigamiæ non sit annexa irregularitas jure naturæ, sed simplici jure positivo, ut D. Th. *in* 4. *dist.* 27. *q. ult.* de potestate Papæ dispensandi, in hoc dubitari nequit, non obstante textu *c. non confidat. dist.* 50. utpote loquente de Pontifice Papa inferiore, nempe de Episcopo, ut notant *ibid.* AA. & Majol. *de irreg. l.* 1. *c.* 33. *n.* 4. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 154. & 155. Sed neque ad id opùs est absoluta potestate seu plenitudine potestatis, sed faciet id Papa potestate ordinariâ, id est à lege sibi commissa. Lott. *loc. cit. n.* 156. citans Nav. *in man. c.* 27. *nu.* 197. Covar. *in clem. si furiosus.* §. 2. *à n.* 2. *de homicid.* ac præcipuè Cacciallup. *de pens. q.* 19. *à n.* 50.

3. Respondeo tertiò: Factâ hac dispensatione, clericatus (qui aliàs cessante dispositione juris positivi compatitur, si etiam cum bigamia, ut Jo. And. *in c. super eo. de bigam. n.* 12. apud Lott. *n.* 155. etiam quòad exercitium ex permissu Canonum antiquorum. *c. quicunque pœnitens. dist.* 50. Lott. *n.* 158.) remaneret, quò ad effectum dispensatum cum tota sua activitate. Lott. *n.* 160. Quare sicut clericus per tonsuram ab initio segregatus à laicis est clericus quò ad omnia, ita, si dispensetur præventivè contra effectus juris resultantes à matrimonio vel bigamia, ad certûm finem, v.g. ad obtinendâ vel retinendam pensionem, non dicatur dispensatus bigamus, nec tanquam bigamus censeatur retrusus ad laicos; cùm eo ipso, quòd Papa dispenset cum clerico, ut possit aliquid facere, per quod aliàs incurreret impedimentum seu irregularitatem, censetur ab eo actu removere pœnam. Lott. *à nu.* 161. *ad nu.* 164. Neque dum dispensatio versatur circa habilitandam personam, distinctio jam admittitur inter habilem naturaliter, seu de jure communi, & habilem ex dispensatione aliòve jure singulari; cùm omnis habilitas proveniat ab eodem fonte, nempe principe, qui potest lege suâ inducere habilitatem & inhabilitatem, sive condendo legem universalem, sive inducendo jus singulare, Lott. *n.* 167. Unde eam habens potestatem transferendi (idem est de constituendo) pensionem in clericum seu personam Ecclesiasticam, utique poterit eam constituere vel transferre in eum, qui talis est ex dispensatione, nempe in clericum jam conjugatum aut bigamum, operante idipsum non simpliciter dispensatione, sed dispensatione præventivâ facti nempe matrimonii aut bigamiæ, & impeditivâ omnium effectuum juris inde aliàs resultantium. Lott. *n.* 168. *junctis n.* 170.

4. Respondeo quartò: Neque ex eo, quòd Papa hac ratione contra concilium generale hac dispensatione suâ præventivâ præservet & conservet talem, etiam post conjugium & bigamiam in statu ecclesiasticitatis, rectè præsumitur, quòd potiùs voluerit cum eo dispensare contra stylum Curiæ (etsi hoc minus sit; cùm præscindendo à dicto stylo, laicus de jure communi capax sit pensionis) ut in statu laicalitatis, ad quem vi Canonum per conjugium detrusus est, percipere pensionem; cùm dispensatio concessa ad unum finem non sit producenda ad alium, neque ad consequentiam, etiam ex majoritate rationis, præcipuè ubi consequentia non est omnino necessaria. Lott. *à n.* 171. *ad* 177.

5. Respon-

5. Respondeo quintò: Dum itaque Papa dirigit literas tali indultario tanquam clerico, jam hinc colligitur certa in eo scientia statûs illius personæ, contemplatúrque jam factum matrimonii aut incursum bigamiæ tanquam aliquid contingens in persona clerici; neque tamen fingit aliquid super eo facto, sed realiter & cum effectu suspendit concilia generalia, totúmque jus positivum, ne propter hujusmodi factum reddatur inhabilis ad capiendam aut retinendam pensionem; & sic dispensando non removet factum, sed juris effectum, à quo producitur defectus, qui solùm obstabat. Lott. *nu.* 178. *&* 179. Ac ita cessat quoque argumentatio, de qua paulò ante, quòd minus sit dispensare contra stylum Curiæ, quàm contra Concilia generalia; cùm enim clara est mens Papæ, cessant conjecturæ. Lott. *n.* 180. Quamvis etiam verum non sit, quòd majus sit, hac ratione dispensare præventivè cum clerico bigamo, quàm cum laico, ut is remanens in statu laicalitatis percipiat pensiones; licèt enim hoc posterius possit Papa ex ampla sua potestate, habet tamen id perpetuam repugnantiam rationis perpensæ à jure communi, qualis repugnantia perpetua non est in bigamia, eò quòd hæc ideo damnata per canones in clerico, quòd non possit esse viduitatis & continentiæ adhortator, qui conjugia ipse frequentavit, quæ ratio non concernit clericum tantùm primæ tonsuræ, non progressum ad sacros ordines, ac proptrerea leviſſimum sit cum eo dispensare ad effectum obtinendi & retinendi pensiones. Lott. *n.* 181.

6. Respondeo denique, quamvis consueverit vel ex natura subjectæ materiæ hoc casu dispensatio concipi per hanc clausulam: *si contigerit* &c. hinc tamen non removetur vis hæc dispensationis præventivæ & præservativæ; nam ut gratia hæc dicatur pura & simplex, satis insinuat verbum *dispensamus*, quod est præsentis temporis; illa verò clausula: *si contigerit &c.* respicit casus futuros; atque ita semper dispensatio hæc prævenit factum, & in hac præventione facti stat illa vis præservationis; & quamvis casus sint positi sub conditione, dieſque incertus in executione adjectus reddat ipsam dispositionem conditionalem, tamen hoc minimè verum sit, ubi conditio tacitè inest, ut in hoc casu, in quo semper id supponitur ex natura subjectæ materiæ. Lott. *à n.* 187. *&* 188. quem vide hoc postremum pluribus declarantem.

Quæstio 517. *An ergo etiam pensionis incapaces sint personæ, carentes quidem charactere clericali, Ecclesiasticæ tamen, seu de foro Ecclesiastico, & Ecclesiastică immunitate gaudentes, quales sunt quidam regulares seu religiosi, & in specie Milites ordinis S. Ioannis Hierosolymitani?*

Respondeo negativè: hi enim, saltem latè sumpto hoc vocabulo in appellatione clericorum veniunt (dubitari siquidem nequit, religiosos tales & neo devotos in sortem domini electos esse, ut ait Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 22.) comparanturque clericis propriè talibus, specialiter etiam ad effectum obtinendi pensiones Ecclesiasticas. Conrad. *pr. benef. l.* 1. *c.* 5. *n.* 222. Lott. *loc. cit. n.* 26. dicens sic resolutum pro Conversò seu Donato religionis Hierosolymitanæ à Rota *decis.* 392. *p.* 2. *recent.* & fusè hanc sententiam probari à Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *à n.* 44. Quamvis personæ tales regulares eò ipso capaces non sint pensionum impositarum beneficiis sæcularibus. Lott. *loc. cit. num.* 27. de quo infrà. sed neque dum istis Militibus reservatur pensio, requiritur mentio clericatûs; nec in literis pensionis hujusmodi pro Milite Hierosolymitano Cancellariæ Apostolicæ Officiales curant de hac qualitate clericatûs. Unde nec probandus clericatus per istiusmodi Militem, qui expeditis literis appellatus non est clericus, quamvis in supplicatione se clericum nominavit. Conrad. *loc. cit. n.* 223.

Quæstio 518. *An igitur Novitius, qui non est clericus, capax sit pensionis?*

Respondeo negativè. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *à nu.* 136. sic resolutum dicens à Rota *in Terulens. pens.* 13. *Nov.* 1596. translationem pensionis factam in Novitium non clericum esse nullam, etiamsi fuisset concessa facultas transferendi in personas Ecclesiasticas: quamvis enim Novitius gaudeat omnibus privilegiis professorum, & tanquam talis possit eligi & præsentari, id tamen intelligendum de pertinentibus ad religionem; secus verò de aliis aut sæcularibus aut indifferentibus, & propterea in eo cessante clericatu non potest dici persona Ecclesiastica; eò quòd sit quasi religiosus; cùm Novitius respectu statûs personæ semper reputetur talis, qualis erat de tempore receptionis. Lott. *ibid. juncta num.* 137.

Quæstio 519. *An infans & puer sit capax obtinendi pensionem?*

1. Respondeo primò: Infantem ex juris communis dispositione capacem esse pensionis. Card. de Luc. *de pens. d.* 10. *n.* 5. Paris. *l.* 4. *q.* 9. *n.* 12. sic tentum dicens à Rota *in Veneta pens.* Necesse tamen tunc esse in reservatione exprimere infantilem ætatem juxta quod resolutũ à Rot. *in Catanien. pens.* 4. *Maii.* 1583. Idem tradit Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 3. ubi: quòd licèt infans sit incapax beneficii, non tamen est incapax pensionis; ideo provisio pensionis in favorem infantis sustinetur, quando Papæ fuit defectus infantilis ætatis expressus. Et illo casu non providetur illi de pensione tanquam clerico, sed tanquam laico, & apponitur in concessione illa clausula: *etsi nondum clericali charactere insignitus.*

2. Respondeo secundò: Infantem 7. annorum capacem esse pensionis, tenent Less. *l.* 2. *c.* 34. *nu.* 203. apud Castrop. *loc. paulo post citand.* (etsi is dicat, se credere sententiam oppositam mox subjungendam esse magis secundùm mentem Trident.) Gig. *de pens. q.* 13. *n.* 3 Zechus. *de benef. & pens. c.* 11. *nu.* 7. Riccius. *in pr. fori Eccles. p.* 4. *decis.* 186. Gratian. *discep. for. to.* 3. *discept.* 397. *n.* 17. & plures alii citati à Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 42. qui etiam ait, huic sententiæ favere stylum Datariæ, prout sibi constitit. Ratio horum AA. est, quòd septennium requiratur, & sufficiat ad clericatum, qui est conditio necessariò requisita ad pensionem; quódque, dum Triden. *sess.* 23. *c.* 6. disposuit, ut nullus ante 14. annum ætatis obtinere possit beneficium, nomen beneficii extendendum non sit in dicta dispositione, utpote juris communis, quo aliàs sufficiebat septennium ad beneficium, correctiva, ad pensionem. Quinimò tradit Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 146. nullam ætatem ad obtinendam pensionem Ecclesiasticam præcisè requiri, sed solùm ad clericatum suscipiendum requiri septennium: unde si Papa dispenset

spensèt cum infante, ut ante septennium, v. g. anno 4. ætatis promoveri possit ad clericatum, jam eo ipso capax sit in ista ætate obtinendi pensionem: quemadmodum etiam, ut ait Lott. *n.* 147. citans pro hoc Gig. *q.* 13. *nu.* 2. & Jo. Monach. *in c. si annum. n.* 2. *de judic. in 6.* aliâ nullâ ratione videtur incapax beneficii, quàm quia non potest in ea ætate consurari.

3. Econtra nihilominus tenent Barb. *loc. cit.* citans Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 129. Squillan. *de privileg. cleric. c.* 5. *n.* 13. Campanil. *in diverſ. juris can. rub. rub.* 7. *c.* 6. *n.* 5. Sanctarell. &c. Item Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 4. citans insuper Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 28. *nu.* 36. Sa. *v. beneficium n.* 30. Eandem ætatem requiri pro pensione, quæ pro beneficio, & sic neminem ante annum 14. capacem esse pensionis, eò quòd ex stylo Curiæ, ut ait Castrop. eædem qualitates requirantur pro pensione, quæ pro obtinendo beneficio; quódque, ut refert Garc. sic declaravit S. Congregat. Denique quòd, cùm dicta dispositio Trid. sit conciliaris, & in favorem religionis, & in dignam rerum Ecclesiasticarum administrationem, extendenda sit, ut comprehendat quoque pensionem.

Quæstio 520. *An illegitimus capax sit obtinendi pensionem Ecclesiasticam?*

Respondeo: Clericus illegitimus citra omnem ulteriorem dispensationem obtinere potest pensionem, sive illegitimus respectu præcisè pensionis obtinendæ nulla eget dispensatione, ita, ut ait Lott. *l.* 1. *q.* 40. *nu.* 144. in hoc casu aliud nihil attendendum, quam an talis illegitimus fuerit charactere clericali ritè insignitus, quia hoc posito, cessat omnis scrupulus, etiam, quòd de defectu natalium non fuerit deinceps facta mentio in reservatione pensionis, vel in concessione facultatis eam transferendi, siquidem pensio, quæ cum vita pensionarii extinguitur, sit & consideretur tanquam jus quoddam temporale diversum prorsus & separatum à substantia beneficii. Ita tenent Lott. *loc. cit. à num.* 139. citans quamplures Rotæ decis. quas etiam videre est apud Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 118. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 14 (quamvis addat, cessante stylo in contrarium, se sequi hanc Lotterii sententiam) Gonz. *gl.* 5. §. 5. *à n.* 24. Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *n.* 284. Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. ordo. q.* 4. *in fine.* Majol. *de irregul. l.* 1. *c.* 10. *num.* 3. citati à Castrop. *loc. cit. nu.* 5. contra Garc. *loc. cit. n.* 119. (id quidem admittens de pensione, quæ datur stipendii loco, negans tamen de pensione Ecclesiastica succedente loco beneficii) Castrop. *loc. cit.* & citatos ab iis Zech. *de pens. & benef. c.* 11. *n.* 7. Nav. *cons.* 11. *n.* 2. *de temp. ordin.* Less. *de Just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 203. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 44. *num.* 9. *&c.* Fundant se hi AA. in stylo Datariæ & Cancellariæ, quo incapax beneficii habetur etiam incapax pensionis. unde ait Garc. *loc. cit. n.* 120. non obstare in contrarium sententiam Rotæ, quæ transiit in stylum, dum in contrarium est stylus Datariæ & Cancellariæ, utpote cui veluti magis propinquo Papæ cujusque Organo, magis sit standum. De hoc tamen stylo nihil meminit Lotterius in Curia Rom. versatissimus. Quòd si agatur de pensione jam obtenta ab illegitimo, vel etiam exposito, non egere illum dispensatione ad eam retinendam, sed citra illam posse tolerari exactionem pensionis, ipse propter auctoritatem DD. contrariam sententiam tenentium existimat Garc. *p.* 7. *c.* 2. *n.* 11.

Quæstio 521. *An expositi (qui quodammodo ad illegitimos accedere videntur, intelligè, in dubio, dum illorum pater ignoratur) capaces sint obtinendi pensionem?*

Respondeo: Quidquid sit de eo, num citra dispensationem capaces sint beneficiorum, quod ipsum affirmat Gratian. *discep. for. c.* 135. *nu.* 33. & *c.* 397. *n.* 68. apud Tond. *loc. cit. n.* 13. Item Felin. *in c. cum deputati de judic. nu.* 1. Bermond. *de public. concub. v. qui etiam filios. nu.* 90. Paleot. *de notbis & spur. c.* 63. Rodriq. *qq. reg. to.* 1. *q.* 13. *a.* 1. & *q.* 14. *a.* 3. Menoch. *de arbit. l.* 2. *caſ.* 396. Salas. *in* 1. 2. *tr.* 8. *d. unic. ſ.* 24. *nu.* 246. & alii apud Garc. *p.* 7. *c.* 2. *n.* 7. eò quòd multi etiam legitimi exponantur, & sic, cùm veritas nequeat constare, facienda sit interpretatio in meliorem partem, & in favorem prolis, argumento *c. ex tenore. qui filii sint legitimi.* Negant è contra Covar. *in clem. si furioſus. p.* 1. *n.* 9. Majol. *de irregul. l* 1. *c.* 11. Ugol. *de irregular. c.* 44. §. 7. *n.* 1. Sayr. *de cenſ. l.* 6. *c.* 10. *nu.* 39. Rebell. *de oblig. juſt. p.* 2. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 15. Vasq. *in* 1. 2. *d.* 66. *n.* 48. & plures alii apud Garc. *loc. cit. nu.* 8. quibus ipse accedit *n.* 10. Item Tond. *loc. cit. n.* 16. Conrad. *pr. diſpenſat. Apoſt. l.* 3. *c.* 2. *num.* 2. censentes eos ad clericatum egere dispensatione, & consequenter etiam, saltem hac ratione indirectè, ad beneficia, eò quòd tales expositi dubii, seu quorum pater ignoratur, ex stylo Datariæ, ut Corrad. & Tond. in omnibus pro illegitimis habeantur, solèque dispensationes pro illis sub ijsdem clausulis expediri, sub quibus pro illegitimis conceduntur, argumento petito à solitis; cùm ut plurimùm illi exponuntur, qui ex furtivo congressu sunt procreati, & ut ait Garc. *cit. n.* 10. experientia doceat, quòd quamvis aliqui legitimi exponantur, hi tamen sint pauciſſimi, & ex 100. expositis vix 10. esse legitimos, & ita expositi communiter reputentur ex copula illicita nati, & ab eo, quod ferè semper fit, potiùs desumenda sit interpretatio, quàm ab eo, quod aliquando, sed rarò fit, quamvis id melius sit & benignius. Atque ita, ut subjungit Garc. Episcopus cum eis nequeat ad ordines dispensare. Quidquid inquam sit de dicta eorum incapacitate ad beneficia & clericatum, postquam tamen clericali charactere insigniti sunt, non egent dispensatione ad pensiones obtinendas; idque multò minùs, quàm illegitimi, de quibus constat esse tales. Tond. *loc. cit. n.* 15. Sic quoque Garc. *loc. cit. nu.* 11. de his expositis tenet, posse eos retinere sine dispensatione pensionem jam ante obtentam.

Quæstio 522. *An filius illegitimus (intellige, de ceterò etiam dispensatus ad obtinendam pensionem) obtinere possit pensionem, quam habuit ejus pater, vel etiam pensionem in beneficio, quod habet aut habuit ejus pater; vel etiam pensionem in alio beneficio, in quo aliàs ejus pater habuit pensionem?*

1. Respondent ad primum affirmativè Barb. *juris Eccleſ. l.* 3. *c.* 11. *nu.* 66. citans quamplurimos (in fine addens: hinc S. Congregationè Conc. 9. *Nov.* 1619. censuisse, clericum reservatarium pensionis scutorum 200. super Ecclesia, quam ipse nunquam obtinuerat, posse transferre medietatem ad favorem filii sui illegitimi) Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 25. citans plures. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 195. Gonz. *gl.* 5. §. 5. *n.* 22. expresse inquies: Patet clericus habens

habens potestatem transferendi pensionem, quam possidet, potest eam transferre in filium suum clericum, etiam illegitimum, citánsque pro hoc Gig. *de pens. q. 86. n. 5.* Paris. *de resig. l. 6. q. 4. nu. 21.* In quorum sententiam inclinat Azor. *p. 2. l. 8. c. 7. q. 7.* sic Laym. *in c. præsentiam. de filiis presbyt. sub n. 3.* ait colligitur, quòd, si pater pensionem tantùm in Ecclesia habuit, quam in alterum ei concessum sit transferre, quòd eam filio cedere possit, quia pensio non est beneficium: quamvis mox subjungat, de hoc tamen meritò dubitari potest, si pensio spiritualis sit, seu ex spirituali ministerio proveniens; juxta ea, quæ habet *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. ult. n. 1.* contra Mandos. *in tr. de signat. grat. & just. tit. tranlation.* Quatenus hic docet, non posse patrem pensionem suam transferre in filium suum illegitimum. Moventur dicti AA. eo, quòd licèt Clemens VII. in constitut. sua. *ad canonum.* statuerit, ne filius (intellige etiam legitimus) presbyteri possit succedere in beneficio, quod pater obtinuit; nomine tamen beneficii non veniat pensio; cùm odia & pœnæ sint restringenda. Neque etiam obstet Trident. *sess. 25. c. 15.* disponens, ne filius illegitimus habeat beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus habuit beneficium; neque etiam pensionem super fructibus beneficii, quod habuit ejus Pater; cùm per hoc necdum prohibeatur, ne filius ille habeat pensionem in beneficio, quod pater ejus nunquam habuit.

2. Respondeo ad secundum negativè: Id enim vetat expresse Trident. *loc. cit.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 19.* Et sic procedit, quod ait Azor. *loc. cit.* patrem habentem pensionem in beneficio, quod ipse resignaverat, non posse eam transferre in filium illegitimum. Limitat tamen hoc ipsum Ventrigl. *loc. cit.* ut filius illegitimus habere adhuc possit pensionem super fructibus beneficii, de quo provisus pater ejus, & quòd is literis non expeditis, nec captâ possessione cessit alteri, pro quo citat Garc. *p. 7. c. 3. n. 56.* Campanil. *in diversas juris rubr. rub. 11. c. 13. n. 63.* qui sic decisum referant. Unde etiam à contrario constat, filium legitimum esse capacem pensionis constitutæ in beneficio, quod habet aut habuit ejus pater. Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 65.* citans Garc. *p. 7. c. 3. n. 35.* referentem, sic decisum esse. sic Paris. *l. 6. q. 2. n. 110.* tradit, posse patrem resignare beneficium suum in favorem Titii reservatâ pensione filio suo.

3. Respondeo ad tertium affirmativè: Siquidem Concilium loquitur tantùm de pensionibus, quæ assignantur superfructibus beneficiorum, quæ habuerunt patres horum filiorum illegitimorum; adeóque hæc conciliaris dispositio extendi non debet ad casum assignationis pensionis super fructibus beneficiorum, quæ parens illius non obtinuit, sed super quibus solùm habuit vel habet pensionem, eámque distinctam à pensione, quam modò obtinet ejus filius. Tond. *loc. cit. nu. 20.* citans Gratian. *discep. for. c. 297. n. 2.* id multis comprobantem. Limitat tamen idipsum Tond. *n. 21.* dum ait: id tamen cum moderamine intelligendum; eò quòd, si pensio assignata fuisset in titulum beneficii, jam comprehenderetur in dispositione concilii loquente de beneficiis.

Quæstio 523. An illegitimus (idem est de alio aliunde inhabili, ut expresse Castrop. mox citandus) dispensatus ad beneficia, eò ipso censeatur dispensatus ad pensiones?

1. Respondeo primò: Quæstionem hanc non habere locum in sententia Lotterii, Tond. & aliorum paulò ante tenentium, ratione pensionis obtinendæ præcisè non requiri dispensationem in illegitimitate, similibúsque quibusdam, etsi ea dispensatio requireretur ad ordines & beneficia obtinenda; nam si ad pensiones non egeat istâ dispensatione, non poterat dispensatus formaliter ad beneficia dici virtualiter dispensatus ad pensiones, nisi fortè, quatenus dispensatus ad clericatum, dispensatus est ad obtinendum id, sine quo obtento nequibat obtinere pensionem. Hinc in sententia aliorum

2. Respondeo secundò: Non convenire in hoc puncto AA. illius sententiæ. Nam primò Mandos. *de ætate minori q. 23. n. 2.* Rebuff. *in pr. tit. de dispens. ad plura. n. 65.* & alii citati à Castrop. *loc. cit. n. 10.* (ad quos accedit Laym. *in c. is qui. de filiis presbyt. §. sanè. ut supra. nu. 6.*) tenent negativam; eò quòd dispensatio sit stricti juris, adeóque non debeat ultra proprietatem verborum extendi & sic; cùm non comprehendatur nomine beneficii pensio, non possit dispensatio ad illam comprehendi sub dispensatione ad beneficia & contrà; quódque in dispensatione non valeat argumentatio à majore ad minus, de pari & simili ad simile. Quamvis Rebuff. (cui in hoc consentit Azor. *p. 2. l. 8. c. 7. q. 6.*) limitet, ut non procedat in dispensatione concessa super uno determinato beneficio, hunc enim fore eò ipso dispensatum ad pensionem in illo constituendam, eò quòd pensio sit pars beneficii, & sic, qui totum habere potest, possit habere & partem.

3. Secundò è contra sentit Castrop. *cit. p. 11. §. 3. n. 10.* citans pro hoc Azor. *p. 2. l. 8. c. 7. q. 6. & 8.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 150.* dispensatum absolutè ad beneficia censeri quoque dispensatum ad pensiones; eò quòd per talem dispensationem tollatur fundamentum inhabilitatis ad pensiones, nempe inhabilitas ad beneficia, in qua inhabilitate fundetur illa inhabilitas ad pensiones; dum secundùm stylum Curiæ, ut inquit Castrop. inhabilis ad beneficia sit etiam inhabilis ad pensiones. Quodsi autem quis non absolutè dispensatus esset ad beneficia, sed ad unum tantùm determinatè beneficium; cùm dispensatio finiatur accepto illo beneficio, non posse illum adhuc obtinere vi talis dispensationis pensionem, tradit Castrop. *loc. cit.* cum Garc. *loc. cit. n. 153.* Quinimò credit, si tale beneficium resignaret, non posse illum vi prioris dispensationis quam habuit ad illud obtinendum, pensionem in eo habere, eò quòd, ut idem Castrop. ex Garc. *loc. cit. n. 156.* cùm pensio non sit pars beneficii, sed jus quoddam separatum à beneficio, sub dispensatione obtinendi beneficii comprehendi nequeat potestas obtinendi in eo pensionem.

4. Ampliat hanc doctrinam Castrop. *n. 11.* ut is, qui dispensationem ad beneficia absolutè obtinuisset, dispensatus censeatur non solùm ad pensiones, quas Episcopus imponere potest (ut censent Zechus *de benef. & pens. c. 11. n. 9.* Azor. *loc. cit. q. 6. & 8.* Quintana *ad v. Ecclesiast. l. 1. c. 6. n. 6.* ab eodem citati) verum etiam ad quascunque pensiones; eò quòd per dispensationem ad beneficia absolutè, ablatum absolutè sit impedimentum inhabilitatis ad pensionem. Nec obstet, quòd Episcopus nequeat ex qualibet causa pensionem imponere, quò minùs dispensans ad beneficium non censeatur dispensare ad pensionem, quam ipse imponere nequit, cùm hæc sit dispensatio indirecta & consequens ad dispensationem priorem, nempe ad beneficia.

Quæstio 524. *An excommunicatus, irregularis & suspensus sit capax obtinendi pensionem?*

1. REspondeo ad primum: Excommunicatus est incapax pensionis, & reservatio pensionis facta excommunicato non absoluto est nulla. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 18. Paris. *l.* 4. *q.* 3. *n.* 48. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 130. citans Suar. *to.* 5. *d.* 13. *s.* 1. *n.* 9. Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 13. Gig. *de pens. q.* 14. Rebuff. *in concord. tit. de excom.* Sayr. *de cens. l.* 2. *c.* 5. *n.* 15. &c. utì id patet ex eo, quòd, dum alicui reservatur à Papa pensio, regulariter apponi consueverat clausula: *teque absolventes* &c. qua pensionarius à quacunque excommunicatione, suspensione & interdicto absolvitur, ad effectum dictæ reservationis consequendum; quod necessarium non esset, si hæ censuræ non redderent incapacem. Castrop. *loc. cit.* Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 7. *q.* 2. Multóque minùs reservari potest pensio illi, qui per annum insorduit in excommunicatione. Paris. *loc. cit. n.* 54. Hinc jam excommunicatus talis non facit fructus suos, nec lucratur reditus pensionis pro tempore, quo fuit excommunicatus, sicut beneficiatus excommunicatus fructus beneficii tempore excommunicationis non lucratur. Garc. *loc. cit. n.* 131. citans Suar. *ubi ante.* & Rot. *in Valent. pens.* 31. *Jan.* 1600. Atque ita etiam titularis non tenetur solvere pensionem pro illo tempore, & si solveret ignoranter, potest eam repetere, & tenetur pensionarius ei restituere. Garc. *ibid. n.* 133.

2. Limitatur tamen responsio primò, ut non procedat in pensione reservata in stipendium pro servitio temporali utì laico. Garc. *loc. cit. n.* 134. citans Ledesm. *in sum. de excomm. difficult. ult.* contra Suar. *loc. cit.* Limitatur secundò, ut non procedat, dum excommunicatus est absolutus ad effectum consequendi pensionem per memoratam clausulam. Paris. *loc. cit. n.* 53. Ventrigl. *loc. cit. n.* 19. Quæ tamen clausula non extenditur ex mente Papæ ad excommunicatum insordescentem per annum in excommunicatione. Paris. *n.* 57. Ventrigl. *cit. n.* 19. citans præter alios Theod. *de Rubeis in singul. Rot. to.* 2. *p.* 4. *concl.* 414. *nu.* 6. qui etiam *n.* 7. addat, talem clausulam non operari ex regula Cancellariæ ad favorem scienter excomunicati ultra 4. menses.

3. Respondeo ad secundum: quantùm attinet ad sententiam communiorem, videtur irregularis quoque incapax esse pensionis obtinendæ. Ita absolutè tenent Paris. *l.* 4. *q.* 3. *n.* 37. Ventrigl. *loc. cit. nu.* 20. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 46. citans Nav. *cons.* 63. *n.* 5. *de simon. & cons.* 44. *n.* 3. *de homicid.* qui testetur esse communem & de stylo Curiæ. Zerol. *in pr. Ep. p.* 2. *v. irregularit.* §. 9. *& v. pensio.* §. 6. Ugolin. *de irregul. c.* 65. §. 1. Sayr. *de cens. l.* 6. *c.* 2. *n.* 22. pro qua sententia citatur quoque à Castrop. *loc. cit. n.* 8. Molin. *de just. tr.* 3. *d.* 78. *n.* 2. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n* 203. & Rot. *in Roman. pens.* 17. *Jun.* 1603. Sed neque clausulam dictam: *teque absolventes* &c. valere in ordine ad absolvendum ab irregularitate, ut pote à qua absolvere non videtur velle Papa, nisi id exprimat, tradit Paris. *loc. cit. n.* 41. Veruntamen, quia, ut testantur Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 136. Castrop. *cit. n.* 8. & apud illos Emman. Sa. *v. homicida n.* 21. Suar. *de cens. d.* 44. *s.* 4. *n.* 39. S. Congregatio Concil. *super c.* 7. *sess.* 14. *Trid.* declaravit, homicidam voluntarium non esse incapacem pensionis, sive decretum illud Trid. *loc. cit.* quod loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua sunt homicidæ, non extendi ad pensionem, tenent cum Suar. *loc. cit.* à fortiore id locum habere in alia quavis irregularitate, ac ea de causa sustineri posse, reservationem factam irregulari, licèt beneficiorum incapaci; eò quòd, ut Castrop. in iis, quæ à jure positivo dependent, iis declarationibus standum sit, sive ut Garc. *n.* 138. quòd licèt declaratio illa patiatur difficultatem, standum tamen ei sit propter auctoritatem S. Congregationis, cujus declarationes sunt necessariæ, & vim legis habent. Quamvis & Castrop. independenter à dicta declaratione asserat *sub initium. n.* 8. si standum sententiæ probabiliori, quam tradiderat de irregularitate in principio, nimirum irregularem non esse ita incapacem beneficii, ut collatio ei facta sit irrita, à fortiore neque illum pensionis incapacem esse.

4. Medium ferè quid in hoc puncto tenet Filiuc. *in append. posthu. tr.* 42. *q.* 11. ubi: quòd irregularitas ex natura, seu per se spectata non facit collationem beneficii vel pensionis nullam, sed ad summum illicitam; ratione tamen subreptionis, quæ intervenit in gratia petenda, dum irregularitas tacetur, facit impetrationem pensionis nullam, non ex oppositione immediata ipsius irregularitatis cum gratia facta, sed ex defectu consensûs conferentis. tunc verò suppressionem irregularitatis non censeri facere subreptionem, si irregularitas existimetur de facili dispensabilis, & mox dispensanda, & hinc gratiam non fore nullam, eò quòd censeatur adesse consensus reservantis. Verùm cum his non videtur cohærere, quod addit; hoc ipsum videtur definire Congregatio Concilii, declarans incapacitatem illam ad beneficia ratione homicidii non extendi ad pensiones; si enim definivit per hoc Congregatio, irregularitatem non inducere incapacitatem ad beneficia, quomodo ea subticità, seu non expressâ causabit subreptionem, & sic nullitatem?

5. Atque ex his patet responsio ad quæstionem illam: num irregularis (idem est de alio inhabili) pensionem consecutus, obtentâ dein dispensatione & habilitatione, indigeat novâ collatione. Nam, si reservatio pensionis facta irregulari fuit invalida, obtentâ dispensatione, ut possint ei reservari pensiones, egebit novâ reservatione. Filiuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 3. *q.* 11. si verò reservatio prior non fuit invalida, subsecutâ dispensatione non egebit novâ reservatione, ut idem Filiuc. sed meliùs dicetur, tam dictam dispensationem, quàm novam reservationem fore supervacaneam.

6. Respondeo ad tertium: suspensum à beneficio non secus ac excommunicatum incapacem esse pensionis, & factam ei reservationé esse nullam. Castrop. *l. c. n.* 7. pariformiter de hoc, ac de excommunicato loquens; adeóque & sub limitatione illa: nisi absolutus in literis reservationis per dictam clausulam: *absolventes te.* Ventrigl. *l. c. n.* 18. distinguens inter suspensum per decretũ seu sententiam hominis, & suspensum per constitutionem, & de hoc id admittens, & de priore negans juxta opinionem Suar. *de cens. to.* 5 *d.* 27. *s.* 1. *n.* 15. de quo vide dicta hac in parte suprà, de inhabilitato in genere ad beneficia.

Quæstio 525. *An accusatus de crimine reservare possit sibi pensionem?*

REspondeo de hoc satis dictum supra, ubi, quinam possint resignare beneficia. Vide Conrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 8.

Quæstio 526. *An, & qualiter hæretici, eorúmque filii ac nepotes, nec non suspecti tantùm de hæresi, incapaces sint pensionis obtinendæ?*

Respon-

1. REspondeo ad primum: Hæreticos esse incapaces pensionis. Ventrigl. *to. 2. annot.* 11. §. 1. *n.* 21. citans Gig. *de pens. q.* 94. *n.* 9. Ricciull. *de jure personar, l.* 6. *c.* 14. Felin. *in c. ad audientiam. de rescrip. fl.* 2. *in princip.* Rot. *in Conchiens. pens.* 24. *Octob.* 1594.

2. Respondeo ad secundum: Idem extendi ad filios nepotes hæreticorum. Ventrigl. *l. c.* Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 43. loquens expresè de pensionibus imposterum ab iis obtinendis. ac citans pro hoc Sanch. *in decal. to.* 1. *l.* 2. *c.* 28. *n.* 35. *&* 36. Farinac. *de hæres. q.* 191. §. 2. *n.* 9. Sanctarell. Squill. &c. ac dicens, in materia hæresis beneficium accipi latè sumpto hoc vocabulo. Garc. *p.* 11. *c.* 10. *n.* 74. ubi etiam ex Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 9. *a.* 6. *sub n.* 7. & Gonz. *gl.* 15. *n.* 67. id intelligendum ait, de pensionibus jam priùs ab istis filiis obtentis.

3. Respondeo ad tertium negativè: cùm suspecti tantùm de hæresi nequidem contrahant inhabilitatem ad beneficia vel officia Ecclesiastica. Ventrigl. *l. c. n.* 21. citans Ugolin. *tr. de hæres. c.* 28. *n.* 4. Sanch. *in decalog. l.* 2. *c.* 27. *n.* 29. Lott. *l.* 2. *q.* 43. *à n.* 31. & plures alii apud Farinac. *loc. cit.*

Quæstio 527. *An, & qualiter pensio constitui nequeat exteris?*

1. REspondeo ad primum: Dum ex privilegio aliquo exteri capaces non sunt beneficiorum in regno aliquo, videntur quoque incapaces in ibi habendi pensiones; cùm eadē ratio militet in pensionibus, quæ in beneficiis, Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11. *n.* 44. citans Còvar. *qq. pract. c.* 36. *n.* 9. Baldell. *th. mor. l.* 5. *d.* 33. *n.* 22. ac præcipuè Salzedo. *in leg. polit. l.* 2. *c.* 16. *per tot.*

2. Respondeo ad secundum ex Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 90. ubi is ait; plerumque reservat Papa pensiones super beneficiis quarundam provinciarum, inquibus viget pragmatica, ne pensiones reserventur ad favorem exterorum, tùncque pensionem reservat ad favorem & vitam alicujus curialis originarii illius provinciæ, ad commodum tamen alterius extranei, quem judicat bene meritum: neque enim juri repugnat, quòd jus pensionis sit penes unum, & sic salvetur pragmatica illa, commoditas autem sit penes alium, ut sic pensio habeat mensuram justitiæ ex qualitate personæ, cujus intuitu motus est Papa. Neque tamen etiam moriente nationali illo evanescit gratia respectu personæ contemplatæ, quia hoc casu titularis se obligat solvere pensionem, dato etiam fidejussore, & scedulâ bancariâ, statis temporibus, quousque pensionarius vixerit. vide de hoc ulterius Lott. *à n.* 92. Item Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 10. *n.* 2. ubi is: solet Pontifex pensionem in beneficiis Hispanis Italo concedere, sed quia ipse Italus nomine proprio obtinere pensionem non potest, ob leges regias & pragmaticas sanctiones, quærit Hispanum, qui pensionem proprio nomine recipiat, & ei obligetur pensionem reddere. Et quidem difficultate non caret, hanc reservationem validam esse; quia est in fraudem & derogationē privilegii remuneratorii à sede Apostolica concessi regnis Hispaniæ, ut nullus exterus neque pensionem, neque beneficiū Ecclesiasticum ibidem habere possit, cui privilegio videtur derogari, concessā Italo omni commoditate pensionis, tametū in capite Hispani imponatur, quia nomine tenus tantùm imponitur, & fortè ob hanc causam Itali à beneficiario Hispano scedulam bancariam exigunt de solutione Romæ faciendā; timent enim beneficiarii legibus regni & privilegio regali negaturum solutionem, quod ne contingat, supradictâ obligatione præcavent. Concesso itaque validam esse hanc reservationem, vel quia Papa dispensat supra dicto privilegio: vel quia privilegium est, ne exteri beneficium & pensionem jure & titulo proprio in regnis Hispanis obtineant, non autem, quòd non obtineant beneficii aut pensionis commoditatem &c.

Quæstio 528. *An pensio imposita beneficio regulari reservari possit sæculari?*

REspondeo: Clericus sæcularis non est capax pensionis constitutæ in fructibus monasterii aut alterius beneficii regularis, ex quo non est capax illius beneficii, à qua capacitate beneficii obtinendi capacitatem hanc pensionis metimur. ita Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 117. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *n.* 241. ac præcipuè Rot. *in Nolan. pens.* 10. *Jan.* 1610. Quamvis dictam rationem responsionis rejiciat *n.* 130. juxta dicta à nobis supra ex eodem: dum non sequitur, non est capax beneficii, non est etiam capax pensionis super eo beneficio constitutæ.

Quæstio 329. *An regularis seu religiosus capax sit pensionis constitutæ super beneficio sæculari?*

1. REspondeo: Illum illius capacem non esse citra Papæ specialem circa hoc consensum & dispensationem. Corrad. *in pr. benef. l.* 1. *c.* 5. *n.* 224. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 139. Castrop. *cit. p.* 11. §. 3. *n.* 9. citans Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. beneficium.* Sanch. *l.* 7. *in decal. c.* 29. *n.* 94. Zech. *de benef. & pens. c.* 11. *n.* 7. Mandos. *de signat. grat. tit. de pens.* Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 43. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 117. Idque etiamsi admitteretur, regulares quandoque sine Papæ dispensatione capaces esse beneficii curati sæcularis; nam ex eo inferri adhuc non potest, eos similiter capaces pensionis in beneficio curato sæculari constitutæ; quia de beneficio curato providentur ob necessitatem Ecclesiæ, ne fideles remediis ad salutem destituantur, quæ necessitas in reservatione pensionis non procedit. Castrop. *l. c.* ex Sanch. *l. c.* sic Lott. *l.* 1. *q.* 36. *à n.* 27. in specie de militibus S. Joannis Hierosolymitani tradit, quòd, quia regulares & religiosi sunt, incapaces sint obtinere pensiones super fructibus beneficiorum sæcularium, seu quæ consueverunt sæcularibus provideri: idque sive sint fratres milites, sive sint fratres Capellani; cùm tam hi, quam isti sint regulares, etsi distinguantur ratione ordinis, & alii dicantur constituti in ordine militari, alii in ordine clericali. An verò pari modo incapaces sint dictæ pensionis aliorum ordinum militarium milites, puta S. Jacobi, ex eo; quòd licèt propriè regulares & religiosi non sint, cum tria vota substantialia religionis non emittant, sed vivant in conjugio, sint tamen regulares minùs propriè & largè, ob quendam modum regularem vivendi, & quatenus participant in aliquibus, quæ ad statum veræ religionis pertinent, ut ait Lott. *l. c. n.* 32. 33. *&* 34. unde & dicantur personæ Ecclesiasticæ, & forum Ecclesiasticum sortiantur, ut idem Lott. *n.* 35. *&* 36. an, inquam, ii propter dictum statum suū saltem analogicè regularem pensiones constitutas in beneficiis sæcularibus obtinere nequeant, non definit *ibidem* Lott. *sed l.* 1. *q.* 40. *à n.* 203. de quo vide dicenda inferiùs, ubi, qualiter per matrimonium extinguatur pensio.

2. Sic in specie de religiosis societatis Jesu tradit Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 196. *nu.* 22. quòd etiam post vota biennii tam beneficiorum sæcularium quam pensionum sunt incapaces non secus ac alii religiosi; cùm per dicta vota non minùs efficiantur

religiosi, quàm aliorum ordinum alumni per professionem. Contrarium tradit Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3. n. 23.* his ferè verbis: possunt retinere pensiones, imò & beneficia, quæ habebant ante ingressum Patres societatis Jesu: post emissa vota simplicia ante professionem, ut probat Novar. *lucerna regular. v. Jesuita. n. 41. & 40.* Ratio est, ut idem Ventrigl. prosequitur, quòd licèt per illa vota, quantùm in iis est, maneant perpetuò obstricti societati, & dicantur verè religiosi, tamen quò ad ipsam societatem & Generalem non manent adeo ligati, ut non possint dimitti cum causa, etiam sine eorum culpa, merito, ut prædicta libertas societati concessa perpetuò servetur, provisum fuit, quòd eis liceat beneficia & bona retinere. hæc ille. Verùm de hoc meliùs statues, ubi legeris, quæ dicta sunt suprà, ubi de retentione & obtentione beneficiorum sæcularium, & dicenda inferiùs, ubi de extinctione pensionis per ingressum in religionem. Porrò si regularis dispensatus fuisset ad obtinendum beneficium sæculare, & postea illud resignaret cum reservatione pensionis, non indigere illum novâ dispensatione ad obtinendam illam pensionē, eò quod pensio illa subrogetur loco beneficii, tradit idem Tond. *l. c. n. 16.* ex Corrad. *in pr. dispens. Apost. l. 6. c. 1. n. 38.* licèt is dicat, officiales Romanæ Curiæ tenere, quòd exigatur nova ad hoc dispensatio.

3. Respondeo de cetero non esse novum, præsertim curialibus Romanæ Curiæ, Papam frequenter reservasse pensiones super fructibus beneficiorum sæcularium tam monacho, quàm cuivis regulari, ac etiam Equitibus Hierosolymitanis, expressâ tamen eorum qualitate, ut sic appareat, ipsum Papam ex certa scientia dictam pensionē illis personis reservasse, ex eo, quòd sic Papa reservando censeatur dispensare, ita ut prædicta pensio in iis personis non subsistat in tantum, in quantum non fuerit qualitas illarum expressa, tradit Corrad. *in pr. benef. l. 1. c. 5. n. 223. & 224.* Et licèt negari nequeat, quin Cancellaria Apostolica possit etiam desuper dare expressam dispensationem, si judicaret illam expedire, regulariter tamen, expresso statu regularitatis pensionarii, non requiritur expressa dispensatio pro validitate hujusmodi reservationis pensionis. Quod quidem nedum procedit in regularibus militaribus, sed etiam in claustralibus, etiam super fructibus beneficiorum sæcularium. Corrad *l. c. n. 234.* subiiciens quoque formulam literarum juxta stylum Romanæ Curiæ, quibus regulari non militi reservetur talis pensio, pro ut & aliam formulam pro milite Hierosolymitano posuerat *loc. cit. n. 229.*

Quæstio 530. *An religiosus citra dispensationem ex consensu sui Prælati seu Superioris obtinere valeat pensionem super beneficio regulari?*

1. Respondeo primò: Quantum ut ex parte sua, capax est talis pensionis, quia capax est beneficii illius; quia tamen regularis Superior non habet potestatem beneficiis regularibus imponendi pensionē, juxta *clem. unic. de suppl. negl. prælat.* & Archid. *in c. fin. de off ordinar. in 6.* hac de causa regularis obtinere nequit dictam pensionem. Castrop. *cit. p. 11. §. 3. n. 9.* citans Sanch. *in decal. l. 7. c. 29. n. 95.*

2. Respondeo secundò: potest nihilominus pensio impropriè talis, hoc est, quæ non beneficio, sed ipsi beneficiato esset imposita concedi ab Abbate alicui ejus religioso; cùm nihil verat, Abbatem beneficium regulare conferre religioso, obligando illum, ut alteri religioso vel monasterio det partem fructuum, siquidem ille religiosus beneficiatus sub obedientia Abbatis manet, & ex ejus tacita voluntate fructus beneficii expendit, & cùm Abbati placuerit, poterit à beneficio removeri. Castrop. *loc. cit.* citato Sanch. *ubi ante n. 99.* contra Less. *l. 7. c. 41. n. 94.* apud Tond. Castrop. cui probabile videtur, eo ipso, quòd religiosus constituatur Parochus, constitui administratorem ab Abbate independentem tam beneficii, quàm omnium fructuum illius, ac proinde nec impropriam talem pensionem posse concedi alteri super fructibus illius beneficii.

Quæstio 531. *An Episcopus capax sit pensionis citra dispensationem?*

Respondeo negativè. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 6. n. 37.* hisce expressis: quò ad Episcopum certum est, illum non esse capacem pensionis, qui nec potest retinere sibi reservatam ante promotionem ad Episcopatum sine speciali dispensatione. citat pro hoc Rot. *decis. 233. n. 1. p. 1. divers.*

Quæstio 532. *An habens impedimentum non tollibile, v. g. cæcus, mutus, vel legere nesciens recitandi officium B. Virginis, ad quod obligatur pensionarius, ut dicetur paulo post, sit capax obtinendæ pensionis clericalis?*

Respondet Filiuc. *in append. posth. tr. 42. c. 3. q. 7.* talem incapacem esse, factâque ei reservationem pensionis talis esse nullam, nisi fiat ab eo, qui impedimentum scit, & in eo dispensare potest, vel obligationem illam recitandi officii in æquivalentem commutare, & hinc Episcopum posse taliter impeditis conferre pensiones, quia potest de rationabili causa obligationem illam in aliam mutare.

Quæstio 533. *An sciens impedimentum vitæ clericalis, aut aliam incapacitatem in ordine ad obtinendam pensionem, nihilominùs pensionem illi reservat, censeatur cum tali dispensare, si aliàs in illo impedimento dispensare potest, aut, si non potest, tam ipse quàm impetrans ab eo pensionem peccet?*

1. Respondeo ad primum affirmativè, nullus enim censetur velle facere actum nullum vel malum, juxta ea, quæ tradunt Paris. *de confidentia. q. 75.* & Alciatus *de præsump. reg. 3. præsump. 1. & seq.* adeóque, cùm constituere seu reservare pensionem impedito seu incapaci absque voluntate tollendi impedimentum, sit actus malus & irrationabilis, non debet præsumi in eo, qui aliàs dispensando tale impedimentum tollere potest; & vel minimè in Papa, pro quo omnia jura semper in bonum capiunt præsumptionem. Ita Filiuc. *loc. cit. q. 8.*

2. Respondeo ad secundum: Scienter conferens pensionem illius incapaci, cum quo & ipse dispensare nequit, & quem ab alio, aut nisi difficulter dispensandum novit, peccat graviter; cùm conferre alicui aliquid, ad quod legitimè obtinendum & retinendum is impedimentum habet non tollibile, sit actus in re gravi valde repugnans rationi. Filiuc. *loc. cit. q. 10. in fine.* citans Covarr. *in c. alma mater. p. 1. §. 7. nu. 1.* Præmittit tamen *ibidem* Filiuc. non peccaturum talem reservantem pensionem, si sciat reservatarium facilè aliunde dispensandum, & in istam spem citra omnem contemptum reservet pensionem. Unde & sequi videtur (quæ erat tertia pars quæstionis) nec peccare talem impetrantem istam pensionem à potente quidem illam reservare, non potente tamen in isto impedimento dispensare, dum ipse novit de facili impetraturum dispensatio-

fationem aliunde, & vult eam procurare. Veruntamen non video, quomodo ista cohæreant cùm illis, quæ idem Filiuc. habet *loc. cit. q.* 5. §. 3. ubi: qui impetrat pensionem à sciente impedimentum pensionarii, validè quidem eam obtinet, licèt uterque peccet, si conferens sit inferior Papâ, aut non possit in eo impedimento dispensare; nisi fortè id intelligi velit de conferente & impetrante, dum scitur, nec alunde, nisi fortè ægrè dispensandum. Sed quomodo & tunc conferetur & impetrabitur dicta pensio validè? cùm ne quidem validè conferatur, dum scitur reservatarius pensionis incapax aliunde impetraturus pensionem juxta dicta suprà, ubi ad validam reservationem requisivimus clericatum actu eo tempore, quo fit reservatio.

De obligationibus pensionarij.

Quæstio 534. *An, quando, & qualiter teneatur pensionarius justificare seu probare non excessum pensionis?*

1. REspondeo ad primum & secundum primò juxta dicta suprà, ubi de reductione pensionis, justificandam à pensionario, seu agente ad pensionem tam clausulam illam: *modò centum remaneant pro Rectore, & mille pro Episcopo*, (cujus varias ampliationes vide *ibidem*) quàm clausulam illam: *dummodo omnes simul pensiones non excedant tertiam partem, &c. vel medietatem fructuum, aut aliam talem partem, &c.* cùm sit ejusdem naturæ, cujus est prædicta, & gratiam non minùs reddat conditionatam, quàm illa, & quidem de tempore reservationis. Ventrigl. *loc. cit. n.* 60. citans Gig. *de pens. q.* 85. Campanil. *in var. juris rubric. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 88. ac præcipuè Theod. de Rubeis *in singul. Rot. to.* 2. *p.* 4. *conclus.* 316. *n.* 1. *& conclus.* 324. *n.* 1. Idque, etiamsi hæc clausula in supplicatione non adsit, sed tantùm in literis, quarum forma est attendenda ad effectum justificationis. Ventrigl. *ibid.* atque ita executorem in causa pensionis non posse procedere ad executionem, compellendo titularem ad solutionem ad favorem pensionarii, qui non est in quasi possessione exigendi, non justificatâ eâdem clausulâ per ipsum pensionarium, fusè ostendit & probat Ventrigl. *à n.* 61.

2. Respondeo secundò: Dum titularis agit petitorio, allegans, se non teneri ad pensionem, quia reservatio est nulla, pensionario incumbit onus probandi, quòd tot remaneant pro titulari; neque in hoc casu ejus quasi possessio eum liberat ab onere probandi, sed tantùm operatur, ut pendente lite ei non possit solutio retardari; & hoc, sive agatur cum eo, qui consensit reservationi pensionis, sive cum ejus successore, Lott. *l.* 2. *q.* 38. *à n.* 72. Ventrigl. *loc. cit. n.* 59. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 456. *&* 458. citans plures Rotæ decision. quamvis id ipsum distinguat *n.* 484. ut procedat, dum sumus in casu nullitatis, si dicta conditio *dummodò* non subsistit; secus verò, ubi sumus in casu reductionis pensionis, in quo ait, onus probationis incumbere titulari prætendenti esse reducendam, eò quòd pensionarius habeat fundatam intentionem suam in reservatione pensionis, donec ex adverso ostendatur, non esse locum tantæ pensioni. Idque non solùm procedere in petitorio, sed etiam judicio executorio, in quo titularis cogi possit ad solutionem integræ pensionis, nisi probet esse locum reductioni, ait Garc. *n.* 485. qualiter autem limitanda hæc ulteriùs, vide dicenda *quæst. seq.*

3. Respondeo tertiò: Dum tamen pensionarius agit possessorio, éstque in quasi possessione exigendi, deobligatur à probatione & justificatione dictarum clausularum, & incumbit onus probandi titulari, quòd non remaneant tot; quasi enim possessio relevat ab onere probandi, etiam absque eo, quòd teneatur causam suæ possessionis justificare. Lott. *loc. cit. n.* 71. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 464. Ventrigl. *loc. cit. n.* 55. *&* 58. Procéditque idipsum etiam in ordine ad consequendam pensionem, etiam contra successorem. Ventrigl. *cit. n.* 55. citans Gig. *q.* 47. *n.* 10.

4. Respondeo quartò: Ad deobligandum quoque pensionarium ab onere justificandi dictas clausulas, adhibetur confessio titularis super valore per ascensum sub narrativa præambulæ informationis & cum juramento, quo in casu, licèt clausula illa *dummodò* operetur effectum conservandi justitiam gratiæ, nihilominus istius justificatio resultat ex hujusmodi confessione. Ita Lott. *loc. cit. n.* 49. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.* 57. citantes Rotam *in Roman. pens.* 15. *Jan.* 1627.

5. Respondeo ad tertium primò juxta eadem dicta superiùs: Probationes dictarum clausularum, seu valoris pensionis debere esse plenas ac concludentes, ita ut ad effectum justificationis clausularum dictarum seu valoris non sufficiat vox publica & fama, etsi aliàs per eam sufficienter probetur valor. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 56. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 473. citans Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 25. Zechum & plures Rotæ decis. Barb. *de clausulis clausul.* 47. *n.* 2. *&* 3. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 44. *& l.* 1. *q.* 43. *à n.* 1, ubi: cùm probatio incumbit pensionario, jam supponitur, agi de narrativa ipsius affirmativè concepta, & in qua fundata est Papæ intentio, propterea exigitur plena ac concludens probatio (Secus, ac dum agitur de narrativa, quæ ob id solùm verificanda, quia est pars gratiæ, eò quòd ita fuerit narratum, quo casu sufficeret semiplena probatio, Lott. *ibid. n.* 3.) ac præcipuè, si agatur de pensione reservata adhuc pleno beneficio, quo casu fit punctualis fructuum narratio. Item, si agatur de justificatione clausulæ *dummodo*, adeo, ut tunc consensus titularis præstitus pensioni hanc necessitatem non excludat; cùm & ille per dictam clausulam sit qualificatus. Lott. *cit. q.* 43. *n.* 9. Et licèt cessante dictâ clausulâ consensus ille titularis necessitatem hanc concludenter probandi valorem remittat, non extenditur tamen ille ad successorem primi consentientis, non quia & is non censetur etiam consensisse tacitè contrahendo, dum nimirum illud beneficium jam gravatum acceptat; sed quia cum illo consensu expresso primi illius titularis concurrit in eodem simultanea quædam confessio tanti valoris ex correspectivitate gratiæ contentæ sub eadem supplicatione, quæ confessio cessat in successore, & cui ideo non obstat propria confessio sui antecessoris. Lott. *ibidem n.* 5. *&* 6.

6. Respondeo ad tertium secundò: Probatio itaque hæc (nisi sit in confesso penes titularem) proferenda vel est ex scripturis authenticis eam concludentibus, ut cùm agitur de pensione reservata super canonicatu vel præbenda in Collegiata, & exhibentur libri capitulares, in quibus singulatim notantur omnes distributiones & emolumenta, quæ repartiuntur inter præbendatos singulos. Lott. *l.* 1. *q.* 43. *n.* 8. *&* 9. Aut per testes, qui etiam

non interrogati reddant rationem scientiæ suæ; cùm enim multiplex reddi possit ratio scientiæ, una tendens ad constituendam probationem tantùm semiplenam, v. g. quæ est de forma, sive quia testis ideo solùm scit, quia sic communiter dici audivit; vel ad plenam, & nisi testis rationem seu causam scientiæ suæ specificet, totum ejus dictum remanet obscurum, & consequenter non debet attendi. Lott. *cit. q.* 43. *n.* 10. *&* 11. adeóque necesse est, testes illos esse benè informatos de bonis & reditibus beneficii, uti & de omnibus expensis & oneribus ordinariis. quæ duo distinguuntur, expensæ enim referuntur ad prædiorum cultum, & alia necessaria in colligendis fructibus; & hinc testis dicens, tot reditus aut fructus percipi, cùm fructus dicantur deductis expensis in iis colligendis, regulabitur à jure ejus dictum, & sic satis intelligitur, sensisse deductis expensis hujusmodi; onera autem referuntur ad gravamina ordinaria ipsius Ecclesiæ seu beneficii, quæ propterea egent speciali deductione, inter quæ onera velut perpetua reputantur, quæ licèt ad modicum & determinatum tempus imposita, ex successivis tamen prorogationibus jam per plures annos cõsuetis fieri, videntur in perpetuum prorogari. Lott. *à n.* 12.

7. Respondeo ad tertium tertiò: Nihil tamen vetat, (cùm non simus hìc in criminalibus, in quibus ad constituendam plenam illam & concludentem probationem, quam vocant luce meridianâ clariorem, non admittitur illa duarum semiplenarum probationum unio) quò minùs ex duabus semiplenis probationibus resultet una plena, & sufficienter in præsente materia concludens probatio; v. g. si postquam testes super valore deposuerunt, & fama hæc per duos testes est legitimè probata, accedat altera semiplena probatio, nimirum dictum alterius insuper testis, vel etiam alterius ex ipsis illis duobus testibus deponentibus de fama, testantis ex certa scientia. Lott. *à. n.* 18. quamvis is *n.* 21. subjungat, non admittendam hujusmodi conjunctionem duarum semiplenarum probationum, si probatio valoris intenderetur per modum objectûs, dum videlicet titularis proponeret, non fuisse expressum verum valorem, & ex hoc capite vellet infringere gratiam, uti & in hoc objectûs casu non posse constitui justam probationem, nisi concluderent per tempus continui decennii, ait Lott. *n.* 22. dicens, sic Rotam in his terminis habuisse pro legitima probatione probationem factam per testes deponentes de sex vel septem annis.

8. Respondeo ad tertium quartò: Potest tamen etiam in isto casu objectûs sufficienter valor probari per testes familiares, qui reditus administrarunt, eò quòd licèt domestici & familiares regulariter non admittantur in testes, ab hac tamen regula receditur, ubi aliter veritas haberi non potest, ut Farinac. *de testib. q.* 55. *n.* 175. juxta *l. si servi ff. de testib.* Lott. *n.* 25. addens *n.* 26. id etiam procedere, dum reditus consistunt in prædiis rusticis, quæ per colonos & rusticos exercentur, etsi enim tunc plures coloni singulis prædiis addicti de singulorum prædiorum reditibus testari possent, non est tamen inter eos, qui possit de universis deponere, hinc & tunc admittuntur familiares & administratores redituum in universum, quia verisimiliter non dantur alii, qui ita bene in universum possunt esse informati.

9. Respondeo ad tertium quintò: Coarctanda est quoque negativa non existentiæ aliorum prædiorum & redituum per remotionem actûs à sensu dicendo, alia prædia aut reditus exstare non posse, quin testes illi scirent. Lott. *n.* 27. Atque hæc probatio negativæ coarctatæ multò fortiùs exigitur, ubi agitur simpliciter de annullando vel reducendo pensionem; quippe quæ materia reductionis aut nullitatis pensionis ex natura sua perpetuæ implicat objectum contra gratiam jam factam, & omni verisimilitudini adversatur; quare nihil est, quò minùs incumbat titulari necessitas hæc concludentissimè probandi per coarctationem negativæ, non existentiæ aliorum bonorum & redituum, prout Rota firmavit *in Aquens. pens. decis.* 550. *n.* 2. *&* 3. *p.* 1. *recent. & in Cremonens. pens. super valore.* 23. *Jun.* 1623. Lott. *n.* 27. *junctò n.* 30.

Quæstio 535. *An pensionarius existens in possessione exigendi teneatur ostendere literas reservationis, & verificare qualitates alias in reservatione requisitas?*

1. Respondeo primò: Quantumvis pensionarius, dum non est in quasi possessione exigendi, literas producere, narrata in gratia pensionis verificare debeat, maximè parte opponente, quando non agit contra eum, qui pensioni consensit, sed contra ejus successorem, Lott. *l. q.* 37. *n.* 39. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 65. ubi ait, receptum in praxi, pensionarium teneri in primo semestri verificare gratiam, scilicet fructus expressos, &c. adeóque non dari executionem contra rectorem beneficii. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 442. citans plures etiam Rotæ pro hoc *decis.* nisi, ut Lott. *n.* 38. *&* 39. hocipsum limitat, gratia facta esset motu proprio, vel literæ hujusmodi acceptatæ essent per titularem, sive expresse, sive tacitè per actum id implicantem. Dum tamen est in possessione exigendi, non tenetur in possessorio ostendere literas reservationis, nec verificare clericatum, nec alias qualitates. Conrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 3. *n.* 7. addens sufficere quasi possessionem, etiamsi nonnisi unicus actus exactionis probetur, uti id dicetur inferiùs. Garc. *loc. cit. n.* 446. citans Rot. *in Anconit. pens.* 15. *Jun.* 1585. & *in Forolivien. pens.* ubi dicitur, non obstare exceptionem nullitatis in possessorio, nec esse necessarium, verificare conditionem positam in reservatione pensionis. Idem tenet Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 15. nimirum probatâ per pensionarium possessione exigendi cum titulo, non esse necessarium verificare hujusmodi titulum & reservationem pensionis, dum solùm agitur judicio possessorio ad solutionem pensionis; eò quòd tunc intentionem fundatam habeat gravandi titularem, solúmque prætendat manutentionem in possessione, ad quam manutentionem jus habet ex vi possessionis obtentæ cum titulo, quo jure privari non possit, dum ab adversariis non probatur, nullum habuisse jus possidendi.

2. Econtra, dum agitur in judicio petitorio de solutione pensionis, & titularis objicit nullitatem pensionis, fieri debet illa verificatio per pensionarium, etiam existentem in possessione exigendi. Garc. *loc. cit. n.* 456. Castrop. *loc. cit.* quamvis tamen is distinguat, ita ut, si conditiones illæ & qualitates se teneant tantùm ex parte ipsius beneficii, puta quòd pensio medietatem non excedat, quòd remaneant Rectori tot, &c. potiùs penes beneficiatum sit onus probandi contrarium, si is pensioni consensit. Secus tamen etiam sit, si ipse non consensit

sensit, vel sit successor primi consentientis in beneficio ante solutionem, qui condemnari non potest ad solutionem pensionis, quousque pensionarius conditiones requisitas in reservatione probet. Et sic, dum pensio est reservata sub conditione, pensionarius illam tenetur justificare, etiamsi agat contra eum, qui pensioni consensit, non solùm in petitorio, in quo id procedit, etiamsi sit in possessione exigendi, eò quòd consensus ille intelligatur præstitus sub eadem conditione, & recipit eandem conditionem, sub qua pensio est reservata. Garc. *loc. cit. n.* 464. citans Gig. *de pens. q.* 85. *n.* 10. & Rot. *in Salman. pens. Anno* 1593. Plura de his & accuratiùs infrà, ubi qualiter literæ sint exhibendæ ante exactionem pensionis.

3. Porrò quod dictum, teneri pensionarium in petitorio verificare conditionem & narrata in reservatione, etiamsi sit in quasi possessione exigendi, id limitandum primò hoc modo: nisi per longissimum tempus, puta per annos triginta fuerit in tali possessione; quia ex observantia & lapsu longissimi temporis præsumitur gratia, & ejus narrativa justificata. Garc. *loc. cit. n.* 478. citans pro hoc aliquot Rotæ decis. quamvis *à. n.* 481. hoc ipsum procedere dicat, dum constat de titulo & reservatione pensionis, agitúrque solùm de justificatione illius; eò quòd, si de his non constet (cùm beneficia præsumantur non gravata pensione, sed libera) ne quidem ex quadragenaria possessione præsumatur titulus & reservatio, saltem in petitorio; in possessorio namque probabile videtur, præsumi titulus ex possessione longi temporis, nempe decennali, dum non est contra possidentem vehemens præsumptio, uti idipsum, nempe necesse esse, ostendere titulum, etiam in judicio possessorio, ubi pensionarius non fuit in possessione per longum tempus, docent Gig. *q.* 47. *n.* 4. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 2. apud Castrop. *loc. cit.* qui & ipse absolutè subjungit; proinde, sive pensionarius agat in judicio possessorio, sive petitorio, quomodocunque procedat, tametsi sit in possessione exigendi, debet ostendere titulum & reservationem pensionis.

4. Limitandum idipsum secundò, ut tradit Garc. *n.* 491. citato Salust. Tiberio *in pract. Auditorii Camer. l.* 3. *c.* 3. *n.* 22. Puteo Achill. &c. ut opus non sit per pensionarium justificari gratiam & reservationem, ubi pensio reservata motu proprio, eò quòd narrativa facti alieni, in qua fundatur Papa, probat, si emanavit motu proprio, etiamsi adsit verbum illud *ut accepimus*, quia illud non Papæ, sed partis narrationem importat in gratia ad supplicationem signata; secus ac verbum illud, *ut intelleximus*, quod non refertur ad partem; item ac verbum illud, *ut asseritur*, quod tanquam generale & personale non censetur probatum per impetrantem, ac ideo, quod per illud narratur, non est verificandum per partem, prout hæc tradit Garc. *n.* 495. De cetero licèt stetur narrativæ factæ motu proprio in reservatione pensionis, posse tamen probari contrarium, & eo probato corruere gratiam, tradit *ibid.* Garc. *n.* 502. eò quòd licèt clausula *motus proprii* tollat subreptionem, dum tamen exprimitur falsa causa, seu qualitas falsa de facto alieno, nihil prosit, probato contrario, saltem, si talis est gratia, ut difficiliùs concederetur, quia dicta clausula non operatur ultra mentem concedentis, & intelligitur, veris existentibus expressis. Garc. *n.* 503. citatis quamplurimis. Vide de hoc puncto necessitatis ostendèdi literas reservationis pensionis pluribus infrà, ubi qualiter exhibendæ in ordine ad obtinendam solutionem & executionem.

Quæstio 536. *An pensionarius teneatur probare possessionem & jus illius, qui primò consensit pensioni?*

Respondeo: Teneri ad hoc pensionarium ad instantiam successoris, nisi esset successor ejus in jure illius, tradit Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 511. eò quòd pensio peti non possit ab eo, qui non esset vel successor juris, vel possessionis consentientis, ut Garc. *ibid. n.* 512. Et poterit successor illius consentientis docere de non bono jure illius consentientis, qui proinde frustra consensit pensioni. Garc. *n.* 513. dicens, hinc verum non esse, quod tradit Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 59. cujus doctrinam nos secuti sumus suprà, ubi, quòd collatione nullâ, adhuc subsistat pensio reservata tertio alicui. Quòd si vacante beneficio per obitum, Papa illud conferat Petro, reservatâ super illo pensione Joanni, & dicta illa collatio facta Petro sit nulla ex aliquo vitio obreptionis seu ob incapacitatem Petri, & hinc tertius impetret illud beneficium vacans ut priùs per obitum, quamvis in gratia huic tertio facta non sit reservata aliqua pensio, teneri nihilominus hunc tertium solvere pensionem, quia prima concessio continebat duas gratias, nempe collationis factæ Petro, & pensionis reservatæ Joanni, quarum unâ deficiente, nempe gratiâ collationis, non deficit altera pensionis. Verùm non video, quomodo hæc doctrina Gonz. repugnet Garciæ, dum Gonzalez non loquitur de pensione reservata ex consensu alicujus habentis jus in illo beneficio gravato (in quo casu nimirum, si Papa priùs conferret illud beneficium vacans per obitum Petro, & de consensu hujus collatarii reservaret super illo pensionem Joanni, ad summum procederet, quod vult Garcias, nimirùm collatione tali existente nullâ, & consequenter etiam consensu nullo, & nihil operante, pensionem illam tertio reservatam fore nullam) sed de pensione imposita beneficio vacante. De cetero ad confirmandam responsionem suam ait Garc. *n.* 514. etiam resignatarium, non obstante consensu, acceptatione & approbatione juris (intellige resignantis) ac pensionis, posse adhuc dicere de nullitate pensionis, si vult probare non jus & falsitatem causæ, prout resolutum ait, *in Valentin. pens.* 17. *Jun.* 1583. quam decisionem ad fusum recitat. Quod autem tradit Rebuffus *de pacif. poss. n.* 156. *aliàs* 137. semel impositâ pensione, non posse allegari, resignantem nunquam habuisse jus, id inquam, ait Garc. *n.* 515. procedere in judicio executionis, de qua *ibidem* loquitur Rebuff.

Quæstio 537. *An, & qualiter pensionarius obligatus sit recitare officium canonicum, quod recitare obligantur beneficiati, aut saltem officium B. Virginis?*

1. Respondeo ad primum: Clerici pensionarii quà tales non tenentur recitare officium majus seu Canonicum. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 2. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 11. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 86. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 65. citans quamplurimos contra Gamb. *de pot. Leg. l.* 6. *n.* 326. & Guerrero apud eundem Garc. *n.* 66.

2. Re-

2. Respondeo ad secundum primò: Tenentur tamen hodiedum ex constitutione Pij V. *Ad perpetuam rei memor.* quæ est in Bullar. novo 135. recitare quotidie officium parvum B. Virginis. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *l. 1. q. 45. n. 16.* (addens ex Navar. *in man. c. 24. n. 8.* ante hanc constitutionem hos pensionarios ratione pensionis non fuisse obligatos ad preces aliquas fundendas) Conrad. *in pr. benef. l. 1. c. 5. n. 160.* Azor. *loc. cit.* dicens, constitutionem illam tenere & ligare. Barbos. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 69.* citans præter alios Ledesm. *p. 2. tr. 9. c. 4. concl. 6. difficult. 2.* Vegam. *p. 2. c. 65. casu 1.* Rodriq. *to. 1. c. 140. n. 5.* Aragon. &c. qui dicant hanc constitutit. esse usu ac consuetudine receptam. Contra Valent. *to. 3. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10.* Cuchum, Vivald. & alios, qui dicant non esse usu & consuetudine receptam.

3. Respondeo ad secundum secundò, teneri ad hoc istiusmodi pensionarios sub amissione fructuum, seu onere non faciendi fructus suos, & eos perceptos restituendi. Azor. Garc. Lott. *ll. cit.* juxta ipsa verba dictæ constitutionis Pianæ. Et quidem cum proportione ad beneficiatum omittentem horas canonicas, ita ut sicut ille, si omnes horas unius diei omittat, amittit fructus correspondentes illi diei; ita etiam pensionarius ille omittens dictum officium unâ die, amittat fructus, seu partem pensionis correspondentem illi diei. Azor. *loc. cit.* itidem juxta eandem constitutionem utpote in quam, postquam declarasset Papa, qualiter amissio illa fructuum ob omissum officium canonicum à beneficiato adaptanda & proportionanda singulis diebus, & omissionibus, subjungit: pari modo ad dicendum officium B. Virginis se obligare pensionarios. Idem sentit Barbos. *loc. cit.* ubi ait, teneri hos pensionarios sub eadem pœna ad recitandum hoc officium B. Virginis, sub qua tenentur beneficiati recitare horas canonicas, teneri quoque sub mortali peccato tales pensionarios ad recitandum dictum officium B. V. ex Graff. *l. 2. c. 50.* tradit Lott. *loc. cit.*

4. Varias nihilominus limitationes harum binarum responsionum ex Bonacina *de horis can. d. 1. q. 2. p. 4. n. 7. & 8.* adducunt Ventrigl. & Barbos. *ll. cit.* Primò, quòd si pensio reservata in caput seu personam unius in commodum alterius, ille solus teneatur dicere officium, in cujus commodum pensio constituta. Secundò, non teneri illum ad recitandum hoc officium, cui confertur pensio absque prævia conditione statûs clericalis, etiamsi is aliàs esset regularis. Tertiò, quòd, qui ut clericus percipit pensionem, satisfacere possit recitando horas canonicas; quin & quòd talis pensionarius sacris initiatus, vel habens præter pensionem beneficium, satisfaciat sola recitatione horarum. Quibus adde limitationem illam; quòd dicta constitutio Piana loquatur de eo tantùm, qui pensionem ut clericus percipit, ita ut percipiens pensionem titulo sæculari non teneatur recitare dictum officium, sive sit pauper, sive dives, sive pensio excedat sexaginta ducatos, sive non. Garc. *loc. cit. n. 68.* contra Vegam perperam pro se citantem Rodriquez. Econtra tamè etiam has binas ampliationes subjungit Barbos. *loc. cit. n. 14.* ex eodem Bonacina, nimirum eum, qui cessit pensioni solùm in parte, non deobligari à recitatione dicti officii (secus ac ille, qui in totum liberaliter cessit pensioni) quia adhuc titulo clericali possidet pensionem. Idémque, hoc est, teneri adhuc recitare illud officium tanquam probabile videri Bonacinæ de eo, qui consensit redimi pensionem, acceptâ nonnullorum, puta sex vel quinque annorum anticipatâ solutione.

Quæstio 538. An pensionarius ratione pensionis teneatur ad residentiam, vel servitium per se, vel alium præstandum in Ecclesia?

Respondeo negativè: Idque etiamsi intitulatus esset. Ventrigl. *loc. cit. n. 91.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 5. §. 5. n. 11.* qui plures alios refert. Quod tamen intelligendum, nisi pensio assignata esset in stipendium, v. g. pro pulsandis campanis & similibus. Ventrigl.

Quæstio 539. An pensionarius id, quod sibi ex pensione supereſt, teneatur ex justitia in pios usus impendere; an verò possit pro libitu disponere de fructibus ex pensione perceptis, quin & testari?

1. Respondeo ad primum: Non convenire in hoc AA. nam affirmant aliqui cum Nav. *de reditib. Eccles. q. 1. n. 74.* apud Azor *p. 2. l. 8. c. 12. q. 4.* pensionarium non secus ac beneficiatum ad hoc compellendum esse, eò quòd pensio sit quædam portio ex fructibus beneficii detracta; fructus autem beneficiorum cum hoc onere ad quoslibet perveniant, ut quidquid ex ipsis superfuerit, in pios usus cerogetur. Econtra durior videtur aliis hæc Navarri sententia, & oppositum censent Azor *loc. cit.* citans Covarr. *de testam. c. cùm in officiu. n. 6.* Gig. *de pens. q. 52.* Paul. Rom. *de pens. q. 8. vers. 10.* Redoan. *de spol. clericor. q. 5. §. 1. n. 27. & 28.* eò quòd, quidquid sit de beneficiatis, pensionarius nullo jure canonico communi id facere compellatur; cùm pensio detur tantùm in alimentum vitæ necessarium, & non ratione ministerii alicujus spiritualis, adeóque, si quid ex hoc alimento superfuerit, ipsi acquiratur, & nulli alteri ex justitia debeatur.

2. Resp. ad secundùm: Similiter in hoc non convenire AA. nam posse de fructibus pro libitu disponere pensionarium negant Nav. *l. c.* Sarmient. *de reditib. Eccl. p. 3. c. 5. n. 7.* affirmant econtra Azor *l. c.* citans Covar. Gig. *ubi ante*, ad quos accedit Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 8. n. 3.* eò quòd jura id vetent solùm de beneficiatis: quin & ne quidem de omnibus beneficiatorum bonis statuunt jura, sed pro iis tantùm, quæ ratione & jure Ecclesiæ acquirunt, quia hæc tantùm sunt, quæ in Ecclesiæ usum converti debent, vel successori in beneficio relinqui: at pensionarius neque sit beneficiatus, neque fructus percipiat jure Ecclesiæ, sed jure resignationis, gratitudinis, aut simili sibi in alimentum & vitæ subsidium concesso. Castrop, *loc. cit.* proinde nec obstet, quòd ex beneficiorum fructibus percipiantur pensiones, adeóque videantur obvenire pensionariis cum eodem onere, quo fructus beneficiorum beneficiato; cùm, ut dictum, pensionarius non percipiat pensionem ratione & jure Ecclesiæ, cui inserviat, sed ut portionem quandam ad vitæ sustentationem necessariam. Azor *loc. cit.* Hinc

3. Respondeo ad tertium: Testari posse pensionarium de dictis fructibus, affirmant ex eadem ratione ijdem AA. Azor. *loc. cit.* (quamvis *cit. l. 8 c. 3. q. 8.* teneat contrarium cum Redoan. *de spol. cleric. q. 8.*

q. 8. *n.* 32. & *q.* 3. §. & *in hoc. n.* 12. nempe ex jure novo, vi nimirum constitutionis Pauli III. & Julij III. & Pij V. non posse de residuo ex fructibus pensionis testari pensionarium) & citati ab eo, quibus accedunt Quintadv. *Ecclesiast. l.* 2. *n.* 7. Menoch. *de arb. cas.* 173. *in addit. n.* 12. Zerol. *pr. Ep. p.* 2. *v. pensionarius.* §. 25. apud Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 89. Item Castrop. *loc. cit.* absolutè pronuncians, liberum relinqui pensionario, ut possit de fructibus pensionis pro suo arbitratu, tam in vita quàm morte disponere ob rationem jam datam *respons. præced.* Sed neque obstare citatas Pontificum Bullas; cùm Paul. III. & Julius III. non loquantur de fructibus pensionis, sed de acquisitis per beneficiatum titulo negotiationis, vel aliunde contra canones. Pius verò V. licèt constituat, reditus & proventus beneficii, seu valorem triginta ducatorum non excedentes non comprehendi sub spolio, non tamen inde bene inferri, reditus beneficii & pensionis excedentes triginta ducatos comprehendi, sed solùm inferatur, relinqui id dispositioni juris communis, ex jure autem communi constet, solos reditus beneficiorum comprehendi sub spolio clericorum. Negant econtra cum Nav. *loc. cit.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 161. & citati ab eo Molin. *de just. to.* 1. *tr.* 2. *d.* 145. quorum sententiam veriorem censet Ventrigl.

Quæstio 540. *An pensionarius teneatur beneficium habitum dimittere, vel etiam nequeat beneficium, vel plures pensiones obtinere?*

1. REspondent primò absolutè negativè, sive quòd, licèt plura beneficia incompatibilitatem habeant, id tamen non procedat in pensionibus, & sic pensiones, si plures sint, nec inter se, nec cum beneficiis habitis aut habendis ullam inducere incompatibilitatem. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 5. *n.* 14. citans Benedict. de Capra *reg.* 90. *n.* 90. Hojed. *de incompat. benef. p.* 2. *c.* 7. *n.* 1. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 87. qui etiam id procedere ait, etiamsi pensiones seu pensio cum beneficio constituta sub eodem tecto, nisi fortè pensio data in titulum beneficii: pro quo citat Marantam *p.* 2. *controv. resp.* 83. *n.* 2. & 21. citantem alios.

2. Veruntamen rectiùs & congruentiùs iis, quæ sub initium hujus tertiæ partis dicta sunt de incompatibilitate, sentire mihi videtur Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 7. nimirum, quòd licet non sit omni ex parte eadem hoc ex puncto ratio de pensionibus, quæ est de beneficiis, dum in his quædam sunt, quæ canones & jura incompatibilia vocant, pensionum verò nullæ jure communi incompatibiles dicuntur. Attamen, cum jure naturali & recta ratione pugnare videtur, ut quis plures simul pensiones habeat (idem est de pensione cum beneficio) dum earum una sufficit ad commodam sustentationem, dum enim pensio datur ut vitæ alimentum, si unus habeat plures, quarum singulæ sufficiunt ad commodam alimentationem, habet is tantum alimentorum, quantum pluribus sustentandis sufficit, quò fiet, ut unus quidem esuriat, alter verò ebrius sit. Neque tamen negatur per hoc, ut idem Azor, uni quandoque licitè plures pensiones constitui posse ob ejus præclara merita, nempe ob literaturam, generis nobilitatem, ob magna in Ecclesiam merita & beneficia, aliásve dotes. Vide quæ hac in parte dicta sunt de pluralitate beneficiorum.

Quæstio 541. *An, & qualiter pensionarius teneatur solvere onera annexa vel imposita beneficio, super quo constituta pensio?*

1. REspondeo primò: Obligari pensionarium pro rata pensionis solvere onera, quæ imponi solent fructibus beneficii, puta subsidium charitativum, excusatum, decimam Papalem, collectionem ad seminarii erectionem, Ecclesiæ reparationem, &c. cùm enim pensio ex fructibus beneficii debeatur, & omnia hæc & similia onera beneficiorum fructibus annectantur, consequens est, ut pensioni annexa sint. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 171. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 2. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 1. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 8 *n.* 2. citans Gig. *de pens. q.* 38. & 59. Gamb. *de off. Leg. l.* 6. *q.* 5. *n.* 207. Barbos. *de pot. Ep. alleg.* 77. *n.* 14. &c. Unde jam beneficiatum solventem integrè dicta onera posse retinere eam partem, quæ pro rata pensionis solvenda erat à pensionario, tenent Ventrigl. Castrop. (citans Barb. *ubi ante.*) Garc. *loc. cit.* citans Marches. *de commiss. p.* 2. *c.* 4. *de commiss. appellat. n.* 49. Caccialup. *de pens. q.* 17.

2. Respondeo secundò: Procedere hæc quidem de pensione constituta, ut jure communi constitui deberet, ut ait Azor *loc. cit.* hoc est, sine clausula: *liberam, immunem & exemptam.* stante verò illâ clausulâ & exemptione, quacum hodiedum pensio (utpote consueta constitui in alimenta & vitæ subsidia, quorum causam valde piam habent jura & leges) libera & exempta ab iis oneribus reservari consuevit, pensionarius nihil ratione horum onerum solvere, seu de suspensione deperdere tenetur, sed ex integro satisfacere pro his oneribus spectat ad titularem. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 23. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 21. *n.* 44. dicens, stylum Curiæ habere, ut pensio à Papa assignata sit immunis ab omni onere, etiam subsidii charitativi, & citans Tamb. *to.* 3. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 7. Azor *loc. cit.* (ubi quoque ad fusum dictam clausulam exemptivam & onera recitat) Garc. *loc. cit. n.* 172. Ventrigl. Castrop. *ll. cit.* Paril. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 135. Unde in specie non teneri pensionarium, cui reservata pensio cum dicta exceptione, ad solvendum subsidium charitativum, & stylum Curiæ Rom. habere, ut pensio auctoritate Papæ alicui assignata sit libera ab omni onere, etiam subsidii charitativi, tradit Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 14. *q.* 6. §. *si quæras an clericus.* contra Belenzin. *de subsid. charitat. q.* 37. eò quòd, cùm Papa reservat clerico, reservet eam ut annuum alimentum; alimenta autem sint libera ab oneribus & contributionibus quibuscunque. Extendit hoc ipsum Azor *loc. cit. c.* 12. *q.* 11. ex Gig. *q.* 66. ad onus insolitum & extraordinarium, si quid tale contingeret imponi beneficio, quòd pensionarius, cui reservata pensio libera ab omni onere, nihil pro eo solvere teneatur; eò quòd dicta clausula in literis pontificiis apponi soleat, ut pensio libera sit ab omni onere etiam extraordinario. Distinguit tamen meliùs quoad hoc punctum Lott. prout videre poteris *quæst. seq.*

3. Quod attinet Excusatum, quod concedi solet regi Hispaniæ in beneficiis regnorum illius de quinquennio in quinquennium, hanc clausulam exemptivam, quâ expresè declarari solet, ut pensio sit immunis in specie ab hoc excusato, durare solum ad quinquennium illud, in quo incidit reservatio pensionis cum ea clausula, & eo finito, exspirare vim illius derogatoriam: neque redintegrari

tegrari propter prægnantes clausulas, quæ rursus inseruntur novo indulto super Excusato ad aliud quinquennium, tradunt Lott. *l. 1. q. 38. à n. 25.* Garc. *loc. cit. n. 173.*

4. De cetero si habitâ dictâ exceptione (idem est de privilegio alio, quod haberet pensionarius, ut cogi non posset ad solvendam v.g. decimam papalem) nihilominus cogeretur à collectore Apostolico illud, aliúdve simile onus subire, talem solutionem non nocituram illi, si ei præmisisset protestationem, quòd coactus, & timore censurarum solvat, aliàs non soluturus. Secùs verò, seu amissum illud privilegium, si talem protestationem non præmisisset solutioni, tradit Azor *loc. cit. c. 13. q. 8.* citato Gig. *de pens. q. 61.* Ludovic. Rom. &c. & ex illo Castrop. *loc. cit.* qui tamen ait, se *in tr. de LL. d. 41. p. 19.* docuisse tanquam probabilius, tale privilegium per talem actum sine protestatione factum non amitti.

5. Solere quoque rursus dictæ exceptioni seu exemptioni & privilegio hujusmodi per subsequentia decreta & privilegia derogari à Papa cum clausula: *quorum tenores, &c.* dum nimirum contingit, Papam ex post indicere decimæ alicujus solutionem super reditibus beneficiorum in favorem Sedis, aut etiam alicujus Principis ex causis justissimis, testantur Ventrigl. Castrop. *ll. cit.* Item Lott. *l. 1. q. 38. n. 24. & q. 45. n. 20.* referens istiusmodi decreti derogationis formam. In quo casu tenebitur adhuc pensionarius pro rata pensionis contribuere ad istiusmodi decimæ, subsidii, alteriúsve oneris similis solutionem. AA. ij *ll. cit.* siquidem clausula illa: *quorum tenores,* vim habet specificæ derogationis, ita ut in vanum obrendatur clausula derogatoria derogatoriarum in literis reservationis. Lott. *cit. q. 38. n. 29.* Tradit tamen idem Lott. *cit. q. 45. n. 21.* non eousque extendere se dictam derogationem Papæ, ut remaneat etiam pensionario elisa actio contra titularem pro redintegratione solutionis facta, seu deductionis cessæ à pensionario pro rata sua, nequeátque tantumdem à titulari recipere, quantum expendit pro rata sua in solutionem impositionis. Idque propter pactum quasi privatum (intellige quotannis tantum dandi pensionario vel permittendi, ut is accipiat, ita ut is titulari nullam deinceps velit aut possit prætendere remissionem) quod resultavit inter titularem & pensionarium ex consensu titularis in pensionem, quem consensum perpetuò respiciebat auctoritas Papæ in impositione pensionis, cui pacto seu conventioni canonicæ permissæ nusquam censetur derogatum per quamvis generalem ipsius etiam Papæ dispositionem, etsi in hac pensionum materia, non secus ac in beneficiis plenissimam & absolutam habeat potestatem. Lott. *cit q. 45. n. 19. juncto n. 22.* Atque ita, etiamsi videatur in hoc casu aliquid detrahi de jure pensionarii, dum cogitur solvere, vel pati solutionem pro rata suæ pensionis, modicum tamen ei infertur præjudicium, ex quo adhuc est reparabile ex regressu contra titularem in vim supradicti pacti. Unde nec tale indultum exigendi decimam aliúdve subsidium respectu pensionarii quid amari in se habet, dum veriùs à pensionario differtur aliquid, quàm auferatur; & ejus respectu optimè intrat dicta derogatio favore causæ publicæ, quam Papa fuit contemplatus in persona indultarii seu illius, pro quo imposita decima vel subsidium, utpote cui voluit facillimam esse undequaque exactionem, & consequenter non fieri moram ex pactionibus privatorum. Lott. *n. 23. & 24.* Ac propterea, dum in hoc casu contra pensionarium fundantem intentionem suam pro hac integritate pensionis sibi solvendæ, & validitate obligationis titularis de solvendo onere quocunque excipitur per titularem de indulto illo (aliquando concedi solito principibus aliquibus ad exigendas decimas, etiam à pensionariis non obstantibus pactis intercedentibus inter pensionarium & titularem) exceptio non adaptatur actioni, prout de jure requiritur; quia indultum illud non respicit favorem titularis, sed indultarii. Lott. *n. 29. 30. & 31.*

6. Porrò nullam esse inter hæc incompatibilitatem, quòd titularis teneatur ad onus decimæ vel alterius impositionis, & quòd nihilominus hæc conventio inter titularem & pensionarium respectu indultarii vi indulti exigentis pensionem non à titulari, sed à pensionario, non habeatur in aliqua consideratione, ostendit Lott. *n. 35. & 36.* exemplo conventionis inter concedentem in Emphyteusi in prædium & Emphyteutam, qui stipulatus est, solvi tributa & census per concedentem; hæc namque conventio, etsi reneat in præjudicium ipsius concedentis & promissoris, non tamen tenet in præjudicium principis exigentis tributa.

Quæstio 542. *Cùm, quæ dicta sunt hactenus, intelligenda sint de oneribus Ecclesiasticis seu impositis auctoritate Ecclesiasticâ, num igitur etiam pensionarius, cui reservata pensio libera & exempta ab oneribus vi dictæ clausulæ, eximatur quoque ab oneribus, si quæ de facto etiam contra juris prohibitionem imponant principes laici?*

Respondeo sub distinctione: Si reservata ei pensio libera & exempta ab omnibus oneribus tam ordinariis, quàm extraordinariis, non tenebitur ad istiusmodi onera contribuere pensionarius; cùm titularis jam ex proprio consensu nullam possit prætendere remissionem, ut dicitur de conductore, qui omne periculum in se suscipit, nisi fortè casus esset non solùm valdè insolitus, sed qui etiam abstulisset omnes fructus. Lott, *l. 1. q. 38. n. 34. & 35.* Si verò pensio fuit reservata libera & exempta simpliciter, vel ab oneribus ordinariis tantùm tunc, quia Papa non censetur cogitasse de extraordinariis, multóque minùs de impositis contra juris prohibitionem, ut sunt onera illa à laicis imposita, tenebitur pensionarius ad contribuendum, poteritque titularis prætendere remissionem. Lott. *loc. cit. n. 37.* qui tamen idipsum limitat *n. 38* nisi essent onera restituibilia, ita ut remaneret actio titulari ad repetendum à se soluta ex obligatione ipsorum laicorum.

Quæstio 543. *An pensionarius habens pensionem cum prædicta clausula: liberam, immunem & exemptam ab omni onere excogitato, & excogitabili, teneatur contribuere ad expensas, quas facit titularis in litem pro defensione sui tituli, dum lis consecutivè respicit etiam defensionem pensionis?*

Respondet negativè Riccius *in pr. resol. 428.* Respondet in contrarium affirmativè Maranta *p. 2. controv. resp. 10.* apud Ventrigl. *to 2. annot. 11. §. 2. n. 3.* cui parti affirmativæ favere videtur ipse Ven-

Ventrigl. Lott. potiùs adhæret negativæ *l.* 1 *q.* 38. ubi postquam docuisset, ut vidimus *quæstionib. binis anteced.* ex eo, quòd titularis consentiendo pensioni istiusmodi liberæ & exemptæ, hoc suo proprio consensu obligavit se, etiam ad onera insolita & excogitata eximendo pensionarium, titularem non posse prætendere remissionem aliquam exemplo conductoris, qui omne periculum in se suscepit, subjungit *n.* 39. contra Gig. *de pens. q.* 85. *n.* 7. & Gomes. *in compend. signat. ad finem.* ex consensu præstito à titulari reservationi pensionis liberæ ab omni onere, etiam excogitato, titulari non competere retentionem adversus pensionarium pro expensis factis in persequendo litem adversus aliquem intrusum.

De obligatione, & deobligatione, & modo solvendi pensionem, eámque factam probandi, & per eam præjudicandi titulari in ordine ad acquirendam possessionem exigendi pensionem.

Quæstio 544. *An beneficiatus, super cujus beneficio imposita est pensio, obligetur eam solvere sub gravi culpa?*

REspondeo affirmativè: tum quia pensio est portio extracta à beneficio, applicata pensionario; tum quia in literis pensionis reservatæ præcipitur ejus solutio sub gravissima pœna excommunicationis, quæ pœna supponit gravem culpam. Castrop. *de benef. d.* 1, *p.* 11, §. 6. *n.* 1. cum communi. Procedítque id non solùm in primo consentiente pensioni, sed & de quocunque successore, cùm pensio sit onus reale inhærens fructibus beneficii, adeóque acceptans beneficium gravatum pensione tenetur onus illud sustinere; unde & in literis reservationis pensionis apponitur hæc clausula: *Pensionem annuam per Titium Ecclesiæ illius modernum rectorem, & ejus in præfata Ecclesia successorem persolvendam.* Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 13. Castrop. *loc. cit.* cum communi, quam supponit Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11. *n.* 70. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 190. Atque ita etiam provisus ab Ordinario, & vigore provisionis per Ordinarium ei factæ possidens beneficium, tenetur ad solvendam pensionem, dum consensit pensioni per Papam constituendæ in illo beneficio, v. g. dum Episcopus Titio contulit beneficium, nominando Cajum ad certam pensionem super fructibus ejusdem beneficii auctoritate Apostolicâ reservandam, in quam pensionem dictus Titius consensit. Conrad. *in pr. benef. l.* 5 *c.* 7. *n.* 8.

Quæstio 545. *An, & qualiter titularis non habens possessionem beneficii pensione gravati teneatur eam jam ex ...?*

1. REspondet negativè Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 35. *n.* 10. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 48. ubi quòd non detur actio contra non possidentem. C. Luc. *de pens. d.* 33 *n.* 3. & *d.* 32. *n.* 4. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 147. Filiuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 6. *q.* 1. eò quòd, cùm penso non sit debitum proprium & personale, sed causativum seu occasionale, quatenus nempe quis possidet beneficium, & obtinet fructus illius, super quibus propriè hoc onus pensionis re-

sidet, idcirco cessante hac causâ debendi, quia non possidet, vel citra culpam & factum suum fructus non percipit, ad pensionis solutionem cogi non potest. Card. de Luc. *cit. n.* 4.

2. Idipsum limitandum primò: Nisi beneficiatus suâ culpâ negligeret, aut aliâ ratione possessionem non caperet, teneatur tamen adhuc in conscientia, quin & in foro externo compellatur solvere pensionem: cùm enim per beneficiatum stet, quò minùs possessionem capiat, non debet ex illius delicto vel facto alius jacturam pati. Filiuc. *loc. cit.* cum communi.

3. Limitandum secundò: Dum solet nihilominus in reservatione pensionis quandoque adjici clausula provisi obligatoria, seu ut provisus de beneficio teneatur solvere, *habitâ vel non habitâ possessione.* Idque vel ex conventione partium, vel quia agitur de pensione reservata ad favorem familiarium Papæ, quæ per Expeditores pensio palatina dici solet, ut Card. de Luc. *cit. d.* 32. *n.* 3. vel etiam adjici consuevit in pensione reservata super beneficiis ultramontanis, præsertim Hispanis (intellige in favorem alicujus existentis in Italia, aut alibi in loco remoto ab Hispania) & hoc propter difficultatem probandi, an possessio capta nec ne, & quis sit verus possessor. Rariùs autem in Italicis juxta dicta superiùs, ubi de modo imponendi pensionem sub hac clausula ejusque justitia; præter quæ ait quoque Lott. *loc. cit. n.* 50. quòd, cùm pensionarius aliàs facilè supplantari possit, ex stylo Curiæ prudentissimè excogitatam esse hanc clausulam, ut per titularem fiat obligatio de solvenda pensione cum dicta clausula, quæ habeat æquissimam rationem, ut nimirum malitiæ & commento fraudis occurratur, omnémque respuat injuriam titularis, qui volens ac liberè consensit. Qualiter verò præscindendo ab illo rigore juris, quo, stante hac clausulâ, titularis tenetur solvere, etsi possessionem non habeat, nec fructus ullos percipiat, ut Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 147. Rota secura semper æquitatem interpretatur illam clausulam, ut non extendatur ultra duos vel tres annos dicta obligatio non solvendi, non habitâ etiam possessione; vide quoque dicta superiùs *loc. cit.* In quorum confirmationem sic quoque ait Card. de Luca *cit. d.* 32. *n.* 6. receptum esse, ut clausula illa, utpote adjecta ad occurrendum fraudibus & collusionibus in præjudicium pensionarii, discretè ac sano modo intelligenda veniat pro uno vel duobus annis, seu aliàs pro facti qualitate & circumstantiis, ex quibus deveniatur ad notitiam, an stet per titularem nec ne, adeo ut cesset ratio suspicionis, cui eadem clausula innixa est ex cessante motivo rationis vel causæ. Idem tradit Lott. *loc. cit. n.* 51. ubi: quòd, si tractu temporis cesset suspicio fraudis, & titularis consequi nequiret possessionem, cessaturum quoque esse effectum dictæ clausulæ; cessaturam autem dictam suspicionem fraudis ait *n.* 52. & 53. ex diligentiis possibilibus factis per annos continuos, tum in producendo literas, & instando pro earum executione, tum alio modo possibili removendo hoc impedimentum; ita ut sine diligentiis illis factis non sufficiat lapsus ille trium annorum absque possessione. Dari & aliam adhuc cautelam certiorem & expeditiorem, tradit Lott. *loc. cit. n.* 58. dum nimirum decernitur, tam per consentientem pensioni, quàm per ejus successorem, dari schedulam bancariam (de qua infrà pluribus) per triennium cum obli-

gatione de illam revocando de triennio in triennium (quod pactum, nisi accedat consensus Papæ, fore simoniacum, ait *n.* 59. citato pro hoc Less. *de just. l.* 2. *c.* 35. *n.* 93.) per quam schedulam Campsor, qui eam confecit, obligat se solvere, excepto casu mortis alterutrius, nempe titularis aut pensionarii; & sic agente pensionario contra Campsorem, hic frustra excipit, titularem intra triennium non potuisse nancisci possessionem, eò quòd, cùm contra eum agatur in vim cameralis obligationis, non possit aliâ exceptione juvari, quàm solutionis, aut falsitatis, aut aliâ, quæ oriatur ex ventre ipsius schedulæ, suæque obligationis.

Quæstio 546. *An solvenda pensio etiam per intrusum, seu male & absque justo titulo possidentem?*

Respondeo affirmativè, modò fructus percipiat; siquidem ad effectum solutionis pensionis non consideratur titulus, sed fructuum perceptio. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 7. *n.* 13. citans Barbos. *in pr. exigendi pens. q.* 10. *n.* 13. *& seq.* Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 182. Filiuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 6. *q.* 5. notans cum aliis, debere tamen postea in restitutione fructuum id deduci, quod pro pensione solutum. Non poterit tamen contra eum exerceri utiliter actio personalis; cùm eo ipso, quòd non habeat verum titulum, non consensit pensioni, nec cuiquam successit, qui consensit, ita ut prætendi possit consensus illius implicatus, cùm tamen à consensu hoc actio personalis dimanet juxta dicenda inferiùs. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 49. secus autem est de actione hypothecaria seu reali, de qua procedit responsio.

Quæstio 547. *An titularis teneatur solvere pensionem impositam suo beneficio vel præbendæ, si illud dimittat & novum beneficium vel præbendam obtineat?*

1. Respond. primò: Cùm pensio imponitur beneficii fructibus, dimisso illo beneficio, sive per resignationem, etiam ex causa permutationis, vel etiam per optionem, sive per assecutionem alterius incompatibilis, vel aliàs, non tenetur quis amplius ad solutionem pensionis, nec ad cautionem bancariam promissam, etiamsi dictæ pensioni consenserit, & se obligaverit in forma Cameræ, & cum juramento ad eam solvendam, sub hac tamen limitatione, nisi remanserit in detentatione. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 178. citans Gamb. *de pot. Leg. l.* 6. *q.* 8. *&* 9. *à n.* 405. *&* 421. Mandos. *de signat. grat. tit. pens. vers. quia resignans.* Bursatt. *cons.* 361. *l.* 4. Gig. *q.* 63. *n.* 12. Paris. (qui tamen loquitur solùm de beneficio dimisso per resignationem *l.* 1. *q.* 8. *n.* 1. *&* 9. 10. 11. *simul sumptis.* Item *l.* 10. *q.* 8. *n.* 26. *&* 27. ubi: quòd resignans post resignationem acceptatam liberatur ab onere solvendi pensionem, debeat autem ad hunc effectum probare factam hanc acceptationem. Item *ibid. n.* 71. *&* 72. ubi: quòd resignatarius post acceptationem se obliget ad onera incumbentia illi beneficio acceptato, & hinc teneatur solvere pensionem.

2. Ampliatur responsio primò, ut etiam cesset obligatio fidejussorum datorum à titulari. Garc. *loc. cit. n.* 181. Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 10. Ampliatur secundò, ut procedat, etiamsi resignatio sit invalida & nulla, si resignatarius possidet, eò quòd possidens beneficium etiam sine titulo, ex quo fructus percipit, tenetur pensionem solvere, non autem beneficiatus verum titulum habens. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 42. citans Rotam *in Hispal. benef.* 10. *Jun.* 1542. teste Mohed. Garc. *loc. cit. n.* 182.

3. Limitatur verò responsio, ut non procedat. Primò, si post resignationem se obligavit ad solvendam pensionem, quæ erat antiquitus imposita beneficio resignato; non prohibetur enim quis fidejubere pro alio, & obligare se & bona sua pro re aliena, & ita tenebitur vi novæ hujus obligationis. Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 16. Garc. *loc. cit. n.* 180. juxta decis. Rot. *in Prænestina pens.* 20. *Maij.* 1559.

4. Secundò, ut resignans post resignationem teneatur ad pensiones decursas, & non solutas usque ad diem resignationis acceptatæ. Paris. *cit. q.* 8. *n.* 18.

5. Tertiò, ut adhuc teneatur resignans, si resignatio facta fuisset in fraudem; cùm fraus & culpa nemini patrocinari debeant. Paris. *ibid. n.* 19. citans Gamb. *ubi ante. n.* 423.

6. Quartò, si resignans statim post resignationem acceptatam, reassumeretur ad idem beneficium; cùm tunc perinde sit, ac si semper in beneficio mansisset; cùm quæ fiunt in continente, censeantur inesse. *l. lecta, ff. si cert. petat.* Paris. *loc. cit. n.* 20. secus tamen erit, si ex intervallo reassumptus ad illud beneficium; tunc enim tenebitur pro tempore, quo illud possedit, & pensionem percepit. Paris. *n.* 21.

7. Quintò, non procedit, ubi in resignatione est clausula: ut is, qui pensionis impositioni consensit, non possit in favorem alicujus resignare beneficium pensione gravatum, nisi priùs factâ pensionario intimatione, ac factâ obligatione per resignatarium de solvenda pensione cum omnibus ac singulis clausulis, cautelis: quam clausulam sæpe concedi solitam testatur Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 148. ex Mandos. quamvis Garc. *loc. cit. n.* 187. dicat, eam clausulam hodiedum non concedi, nisi pro palatinis aliisque personis Papæ gratis. Stante autem hac clausulâ, ex qua resignatio aliter facta non valeret in præjudicium pensionarii (uti alienatio rei specialiter hypothecatæ cum pacto de non alienando, non valet in præjudicium creditoris) resignans adhuc tenetur ad solvendam pensionem, acti non resignasset. Garc. *loc. cit. n.* 184. *& n.* 185. qui tamen subjungit ex Paris. *l.* 3. *q.* 4. factam istiusmodi resignationem cum dicta intimatione faciendæ pensionario fore, & manere adhuc validam, si is non egit ad beneficium.

8. Sextò non procedit responsio, si quis retento beneficii titulo, super cujus fructibus imposita pensio, permutat ejus bona pro aliis, quæ subrogantur in locum bonorum dimissorum, v. g. si quis retento titulo canonicatûs & præbendæ optaret alia bona pro præbenda temporali, uti moris est in aliquibus Ecclesiis. Garc. *loc. cit. n.* 183. Gonz. *gl.* 34. *à n.* 45. qui etiam id ulteriùs exemplificat *n.* 47. *&* 48. eo casu, ubi pensio reservata super bonis & fructibus Decanatûs de novo illi applicatis, dum dein Decanus auctoritate Apostolicâ permutavit dicta bona cum Capitulo pro duabus præbendis; nimirum teneri adhuc dictum Decanum solvere pensionem, cùm semper retineat titulum Decani, & in locum bonorum dimissorum fuerint subrogatæ dictæ duæ præbendæ. Idem sub eadem ferè distinctione, sed distinctiùs docent Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 4. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 6. citantes Gig. *q.* 36. ut Azor, vel *q.* 93. ut Castrop. *n.* 3. *&* 4. nimirum, quòd, ubi canonicatus vel præbendæ sunt reipsâ distinctæ,

ita

ita ut quilibet suos fructus & proventus proprios & determinatos habeat, dimittens canonicatū vel præbendam oneratam pensione, & optando obtinens aliam pinguiorem, non obligetur ampliùs solvere pensionem, sed is, cui iste canonicatus vel præbenda dimissa obtigerit. Secus verò sit, si canonicatus vel præbendæ non sunt distinctæ, seu fructus distinctos non habent, sed fructibus collectis à Capitulo, ex hac tota massa ope procuratoris fit distributio seu divisio in singulos Canonicos seu præbendatos, assignando singulis suam portionem in vino, frumento, oleo vel pecuniâ, majorem vel minorem juxta præbendarum quantitatem; quia tunc per optionem non est consecutus novum canonicatum, sed solùm uberiorem fructuum portionem; & quia, ut Castrop. pensio est super fructibus à Titio præbendato perceptis. Porrò si pensio imposita super canonicatu & præbenda, si vacet talis canonicatus & præbenda, & de canonicatu fuit novus provisus, & alius optavit præbendam, pensionem debere solvi pro rata inter titularem & optantem, tradit Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 50.* Si verò imposita est simpliciter super fructibus præbendæ canonicalis, tunc, si ratione optandi prædium temporale præbendæ, prout est jus percipiendi fructus ex illo vel alio prædio, super quo statuta pensio retento titulo, tenetur ad pensionem, qui dimisit, non verò qui optavit. Ventrigl. *loc. cit.* citans Lott. *l. 1. q. 29. n. 30. & q. 39. n. 85.* ex Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 73.* juxta jam dicta ex Castrop.

Quæstio 548. *An titularis fructus beneficii pensione gravati percipiens, si inops est, teneatur solvere pensionem?*

1. REspondeo: Non convenire in hoc AA. nam primò tradit Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 7. n. 4.* citato Suar. *to. 5. de censuris. d. 20. s. 2. n. 13.* excusatum esse aliquem, si sine gravi jactura sui statûs & dignitatis clericalis pensionem solvere non possit, & posse tunc frui beneficio *cap. Odoardus*, si bonis cedat, petitâ & relictâ sibi solùm congruâ sustentatione, eò quòd præsumi nequeat, cessisse huic gravi & strictæ obligationi, esset enim cessio iniqua. Secus verò si cum aliqua levi imminutione sui statûs solvere posset pensionem, eò quòd in hoc casu intelligatur renunciasse beneficio *cap. Odoardus. de solutionibus.* Esto autem, quòd Ordinarius non possit talem cessionem bonorum admittere, assignatâ ei congruâ sustentatione, posse eum tamē ad Auditorem Cameræ accedere, qui eam admittere debeat, assignatâ dictâ ei congruâ, magis tamen strictâ & limitatâ, quàm aliis cedentibus assignari soleat, tradunt ijdem AA, notante etiam expressè Suar. quòd, si impetratum à Papa diploma, ut uti possit beneficio dicti *cap. Odoardus*, prout id de jure conceditur, debere in rescripto apponi clausulam derogatoriam cujuscunque cameralis obligationis, aliàs nullius fore effectûs.

2. Econtra talem teneri adhuc solvere; quia, licèt favore clericalis ordinis constitutum sit *cap. Odoardus. de solution.* ne clericus excommunicetur, vel in personâ molestetur à creditoribus, si propter inopiam solvere nequeat id, quod debet, beneficiatus tamen non gaudet beneficio *dicti cap.* tenent Garc. *p. 1. c. 5. n. 237.* citans Gomes. *in compend. utriusque fignat. in reg. de annali. q. 53.* Covar. *var. l. 2. c. 1. n. 9.* Guttier. *de juramento confirmator. p. 1. c. 17. n. 31. &c.* Item Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 69.* Lott. *l. 1. q. 38. n. 236.* dicens gravatum onere pensionis, si prætendat illud remedium seu beneficium *cap. Odoardus*, passim illud ei ex stylo signaturæ denegari juxta Gomes. *in compend. fignat. in fine. vers. est tamen verum*; qui tamen sub distinctione loquatur, ita ut titulari, qui per seipsum consensit, illud absolutè denegetur, secus in alio, qui per seipsum non consensit.

3. Verùm in reddenda ratione hujus rei iterum non conveniunt AA. nam primò Bellet. *disquis. clerical. p. 1. de clericor. debito. §. 2. n. 7.* aliique per illum adducti volunt id esse ideo, quia consentiens pensioni obligat se de eam solvendo sub juramento & obligatione camerali, in qua obligatione continetur renunciatio cujuscunque remedii, juris & auxilii, & in consequens etiam beneficii *dicti cap.* quin &, ut Farinac. *crimin. qq. 27. n. 70.* in camerali obligatione se astringit quis, ut possit capi, carcerari, detineri. Quidquid in contrarium dicant alii plures apud Lott. *loc. cit. n. 238.* & apud Barb. *in cit. c. Odoardus. n. 24.* non posse renunciari huic privilegio *c. Odoardus.* A qua tamen ratione dissentire se ait Lott. *loc. cit. n. 241.* eò quòd promissio illa & obligatio cameralis intelligenda sit: *rebus sic stantibus*, atque ita datâ possibilitate, quæ tunc aderat; cùm impossibilium nulla sit obligatio, etiamsi se quis obstrinxerit ad aliquid præstandum, non obstante quacunque causâ & ratione, ut Ruin. *cons. 137. n. 11. l. 2.* Menoch. *cons. 212.* apud eund. Lott. *n. 242.* Proinde alii cum Gomes. *loc. cit.* & Didac. *var. resol. l. 2. c. 1. n. 9.* apud Lott. *n. 240.* censent, ideo titularem excludi à beneficio *cap. Oduardus*, quia pensionario est reservatus regressus, adeóque honestum non sit, ut titularis, qui se obligavit pati regressum, mox sub prætextu paupertatis à se longè arceat pensionarium; cùm se possit liberare dimittendo beneficium, quam rationem approbari à Covar. ait Lott. & ipse eam non reprobat. Sed quid in casu, quo non est reservatus regressus vel accessus pensionario, neque is ei aliter competere potest? censet Lott. *n. 242.* neque adhuc in hoc casu titularem frui posse beneficio dicti *cap. Odoardus*, eò quòd, ut locus sit beneficio *dicti cap.* duo hæc debeant concurrere. Primum tanta paupertas (& quidem justificata cum hac circumstantia, quamvis summariè ad hanc justificationem procedi possit) ut neque in totum, neque in partem debitum possit solvi, adeò, ut non sufficiat clerico offerre cessionem fructuum beneficii nisi fortè non haberet nisi tale beneficium, & justificasset, se non habere aliqua bona patrimonialia, utique in quorum duntaxat defectum fieri potest aliàs hujusmodi fructuum assignatio, ut Rota *in Hipporegiens. Capellan. 10. Nov. 1623.* Lott. *à n. 243.* Alterum est ut obtendens seu frui cupiens dicto beneficio, sit miseratione dignus, carens omni suspicione doli & temeritatis, qualis non est, qui priùs negavit debitum, ex qua negatione secuta lis, & continuata usque ad sententiam & relaxationem executorialem. Lott. *ex n. 249.*

4. Atque ex his jam consequitur, vix unquam esse locum dispositioni textûs illius *cap. Odoardus*, ad favorem debentis pensionem; vel enim negans debitum passus est sententiam, & jam patet, non posse eum frui illo beneficio; quia negando debitum & tergiversando solutionem, utique est in dolo. Lott. *n. 252.* vel non est passus sententiam, nec debitum negavit, & jam excluditur à dicto beneficio, quia non potest principale extremum seu requisitum dicti textûs probare, nempe pau-

pertatem tantam, ut nequeat in totum vel in partem solvere pensionem, dum pensio nunquam ita constituitur, ut fructus omnes beneficii exhauriat; neque contrarium, nempe quòd pensio exhauriat fructus beneficii omnes, probari potest à titulari: nam id vel est verum, vel falsum; si falsum, malitia ejus non debet foveri; si verum, vel potest dimittere beneficium, & dimittat; si non potest, eò quòd ad titulum illius sit ordinatus, & tunc censetur dolosè illud sub onere tantæ pensionis acceptasse, & sic non auditur, tanquam allegans suam turpitudinem; cùm hinc concludatur ad simoniam, si præcessit pactum, vel si illud non præcessit, ad manifestum dolum, cujus ratione excluditur à dicto beneficio. Ita ferè Lott. *à n.* 253. & *n.* 255. sic concludit: si aperiretur hæc via titularibus, quotidie supplantarentur pensionarii, quare prudentissimè ac justissimè semper fuit per signaturam & Rotam denegatum istud refugium, cùm malitiis hominum semper sit occurrendum.

Quæstio 549. *An titularis excommunicatus vel suspensus, & propterea non percipiens fructus, teneatur nihilominus solvere pensionem (idem est de subsidio aliove onere) impositam super fructus beneficii?*

1. Respondent affirmativè Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 9. Item Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 13. *in fine.* Gig. *q.* 64. Barth. & alii apud Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 228. eò quòd, ut Azor. *loc. cit.* etsi excommunicati fructus beneficiorum non percipiant, debent tamen censum solvere, quia onera sustinere coguntur, etsi commoda non percipiant. quemadmodum, ut inquit Barthol. apud Gig. *de pens. q.* 64. *n.* 4. referente Azor. qui sua culpa sunt ejecti ab urbe, quamvis suorum bonorum fructus non percipiant, debent nihilominus onera solvere. Intelligitur autem hoc ipsum de justè excommunicato; retinente tamen possessionem beneficii sui; si enim possessionem amittat, patet ex supradictis, eum non teneri. Item si injustè sit excommunicatus, & hinc fructus non percipiat, non tenebitur, quamvis, ut Guttier *qq. can. l.* 1. *c.* 1. *n.* 125. injustè excommunicatus non amittat fructus, & hinc ex iis perceptis tenebitur adhuc solvere.

2. Respondent econtra negativè, sive non teneri ad hoc talem titularem, sed pensionem solvendam esse ex amissis per eum fructibus, Garc. *loc. cit. n.* 227. & citati ab eo. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. Ugolin. *de cens. tab.* 2. *c.* 12. *in fine.* Suar. *de cens. d.* 13. *s.* 2. *n.* 24. *&c.* innixi communi rationi, quòd pensio affixa sit fructibus.

3. Mediam viam init Guttier *loc. cit.* ita ut teneatur excommunicatus, dum obtinet beneficium habens reditus speciales & distinctos, non consistentes in distributionibus, seu fructibus distribui solitis statis horis præsentibus, eò quòd æquum tunc sit, ut solvatur pensio ex fructibus beneficii illius, quibus pensio imposita; cùm in hoc casu exstent, & dicantur etiam fructus istius beneficii; Teneatur verò ex suo solvere excommunicatus, dum habet beneficium in Ecclesia, ubi fructus consistunt in distributionibus, quæ præsentibus accrescunt, eò quòd tunc pro tempore excommunicationis ob non præsentiam nulli sint fructus, nec quotidianæ distributiones beneficii, quod habet excommunicatus. Neque etiam obstat, (quod aliàs in contrarium movent Ugolin. cum AA. sententiæ negantis) quòd non culpa excommunicati sit proxima & immediata causa, cur fructus non percipiantur ab excommunicato, seu cur ejus beneficium non habeat fructus pro illo tempore excommunicationis; cùm negari nequeat, quin culpa dederit causam immediatam excommunicationi, ob quam excommunicatus non lucratur fructus. Vide de hac distinctione plura *quæst. post hanc* 2.

Quæstio 550. *An titularis teneatur solvere pensionem, dum fructus non percipit, aut dum hi perierunt, aut notabiliter diminuti sunt?*

1. Respondeo primò: Titularis non habens, seu non percipiens fructus, super quibus statuta pensio, regulariter non tenetur ad illam solvendam. Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 15. Quod procedit si absque sua culpa eos non percipiat; si verò suâ culpâ vel facto eos non percipiat, tradunt aliqui, eum teneri solvere, ut Filiuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 6. *q.* 2. Negant adhuc alii, ut patet ex *q. præced.* verùm hi negantes, ut patet, & patebit, potissimùm loquuntur de casu, dum ex culpa titularis fructus non percepti quidem à titulari, exstantes tamen adhuc aut percepti justè ab aliis. De cetero absoluta nimirum hæc responsio valde & variè limitanda pro diversitate plurium casuum. Unde

2. Respondeo secundò: Si fructus in perpetuum amissi, aut ita diminuti (intellige amissis prædiis aliisque bonis, ex quibus colligendi) ut solvi nequeat pensio, quin eâ solutâ deficiat congrua, seu quantitas titulari à jure vel literis pontificiis assignata, ad pensionem integrè solvendam non tenebitur, sed ea diminuenda, ut salvetur dicta congrua. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 11. citans Gig. *q.* 35. *n.* 8. & id exemplificans casu, quo beneficiato evictum aliquod insigne prædium beneficii; modò probetur fructus restantes non sufficere pro congrua titulari. Verùm de hoc suprà.

3. Respondeo tertiò: Si fructus ad tempus, puta illo anno, non quidem integrè, in ea tamen adhuc quantitate percepti, ut inde solutâ pensione remaneat adhuc titulari congrua sua, minimè liberabitur titularis à pensione integrè solvendâ. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 5.

4. Respondeo quartò: Si titularis eo anno collegerat jam fructus, qui dein hostili incursione ei sublati, aut alio casu perierunt, tenebitur ad solvendam integrè pensionem, quia fructus illi per collationem jam facti illius, prout dicitur de conductore. Ventrigl. *loc. cit.*

5. Respondeo quintò: Si titularis probet, se nullos percepisse fructus seu reditus, quibus imposita pensio, eò quòd hi inopinato casu aliquo ante collectionem, puta incursione hostili, tempestate, inundatione perierunt, adhuc tenebitur ad integrè solvendam pensionem, & minimè inde eliditur actio pensionarii. Ventrigl. *loc. cit. n.* 10. citans Bellet. *disquis. theol. cal. p.* 1. *tit. de clericor. debito.* §. 9. *per tot.* Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n* 66. Azor *p.* 2. *l.* 8. *q.* 13. *q.* 3. citans Gig. *de pens. q.* 62. *n.* 10. acdicens, ex usu Curiæ Rom. receptam opinionem contra Castrop. *loc. cit.* tenentem, posse in hoc casu titularem relinquere pensionem insolutam, tum quia sub ea conditione nimirum perceptorum fructuum constituta pensio censeatur, tum quia annua pensio est onus reale annexum fructibus annuis. Item contra Castrens. *cons.* 338. *vol.* 1. Felin. *in c. ad audientiam* 2. *de re-*

de rescrip. Bellonz. *de subsid. charit. q.* 34. Gozadin. *cons.* 83. & alios apud Azor. censentes, non deberi fructus in hoc casu, si fructus assignati taxationis gratiâ (qualiter communiter assignati solet pensio) & non demonstrationis gratiâ; tunc autem censeri assignatos taxationis gratiâ, quando unicâ oratione dicitur, ut pensio huic vel illi solvatur ex fructibus certi beneficii; tunc verò censeri assignatos demonstrationis gratiâ, quando primò dicitur, ut tanta pensio solvatur, & dein exprimuntur fructus, ex quibus solvi debeat, v.g. dum dicitur: *Solvas Titio pensionem centum aureorum*; & dein dicitur: *hanc pensionem solvas ex fructibus beneficii illius.* Rationem responsionis nostræ Azor dicit valde favorabilem tanquam piam, dum pensio reservata in alimentum clerici, alimenta autem, ut Barth. *in l. lucius. ff. de alimen. v. cibar. leg.* debeantur integra, etiamsi sint assignata in certo fundo, ex quo tantum non solet percipi, quantum requiritur ad integra alimenta. Præterea ut Azor, Ventrigl. Lott. *loc. cit. n.* 68. sterilitas unius anni compensabilis est ubertate aliorum annorum; unde sicut annis illis fertilibus non est major pensio, sic nec stirilibus illis annis diminuta. Aliam rationem addit Lott. *n.* 67. quòd non solùm urgeat rigor obligationis Cameralis, & favor pensionum, sed etiam quia in his casibus expresè renuncietur cum clausula ampliffima donationis, adeóque imputandum sit illi, qui fortunæ se subjecit. Confirmatur etiam responsio ex eo, quòd etiam successor in beneficio onerato solvere debeat pensiones præteritas, quas beneficiatus antecessor non solverat, & tamen successor ille fructus nullos præterito illo tempore percepit. Item beneficiatus obligatus ad solvendam pensionem, debet eam in primo anno, quamvis secundùm consuetudinem aliquarum Ecclesiarum nullos fructus primo anno percipiat, solvere. Azor *loc. cit.*

6. Respondeo sextò: Si titularis probet, non solùm nullos fructus percepisse, verùm etiam illos fuisse perceptos ab alio prætendente jus vel in illo beneficio, vel super illis fructibus, non tenebitur solvere pensionem, & factâ per illum pensionario cessione jurium contra illum percipientem, manebit elisa actio ipsa personalis contra titularem intensa; cùm non habeat rem, in quam talis actio est scripta: & sic sufficiet, actionem realem cedere. Lott. *loc. cit. n.* 69. citans Ferret. *cons.* 73. *n.* 2. Bursat. *cons.* 391. *n.* 17. Put. *decis.* 10. *n.* 7. *l.* 1.

7. Respondeo septimò: Si titularis excipiat, ac probet, non quidem omnes, sed tantùm partem fructuum per alium occupatam seu perceptam, fructúsque, quos ipse percepit, esse insufficientes pro solvenda pensione, seque offert paratum contra illum cedere pensionario actionem, manet adhuc elisa contra eum actio ipsa personalis. Si verò non probet, fructus, quos ipse percepit, esse in hoc insufficientes: tunc, quamvis etiam absque cessione, possit pensionarius instituere actionem realem contra illum alium percipientem; non tamen cogitur ad hoc, sed adhuc potest personalem illam actionem dirigere contra titularem, eò quòd, licèt illud sit onus ejus, qui fructus percipit, nihilominus ipso onere non soluto, sequitur onus fundum suum; & sic datur optio agendi vel contra percipientem fructus, vel contra possessorem fundi, & sic contra titularem. Lott. *loc. cit. n.* 70. citans Gig. *q.* 39. *n.* 11. & *q.* 43. *n.* 1. & Rot. *decis.* 176. *n.* 3. *p.* 2. *recent.* De cetero ad casum, ubi titularis non excipit, se non percepisse fructus, vel eos non esse sufficientes, sed probat, se sustinuisse onera illis imposita, intenditque, pensionarium ad illa pro rata teneri, ad hoc inquam respondendum ex antecedentibus, ubi quæsitum, ad quæ onera solvenda teneatur pensionarius.

Quæstio 551. *Dum in aliquibus Ecclesiis vigore statuti, vel alterius concessionis novi Canonici, imò vel primis duobus annis non percipiunt fructus Canonicatuum suorum, sed hi omnes, vel eorum medietas cedit Capitulo, in usum fabricæ v. g. impendenda, vel etiam inter ceteros Canonicos distribuenda, an isti noviter provisi de Canonicatibus gravatis pensione nihilominus solvere debeant pensionem?*

REspondeo: Capitulum tunc teneri illam pensionem solvere. Guttier. *qq. can. l.* 1. *c.* 1. *n.* 114. & 223. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 210. in eo casu, nimirum, si dicti canonicatus distinctos & peculiares reditus habent. Idque non solùm, quia pensio onus reale est impositum fructibus, unáque cum illo etiam transeat ad percipientem, sed, quæ specialis est ratio, quia percipiuntur hi fructus à Capitulo non jure proprio, sed tanquam alterius, ad quem spectabant ratione præbendæ & residentiæ. Unde etiam, ait Garc. contrarium fore, seu Capitulum non teneri solvere pensionem, si statutum ita sonaret, ut Canonicus novus primo anno non lucretur fructus. Plura circa hoc *quæst. post hanc* 2.

Quæstio 552. *Quis teneatur solvere pensionem beneficio pensione gravato vacante?*

REspondeo: Ecclesiam percipientem fructus; eò quòd pensio onus sit reale fructibus beneficii annexum. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 10. (ubi etiam idem affirmat, dum Rector beneficii est à paganis vel hostibus captus) Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 2. Guttier *qq. can. l.* 1. *c.* 1. *n.* 116. ubi etiam, quòd, si Ecclesia sit collegiata, ejus Capitulum conveniri possit. Unde etiam, si vacatio sit diuturna, dandus ei œconomus seu curator, à quo solvenda pensio. AA. ijdem. Sic etiam sequestrato beneficio, solvenda pensio à sequestro. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 189. ex Gig. *q.* 72.

Quæstio 553. *An igitur etiam, dum pensio (idem est de aliis oneribus) constituta super fructibus beneficiorum non habentium distinctos & speciales sibi assignatos reditus, sed participantium de massa & mensa communi Ecclesiæ (idem est, dum super distributionibus quotidianis statuta pensio) solvenda à Capitulo pro tempore vacationis beneficii, vel etiam, quo beneficiatus propter absentiam, aliúdve impedimentum, eos non fuit lucratus, Capitulo eos interea percipiente jure, ut vocant, accrescendi?*

1. REspondeo: Graviter in hoc inter se dissidere AA. nam non teneri ad hoc Capitulum, docent Guttier. fusissimè *qq. can. l.* 1. *c.* 1. à *n.* 120.

à n. 120. Tolet. *in sum. l. 1. c. 13. n. 13.* Monèta *de distrib. p. 3. q. 8. n. 17.* Nav. *cons. 1. de solut. pens.* apud Castrop. quam sententiam communiter teneri in Hispania, ait Garc. *p. 1. c. 5. n* 208. Fundant se in eo hi AA. quòd Capitulum in eo casu omnes distributiones tam præsentium quàm absentium (idem est de massa communi fructuum) recipit inter præsentes dividendas, uti & fructus illos vacantium præbendarum; pensio autem non sit imposita super cumulo fructuum omnium præbendarum, quia non est imposita super omnibus præbendis, sed super hac vel illa tantùm, adeóque ante divisionem illam fructuum Capitulum non est gravatum pensione, aliisve illis oneribus; dum verò dividuntur hi fructus, singuli suam quotam participant seu lucrantur, non jure alieno, seu non fruuntur illis tanquam alienis, sed singuli jure proprio suæ præbendæ, super qua non est reservata ulla pensio, in vi juris accrescendi seu non decrescendi; unde & fructus illi, quos dicto tempore participant existentes & præsentes, non sint fructus præbendarum illarum vacantium, aut possessarum per absentes, dum præbenda vacans in hoc casu, dum speciales nulli assignati sunt reditus, nullos fructus, uti nec præbendæ absentium nullas distributiones habent, sed qui illius præbendæ fructus essent, si ea possessorem residentem haberet; adeóque jam etiam nullus illorum participantium dictos fructus obligatur pensionario ad solvendam pensionem. Quin & hinc cessat ratio, ut Garc. *p. 1. c. 5. n. 209.* & Guttier. *loc. cit. n.* 123. militans in pensionibus impositis super fructibus beneficiorum habentium fructus in absentia, vel tempore vacationis; dum nimirum reditus suos distinctos habent, utpote qui fructus transeunt cum suo onere, si ad aliquem jure speciali pertineant. Et hinc, ut libenter admittunt hi AA. ex illis à Capitulo perceptis debetur pensio, prout dictum *quæst. ante hanc 2.* & uti id servatur in pensionibus impositis Episcopatibus, quas solvit Camera Apostolica, fructus illorum percipiens tempore vacationis. Et hanc sententiam, uti & Capitulum ad non solvendam pensionem, consuetudine etiam immemoriali juvari posse, ait Gutt. *loc. cit. n.* 120. cùm rarò à Capitulis petatur hujusmodi pensio, sed à modernis possessoribus.

2. Econtra teneri adhuc in hoc casu Capitulum solvere pensionem, tenent Tond. *p. 1. c. 35. n. 13.* & 14. citans Mareschot. *var. resol. c. 18. n. 50.* Castrop. *p. 2. de horis can. d. 3. p. 7. n. 11.* citans Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 53. n. 177.* Bonac. *d 2. q. 6. p. 3. n. 9.* Nav. *cons. 3. de solut. pens. n. 3 in fine*, quem dicit, mutasse sententiam, quam amplexus fuerat *cons. 1.* Rubium &c. Item Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 44.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 20.* dicens hanc sententiam veriorem & conformiorem, & in praxi servari. Lott. *l. 1. q. 39. à n. 33.* Garc. *p. 1. c. 5. à n. 214.* Conrad. *pr. benef. l. 5. c. 7. n. 1.* addens, non posse Capitulum in hoc casu ullo modo excusari, etiamsi dicat, quòd nunquam solverit. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd, cùm Papa reservet pensionem super fructibus istiusmodi & distributionibus alicujus præbendæ, non considerat, an præstetur servitium, nec ne, per præbendatum illum, sed simpliciter onerat illos fructus & distributiones; unde pensio non debetur pensionario propter servitium & præsentiam possidentis præbendam, seu beneficium illud, sed ex pura gratia Papæ, jam antecedenter ad divisionem illorum fructuum inter præsentes efficientis illos, ac proinde jam persona illius titularis, illiúsque servitium in hoc casu considerationis nullius esse debet, nec mors, nec absentia illius potest esse damnosa pensionario, clarúmque sit, quòd Capitularibus per hoc accrescere non potuit, quàm absens vel mortuus Canonicus, si interesset ac viveret, lucrari posset; cùm Capitulum succedat loco beneficii non præsentis vel mortui, adeóque, sicut beneficiatus ipse non potest sibi lucrari pensionem, sed ex lucratis distributionibus tenetur eam solvere, sic & Capitulum. Quapropter capitulum jam obligatum erit ad solutionem pensionis, si in se velit retinere, aut aliis interessentibus applicare illam partem fructuum, quæ beneficiato gravato, si astitisset aut supervixisset, esset concedenda; cùm illa pars fructuum indeterminatè à cumulo fructuum ex voluntate Papæ sit extracta, & ad pensionem applicata ex gratia Papæ independenter à servitio possessoris. Gonz. Ventrigl. Lott. Conrad. Castrop. *ll. cit.* quorum postremus quoque ait, hanc intentionem dicto modo reservandi pensionem ex eo manifestè colligi, quòd Papa in reservatione pensionis intendat providere certò & infallibiliter sustentationem pensionario; hæc autem certitudo & infallibilitas recipiendi pensionem non subsistat, si eam pensionarius non possit obtinere à Capitulo percipiente fructus & distributiones tempore, quo beneficiatus non existit, aut non interest. Siquidem si dicatur beneficiatum ipsum, dum existens non interest choro, personaliter obligatum esse, adhuc manet insecuritas; cùm hic non percipiens fructus sui beneficii, aliundè sæpe non habet, unde solvat; ex alia autem parte fructus sequestrare nequeat; item hæc ipsa ejus obligatio sit dubia propter contrarias sententias. Accedit, quòd secundùm hanc sententiam declaraverit Clemens VIII. & Rota sæpissimè, uti hanc ipsam declarationem, & Rotæ decisiones, præcipuè illam *in Romana pension. 4. Junij 1593.* (quam etiam ad fusum legere est apud Garc. *p. 1. c. 5. n.* 214.) referunt idem Garc. Castrop. & de iisdem testantur Gonz. Lott. &c. qui, uti & Ventrigl. *loc. cit.* censent, nullam valere in contrarium consuetudinem. Et ad hoc ipsum reflexisse videtur Guttier. contrariæ sententiæ fautor potissimus, dum *loc. cit. n.* 123. prope finem, post fusè probatam sententiam suam, dilutásque rationes in oppositum subjungit: *Post primam hujus operis editionem accepi, Romæ in hac quæstione diversum censeri, & instanter agi nomine Ecclesiarum Hispaniæ, ut in hac causa in Rota disputetur, & in earum favorem decidatur, ideóque in re hac me subjicio declarationi Sedis Apostolicæ, sacrique palatij Auditorum.*

3. Illud hìc singulariter notandum, quòd, dum sermo est de iis oneribus singularibus, ac propriis præbendæ vacantis, quæ ei ex natura ipsius adhærent, v. g. dum Cantoria (quæ dignitas plerumque confertur personæ gravi, quæ hoc onus regendi chorum, incipiendique cantus ipsos per seipsam subire nescit, aut non vult) opus habet substituendi succentorem, qui id munus exequatur expensis Cantoriæ: vel dum præbendæ annexum est onus solenniter cantandi aliquoties sacrum, vel ministrandi &c. hæc inquam onera & servitia necessaria ipsarum præbendarum à capitulo tempore vacan-

vacantiæ vel absentiæ percipiente illarum fructus solvi debere; eò quòd sic demum lucretur fructus illos, si pro dicta præbenda inserviat, tradunt etiam ipsi AA. aliàs contrarii, seu negantes id de aliis oneribus, pensionis, subsidii &c. Guttier. *loc. cit. n.* 126. citans Joan. Copi *tr. de fructibus. tit. 3. c. 3. n. 3. vol. 8.* Quare, ut subdit idem Guttier. *n.* 127. iniquè, & contra jus expensæ seu salaria horum onerum durante vacaturâ illius præbendæ causata & debita successori imponuntur, atque, ut ea solvat ex propriis fructibus, cogitur. Nec consuetudine antiquâ justificari aut colorari posse existimo; cùm potiùs sit corruptela & violentia, ac in grave damnum ac præjudicium novorum residentium, qui maximâ paupertate primis annis laborant, & debitis privantur &c. Idem etiam de expensis factis in aliis pro electione facienda promovendorum ad præbendam vel dignitatem vacantem, nimirum illas solvendas ex fructibus præbendæ vacantis, quos percipit capitulum, & non computandas postea electis, tradit idem Guttier. *loc. cit. nu.* 129. *& seq.* quem vide de hit pluribus.

Quæstio 554. *An igitur stante hac posteriore, seu affirmativâ sententiâ, obligatio solvendi pensionem incumbat solum capitulo, an verò singuli de Capitulo, nempe residentes, ad quos pervenerunt fructus & distributiones illæ præbendæ illius vacantis, aut possessoris absentis teneantur ad solutionem pensionis, pro parte quam percipiunt?*

1. REspondet sub distinctione Garc. *p. 1. c. 5. à. n.* 222. ut, dum Ecclesia aliqua patrimonium habet indivisum inter illam & capitulum, ex quo dantur reditus & quotidianæ distributiones ejus ministris, seu beneficiatis singulis in certa & definita quantitate, ita ut portio absentis remaneat in mensa communi, seu massa redituum Ecclesiæ, dividenda per capitulum inter beneficiatos residentes & interessentes pro rata, ita, ut jus accrescendi immediatè sit penes Ecclesiam, & non nisi hac ratione mediatè penes singulos beneficiatos; dum inquam res sic constituta est, obligationem solvendi pensionem principaliter incumbere capitulo tanquam distributori seu dispensatori mensæ communis; & non teneri singulos in particulari, qui prædictos fructus & distributiones à capitulo percipiunt; eò quòd ad illos non spectet dicta distributio & debitum capituli, seu à capitulo, ut Gonz. *ad reg. 8. gl. 37. nu. 26.* juxta *l. sicut. ff. quod cujusque univers. nomine.* non sit debitum à singulis. Quamvis tamen, ut idem Garc. *loc. cit. num.* 223. in hoc casu possit agi contra singulos, seu unumquemque actione hypothecariâ, uti possessores illius partis, quamdiu fructus ipsos & distributiones non consumpserit, sed eos habeat in specie, etiam non factâ excussione contra capitulum pro parte pensionis eos contingente, & absque eo, quòd possint habere recursum contra ipsum capitulum pro ea parte, quam solverint; cùm pars fructuum & distributionum præbendæ vacantis aut possessæ per non residentem vel absentem concernens pensionem fuerit eis à capitulo absque necessitate indebitè distributa.

2. Econtra dum Ecclesia patrimonium divisum habet in duas partes, quarum una ipsius Ecclesiæ, ad ejus fabricam, vestes, aliáque necessaria determinata, altera pertinens ad mensam capitularem inter interessentes in determinata singulis quantitate dividenda, ita ut portio absentium, vel non existentium singulis immediatè accrescat, & ad eos spectet, absque eò, quòd immediatè transeat in patrimonium & dominium Ecclesiæ ab ea dividenda in singulos, pensio solvi debeat ab eorum singulis, seu à singulis facienda hunc in finem restitutio pro rata perceptorum horum fructuum seu distributionum, etiamsi eos consumpserint, eò quòd hi fructus videantur illis accrescere non nisi cum hoc onere pensionis, aliísque similibus. Garc. *n.* 225. citans Navar. *cons. 54. num. 1. de sent. excom.* Henriq. *in sum. l. 7. c. 36. §. 3.* vide de hoc pluribus Garc. *p. 3. c. 2. n.* 444.

Quæstio 555. *An, & qualiter solutio fieri debeat per alios quoque successores, qui successores non sunt in titulo beneficii, sed in perceptione fructuum: & in specie per Cameram Apostolicam, dum ea titularem defunctum spoliavit: vel etiam ab alio, cui fortè Papa fructus illos ad Cameram spectantes donasset?*

1. REspondeo ad primum generaliter: Deberi solvi per quemcumque etiam alium successorem tantùm in perceptione fructuum beneficii gravati, eò quòd hoc onus, ut dictum aliquoties, sequatur fructus, quibus impositum, & hinc clausula: *& successores suos*: posita in reservatione pensionis non tantùm intelligenda de successoribus in titulo, sed & in fructibus percipiendis. Corrad. *in pr. benef. l. 5. c. 7. n. 1.* hinc

2. Respondeo ad secundum: dum fructus à die mortis titularis gravati pertinent ad Cameram Apostolicam, tenetur ipsa Camera solvere pensionem pro rata temporis, quo gavisa fructibus, eò quòd, qui succedit in commodo, debeat pariter succedere in onere. Gonz. *gl. 5. §. 5. n. 52. & 53.* citans Gig. *de pens. n. 65.* Burlat. *cons. 361. n. 24. l. 4.* Item Corrad. *loc. cit. n. 3.* Paris. *l. 1. q. 8. n. 23.* subdens *n.* 24. in Francia tamen à tempore apertæ regaliæ, seu à die vacationis Episcopatuum usque ad subrogationem novi Episcopi non solvi pensionem, sed integros fructus solvi Regi.

3. Respondeo ad tertium: si Papa de fructibus ad Cameram spectantibus donationem fecisset successori (idem est de alio non successore in titulo beneficii) dubium non est, teneri illum ad solutionem pensionis, priùs seu ante hanc donationem decursæ, eò quòd, licèt isti fructus non possint dici percepti ex beneficio, prout requiritur ad effectum, ut remaneant obligati tanquam beneficiales, & Donatarius principis efficiatur securus contra omnem hypothecam *l. bene à Zenone. c. de quadrien. præscrip.* tamen, quia hoc casu successor sentit commodum, sentire debet & onus. Et ita, sive Papa donare voluerit cum onere, sive sine illo; si enim priùs, utique tenebitur; si secundum, etiam tenebitur; cùm habeat regressum ad Cameram. Lott. *l. 1. q. 44. n. 20. & 21.*

Quæstio 556. *An, & qualiter gravati successor in titulo beneficii solvere teneatur pensiones, præcipuè decursas tempore antecessoris sui?*

1. REspondeo primò in genere: Onus solvendi pensionem transit & pertinet ad successo-

rem in beneficio, super cujus fructibus imposita pensio. Unde ex communi stylo apponitur in literis reservationis: *per dictum modernum, vel ejus in eadem Ecclesia successorem singulis annis* &c. Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 30. *&* 31. cum communi. Imò idipsum procedit, etiamsi in literis Apostolicis reservationis pensionis nihil de successoribus dictum fuisset. Paris. *ibid. n.* 36. citans Caccialup. *de pens. q.* 9. Ferret. *cons.* 319. *num.* 4. *&* 5. *l.* 2. &c. tum, quia pensio est onus reale, sicut decimæ, census, collectæ, adeóque transit cum re, & sic nascitur actio realis, nempe hypothecaria contra possessorem beneficii & fructuum; tum quia successor acceptando consensit, unde nascitur actio personalis contra eundem. Paris. *loc. cit. n.* 36. *juncto n.* 30.

2. Respondeo secundò: pensionem solvendam inter antecessorem adhuc superstitem & successorem in beneficio pro rata temporis, quo quisque possedit beneficium, & gavisus est fructibus, non habitâ considerâtione temporis, quo erat solvenda, quòd fuerit, vel non fuerit maturatum. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 190. citans Mohed. *decis.* 6. *de locato.* Rot. ni Roman. *pens.* 22. *Junii* 1598. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 7. Hinc quia, ut dictum aliàs, resignans, tenetur ad pensiones decursas usque ad diem renunciationis. Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 18. & resignatarius, seu successor per resignationē à die collati sibi & possessi beneficii. Paris. *loc. cit. n.* 51. Hinc inquam defuncti titularis hæredes & novus successor pro dicta rata tenentur solvere pensionem. Lott. *l.* 1. *q.* 44. *n.* 29. & quòd dictum hac in parte de hæredibus, idem dicendum de Camera Apostolica, ubi eâ mediante spolio successit defuncto. Ventrigl. *loc. cit. n.* 7. in fine. Lott. *loc. cit. nu.* 20. Atque ita successor in his casibus non solvit pensionem vel pensionis partem decursam tempore sui prædecessoris, sed solùm decursæ suo tempore.

3. Respondeo tertiò: Primariò & directè ad solvendas pensiones decursas obligari antecessorem, si adhuc vivat, aut si mortuus est, ejus hæredes, & successorem solùm obligari in subsidium. Hinc si dictus antecessor, aut eo mortuo, ejus hæredes conveniri possint, conveniendos esse pro decursæ pensionis solutione, antequam successor in beneficio conveniatur; quia æquum non est, hunc successorem, qui nullos fructus percepit, ante hanc titularis ipsius aut hæredum ejus excussionem conveniri. Facta autem hac excussione beneficiati aut hæredum, adhibitisque diligentiis contra illos, posse pro solutione ad successorem recurri, & hunc teneri solvere; tum quia æquum non est, pensionarium privari jure suo; tum quia successor hic suscipiendo beneficium gravatum, suscepit simul obligationem solvendæ pensionis, non solùm pro tempore, quo ipse fructus ex illo percepturus est, sed & pro tempore, quo ejus antecessor percepit fructus, & ex illis pensionem non solvit. Ita sentiunt Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 4. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 109. & ex eo Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *nu.* 4. iisdem ferè verbis, nimirum: quòd regula illa: quòd pensionarius agere possit contra successorem in beneficio pro pensionibus decursis seu præteritis, procedat, dum pensionarius fecit diligentiam contra prædecessorem, ejúsve hæredes, eò quòd, licèt à se firmatum sit, successorem teneri in solidum, hæc tamen ejus obligatio pro tempore, quo prædecessor percepit fructus, sit veluti accessoria & subsidiaria, ac proinde non habeat locum, nisi postquam constiterit, principalem debitorem, vel ejus hæredes non esse solvendo; cùm in hoc habeatur respectus ad fructus, quos annuatim is perciperet, quamvis Lott. *loc. cit. n.* 89. dicat, si citra omnem justificationem diligentiæ factæ contra antecessorem, vel ejus hæredes, vel etiam citra diligentiam hanc additam, successor de facto solverat pensionem, non censeri solutum indebitum, ac propterea eum non posse solutum repetere. Idem sentiunt Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 199. dicens, quòd quidquid aliàs à Rota tenetur, eam jam tenere, successorem teneri, si factæ fuerint diligentiæ contra prædecessorem, aliàs non, citátque pro hoc plures ejusdem valde claras decisiones, ac demum *n.* 204. subjungit, hanc sententiam videri sequendam tanquam stylum Rotæ, qui facit jus etiam extra Curiam, quamvis oppósita sententia Gigantis in rigore & puncto juris verior videatur. Eandem sententiam tenent Toud. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *nu.* 63. *juncto n.* 64 Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 73. &c. dum expressè dicunt, dari actionem contra successorem, ubi pensionarius facit fidem de diligentiis per eum factis pro consequenda solutione adversùs antecessorem seu priorem beneficii possessorem ejusve hæredes; si verò de illis diligentiis docere nequeat, non posse eum agere contra successorem in beneficio. Contra Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 14. ubi expressè loquitur non solùm de casu, in quo prior beneficiatus pensiones in utilitatem & commodum Ecclesiæ convertit, sed etiam de casu, in quo antecessor pensiones seu fructus, ex quibus solvendæ pensiones, vel malè consumpsit, vel in suos privatos usus impendit, ac dicit, adhuc teneri successorem solvere pensiones illas decursas; quamvis secus esse dicat, si antecessor eas impendit in utilitatem hæredis, aut eæ adhuc existent apud antecessorem superviventem. Item contra Gigas. *de pens. q.* 39. *num.* 13. Caccialup. *q.* 11. *& alios.* apud Paris. *l.* 1. *q.* 8. *n.* 40. absolutè tenentes, teneri ad pensiones decursas successorem in beneficio, non secus ac possessor fundi tenetur ad decimas prædiales de præterito non solutas. Item contra Gutt. *qq. can. l.* 1. *c.* 1. *à n.* 111. & plures ab eos citatos. Item contra plures citatos à Garc. *num.* 191. sentientes, liberum esse pensionario, vel contra hæredes, vel contra successorem agere, & satius esse, agere contra successorem; quia contra illum executivè procedi possit, contra hæredes non nisi viâ ordinariâ, qui tamen successor, si solverit, habeat regressum seu recursum & actionem contra antecessorem ejúsve hæredes, quin etiam sub hac ipsa conditione hoc ipsum limitat Gutt. *loc. cit. n.* 112. ex Gig. *q.* 62. & Put. *l.* 2. *decis.* 189. *nu.* 5. nimirum, quòd tunc demum possit agi pro pensione præteriti temporis contra novum possessorem, quando is possit recurrere contra hæredes percipientis fructus, secus alàs. Ac denique contra Filiuc. *in append. posth. tr.* 42. *c.* 6. *q.* 13. Gamb. *de off. leg. l.* 6. *num.* 436. apud Lott. *loc. cit. nu.* 98. qui omnino liberant successorem ab onere solvendi pensiones decursas tempore antecessoris, nisi fructus superfint, qui possint ad ipsum pervenire ex beneficio gravato.

4. Ratio, cur successor obligetur (intellige illâ obligatione subsidiariæ) ad solvendas illas pensiones decursas, seu præteriti temporis, etsi fructus illos non perceperit, illa datur à Castropalao *loc. cit.* quòd pensio non annectatur his aut illis determinatè fructibus, sed quibuscunque fructibus beneficii, dum ea soluta non est; uti hoc ex

eo con-

eo confirmat, quòd, dum beneficiatus gravatus pensione uno anno consumit fructus beneficii integros, & non solvit pensionem eo anno, solvere eam teneatur ex fructibus annorum aliorum, utpote qui subrogantur fructibus illius anni, pro quo pensio non soluta. unde pari ratione fructus beneficii collectos tempore antecessoris obligatos esse solutioni pensionis; at quia hi non exstant, subrogari in illorum locum fructus aliorum annorum secutorum, etiam à successore perceptos. Cui potest addi alia ratio à pari juxta dicta in *respons.* 1. nimirum, quòd quemadmodum tenetur possessor fundi ad decimas prædiales de præterito non solutas, ita etiam successor in beneficio ad pensiones ab antecessore non solutas. Deducta est hæc ratio ex iis, quæ tradit Federic. de Senis *cons.* 81. *num.* 4. apud Lott. *cit. q.* 39. *n.* 96. nempe non soluto onere per eum, qui fructus gravatos percipit, illud transire in successores, & consequenter ipsa prædia Ecclesiæ seu beneficii affici, & ideo non denegandam actionem in ipsos fructus tanquam partem rei.

5. Verùm utraque ratio facilè diluitur à Lott. & prima quidem *num.* 90. & 91. ubi: quòd determinatio illa fiat ex natura reciproci; cùm tot sint debita seu præstationes annuæ faciendæ, quot anni, & unumquodque respiciat fructus illius anni, quo debetur, & cum illis reciprocat, siquidem fructus Ecclesiæ deputati sunt pro oneribus incumbentibus toto anno usque ad novos fructus. Neque ad hanc actionem contra successorem inducendam adduci posse exemplum actionis contra hæredem, qui hæreditatem simpliciter adivit, ait Lott. *nu.* 93. eò quòd, cùm hic non agatur de successione in universum, quamvis & satis absonum, ut ait *n.* 94. sit, successionem in beneficiis metiri secundum jus hæreditarium. Alteram verò *nu.* 97. dicendo, id procedere, ubi res ipsa, ex qua fructus percipiuntur, à principio est affecta, ut in tributis ac decimis, quæ sunt onera prædialia, & in quibus terminis loquitur Federicus; at in præsenti non agi de onere aliquo prædiali, sed annuorum fructuum duntaxat. Quapropter ipse rationem aliam dat hisce ferè verbis: quòd, ut insinuatum supra, dum reservatur pensio, titularis non consentiat pro se solo, sed etiam pro suis successoribus, quousque vivit pensionarius, obligando se & suos successores expresè in forma Cameræ; unde ex hoc consensu resultet formalis contractus tam respectu illius quàm successorum, qui licèt efficaciter non obligentur, nisi postquam succedendo ratum habuerint talem contractum, secutâ tamen hac ratihabitione ex simplice acceptatione beneficii, fiat retrotractio ejusdem obligationis ad diem contractûs; cùm hæc sit vis ratificationis, ut retrotrahatur. Proindeque idem sit, ac si omnes successores unà cum ipso titulari à principio pro solvenda pensione constituissent se plures reos debendi in solidum, & omnia bona juráque sua, & consequenter quoscunque fructus beneficii pro solutione hujusmodi hypothecassent; cùm ista sit vis obligationis Cameralis. nec dubium, ratificantem actum nomine suo gestum sub obligatione Camerali censeri etiam ratificasse eum cum hac qualitate, ut maneat obligatus cum hac qualitate. Neque his obstare ait *num.* 105. quòd hæc procedant per fictionem, & in hypothecaria actione id præcipuè quæri, an de tempore hypothecæ contrahens possideat; eò quòd omnis actus, qui habet necessariam consequentiam, fingit retrò actum ex vinculo præcedentis actûs irretractabilis, licèt cum eo non fuerit eodem contextu orta obligatio, & ita in hoc casu fictio bene retrò procedat. Atque ex his jam sequitur, nedum actionem realem, sed etiam personalem dari contra successorem in beneficio pro terminis decursis & non solutis ab antecessore, in casu nimirum adhibitæ & probatæ diligentiæ contra prædecessorem ejusve hæredes. Dum autem movetur actio realis ratione fructuum, non habet locum exceptio defectus hypothecæ, quasi non possint fructus pertinere ad eum, qui consensit, hypotheca enim in præsenti non fundatur super obligatione decessoris, sed super obligatione successoris, cum quo fingitur contractum ab initio. Circa quam actionem hypothecariam illud reflexè hìc notandum, pensionarium non obtinere hypothecam super Ecclesia seu beneficio, illiúsve prædiis, cùm hæc vel sunt extra nostrum commercium, vel per titularem aut Papam minimè obligantur, ut patet ex formula ipsa reservationis pensionis; idque etiamsi dicatur, reservari pensio in causam alimentorum; sed subjectum illius hypothecæ nullum esse aliud quam ipsos fructus. Lott. *loc. cit. à n.* 73. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. nu.* 34. citans Marant. *to.* 4. *controv. resp.* 68. *n.* 46. Gig. *cons.* 35. *n.* 9. Gratian. *discep. for. c.* 94. *n.* 51. &c. Dum verò movetur actio personalis, non est locus exceptioni, quòd sit in rem scripta, & sic in fructus; quia etiam respectu fructuum perceptorum ab antecessore est obligatus successor, utpote qui fingitur unà cum illo constitutus reus debendi à principio. Neque enim Papa recepit eorum obligationes diversimodè, vel ad diversa, sed uniformiter ad eandem pensionem, & sic omnes obligari censentur in solidum.

6. Ut autem sit locus huic subsidiariæ actioni, sive reali, id est, hypothecariæ, sive personali contra successorem, duo constare debent. Primò debitorem seu antecessorem in beneficio, ejúsve hæredes non esse solvendo, ad quod, ut constet, præcisè necessaria non est excussio; sed sufficit aliunde id constare. Lott. *loc. cit. nu.* 112. Alterum, ut non possit excipi contra pensionarium de dolo vel de lata culpa seu negligentia in exigendo pensionem ab antecessore ejúsve hæredibus. Lott. *ibid.* Pro qua culpa statuenda duo casus sunt distinguendi. Primus dum titularis debitor subitò, & ex improviso, rebus ejus eversis, desiit esse solvendo, in quo casu nulla creditori seu pensionario imputari potest culpa, quâ præcludatur ei actio contra successorem, etiamsi cessasset per quodcunque tempus exigere; cùm non sit statutum tempus ad exigendum, adeóque libens ac volens differre possit exigere. Lott. *n.* 113. & 114. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. num.* 42. Secundus, dum debitor paulatim sensimque, decoquendo sua, redigitur ad impotentiam solvendi, & in hoc casu negligentia in exigendo nocet creditori seu pensionario, utpote qui videns debitorem paulatim deficere, tenebatur exigere, & agere contra illum, si volebat integram sibi servare actionem contra successorem. Lott. *nu.* 117. Ventrigl. *loc. cit.* Nihilominùs & in hoc etiam casu excusabitur adhuc pensionarius à culpa & negligentia in exigendo à prædecessore, ac proinde liberè agere poterit contra successorem nullis factis diligentiis, si in vita illius contra ipsum, aut etiam post mortem illius contra hæredes illius agere non potuit, nimirum impeditus vel impedimento juris, puta, quia nondum cessit dies solutionis;

lutionis; vel impedimento facti, puta, absentiâ, incarceratione & simili, vel ignorantiâ, ut quia pensio fuit absenti reservata, hoc inquam casu excusabitur pensionarius, etiamsi (ut habet æquior sententia, quam tenent Surdus *cons.* 268. *n.* 42. & Rota apud Verall. *decis.* 73. *nu.* 1. *p.* 2.) non fuerit protestatus. Lott. *à nu.* 122. 123. 124. *juncto. nu.* 130. Ventrigl. *loc. cit. n.* 42. Modò tamen impedimentum non fuerit de facili removibile, vel affectatum, seu indutum propriâ culpâ impediti, quale censebitur, si non fuerit justificatum (cùm impedimentum non præsumatur) & quidem ex hac circumstantia, sive cum hac qualitate, quòd non potuerit removeri, adeóque vel fuerint adhibitæ omnes diligentiæ, vel non potuerint adhiberi ad removendum illud. Lott. *à n.* 126. Ventrigl. *cit. n.* 43.

7. Porrò, pensionario agente contra successorem pro terminis præteritis pensionis, diligentiæ adhibitæ, utpote actus positivus (sicut è contra negligentia est actus negativus, ac ideo reo neganti sufficiat negare, ut Pacian. *de prob. l.* 1. *c.* 50. *n.* 5.) justificari debent. Lott. *n.* 120. Ventrigl. *n.* 44. Et quidem quòd factæ sint tempestivè satis; licèt enim non imputetur negligentia ex supervenientia diei solutionis, sive quòd pensionarius exspectarit aliquantùm post diem hunc (siquidem nimia festinatio creditoris cum sacco parato molesta & incivilis reputatur) arbitrabitur tamen prudens judex, an nimia fuerit in hoc pensionarii socordia. Lott. *à nu.* 134. subjiciens *nu.* 138. non vacaturum culpâ ex hac parte creditorem seu pensionarium, si ultra diem solutionis differat exactionem saltem plusquam 6. mensibus. Item justificari debet, diligentias factas debito modo, hoc est, judicialiter & validè: sicut enim non relevant factæ extrajudicialiter (cùm extra judicium nulla detur legitima coactio) ita nec factæ judicialiter quidem, sed nulliter, etiamsi usque ad censuras processum, utpote quæ suppositâ nullitate impunè contemnuntur. Lott. *à n.* 140. Ventrigl. *nu.* 44. nisi fortè (ut hoc limitat Lott. *nu.* 144. & ex eo Ventrigl.) notoriè constaret, plus potuisse operari diligentias extrajudiciales, puta preces (quas adhibitas, justificandum quoque) quàm actionem judicialem, v. g. si ageretur cum eo debitore, contra quem procedi non posset ad capturam personæ, quique paratus esset pati quascunque censuras priùs, quàm pensionem solvere. Ac denique justificandum, diligentias ab omni parte absolutas & perfectas, tam ratione terminorum omnium, de quibus agitur; quàm ratione continuationis, nimirum illas non intermissas, usque ad id, quod extremum est jurisdictionis, nempe executionem; quin & ad excussionem personarum, quæ excuti possunt, id est, tam ipsum debitorem (si hic vivens excuti potuit) quam eo defuncto hæredem illius, utpote in quem æquè datur actio personalis. Lott. *à n.* 145. Procedunt hæc omnia de necessitate diligentias adhibendi & probandi adhibitas non solùm, si intendatur contra successorem judicium executivum literarum reservationis pensionis; sed etiam si agatur ad regressum. Ventrigl. *n.* 45. Lott. *n.* 151. *& seq.* quem vide.

8. Præter has diligentias adhibitas & probatas, ut procedere possit pensionarius contra successorem pro terminis præteritis, necessarium insuper esse, ut successori legitimè intimatæ fuerint originales literæ reservationis pensionis, aut earum transumptum ex registro Bullarum, vel ex Camera Apostolica, aut obtenta sit commissio à Signatura justitiæ, in qua committatur Auditori Cameræ, ut literas in monitorio insertas intimari faciat, & intimationem in hunc modum factam, ac si literæ ipsæ originales intimarentur, valere decernat, tradit Ventrigl. *loc. cit. nu.* 38. citans Salust. Tiber. *in pract. Judic. Auditor. Cam. l.* 3. *c.* 2. *in principio*, ac remittens ad Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 2. *n.* 98. verùm, ut Ventrigl. subjungit *n.* 39. ex Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 576. & ex eodem Tiber. *loc. cit. n.* 34. hæc intimatio deservit, ut contra titularem agi possit ad declarationem incursûs pœnarum & censurarum, de quibus in literis reservationis; sed de hoc infrà, ubi de pœnis non solventium pensionem.

9. Denique illud hîc notandum, quòd, ubi probatis istiusmodi diligentiis & quocunque casu, Judex compellit successorem in beneficio ad solvendos terminos pensionis decursos in vita decessorum, cavere debeat, ut remaneat illi titulari successori congrua seu portio debita, v. g. Episcopo mille, rectori seu parocho centum, ita ut illa imprimis & ante omnia deducatur; quamvis secus sit, & ista deductio locum non habeat, ubi agitur de solutione terminorum cedentium tempore ipsius successoris. Lott. *cit. q.* 39. *n.* 150. Ventrigl. *loc. cit num.* 48.

Quæstio 557. *An igitur etiam, dum pensionarius per tres plures ve annos literas Apostolicas super reservata sibi pensione super beneficio Titii non expediverit, Titio interim mortuo, Cajus successor Titii teneatur pensionario illi tunc demum expedienti literas solvere pensionem trium aut plurium illorum annorum?*

1. Respondet affirmative Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 10. citans Gig. *de pens. q.* 40. inhærens principio generali, nimirum, quòd pensio onus sit reale beneficio impositum transiens ad quemcunque in beneficio successorem, adeóque non obstet, quòd successor ille fructus præteritorum annorum non perceperit; cùm satis sit, quòd habeat & possideat beneficium tali onere gravatum; uti nec obstet, quòd pensionarius per annos illos literas reservationis suâ culpâ non impetraverit; quia eo ipso, quòd Papa ante tres vel plures annos illos pensionem annuam reservaverit, debentur ei pensiones illorum secundùm conscientiam.

2. Verùm meliùs & rectiùs respondet negativè Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. *§.* 6. *n.* 10. eò quòd pensionarius ante expeditas literas exigere non potuit à Titio pensionem sub pœna excommunicationis; nec hic eam illi debebat pro tempore non expeditarum literarum, ac consequenter multò minùs eam exigere possit à successore Titii, etsi interea jam literas expedivisset. Adde, gratiam reservationis pensionis ipso jure esse nullam, si infra 9. menses à die supplicationis pensionarius non expedivit literas, ob clausulam à tempore Clementis 8. addi solitam.

Quæstio 558. *An igitur etiam, si titularis non solverit per* 3. *vel plures annos; eò quòd literæ quidem expeditæ à pensionario, ei tamen præsentatæ non fuerint, teneatur successor ostensis ei literis solvere pensiones decursas illis annis tribus vel pluribus præteritis?*

Respon-

Respondeo, responsione pendere ex eo, an ipse titularis obligatus fuisset illos tres annos elapsos solvere, si ei præsentatæ fuissent dictæ literæ in fine tertii anni. Ad quod affirmativè respondet Corrad. *in pr. benef. l. 5. c. 7. n. 24.* teneri illum in conscientia ad hoc; eò quòd clausula in literis apponi solita: *postquam tibi literæ præsentata fuerint*; non suspendat obligationem, sed solutionem tantùm & actionem; quapropter tenebitur successor pensiones illas insolutas solvere, intellige obligatione illâ subsidiariâ, si hæredes defuncti non sint solvendo.

Quæstio 559. An, & qualiter beneficiatus teneatur solvere pensiones decursas inexactas pensionario mortuo?

1. Respondeo primò: Camerales prætendere, & de facto practicare, ut ad instar fructuum inexactorum beneficii, pensiones quoque non exactæ à pensionario defuncto cedant sub spolio, & spectent ad Cameram, refert Card. de Luc. *de pens. d. 28. n. 3.* Verùm quidquid sit de hoc,

2. Respondeo secundò: Quamvis pensio extinguatur morte pensionarii, & non transmittatur actio ad hæredes pensionarii ad pensiones non decursas exigendas imposterum: quamvis etiam fructus beneficiorum non exacti non transeant ad hæredes ex testamento vel ab intestato, sed hi remaneant in dominio Ecclesiæ, ut Tond. *qq. benef. p. 1. 22. n. 2.* pensiones tamen non exactæ ad hæredes transeunt, & eis debentur, faciendáque est inter eas & fructus beneficii hac in parte differentia, Tond. *loc. cit.* citans Mareschot *l. 2. var. resol. c. 2.* & Gig. *de pens. q. 52.* Et idem supponit Lott. *l. 1. q. 44. n. 16.* ubi, quòd transmittatur actio ad hæredes pensionarii pro rata fructuum perceptorum, ut *quæst. seq.*

Quæstio 560. An, & cui beneficiatus teneatur solvere pensiones, pensionario mortuo ante maturitatem termini, seu antequam adveniat dies pensionis solvendæ?

1. Respondeo: Solvenda per beneficiatum hæredibus pensionarii, vel alteri, qui in hoc succedit, non præcisè pro rata temporis, quo vixit pensionarius, sed pro rata fructuum, tempore, quo vixit pensionarius, perceptorum per beneficiatum ad instar simplicis usufructûs; ita ut, si pensio fuerit imposita tam super fructibus quàm distributionibus, attendi debeat quantum de fructibus perceperit, vel propter illorum maturitatem percipere debuerit, aut potuerit possessor beneficii onerati pensione; similiter & quantum ex aliis emolumentis & distributionibus, super quibus pensio imposita est & ad ratam, & proportionem illorum pensio hæredibus pensionarii sit adjudicanda, nulla interim habitâ ratione seu curato ordine terminorum, quibus solvenda pensio, & an unus dici debeat anticipatus, alter posticipatus, cùm, quod illi statui solent, concernat solùm commoditatem titularis, commodioremque, ut inquit Card. de Luc. *mox citando loc.* solutionem, tam respectivè titularis quàm pensionarii, ut nimirum, nec hic exigere possit pensionis partem, antequam fructus colligantur, iste alteram partem non teneatur solvere, nisi post fructus jam collectos, intellige, naturales. Unde si mortuus pensionarius eo tempore, quo possessor beneficii gravati pensione perceperat jam omnes seu integros fructus, seu unius anni recollectionem, integra pensio debeatur hæredibus defuncti, v. g. si pensio reservata seu constituta 10. Maji, & pensionarius mortuus 25. Octob. quo jam recollecti fructus omnes in aliqua regione, debeatur ejus hæredibus totius anni pensio, & sic quoque integer terminus solvendus erat festo Nativitatis Domini. sic econtra (quem casum affert Tond. *loc. paulò post citando, n. 7.*) si pensio reservata, v. g. 25. Octob. quo jam vindemia collecta, & pensionarius mortuus, v. g. 3. Julii, quo necdum collecta messis, non debetur hæredibus pensio, nisi pro rata fructuum perceptorum à die 25. Octob. ad 3. Julii (supponuntur enim alii anni præteriti terminati illâ 25. Octob. jam soluti) quæ erit admodum exigua quantitas, dum fructus, super quibus imposita pensio, consisterent tantùm in frumento & vino; si verò beneficium gravatum haberet quoque fructus aliquos civiles, puta locagia ædium &c. & ex his perceptum interea, pro rata hujus perceptionis à 25. Octob. ad 3. Julii debebitur portio pensionis hæredibus. Ita tenent Tond. *qq. benef. p. 1. c. 22. à n. 7.* citans Caccialup. *de pens. q. 25.* Tusc. *lit. P. concluf. 267. nu. 8. & 9.* Monald. *cons. 107. per tot.* &c. ac dicens, hanc sententiam sequendam; cùm eam tandem post longum examen secuta fuerit Rota apud Durand. *decis. 448. per tot.* Idem Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3. nu. 8.* citans Ricc. *in pr. p. 3. resol. 268. n. 1. & 2.* Bellet. *disq. cleric. p. 1. tit. de bon. clericor. §. 18.* postquam idem Ventrigl. *n. 7.* præmisisset, idem esse, dum beneficiatus quoque mortuus est, nempe tunc pensionem solvendam ab hæredibus defuncti titularis pro rata fructuum perceptorum, nempe tum à dictis hæredibus, tum à successore hæredibus defuncti pensionarii. Item Lott. *l. 1. q. 44. num. 16.* Card. de Luc. *de pens. d. 28. num. 12.* dicens hanc esse veriorem, & in Curia & in rota receptam. contra Rebuff. *de pacif. poss. n. 146. aliàs 130.* apud Garc. *p. 2. c. 1. n. 106.* tenentem, moriente pensionario post principium anni (intellige anni pensionarii) pensionem integrè pro illo anno transire ad hæredes, quam sententiam ait Garcias in nulla apud Rotam consideratione fuisse, & usum esse in contrarium. Item contra Gamb. *de pot. leg. l. 6. q. 24.* apud Garc. *loc. cit. n. 110.* docentem, quòd pensio non soluta non transmittitur ad hæredes pensionarii, etiamsi dies pensionis solvenda advenisset, imò etiamsi fructus essent percepti; eò quòd si tempore mortis pensionarii adhuc exstent, & non est de iis dispositum, remaneant successori in beneficio, non hæredibus defuncti. Item contra Nav. *in Apolog. de reditib. Eccles. q. 2.* credentem, quòd in hoc casu nihil debeatur per titularem. apud Card. de Luc. *loc. cit.* quod idem tenere videntur Barb. *in l. divortio. ff. solut. matrim. p. 2. nu. 3. usque ad 44.* & Castel. *de usuf. c. 79. n. 17.* apud Tond. *loc. cit. n. 3.* dum tradunt, solos terminos maturatos transmitti ad hæredes pensionarii, v. g. ut si pensio statuta in Novemb. solvenda festo Nativitatis Christi, & S. Joannis, pensionarius moriatur in Februar. solus terminus decursus in festo Nativitatis Christi solvendus sit dictis hæredibus, & nihil ex alio termino jam inchoato. Item contra Covar. *l. 1. var. c. 15.* apud Eund. Card. de Luc. & Garc. *p. 2. c. 1. à nu. 105. ad 125.* maximè *n. 120* tenentes, id regulandum, non à qualitate & quantitate fructuum perceptorum, sed à supputatione temporis, mensium nimirum

rum ac dierum ab ultimo termino aliàs maturato usque ad obitum pensionarii. Atque ita, manendo in præmisso exemplo pensionarii mortui in Februario transmitti ad hæredes terminum Nativitatis Domini, & præterea pro rata temporis decursi à die Natalis Domini ad diem Februarii, quò obiit pensionarius. Fundamentum hujus sententiæ ex eo peti, ait Tond. *loc. cit. n. 6.* quòd pensionarius ex constitutione Pii V. teneatur recitare officium B. Virginis, & per consequens ei acquiri debeat pensio pro rata vitæ pensionarii, quâ durante is officium illud recitavit, maximè, cùm pensiones istæ sint ad instar alimentorum, quæ debentur ad ratam téporis, quo vita alimentarii duravit. Porrò his lux aliqua amplior affundetur ex dicendis *quæst. seq.* Reflectendum autem hîc ad diversitatem, quæ est inter fructus civiles, ut sunt census pecuniarii, locagia ædium &c. & inter fructus naturales, qualiter nimirum & quando hi & illi debeantur titulari, & quòd hinc dependet, qualiter hi & isti inter defuncti titularis hæredes & successorem in beneficio dividendi. de quo dictum aliàs, & videri poterit Lott. *loc. cit. à n. 22.*

2. De cetero, dum pensio cessavit, non per actum necessarium, nempe per mortem pensionarii, sed per actum voluntarium, puta per translationem ante maturitatem termini, totam pensionem ad cessionarium seu translatarium pertinere, & transferentem sibi nihil servasse, tradit Tond. *loc. cit. n. 5.* ex mente Rotæ. sic terminum proximum in hoc casu spectare ad translatarium, nisi transferens reservasset sibi fructus præteritos, tradit Gabr. *cons. 191. l. 2.* apud Garc. *loc. cit. n. 112.* Dividendum verò pro rata temporis, tradit Rota & Covar. apud eund. Garciam, quem vide.

Quæstio 561. Pro quo tempore, & quo tempore debeatur, & solvenda pensio?

1. REspondeo primò: Supposito juxta dicta, solutionem pensionis faciendam, habito respectu & consideratione ratæ fructuum perceptorum, non autem temporis decursi argumento *l. defuncta. ff. de usufruct.* secundùm quam, ut ait Ventrigl. *cit. §. 3. n. 1.* regulare se solet Rota in materia solutionis pensionis; pensionem annuam deberi ab initio anni, qui non à calendis Januarii, neque à tempore, quo natura jam exonerata fructibus maturatis & collectis incipit novos concipere, sed inchoatur ab eo momento, quo reservatur pensio; assignatur siquidem pensio cum consensu partium, post quem consensum illico nascitur obligatio, ex qua oritur actio: exactio autem sola est, quæ differtur ad tempus, de quo conventum fuit inter partes, & sic semper attenditur hoc anni initium, & ex eo intelligitur pensio debita. Lott. *l. 1. q. 44. n. 1. juncto n. 4.*

2. Respondeo secundò: Reservatur autem pensio regulariter solvenda in duobus terminis seu semestribus, v. g. festo Nativitatis S. Joannis, & festo Nativitatis Christi, qui termini non ex alia causa statuuntur, quam dividendi pensionem aliàs solidam, & ad nudam commodioremque solutionis præstationem, & non, quòd propterea debeat attendi ratio temporis, ut inde dignoscatur quanta portio pensionis competat pensionario. Ventrigl. *loc. cit. n. 2.* Lott. *loc. cit. n. 3.*

3. Respondeo tertiò: Factâ hac divisione terminorum in gratiam debitoris seu titularis, attendendum, num primus terminus per eum solvendus cadat eo tempore, quo possit percipere seu percepisse fructus, super quibus pensio imposita, ut si jam dictos fructus percepit eo termino, pensio seu potiùs illa prima solutio dicatur posticipata; aliàs si non percepit adhuc fructus, eò quòd hi tunc necdum maturati, dicatur pensio posticipata, relata vi harum binarum vocum ad ipsam fructuum perceptionem. Lott. *loc. cit. nu. 5.* citans Gratian. *discep. for. c. 548. nu. 47. & 48.* & Rotam *in Monopolitan. pens. 10. April. 1606.* Ventrigl. *loc. cit. nu. 6.* Porrò subjungit Lott. *n. 6.* Papam ut plurimùm nullâ habitâ ratione perceptionis fructuum, decernere anticipatè solvi pensiones, & sic si à die reservationis usque ad diem primi termini seu semestris nulli adhuc potuissent colligi fructus, apertè credendum est, pensionem esse anticipatam, & Papam voluisse anticipatè solvi à beneficiario ex proprio, habitâ consideratione ad fructus colligendos. Ventrigl. *cit. nu. 6.* Unde subsistere non videtur, quod tradit Paris. *l. 1. q. 8. n. 52.* quòd, si beneficiatus gravatus pensione, cui pro primo termino statutum est festum Nativitatis S. Joannis, ceperit possessionem in Majo antecedente illud festum, & sic fructus adhuc nullos perceperit, non teneatur illo termino solvere pensionem, sed is, qui percepit fructus illius anni. Hîc iterum reflectendum ad fructus civiles, qui dietim singulis horis & momentis maturantur & percipiuntur.

Quæstio 562. Ubi, seu in quo loco solvenda pensio?

1. REspondeo, non factâ aliâ declaratione solutio pensionis fieri debet, non in loco, in quo degit pensionarius, sed in loco beneficii, & ubi fructus ipsi percipiuntur. Lott. *l. 1. q. 39. n. 86.* citans Oldr. *cons. 168. nu. 1.* Gamb. *de pot. leg. l. 6. q. 27. nu. 612.* Rotam *decis. 688. p. 4. recent.* Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 7. n. 15.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 51.* Paris. *l. 6. q. 2. nu. 137.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 6. n. 8.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 233.* Ratio est, quòd pensio solvenda ex fructibus beneficii, onusque illis impositum. AA. ijdem. Hinc jam inolevit usus & stylus Curiæ, ut unà cum terminis solutionis in literis reservationis assignetur & locus. Lott. Paris. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit. num. 17.* dicens, nunquam aut rarò Cancellariam, aut Cameram Apostolicam permittere transire has literas sine destinatione loci solutionis faciendæ, & quidem ubi, vel quem partes volunt. Corrad. *ibid.* citato Gamb. *de pot. leg. l. 6. n. 612.*

2. Quod, si pensionarius aut ejus procurator non esset in loco destinatæ solutionis tempore statuto, pensionem debens non est in mora aut culpa, adeóque nullam pœnam non solventium pensionem incurrit. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n. 233.* Corrad. *n. 18.* ex Bartho. *in l. item illa, ff. de constit. pecun.* dicente, creditorem debere esse paratum ad recipiendam pecuniam in loco solutioni destinato, ad hoc, ut debitor pœnam incurrat. Neque in hoc casu ad evitandam pœnam obligatus est debitor ibidem facere depositum pecuniæ seu pensionis debitæ. Corrad. *loc. cit. n. 18.* dicens, quòd in contrarium tradit Barthol. *in l. si reus paratus ff. de procur.* id intelligendum de casibus, ubi jus expressè vult talem consignationem fieri, ut puta, ad impediendum cursum usurarum. Quod ipsum esse tradit Garc. *loc. cit. n. 234.* subjicit tamen *n. 235.* ad

effectum

effectum clausulæ *sine retardatione solutionis pensionis*, ut ei satisfiat, requiri depositum legitimè factum. pro quo citat Caroccium. *de oblatio. p. 1. q. 7.* & Rotam *in Abulens. pens. 1606.* Idem tenet Castrop. *loc. cit.* Neque opùs est, eum protestari, quia jus præsumit debitorem velle solvere. Corrad. *loc. cit.* Garc. *nu.* 234. Debere tamen ibidem fieri proclama, ut constet, num ibi reperiatur pensionarius, ejúsve procurator, quia est forensis seu extraneus, tradunt iidem Castrop. *loc. cit.* Garc. *cit.* n. 235.

Quæstio 563. *Dum pensio reservata solvenda in pecunia numerata, uti frequentiùs fieri consuevit, in qua moneta seu specie pecuniæ sit solvenda?*

1. REspondeo primò in genere: Quidquid sit de hoc, quod, ut affirmat Lott. *l. 1. q. 39. n. 166. & 167.* cogendus sit debitor, accipere nummos in alia forma seu moneta, si exinde damnum nullum passurus sit, eò quod, sive moneta sit aurea, sive argentea, sive ærea, habeat functionem in genere suo; in solutione tamen pensionis aliud esse, & non liberari titularem, nisi solutione pecuniæ in specie debitæ. Unde cùm in reservatione pensionis semper soleat specificari qualitas monetæ, in qua facienda solutio, cogitur omninò debitor ad solvendum in specie determinata; quia ubicunque qualitas deducta est in stipulationem, ea est præstanda. Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. nu. 26.* Lott. *loc. cit. n. 156. juncto n. 172. & 173.* citantes Gig. *de pens. q. 98. n. 7.* Limitanda tamen responsio, ut admittenda sit solutio in alia specie, si duo concurrant, nimirum dum est penuria monetæ in illa specie promissa, quia scilicet ea non reperiatur, & alterum, ut creditor, seu pensionarius servetur omnino indemnis, si nullum ex tali mutatione damnum consequatur. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *loc. cit. n. 174. & 175.* Hinc jam infero &

2. Respondeo secundò in specie: Dum juxta tenorem literarum reservatur pensio in ducatis auri de Camera, si in ipsa Romana Curia fieri debet solutio, solvendam esse pensionem præcisè in dictis ducatis, scilicet in scutis aureis, superaddendo singulis unum Julium. Ventrigl. *loc. cit. n. 27.* Corrad. *in pr. benef. l. 5. c. 2. num. 11.* citans Sarnens. *ad reg. de valor. q. 8. in fine.* Si verò solutio fieri debet in partibus, non est necesse fieri solutionem in istiusmodi ducatis, sed sufficit solvere in moneta alia, etiam non aurea, modò ea tantundem valeat. Corrad. *loc. cit.* Ventrigl. *loc. cit.* citans Gratian. *discep. for. c. 417. num. 18.* qui testetur, ita servari in Rota.

3. Respondeo tertiò: Dum pensio reservata simpliciter & indistinctè in ducatis vel in scutis, nullâ factâ mentione, an sint ducati de Camera, vel ducati usualis monetæ, an scuta aurea, an argentea (idem est, dum simpliciter reservata esset in florenis, quorum duæ species currunt in loco contractûs, seu solvendæ pensionis) & neque ex usu, neque ex regione, vel contextu literarum haberi potest ulla interpretatio, de qua specie Papa locutus; interpretandum & censendum est, reservationem factam in exiguioribus seu minùs gravantibus titularem juxta illud *l. semper in obscuris. de reg. juris: in obscuris, quod minimum est, sequimur.* seu minimum debetur, & favendum causæ creditoris. Lott. *n. 157.* & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n. 28.* secus si ex usu regionis, vel contextu literarum haberi potest interpretatio de mente Papæ; tunc enim juxta dictam interpretationem in ea specie solvenda pensio. AA. iidem. Porrò dicta ambiguitas omnimodè cessaret, satisque declararetur, quænam species monetæ fuerit posita in obligatione, ex facta in tali determinata specie unâ alterâve (vel etiam ex unica, ut Ventrigl. *loc. cit.*) solutione, cùm non tractetur de inducenda obligatione, sed simpliciter de ea declaranda & interpretanda ex observantia, quam proinde necesse non est esse præscriptam. Lott. *n. 158. & seq.* Ventrigl. *loc. cit. n. 29.* nisi fortè facta istiusmodi solutio ex probabili quadam ignorantia, vel inadvertentia. Lott. *n. 163.* ex Costa. *tr. de fact. scient. centur. 1. dist. 43. num. 3.* Ventrigl. *in fine cit. n. 29.* citans Gratian. *discep. for. c. 417. n. 19. & 20.* Surd. *cons. 335. n. 28. l. 1.* Quodsi tamen extra dubium est, de qua moneta consenserint partes, vel in qua Papa reservarit solvendam pensionem, eò quòd ambigua non sint, sed clara verba reservationis; minimè ex solutionibus aliter factis potest oriri talis observantia interpretativa, nisi post observantiam longissimam & præscriptam per annos saltem 30. Ventrigl. *loc. cit. nu. 30.* citans Surd. *cons. 220. nu. 18. & cons. 224. in fine. l. 2.* & Gratian. *ubi antè n. 22.* De cetero tradit Lott. *n. 164.* quodsi in literis specificaretur certa moneta, & mox pro explicatione valoris hujus monetæ exprimitur alia minutior, v. g. dum diceretur solvenda pensio in scutis constituentibus tot libras illarum partium, nequaquam attendendam illam secundo loco positam monetam, eò quòd hæc non adjecta nisi demonstrativè tantùm ad designandum valorem monetæ prioris secundùm cursum temporis datæ.

Quæstio 564. *Quomodò solvenda pensio, dum valor monetæ, qui erat tempore reservationis, est dein alteratus?*

1. REspondeo primò supponendo seu prænotando primò: Pecuniam seu nummos constare materiâ, nempe metallo, ære, cupro, argento, auro; & forma, nimirum æstimatione publica ex charactere cusoris indicata, & hinc duplicem consurgere eorum bonitatem; unam consistentem in ipsa materia, & sic intrinsecam; alteram in æstimatione illa publica, adeóque extrinsecam: ita tamen, ut de ratione nummi sit symmetria & proportio æstimationis illius cum valore materiæ (habitâ tamen etiam ratione impensarum factarum in cudendo, seu moneta signanda, dum principes videntur non teneri cudere nummos propriis expensis) & tunc dici æstimationem illam publicam, seu valorem impositivum rapere in se valorem metalli, cùm valor hic æstimationi illi est adæquatus; siquidem ad alium effectum excogitata non est æstimatio illa publica, quàm ad liberandum homines, ne solliciti essent de valore intrinseco seu materiæ, adeò ut, si hæc illi non correspondeat, jam sub fide publicâ fraus fiat. Lott. *cit. q. 39. à nu. 182. ad 193.* & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n. 24.* Secundò, æstimationem illam debere quidem esse perpetuam, seu semel impositam debere durare perpetuò (quod intelligendum respectu usus naturalis pecuniæ, id est, ut per illum res aliæ æstimentur, secus respectu alterius usûs, ut dum ipsa pecunia aliâ pecuniâ emitur, seu cum alia pecunia cambitur; eò quòd tunc æstimatio illius sit alterabilis ex singulorum etiam arbitrio. Ventrigl. *n. 25.* Lott. *n. 196.* ex sententia,

ut ait D. Tho. Cajet. Sylv. Covar. uti indubitato antiquitus apud Imperium Roman. æstimatio illa non solùm perpetua fuit, sed & uniformis, postquam tamen idem Imperium divisum in plures principatus & respublicas, æstimationem non esse ampliùs perpetuam nec uniformem, ita ut moneta unius territorii expendibilis non sit in territorio alterius, sed alterata & variata in bonitate intrinseca vel extrinseca, ut plurimùm exigente justâ causâ, dum nimirũ principibus præpotentibus & bonis cudentibus monetam & ponderis justi, & probatæ materiæ superveniunt alii minores minúsque boni, monetam vel non nisi minoris ponderis, vel non nisi adulteratæ materiæ cudentes; unde commerciorum & publicæ necessitatis ratione id exigente fit, ut uno principe legem pretiúmque nummis propriis dicente alii quoque idem facere, vel etiam valorem propriorum nummorum inalteratâ bonitate intrinsecâ extrinseùus augere cogantur, ne ijdem nummi per alios extraneos corrumpantur. Lott. *à. n.* 194. *ad* 201. Ventrigl. *cit. n.* 25. ex Franc. de March. *q.* 648. *n.* 2. His suppositis,

2. Respondeo ad quæstionem ipsam: Si valor extrinsecus alteratus, seu bonitas extrinseca pecuniæ fuit alterata, v. g. quia princeps, qui eam cudit, dederátque ei priùs æstimationem decem nummorum cupreorum, dein edicto cavit, ut valeat seu expendatur pro 12. istiusmodi nummis, & in hoc casu solvenda pensio vel in ipsa illa specie, in qua reservata, si ea haberi possit, vel solvenda in ista æstimatione, quam ea habet tempore solutionis, sive facienda solutio in moneta usuali secundùm valorem, quem ea habet tempore ipsius solutionis; adeò, ut eâ mediante possit haberi illa species & in eadem quantitate, in qua facta est reservatio. Lott. *loc. cit. n.* 202. Ventrigl. *loc. cit. n.* 31. citantes Gig. *de pens. q.* 98. *nu.* 6. *& seq.* & plures Rotæ decis. dum enim moneta aurea vel argentea, in qua reservata pensio, æstimatur ex moneta cuprea & minuta, & non ècontra, sitque impossibile, ut moneta illa aurea vel argentea recipiat hujusmodi augmentum valoris extrinsecum ex alia causa, quàm quia vel diminutus fuit valor monetæ cupreæ & minutæ; vel quia ita visum fuit principi propter excellens augmentum ejusdem monetæ aureæ vel argenteæ, semper in damno erit pensionarius, nisi fiat æstimatio monetæ illius minutæ & cupreæ in comparatione ad auream vel argenteam, in qua facta reservatio pensionis ipso tempore solutionis: nam, sicut solutâ monetâ in quantitate intrinseca alterata secundùm æstimationem, quæ erat ante alterationé, non reciperet, quod sibi debetur, ita nec reciperet, quod sibi debetur, si moneta ei exsolvatur in quantitate minore, quàm quæ sufficiat ad emendam tempore solutionis eam speciem, in qua pensio reservata. Lott. *nu.* 203. *&* 204. Porrò præsumitur deteriorata bonitas intrinseca monetæ inferioris seu minutæ, quando aucta est æstimatio monetæ grossæ retentâ ejus bonitate intrinsecâ, & sic rejicitur onus probandi in negantem illam diminutionem intrinsecam monetæ minoris. Lott. *n.* 205. citans Solam. *de moneta. cas.* 1. *n.* 4. Surd. *cons.* 368. *n.* 6. *&c.* Et sic contingente augmento monetæ grossæ ex decremento bonitatis intrinsecæ monetæ minutæ, augmentum debetur perpetuò creditori. Lott. *n.* 206. ex Barth. *in l. cum quid. nu.* 16. *ff. si certum petat.* & Surdo. *ubi ante n.* 16. etsi subjungat idem Lott. *nu.* 208. ex diminuta intrinseca bonitate inferioris monetæ non tam augeri æstimationem monetæ aureæ vel argenteæ, seu grossæ, quam conservari ejusdem bonitatem pristinam tam intrinsecam quàm extrinsecam, seu augeri inferioris monetæ numerum propter ejusdem intrinsecam deteriorationem ad conservandam pristinam æstimationem nummi aurei vel argentei; & sic cessare disputationem illam; an de jure augmentum pertineat ad creditorem, an ad debitorem. Ac inde demum concludit *n.* 210. non agi hìc verè de augmento vel decremento, sed tantùm de coæquali commensuratione monetæ, ut scilicet pecunia, quæ est in obligatione, æstimetur secundùm tempus obligationis, sive quo cœpit obligatio, quæ verò est in solutione, secundùm tempus ipsius solutionis. citat pro hoc Budæum *de monet. & re numma. l.* 1. *c.* 2. *n.* 37. & Rotam *in Bergom. pens* 2. *Maij* 1624. Atque secundùm hæc jam resolvenda quæstio illa in specie exemplificationis gratiâ, num, si reservata pensio, v. g. in centum ducatis auri de Camera, constituentium in totum summam scutorum 135. (uti idipsum exprimitur in literis) monetæ Papalis Julios decem pro uno scuto computando, & postea tempore solutionis mutato valore constituunt majorem summam, an nimirum satisfaciat titularis creditor solvendo 135. an verò debeat plus, nempe augmentum, ad quod ascenderunt, superaddere: ac dicendum, solvendum esse ducatum talem juxta valorem, quem habet tempore solutionis, cùm ducatus fuerit in obligatione juxta reservationem, nec mutata sit bonitas ejus intrinseca per hoc, quòd valeat jam aliquantò plus quàm antè! (& id, ut dictum, accidere possit ab extrinseco, imminuto valore scutorum aut Juliorum) adeóque attendatur valor de tempore solutionis. verba etiam illa: constituentium in totum summam scutorum 135. non tam taxativè quàm demonstrativè apponantur. ita ferè Ventrigl. *loc. cit. n.* 31.

3. Respondeo tertiò: Si illa ipsa species monetæ, in qua reservata pensio, ex toto esset sublata, & loco illius recusa alia moneta, ejusdem quidem nominis, sed majoris vel minoris bonitatis, non poterit titularis debitor compelli solvere in moneta illa antiqua, in qua reservata pensio, & modò sublata est, quia ejus obligatio intelligitur facta rebus sic stantibus, seu moneta illa in suo esse perdurante (idque etiam, ut indicat Lott. *loc. cit. n.* 212. etiamsi adhuc apud aliquem reperiretur; cùm non sit ampliùs in consideratione, & non reputetur pecunia expendibilis) sed satisfaciet solvendo in alia moneta vel subrogata, vel inferiore; factâ tamen æstimatione antiquæ illius monetæ, in qua ea erat, antequam abrogaretur, ita ut tantum de nova solvatur, quantum erat tunc æstimatio illius antiquæ; idque sive intervenerit mora, sive non. Lott. *n.* 213. *&* 214. & ex eo Ventrigl. *cit. n.* 31. citantes Braun. *de augm. monetæ. p.* 1 *partic.* 2. *n.* 1. *& seq.* Porrò circa hunc casum observandum, quòd, si creditor renueret acceptare speciem illam recusam prætextu bonitatis intrinsecæ deterioratæ, reneretur hanc deteriorationem probare, quod aliter fieri nequiret, quàm per peritos vel ipsos ministros monetarios. Lott. *n.* 216. *&* 217. Non habebitur autem hæc deterioratio in consideratione, si princeps, qui monetam cudit, edicto suo caviſſet, debitorem in ea alia specie liberari solvendo tantundẽ de nova, aut de inferiore moneta in tanta quantitate. Lott. *n.* 218. ait tamen *n.* 219. id non procedere, nisi ubi creditor eidem principi subje-

ctus

ctus est, adeóque applicari vix posse pensioni Ecclesiasticæ; cùm ejusmodi principum edicta non afficiant personas Ecclesiasticas, pro quo citat Oldr. *cons.* 250. *n.* 2. Jo. And. *in addit: ad speculator. de obligat & solut.* §. 3. *n.* 9. &c.

4. Respondeo quartò: Si reservata pensio in specie aliqua seu moneta imaginaria, puta, in tot libris alicujus Provinciæ, quæ nunquam cusa fuit aut exstitit; sed solùm certam habuit æstimationem per alias monetas, seu valoretur in certa quantitate monetæ cusæ inferioris: idem dicendum, quod in præcedentibus duobus casibus; cùm in hac imaginaria moneta quoque cadat duplex ea bonitas, censeatúrque mutata in bonitate intrinseca, si justum à principe minùs valere, non alterato valore intrinseco alterius monetæ, ad cujus quantitatem æstimabatur, uti & extrinseca ejus bonitas, dum datur illi major æstimatio ex deterioratione istius monetæ realis inferioris; siquidem talis moneta imaginaria constituitur ex certis monetis inferioribus, adeóque subjicitur eidem alterationi, cui illæ. Lott. *à n.* 220. *ad* 223.

Quæstio 565. *Quando pensio reservata alternativè (quod rariùs admittitur à Dataria) scilicet vel in quantitate rei, puta, frumenti, vini &c. vel in pecunia; item dum fructus simpliciter assignati sunt pro solvenda pensione ex conventione partium, qualiter debeat & possit solvi?*

REspondeo ad primum: Esse solvendam pro libitu non titularis, sed pensionarii, ita ut in hujus electione sit exigere loco frumenti pecuniam, vel contra; eo autem invito à loco frumenti non posse solvi pecuniam, vel contrà. Corrad. *in pr. benef. l.* 5. *c.* 1. *n.* 12.

2. Respondeo secundò: De cetero, etsi non nisi rarissimè loco pensionis reservetur pars fructuum, ut dictum suprà, & non nisi Cardinalibus ea reservatio fieri consueverit; dubium tamen non est, quin factâ resignatione cum reservatione pensionis, possit dein inter resignantem, & resignatarium conveniri, & assignari à resignatario resignanti pensionario certi & determinati fructus loco pensionis (si enim hi assignari possunt pro satisfactione debiti alterius, multò magis pro solvenda pensione) & sic pensio in prædictis fructibus solvi debet. Corrad. *loc. cit. n.* 13.

Quæstio 566. *Qualiter solvenda pensio, dum imposita super pluribus beneficiis?*

1. REspondeo primò: Dum dicta beneficia plura possidentur ab uno eodémque titulari, solvenda videtur pensio pro rata fructuum singulorum beneficiorum, ita ut si fructus unius intereant, non continuò ex fructibus alterius beneficii, etsi sufficientibus ad integrè solvendam pensionem, ea sit solvenda integrè. Dependet hoc ipsum ex mente imponentis pensionem; siquidem ut rectè Corrad. *loc. cit. c.* 2. *n.* 15. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 20. juxta *c. constitutus. de religios. domib. & ibidem* Abb. *n.* 8. reservatio pensionis non intelligitur facta à principio in solidum, sed pro rata singulorum beneficiorum. Unde etiam teste Corrad. *loc. cit.* tam in supplicatione, quàm in literis apponitur dictio *proportionaliter*, dicendo, quòd pensio reservetur super prædictorum beneficiorum proportinabiliter fructibus; quamvis etiam ut Lott. *loc. cit. n.* 18. dicta modificatio non solùm expressè, sed etiam tacitè censeatur facta, & hinc etiam subjungat Corrad. *loc. cit.* dictionem *proportionabiliter* videri potiùs ad cautelam & ad tollendas hæsitationes appositam, imò potiùs ex quodam introducto stylo, quàm de necessitate, cùm de hoc habeamus clarum textum in *cit. c. constitutus.*

2. Respondeo secundò: Si possessor ille moriatur, & contingeret singula illa beneficia conferri diversis pensionis, solvenda erit pensio ab illis titularibus à quolibet pro rata proportionata fructibus sui beneficii, non verò in solidum ab unoquoque eorum, adeóque contra nullum eorum agere poterit in solidum, seu pro tota & solida pensione. Corrad. *loc. cit.* Lott. *n.* 19. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *nu.* 44. citans Campanil. *in diversf. juris can. rubric. rub.* 11. *c.* 13. *nu.* 287. Paris. *de resig. l.* 6. *q.* 2. *n.* 64. Estque hæc sententia adeò vera, ut vigor ille concessus à jure pro pensionis exactione etiam contra successorem intimatis literis cum clausula: *non retardatâ solutione pēsionis*, vi cujus executionem paratam habet pensionarius, statim cesset, & progredi nequeat ad executionem, dum opponitur per successorem facta in plures divisio beneficiorum, super quibus præstitus consensus à prædecessore pro reservanda pensione, requiratúrque tunc judicis discutientis valorem omnium beneficiorum sententia declaratoria quantitatis debendæ pro quolibet beneficio ab ejus possessore. Ventrigl. *loc. cit.* citans Campanil. *ubi ante. n.* 288. & Ricc. *in pr. p.* 3. *resol.* 108. *nu.* 26. Corrad. *loc. cit.* addens, hinc esse, quòd licèt in commissionibus causarum super nullitatibus vel moderationibus semper apponatur dicta clausula: *non retardatâ solutione*: in præsenti tamen casu (dum imposita nimirum pensio super pluribus beneficiis primitùs ab uno, divisis postmodum in plures, & hinc excipitur ab eorum uno à solvenda in solidum pensione) ea supponi non debeat. Eadem procedunt, dum translata pensio super pluribus beneficiis, ita ut translatarius non debeat, nec possit pensionem, nisi pro rata. Paris. *l.* 6. *q.* 8. *nu.* 47. & ex eo Ventrigl. *cit. nu.* 44. Porrò pro praxi optimum esse, ut resignatarius, seu is, cui reservata istiusmodi plura beneficia gravata unâ pensione, faciat distinctè & separatim exprimi fructus uniuscujusque beneficii resignati, ac quantitatem pensionis super quolibet beneficio, tradit Corrad. *loc. cit.* dicens, se videre hodie, quòd Dataria requirat expressionem valoris cujuscunque beneficii resignati, ac quantitatis pensionis, quæ super illis petitur reservari, & quòd, si non capiant pensionem (quòd intelligendum credo, si aliqua interea resignata tam sint tenuia, v. g. unius, vel trium, aut quatuor ducatorum) rejiciatur supplicatio.

3. Respondeo tertiò: Quòd, si tamen reservatio facta esset in solidum, singulis illorum beneficiorum habitorum ab uno, divisis illis postea in plures, hi successores excipere non possint, teneri se tantùm pro rata; sed in electione pensionarii erit, retinere solidam pensionem super uno corpore beneficii, modò id esset pensionis tantæ capax. Ventrigl. *loc. cit. n.* 25. juxta Rot. *in Bergom. pension.* 10. *Nov.* 1595. in qua etiam dictum, beneficium esse capax pensionis, quæ non excedit tertiam partem fructuum illius.

Quæstio 567. Qualiter solvenda pensio imposita beneficio unico, dum non tantùm fructus illius, sed & titulus, seu beneficium pensione gravatum dein dismembratur, & constituuntur duo beneficia diversis collata?

REspondet Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 9. n. 73.* citans Seraph. *decis. 1429. n. 6. & 7.* quòd, quando dismembratur tantùm fructus, adhuc tamen ex illo beneficio pensione gravato solvenda sit integrè pensio, modò remaneant illi tot alii fructus, ex quibus pensio solvi possit; si verò dismembrati sunt & tituli, & pensio ex utrisque (per quod videtur intelligere ex utriusque tituli fructibus) debetur, pensionarius habeat electionem agendi contra quem maluerit ex duobus possessoribus pro tota pensione, modò fructus sint tantæ pensionis capaces. Est autem hic casus diversus ab eo, ad quem responsum *quæst. præced.* (foret tamen idem, si poneretur priùs post dismembrationem beneficii binis illis titulis imponi pensionem) adeóque non mirum, quòd diversimodè ad hunc casum respondeatur.

Quæstio 568. An, & qualiter pensio solvi possit per Procuratorem, vel etiam Campsorem?

1. REspondeo ad primum: In vim veri mandati posse solvi per procuratorem seu mandatarium; ubi autem proponitur soluta pensio per procuratorem in vim mandati, mandatum, ejúsque fines diligenter excutiendi; similiter data ex pacto schedula bancaria per campsorem, qui eam conscripsit, solvi potest; cùm actus attribuatur ordinanti, non exequenti. Lott. *l. 1. q. 38. à n. 150.*

2. Respondeo ad secundum: Quod attinet ad modum solvendi per campsorem in vim schedulæ bancariæ, cujus usum frequentissimum esse in Urbe, ait Lott. *loc. cit. nu. 155.* Notandum ex eodem *ibid.* campsorem seu mercatorem per eam schedulam se obligare, statis temporibus, per tot annos, vel ad pensionarii, vel titularis vitam se soluturum sub juramento & obligatione Camerali absque ulla prorsus exceptione, excepto casu mortis beneficiati, illâque schedulâ ita conscriptâ consuevisse eam tradi pensionario, adveniente dein tempore solutionis, ostensa per pensionarium ejúsve legitimum procuratorem hac schedulâ campsori, hunc, postquam solvit, solere à tergo ipsius schedulæ scribere & annotare quantitatem solutam cum die & anno, ut semper ex eadem scriptura justificetur obligatio campsoris erga pensionarium, simúlque constet de illius diminutione per dictas annotationes ad commodum ipsius campsoris; cùm non possint fieri hæ annotationes aliter, quàm de ipsius creditoris consensu, quo stante, utrimque consurgit probatio pro & contra.

Quæstio 569. Qualiter probetur solutio pensionis, præcipuè voluntariæ, beneficio pleno impositæ, seu illius, quæ est de consensu, seu ex causa lucrativa ad evitandum effectum nullitatis pensionis in eventu non integræ factæ solutionis ex vi decreti adjici soliti istiusmodi reservationi pensionis de consensu ob fraudis præsumptionem, ut dictum suprà; cùm facile titularis consentit istiusmodi reservationi pro consanguineo vel amico suo, non tamen ut ipse consentiens pensionem solvat in vita sua, sed ejus successores?

1. REspondeo primò: Teneri beneficiatum debitorem docere de vera, reali, & integra solutione omnium terminorum decursorum tempore prædecessoris. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 3. n. 13. in fine.* citans Seraph. *decis. 802. n. 2. & seq.* Card. de Luc. *de pens. d. 7. n. 2.* dicens, pensionem in totum corruere, si de vera & effectiva solutione mediante pecunia numerata omnium terminorum non doceatur, adeò, ut secundùm Tond. *de pens. c. 3.* quem citat, constito de vera & effectiva solutione ultimorum terminorum trium, non intret adhuc præsumptio de solutis antecedentibus, resultans ex *l. quicunque. c. de apoch. publ. l. 11.* eò quòd in materia odiosa & de fraude suspecta, in qua habetur decretum speciale præscribens formam præcisam, non admittatur præsumptio, servire tamen hoc ipsum pro uno ex adminiculis, ait Card. de Luca.

2. Respondeo secundò: Non sufficere qualemcunque confessionem pensionarii de recepta solutione propter collusionis suspicionem; quia talis confessio præjudicare nequit tertio (nempe successori istiusmodi pensionarii excipienti de nullitate pensionis ob non factas integrè solutiones prædecessori suo) quotiescunque ea fit inter hujusmodi suspectas personas. Corrad. *loc. cit.* citans Barbos. *de votis decisivis. l. 1. voto. 5. n. 30. & 34.* Unde jam etiam non sufficit quietantia quamvis per instrumentum publicum, in quo Notario & testibus dicatur, quòd verè, ac per effectivam numerationem pecuniæ solutio facta sit; quia semper est, & plus non est, quàm confessio, quæ, qualiscunque sit, non sufficit. Card. de Luc. *loc. cit. n. 12.* Neque sufficiet adhuc produci apochas privatas à duobus testibus subscriptas, in quibus narretur facta solutio in præsentia testium, servatáque alia requisita; nisi testes formiter examinentur, qui nullam patientes exceptionem tam in legitimo examine, quàm personâ, & dicto bene concluderent de ipsa vera reali solutione coram ipsis factâ: adeò, ut non sufficiat quod recognoscant apocham, ac dicant, veram esse eorum subscriptionem; quia ita verificare dicuntur scripturam, non verò contenta in ea; & sic semper tantùm remanet confessio, quæ non sufficit. Card. de Luc. *loc. cit. n. 7.*

3. Respondeo tertiò: Ad istiusmodi dictas fraudes evitandas jure optimo stylus Curiæ obtinuit, ut in vim prædicti decreti hujusmodi solutiones non possint probari, nisi per instrumenta publica cum subscriptione Notarii publici & duorum saltem testium simul subscribentium (vel saltem subscriptioni præsentium, ut Rot. *in Calagurit. pens. 17. Jun. 1624.*) asserentium, se vidisse beneficiatum numerare pecuniam pensionario, qui eam traxit, ut sæpe Rota, & signanter *in Bergom. pens. 27. Nov. 1625. & Parmens. pens. 27. Jan. 1627.* Corrad. *loc. cit.* Barbos *loc. cit.* quem modum probandi solutionem per scripturam seu instrumentum publicum, quamvis sufficientem omnino esse, & per eum sine dubio satisfieri decreto illi, dicat Card. *loc. cit. n. 6.* illum tamen præcisè requiri, seu esse formam præcisam, negat *n. 8. & 12.* dicens, sufficere testes nullam patientes exceptionem, qui id bene concluderent (nimirum si essent contestes de loco & tempore præciso concludentes de visu numerationis pecuniæ coram se factæ, specificando etiam monetæ

monetæ qualitatem, ut idem Card. de Luc. *de pens. d. 8. nu. 3.*) Quin & per alias species probationis (intellige legitimè concludentes) id justificari posse, sic dicens habitum illud pro absoluto à Rota *in Lucan. pens. 15. Feb. 1669.*

4. Respondeo quartò: Sed & dicto modo probandum, quod durante vitâ titularis prædecessoris, qui consenserat pensioni, quamdiu post reservatam de consensu suo pensionem beneficium obtinuit, integrè sibi pro omnibus terminis decursis facta solutio. Adeóque non sufficiet facta & probata solutio unius termini, facta per Titium nomine titularis absentis, ac pro altero termino, ut in instrumento solutionis asseritur, maturando, v. g. in festo Nativitatis Domini proximè venturo cum quietantia & cõfessione de aliis terminis præcedentibus; quia quò ad terminos illos alios decursos non potest, ut dictum, constare de solutione ex sola confessione facta de recepta solutione. Quin & quò ad solutionem unius illius termini factam à Titio nomine titularis, & ipso adhuc vivente, cùm sit facta à tertio, de cujus mandato non constat (quippe quòd in solvente pensionem pro alio non præsumitur, nisi concurrant adminicula juxtam Rotam *decis. 2. de caus. poss. & propr. in antiq.* teste Seraph. *decis. 436. n. 8.*) non satis sit adhuc decreto prædicto importanti nullitatem pensionis. Corrad. *loc. cit. n. 14.* Nihilominus, si ad modicos solùm dies, post maturationem ultimi termini, dum nullus adhuc fructus recollectæ istius anni perceptus, incideret mors titularis, insoluto isto ultimo termino, ex deficientia illius solutionis, & consequenter probationis, non inducendam nullitatem pensionis, seu eum defectum non esse, attendendum tradit Card. de Luc. *de pens. d. 8. nu. 4.* argumenso *decisionis 26. post Merlinum. de pignon.* quæ est eadem apud Merlin. *decis. 478.* ubi firmatum, quòd, si titularis, qui voluntariæ pensioni consensit, ad breve tempus, antequam aliquis pensionis terminus maturet, per mortem naturalem vel civilem desinat esse possessor beneficii, nihil referat, quòd ipse nullam pensionis solutionem fecerit, eò quòd cesset ratio, cui decretum innititur, nempe fraudis & collusionis. Attamen subjungit idem Cardin. moveri sibi adhuc difficultatem ex firmatis per *decis. Rotæ 620. p. 4. recent.* cui inhæret Tond. *de pens. c. 3. n. 16.* nimirum quòd si primus terminus maturasset ad paucos dies post reservationem, & sic inceptus annus pensionatius, ita ut intrare possit eadem ratio non perceptionis fructuum illius anni, adhuc tamen, si terminus ille non solvatur, non satisfactum sit decreto, quamvis constaret de vera & effectiva solutione plurium terminorum subsequentium; quinimo etiamsi soluta sit rata illorum dierum, qui decurrerunt inter reservationem & teminum. Hinc ut ait idem Cardin. etsi videatur is esse nimius rigor, tamen ob dictas auctoritates, dum aliæ non adsunt in contrarium, subsit ratio timendi.

Quæstio 570. An, & qualiter solutio pensionis facta, dum ea non debeatur, repeti possit?

1. REspondeo ad primum affirmativè, ubicunque enim cessat causa solvendi, cessat etiam actio & obligatio ejus, à quo petitur. *l. si procuratorem. ff. mandati,* & causâ solutionis reductâ ad non causam, pro eo, quod solutum est, datur repetitio. *l. 1. ff. de condict. sine caus.* Lott. *l. 1. q. 38. n. 230. & 231.* Hinc jam etiam titularis condemnatus in spolio ad solvendam pensionem, postquam paruit sententiæ, & solvit, poterit postea solutum repetere à pensionario; eò quòd, cùm in possessorio non admittatur defensio aliqua super titulo, neque admittantur exceptiones super defectu proprietatis, maximè in possessorio summariissimo retinendæ, si titularis à judice coactus fuit solvere, solutum non possit videri debitum ex illo mandato judicis, qui ex natura judicij illius non debebat, neque poterat cognoscere, an esset debitum vel indebitum. Lott. *loc. cit. num. 228. & 229.* citans Rotam *in Roman. conditionis indebiti. 29. April. 1622.* contra Gig. *cons. 32. per tot.* docentem, quòd talis titularis in eo casu repetere nequeat solutum, etiamsi reservatio fuisset nulla; eò quòd obtinens in possessorio, & succumbens in petitorio, non teneatur ad terminos pensionum decursarum, & per se exactarum & perceptarum, nisi à die contestatæ litis super petitorio, juxta gl. *in c. significaverunt. v. recursum. de testibus,* quam tamen glossam Lott. *n. 235.* ait loqui de fructibus bonâ fide perceptis per possessorem, quod non potest pensioni applicari, ut mox videbitur.

2. Respondeo ad secundum: Pensio indebitè soluta non repetitur tanquam fructus rei alicujus perceptus, sed tanquam simplex quantitas debita actione personali. Adeóque de ea loquendum non est quò ad hoc punctum repetionis, sicuti de fructibus bona fide perceptis per possessorem. Lott. *l. cit. n. 232. & 233.* dicens esse ferè impossibile, ut reductâ causâ solutionis ad non causam, aliquid constituere, unde cesset repetitio, præcipuè, ubi prætenditur extinctio, quæ utì non potest superari à facto pensionarii, ita nec potest separari ab eo mala fides.

Quæstio 571. An, & qualiter unica exacta & præstita solutio suffragetur pensionario pro acquirenda possessione?

1. REspondeo primò: Quasi possessio exigendi pensionem acquiritur per unicum actum solutionis quemadmodum & in ceteris juribus incorporalibus contingit, non attentâ justitiâ vel injustitiâ, aut concernentibus bonum jus, vel merita causæ, utpote ad petitorium rejicienda, sed attento nudo facto possessionis, sufficiente sola possibili justificatione in petitorio. Card. de Luc. *de pens. d. 30. n. 3. & d. 37. n. 2.* Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 3. n. 8.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 450.* Lott. *l. 1. q. 38. n. 106.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 2. n. 56.* citans Marand. *to. 4. controv. resp. 55. n. 36.* Gratia. *discep. for. c. 113. n. 1. & seq.* & varias Rotæ decisiones. Ita ut in vi talis possessionis per unicum talem actum acquisitæ impediri nequeat, quò minùs pensionem pro sequentibus terminis pergat exigere, etiam pendente lite. Ventrigl *loc. cit.* Lott. *loc. cit. n. 73. & seq.* ubi quòd talis quasi possessio operetur, ut lite pendente non retardetur solutio sub prætextu, quòd non sit probatum, nimirum, quòd non remaneat titulari congrua. Nec attendatur sententia, à qua sit appellatum. Hæcque eadem servari in translatario, qui sit in quasi possessione exigendi, quò ad judicium manutentionis, etsi aliàs possessio transferentis in nullo ei subveniat. Lott. *n. 76.* Nec intret arbitrium aliquod pro retardatione solutionis. Lott. *nu. 105.* citans Rotam *in Tullens. pens. 22. Jun. 1609. in Hidruntin. pens. 25. Jun. 1618. in Cremon.*

mon. Prioratus. 25 Feb. 1622. Et si lite pendente impediretur exactio, pensionario intentante summariissimum possessorium retinendæ, pensionarius dicatur pati spolium. Lott. *n.* 104. nec agens hoc judicio summariissimo possessorio teneatur exhibere titulum. Conrad. *loc. cit.* nec ostendere literas reservationis, Garc. *loc. cit. n.* 446. juxta Rot. *in Anconit. pensionis. 15. Jun. 1587.* cui ait *n.* 454. non obstare aliam decisionem Rotæ *in Patens. pens. 5. Decemb. 1594.* in qua dicatur: in possessorio debet constare ante omnia de existentia literarum reservationis pensionis; eò quòd intelligenda, quòd debeat constare de reservatione pensionis saltem per supplicationem, licèt non sit necessarium, ostendere literas expeditas. De cetero, qualiter non agens hoc judicio summariissimo retinendæ, sed possessorio vero debeat ostendere literas & reservationem pensionis etsi necesse non sit, eum narrata in reservationis verificare, de hoc inquam vide dicta suprà, ubi de obligationibus pensionarii, & Castrop. *de benef. d. 1. p. II. §. 6. n. 15.* citatúmque ab eo Garciam. In summa per talem unicam solutionem acquiritur possessio pensionem deinceps exigendi ad omnes effectus juris Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 39. §. 3. n. 2.*

2. Respondeo secundò ampliando responsionem, Primò, ut procedat, etiamsi solutio ista unica facta fuisset non ab ipso titulari possessore, contra quem agitur, sed ab ejus in beneficio gravato prædecessore. Ventrigl. *loc. cit. n. 59.* Cardin. de Luc. *de pens. d. 36. n. 3.* Castrop. *loc. cit. n. 13.* Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 87.* (quamvis is subjungat *n.* 88. se, licèt id verum censeat, æstimare consultiùs facturum pensionarium, si confestim mortuo beneficii possessore curet fieri intimationem successori cum mandato de solvendo quolibet termino obvenient ad evitandas omnes difficultates, quas successor in beneficio posset excitare) Lott. *n.* 109. & 113. testans, sic Rotam in unica solutione facta per antecessorem sæpissimè pronunciasse pro manutentione pensionarii contra successorem. Ex variatione siquidem personarum ex parte rei non mutatur, aut eliditur jus actoris. *l. 2. ff. de verbor. oblig.* præcessórque & successor in officiis & dignitatibus reputantur una eadémque persona. gl. *in c. quoniam Abbas. v. substitutum. de off. delegat.* Lott. *n.* 110 & 111.

3. Secundò, etiamsi solutio illa unica facta metu censurarum. Garc. *loc. cit. n.* 451. citans plures Rotæ decisiones, Ventrigl. *loc. cit. n.* 57. Castrop. *loc. cit.* præcedente etiam compulsione & mandato Judicis, sive justo sive injusto, etiam sub pœna censurarum, imò censuris actualiter illatis; quia præsumitur ad huc obediendi voluntas, & in illa voluntate continetur patientia Lott. *loc. cit. n.* 208. nisi solvens, dum solvit, fuisset protestatus, se compulsum, & metu censurarum solvere; hæc enim protestatio removet animum ab actu solutionis, locóque patientiæ inducit dissensum, & sic impeditur, quò minùs per talem solutionem possessionem acquirat pensionarius. Garc. *n.* 452. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *n.* 205. sine tali autem protestatione factam vel unicam esse solutionem, sufficiet (non enim simplex metûs præexistentia sufficit, ut actus dicatur metu factus, nisi de metu protestetur, quando protestatio non potest impediri. Lot. *n.* 209. ex Gratian. *discep. for. c.* 113. *n.* 10.) nec juvabit ad elidendam illam confessionem, fuisse posteriores solutiones factas cum dicta protestatione; cùm hæ protestationes subsequentes conservent solùm dissensum circa actus, quibus applicatæ sunt, & non sunt habiles ad revocandam patientiam præstitam semel unico illi actui solutionis, qui sufficiebat ad acquirendam quasi possessionem. Lott. *n.* 210. juxta decis. Rotæ *in Oscensi pens. 25. Jun. 1618.*

4. Tertiò. Ampliatur, ut ad acquirendam possessionem exigendi totam pensionem sufficiat, exactam semel & solutam partem etiam minimam pensionis, modò ea soluta animo solvendi & reliquum, & hoc quoque animo exacta à pensionario, Ventrigl. *loc. cit. n.* 58. Lott. *loc. cit.* Card. de Luc. *de Pens. d. 37. n. 2.* Solvens enim partem debiti censetur (intellige in dubio) agnoscere totum debitum. Ventrigl. *loc. cit.* in similibus enim incorporalibus quasi possessio recipit suum esse non ex latitudine facti intrinseci, sed ex affectu & patientia illius, contra quem acquiritur, exemplo intendentis acquirere possessionem fundi, cui satis est apprehendere possessionem unius partis etiam glebæ, animo apprehendendi possessionem totius. Lott. *n.* 124. & 125. Atque ita ad effectum simplicis possessionis & manutentionis non tam attenditur factum solutionis, quàm animus solventis & exigentis, in quo tota vis acquisitionis possessionis consistit. Lott. *n.* 122. Unde contrarium erit, si titularis solveret illam partem, non ad computum, sive non ut partem, sed ut totum, non volendo deinceps vel ultra id, quod solvit, aliud solvere, tunc solùm acquiritur possessio exigendi istam partem, seu determinatam quantitatem. Ventrigl. *loc. cit. n.* 58. Lott. *n.* 128. citantes Rotam *decis. 547. n. 8. p. 1. recent.* Neque his obstat decretum, de quo paulò supra annullans pensionem de consensu, nisi integrè soluta pensio; eò quòd, dum hæc exceptio respicit nullitatem pensionis, rejicienda sit ad petitorium, & locum non habeat in possessorio. Lott. *n.* 129. Ampliationis ulterioris loco sit

Quæstio 572. *An ergo etiam solutio pensionis facta per titularem moribundum constituat pensionarium in possessione exigendi?*

Respondeo, videri poterat, quòd non; eò quòd iste actus factus per moribundum habendus sit pro non facto in præjudicium successoris, ac etiam Ecclesiæ vel beneficii ob fraudem præsumptam; quemadmodùm actus subinfeudationis gestus à feudatario infirmo, vel aliàs constituto in limine devolutionis est nullus, ut Card. de Luc. *sub tit. de feudis. d. 1.* uti & resignatio officii venalis, ut idem Card. *tit. de regal. d. b.* Item actus resignationis beneficii in infirmitate factus est nullus juxta dicta aliàs. Quin & in hac ipsa materia pensionis reservatio voluntariæ pensionis seu reservatæ beneficio pleno de consensu titularis existentis in infirmitate, ex qua obiit, est nulla; eò quòd ità deficiat voluntas Papæ, qui si id sciviſſet, utique non admisisset juxta Rotam apud Merlin. *decis. 701. n. 1.* referente Cardin. de Luca *de pens. d. 5. n. 6.* Contrarium nihilominus resolvit idem Card. *cit. d. 5. ex n. 12.* eò quòd, dum ipse actus reservationis pensionis jam validus & perfectus erat antecedenter seu ab initio, quo apostolica gratia cum expeditione literarum concessa fuit, nullúmque alium actum, ad validitatem & perfectionem sui exspectabat, perque istius modi solutionem factam ab infirmo, & subsecutam inde adeptionem possessionis exigendi

di pensionem nullum novum gravamen inferatur Ecclesiæ, nullúmque jus novum quæratur pensionario: quemadmodum è contra per præstitum reservationi consensum, per factam resignationem beneficii vel officii venalis, per factam subinfeudationem in infirmitate, respectivè novo gravamine oneratur Ecclesia, novúmque jus acquiritur pensionario, resignatario, subinfeudatario &c. & hæ personæ hinc principaliter suum jus metiuntur, meritò istiusmodi actus, ut Card. de Luca *cit. d.* §. *n.* 12. Unde tale præjudicium resultat Ecclesiæ, aut personis aliis, gesti in infirmitate illiciti & infecti censentur ob fraudem à lege præsumptam, quæ dicitur potiùs fraus præjudicii, quàm fraus consilii. Porrò ampliationes plures, uti & limitationes responsionis principalis datæ *quæstione præcedente* petes ex *quæstionibus seqq.*

Quæstio 573. *An etiam, & qualiter titulari mortuo, morte naturali vel civili, seu dimisso ablatóve ab eo beneficio soluta pensio, puta ab œconomo sede vel beneficio vacante, aut sequestrario fructuum interea constituto, pariat quasi possessionem exigendi contra titularem successorem?*

1. Respondeo primò in genere: in hoc casu vacantis beneficii facta solutio à non habente verum titulum illius beneficii gravati, etsi aliàs ad eum spectarent fructus vacantis beneficii, non præjudicat titulari in ordine ad pariendam pensionario quasi possessionem contra titularem; cùm in his incorporalibus tota vis acquirendi dictam quasi possessionem consistat in scientia & patientia Domini, qualis non est beneficio illo vacante. Ventrigl. *cit.* §. 2. *n.* 60. Lott, *cit. q.* 38. *à n.* 130. Conrad *pr. benef. l.* 5. *c.* 7. *n.* 4. Hinc

2. Respondeo secundò in specie: non acquiritur illa quasi possessio per solutionem factam ab administratore vel exactore, seu deputato pro exigendis fructibus Ecclesiæ vacantis. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *n.* 134. citans Rotam *decis.* 184. *per tot. p.* 1. *divers.* Neque in factam à sequestrario. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *n.* 135. ex Seraph. *decis.* 436. *à n.* 3. Neque per factam à Camera regia (intellige, dum ad eam spectant fructus beneficii vacantis) Ventrigl. *loc. c.* Lott. *n.* 136. ex Gratian. *discep. for. c.* 113. *n.* 52. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 453. Neque per factam à subcollectore spoliorum. Lott. *n.* 137. citans Rotam, apud Gregor. *decis.* 275. *n.* 8. (quæ tamen utatur verbo *fortè*, adeóque loquatur dubitativè) & pro prædictis omnibus Beltramin. *in addit. ad Ludovis. decis.* 275. *n.* 22. De facta tamen solutione etiam unica per reservatarium fructuum, qui habet facultatem percipiendi illos auctoritate propriâ, contrarium, nimirum quòd acquiratur possessio exigendi contra successorem, sentiunt Conrad. *loc. cit.* Ventrigl. *loc. cit. n.* 59. citans Beltramin. *ubi antè n.* 23. & Rotam *decis* 208. *n.* 3. *p.* 3. *recent.* Lott. *n.* 139.

Quæstio 574. *An, & qualiter solutio facta per alium nomine titularis, puta per procuratorem, mandatarium &c. constituat pensionarium in quasi possessione exigendi?*

1. Respondeo primò. Solutione factâ per procuratorem, de cujus sufficiente mandato ad solvendum constat, sive si liqueret de notoria legalitate personæ solventis, inducitur dicta quasi possessio. Lott. *cit. q.* 38. *n.* 151. *juncto n.* 149. Ventrigl. *cit.* §. 3. *n.* 61.

2. Respondeo secundò: solutio facta per alium nomine titularis, dum de hujus mandato sufficiente non constat non inducit illam quasi possessionem; eò quòd esse potuerit, ut talis solvens vel id effinxerit in præjudicium alterius; vel etiam sua simplicitate inductus. Et quamvis nemo præsumatur jactare suum, hæc tamen præsumptio non sufficit; cùm detur instantia facti possibilis in contrarium, juxta *c. in præsentia, de probat.* Lott. *loc. cit. n.* 139. addens *n.* 142. propterea Rotam nusquam voluisse admittere hanc præsumptionem mandati de solvendo sine adminiculis.

3. Respondeo tertiò: quòd si tamen, dum de tali mandato non constat, appareat de scientia & taciturnitate titularis, seu constaret, solutionem ejus nomine factam esse eo sciente & tacente, esset id ipsum non tantùm præjudicium, sed etiam se solo sufficiens adminiculum ad præsumptionem de mandato ad solvendum (ne aliàs videatur induci in titulari dissimulatio ex causa decipiendi pensionarium, quo casu sola scientia & taciturnitas juris præsumptione refertur ad consensum, juxta *l. si fine. c. ad Vellejan.* & Felin. *in c. nonne. n.* 13. *de præsumpt.* Lott. *n.* 144.) & consequenter talis solutio sufficeret ad generandam illam quasi possessionem. Lott. *n.* 143. Ventrigl. *cit. n.* 61. citantes Beltramin.

4. Respondeo quartò. Quotiescúnque, etiam per quodvis aliud argumentum excluderetur sinistra illa præsumptio doli & machinationis (eâ enim qualitercumque elissâ præsumptio contraria *l. cum de indebito* manet in pleno suo robore) seu quoties ex aliis adminiculis rectè præsumi potest mandatum de solvendo, solutio facta à tertio inducit hanc quasi possessionem. Ventrigl. *loc. cit.* Lott. *n.* 146. Atque ita etiam, si pensionarius jam fuisset in quasi possessione exigendi per alias solutiones antecessorum, & agendo contra successorem ostenderet, has solutiones ejus nomine factas, frustra objiceret ei hic successor defectum mandati; cùm verosimile non sit, aliquem cum tanta sua jactura peccasse, solvendo pensiones de proprio. Lott. *cit. n.* 146. *juncto n.* 147. & ex eo Ventrigl. Hinc

5. Respondeo quintò, idem fore, seu rectè præsumi legitimum mandatum in solvente, & consequenter gigni illam quasi possessionem, si solutio esset quidem de uno tantùm termino, sed quantitatis non minimæ, ita ut non cadat sub sensum sani viri, quòd solvens tantam jacturam voluerit facere, solvendo de suo insciо titulari. Lott. *n.* 148.

6. Respondeo sextò. Dum constat, alteri datum mandatum & commissionem solvendi per titularem, mandatum tamen illud effectum non habuit, sive non sit effectualis solutio secuta, non inducitur quasi possessio exigendi; cùm aliud sit mandatum de solvendo, aliud solutio. Ventrigl. *loc. cit. n.* 62. citans Gratian. *discep. for. c.* 113 *n.* 53. & 54.

Quæstio 575. *An solutio facta per campsorem inducat istiusmodi quasi possessionem, & sic quò ad hanc possessionem præjudicet titulari, pro quo schedulam bancariam conscripsit, & dedit pensionario?*

Respondeo: si campsor ille censeatur & dicatur hoc ipso habere à principali debitore mandatum ad solvendum, pensionario exigente statis

temporibus, utique ex solutione per ipsum facta inducitur quasi possessio; cùm factum mandatarii sit factum mandantis, juxta *c. qui per alium. de reg. juris in 6.* secus, si censeatur non habere mandatum. Lott. *cit. q. 38. n. 163. & 164.* Habere autem illum mandatum, ex eo, quòd fidejussor sit pro titulari debitore, tentum aliquando à Rota, ait Lott. *n. 165.* Et illum fidejussorem esse, absque tamen beneficio discussionis, teneri à Jason. Barth. Sorino ait *n. 169.* Verùm tamen nec fidejussorem habere mandatum de solvendo, *n. 170.* ait, teneri ab ultramontanis, quibus consentiant Butrio & Fulgos. qui etiam dicat; contrariam sententiam esse magnum & communem errorem glossarum & DD. Econtra campsorem non esse fidejussorem, sed verum constitutorem cum mandato expresso debitoris, eodémque tempore esse constitutorem & mandatarium, mandatúmque eo ipso datum illi in specie ad solvendum, quod debitor passus est, quin imò in pacto efficit, ut ille veluti campsor constitueret; cùm onus solvendi nequeat separari à constitutore, tradit Lott. *n. 176.* vide eundem de his *pluribus num. seq.*

Quæstio 576. Qualiter ad hoc, ut unica solutio constituat pensionarium in quasi possessione exigendi, ea solutio facta probari debeat?

1. Respondeo primò: ut hic effectus possessionis producatur, factum solutionis debere esse liquidum, & nullam pati turbiditatem. Lott. *cit. q. 38. n. 114.* Hinc

2. Respondeo secundò: probari debet concludenter per plenas probationes, maximè, si agatur contra successorem, qui pensioni non consensit. Ventrigl. *cit. §. 2. n. 63.* citans Marant. *controv. p. 4. resp. 39. & seq.* proinde

3. Respondeo tertiò: confessio titularis prædecessoris, vel etiam administratoris non probat solutionem contra successorem. Ventrigl. *ibid.* citans Gratian *discep. for. c. 113. n. 49.* Lott. *n. 115.* Adeóque licèt regulariter quietantiæ seu instrumenta, in quibus continetur facta solutio, probent solutionem, id tamen non intelligitur, seu non procedit, nisi quando factæ seu datæ sunt ipsimet, contra quem agitur; hoc enim casu indistinctè hac ratione probatur solutio ob implicitam confessionem illius super facto solutionis. Ventrigl. *n. 64.* Lott. *n. 116.* secus, si agitur contra illius successorem, nimirum si pensionarius confessus est in quietantia seu instrumento dato prædecessori, se ab eo recepisse pensionem, talis simplex quietantia non probat contra successorem, seu modernum titularem.

4. Respondeo quartò: tunc demum etiam contra successorem probabit concludenter quietantia seu instrumentum, si contineat seu importet veram ac naturalem numerationem pecuniæ. Uti eam continebit, si notarius in eo dicat, coram se & testibus solutum fuisse, seu pecunias pensionis solvendæ gratiâ numeratas, ac datas pensionario Lott. *n. 117.* & ex eo Ventrigl. *n. 64.* juxta Rot. *in Calagurit. pens. 17. Jun. A. 1624.*

5. Respondeo quintò: sufficienter quoque probabunt quietantiæ, si aliunde sufficienter adminiculatæ sint. Sufficiens autem pro hoc adminiculum erit rei verisimilitudo v. g. concurrentibus hisce: præexistens reservatio, promissio de solvendo, & quantitas non levis, quam se recepisse in quietantia confitetur pensionarius; cùm verisimile non sit, quempiam fassum, se recepisse egregiam quantitatem pecuniarum, hac ratione, si eam quantitatem non recepisset, & tamen asseruisset, se eam recepisse, jactando suum, nimirum amittendo seu resignando tali suâ falsâ confessione in dictam quantitatem. Lott. *n. 119. & 120.*

6. Respondeo sextò: si agatur ad alium quoque effectum, quàm dictæ quasi possessionis & manutentionis, puta, ad evitandum onus justificandi gratiam contra successores ex possessione longissima 30. annorum, quæ facit præsumi gratiam justificatam, hoc jure utimur, ut probatis extremis media præsumantur, ac ita continuatio in exactione probetur. Lott. *n. 121. & 122.* citans Alciat. *de præsump. reg. præsump. 21. n. 11.* & Rotam. *in Bonon. pens. 17. Maii. 1593.*

7. Respondeo septimò: schedula quoque bancaria in ordine ad acquirendam possessionem exigendi sufficienter probat factum solutionis, si à tergo illius appareat, aliquam quantitatem solutam, saltem junctis adminiculis; nimirum ex præcedente pacto de dando schedulam bancariam ex ipsa reservatione, correspondentia quantitatis solutæ ex temporis & rei verisimilitudine, præcipuè ex stylo mercatorum, & hujusmodi. Lott. *n. 157.* Quamvis autem addat idem Lott. *n. 159.* hæc adminicula minimè esse præcisè necessaria; cùm, quòd facta fuerit solutio, satis justificetur ex sola confessione mercatoris solventis facta contra se, seu facta in ejus præjudicium; attamen subjungit *n. 161. & 162.* quia confessio campsoris non est confessio debitoris, nec propterea attendatur in præjudicium debitoris, si pensionarius controverteret solutionem, aliud respondendum esse, nimirum requiri præter illam confessionem & cetera adminicula.

Quæstio 577. An, & qualiter in vi factarum solutionum acquisita illa quasi possessio exigendi pensionem præscriptione decennali amitti possit?

Respondeo: videri, quòd non. Lott. *cit. q. 38. n. 216.* nam primò, cùm in istiusmodi incorporalibus non secus ac in corporalibus locus sit duplici possessioni, naturali scilicet & civili, & possessio semel per exercitium acquisita præsumatur semper continuata, adeóque non intret consideratio lapsûs alicujus temporis decennii, vel etiam vicennii. Lott. *cit. q. 38. n. 211. & 212.* titularis excipiens de præscriptione contra pensionarium, priùs probare deberet, possessionem illam naturalem fuisse amissam aliter quàm ex lapsu temporis, nimirum probando pensionem fuisse semel petitam, & titularem eam negasse; quia illa denegatio intenta est ad spoliationem naturalis possessionis. Lott. *n. 213. & 214.* Posito autè, quòd naturalis fuerit amissa, licèt amissa quoq; videatur & civilis, si pensionarius per decennium acquievisset illi negationi solutionis; cùm sic non petendo abjecerit etiam animum possidendi. Lott. *n. 215.* Verumtamen adhuc hanc exceptionem præscriptionis à Rota consuevisse rejici ait Lott. *n. 216.* eò quòd, ut sit locus amissioni possessionis civilis per lapsum talis decennii, exigatur, ut possessio naturalis per alium fuerit occupata; hoc autem malè applicetur his terminis, ubi adest simplex denegatio solutionis facta à titulari; cùm non detur terminus habilis, nimirum ut tertius

tius aliquis interea pensionem exigat, & sic applicari nequit controversiæ super quasi possessione pensionis, quòd unus possideat naturaliter tantùm, & alter civiliter tantùm; cùm, licèt pensionarius in hoc casu denegatæ solutionis possideat tantùm civiliter, titularis tamen non potest possidere naturaliter, quia pensio est quædam servitus, res autem sua nemini serviat. Lott. *à cit. n.* 216. citans Rotam *in Aquilegien. pens.* 21. *Maij* 1610. & *in Bonon. pens. quæ est* 404. *n.* 7. *p.* 2. *recent. &c.*

De potestate Pensionarii, & modo exigendi pensionem.

Quæstio 478. *An, & qualiter pensionarius habeat actionem personalem contra titularem ejúsque successorem, eámque exercere valeat?*

1. REspondeo præter ea, quæ sparsim in antecedentibus, maximè in quæstione illa, qualiter titularis teneatur solvere pensiones decursas tempore antecessoris sui. Ad primum: Habere illum actionem personalem tam contra titularem, qui primò expressè consensit, quàm ejus in eodem beneficio successores, ortam ex præstito illo cum amplissima obligatione in forma cameræ consensu à titulari pro se & successoribus suis, quem consensum necessariò supponit Papa, & sine quo literæ provisionis non expediuntur, quémque consensum successor acceptando beneficium cum omnibus oneribus suis tacitè quoque præstat ipse successor; ac proinde, uti decretum illud Papæ reservantis pensionem afficit quoque successores, ita eos necessariò huic actioni personali subjicit, agitúrque contra eum optimè hac actione, qui ipse quoque acceptando tale beneficium gravatum, pensioni à se solvendæ consensit. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *à n.* 38. Card. de Luc. *de pens. d.* 26. *n.* 2. Gonz. *gl.* 5. §. 5. *n.* 46. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11 §. 2. *n.* 36. Neque locus jam est excusationi ex capite ignorantiæ; cùm teneatur successor hæc omnia scire, & paria sint vel scire, vel scire debere, aut de facili scire posse Lott. *loc. cit. n.* 43. & ex eo Ventrigl. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum primò: Actio hæc, ut utiliter intentari possit contra aliquem, ex parte illius, ante omnia requirit, ut qui reservationi pensionis consenserit, utpote in quo consensu fundatur dicta actio personalis, ut dictum. Lott. *n.* 48. Unde etiamsi contra intrusum percipientem fructus, item contra omnes eos, qui tempore vacantis beneficii perceperunt fructus, intentari valeat actio realis, non tamen personalis, quia ex eo, quòd ipsum verum titulum beneficii illius gravati non habeant, non possunt dici consensisse reservationi pensionis.

3. Respondeo ad secundum secundò: Cùm tam consensus titularis ac successorum, quàm consensus Papæ habeat respectum ad fructus (unde ista actio est quidem personalis, sed in rem scripta. Lott. *n.* 47. citans Menoch. *de recuperand. poss. remed.* 5. *n.* 76.) pro exercitio hujus actionis, seu ut ea utiliter institui possit contra aliquem, præter consensum illius requiritur insuper, ut is fructus percipiat, ita ut, si fructus nullos percipiat, in vanum ostendatur illum habere validum titulum; Lott. *loc. cit. n.* 48. Ventrigl. *loc. cit.* Unde jam, cùm movetur hæc personalis actio contra titularem, qui pensioni consensit (intellige, ubi in reservatione non fuerunt adhibitæ cautelæ illæ seu clausulæ: *habitâ vel non habitâ possessione, &c.*) pensionarius justificare debet præter consensum titularis perceptionem etiam fructuum. Lott. *loc. cit. nu.* 63. quod ipsum tamen factum facillimum est, probando nimirum, titularem fuisse adeptum possessionem beneficii, cùm exinde exsurgat juris præsumptio, quòd fructus perceperit, quæ eatenus prævalebit, donec elidatur per reum apertè docentem vel de impedimentis, quò minùs ipse fructus percipere potuerit, vel de perceptione illorum ab alio facta. Lott. *ibid.* Quin &, si actio hæc personalis dirigatur contra successorem in beneficio, satis non est, ostendere, illum esse verum successorem, sed insuper necesse est probare, hunc quoque succedere in possessione, & sic præsumptivè etiam in perceptione fructuum. Lott. *n.* 64. Et sic hæc actio non eliditur quàm per probationem contrariam, quòd fructus percepti non sint. Lott. *n.* 65. circa quam exceptionem & casus varios non perceptorum fructuum vide dicta fusè suprà, ubi quæsitum, an in eo casu solvere teneatur titularis. Unde jam patet, eum, qui nec juris, nec possessionis successor est, etiamsi consenserit pensioni & fidejussores constituerit (in eo nimirum casu, dum id fecit spe provisionis in favorem sui faciendæ, & tamen illud beneficium assecutus non fuit, sed alius de eo provisus) etiamsi in camerali etiam obligatione se obligasset; quin etiam, si in literis reservationis adesset illa clausula: *habitâ vel non habitâ possessione*: non teneri ad solutionem, seu non dari contra eum actionem realem; eò quòd hæc omnia ab illo facta intelligantur sub illa conditione, quatenus is, qui se obligat, beneficio, cujus intuitu facta obligatio, frui possit. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 61. citans Bursat. *cons.* 36. *n.* 33. *l.* 1. Gig. *q.* 47. *n.* 2. Patet quoque ex his, non subsistere, quod tradit Corrad. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 11. *p.* 2. *benef.* pensionarium posse convenire pro pensione, quem maluerit, sive possessorem, seu perceptorem fructuum, seu titularem, si sermo est de actione personali; quia autem hac actione convenire potest non possessorem fructuum, quia is caret titulo, adeóque deest consensus illius in pensionem; non titularem, quia is non est in possessione percipiendi fructus, seu fructus non percipit. Lott. *cit. n.* 48. *juncto n.* 49.

Quæstio 579. *An, & qualiter pensionario competat quoque actio realis & hypothecaria?*

1. REspondeo: Hanc actionem ei quoque competere. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 38. Ventrigl. *cit.* §. 2. *n.* 34. Castrop. *d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 12. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 1. citantes Gig. *q.* 51. *à n.* 17. contra Paul. Castrens. *cons.* 338. *vol.* 1. Felin. *in c. ad audientiam. de rescrip.* Pensio enim imponitur super fructibus, quoties autem certæ rei onus imponitur, illa res censetur tacita hypotheca obligata pro illo onere juxta *l. codicillis.* §. *instituto. ff. de Legat.* Castrop. *loc. cit.* atque ita Papa in reservatione pensionis respicit fructus designando illos tanquam subjectum, quod gravare intendit & afficere pro ipsa pensione per hæc ferè verba: *super fructibus, reditibus, emolumentis*: prolata autem illa dictio *super* ab eo, qui obligare potest, procul dubio importat hypothecam. Lott. *loc. cit. n.* 44. & 45. citans Gig. *de pens. q.* 42. *n.* 2. Roman. *cons.* 388. *n.* 1. & 2.

2. De

2. De cetero actionem hanc realem minùs propriè hypothecariam dici, tradit Card. de Luc. *de pens. d. 14. n. 13.* ubi: quod pro pensione hypothecati sint fructus Ecclesiæ, id ita dicitur per quendam modum loquendi ita explicando quandam affectionem realem, seu rei persecutoriam productivam prioritatis adversùs alios creditores titularis, ad instar illius affectionis, quæ pro dote competit in bonis debentis dotare, vel fideicommissi ascendentis, & quam affectionem aliqui hypothecam appellare consueverunt, sed erroneè & per modum loquendi, non autem per veritatem; sic à pari nullibi in jure cautum est de hac pensionis hypotheca. &c.

3. Observandum autem hìc est, quòd dictum quoque suprà, subjectum istius oneris realis non esse Ecclesiam, seu beneficium, vel etiam prædia, bona, & jura Ecclesiæ, seu beneficii, sive pensionario hypothecatum non esse ipsum beneficium, seu prædia illius, sed solùm beneficii fructus ex dictis prædiis, vel bonis ad beneficium spectantibus provenientes, Lott. *cit. q. 39. n. 73.* Ventrigl. *loc. cit.* citans Marant. *to. 4. controv. resp. 68. n. 16.* Gratian. *discep. for. c. 94. n. 51. & seq.* cùm beneficium, prout est jus percipiendi ex prædiis, aliisque bonis fructus, sit extra nostrum commercium. Unde, etsi pro statuenda quantitate pensionis Papa consideret qualitatem Ecclesiæ, an simplex, an curata, an collegiata, an cathedralis, & econtra non consideretur ab eo mutatio personæ successoris in beneficio (Papa enim decernendo, successores teneri ad persolvendam pensionem, censetur de quocunque successore cogitasse, etsi is Cardinalis sit) ut propterea videri posset pensio esse onus reale respectu ipsius beneficii, illúdque ipsum habere rationem hypothecæ; minimè tamen id inde inferri potest. Lott. *à n. 74.* Prædia verò seu bona ipsa Ecclesiæ, seu beneficii, neque per titularem, neque per Papam obligantur (quidquid sit, an obligari possint per titularem vel Prælatum Ecclesiæ, de quo AA. in *c. nulli, de rebus Eccles. non alien.*) uti id certum est vel ex ipsa formula reservationis pensionis, neutiquam indicante voluntatem illam obligaudi ista bona, ne quidem tacitè, etsi concedatur, pensionem reservari alimentorum gratiâ, & favore alimentorum censeri inductam hypothecam; cùm id procedat solùm, dum in specie designata aliqua prædia, ex quibus debeantur alimenta. Lott. *à n. 77.*

4. Respondeo secundò: Vigore hujus hypothecæ pensionarius agere potest pro consequenda pensione, non solùm contra eum, qui pensioni consensit (dum nimirum is fructus percepit) sed etiam contra ejus successorem, & quemcunque possessorem (subintellige fructuosum) Paris. *l. 6. qu. 2. num. 96.* Castrop. *loc. cit.* Azor *loc. cit.* ex eadem ratione ab iis assignata. Etiam pro terminis decursis ante hujus successoris possessionem. Ventrigl. *n. 35.* pro cujus declaratione vide dicta superiùs, ubi, qualiter successor teneatur solvere pensiones decursas tempore sui antecessoris potissimum ex Lott. *q. 39. à n. 87.*

Quæstio 580. *An Pensionarius tam contra beneficiatum, qui consensit pensioni, quàm ejus successorem, negantem solvere pensionem, agere possit spolio, seu judicio de spolio, seu possessorio?*

1. Respondeo ad primum affirmativè, idque non tantùm, si per plures annos pensionarius recipit solutionem à beneficiato, qui modò eam negat, quia acquisitâ possessione privatur; verùm etiam, si vel semel ab eo recepit solutionem, cùm, ut dictum, hic unicus actus ad acquirendam possessionem sufficiat. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 6. n. 13.* & à fortiori omnes, qui stant pro responsione seq.

2. Respondeo ad secundum: Adversùs successorem quoque in beneficio negantem solvere pensionem, dum antecessor ejus vel semel solvit, potest pensionarius agere eodem judicio, quia, ut dictum suprà, non mutatur jus pensionarii habentis possessionem exigendi ex fructibus illius beneficii annuam pensionem, quia fundatur in titulo pensionis, & solutione factâ à titulari, adeóque variatio beneficiatorum est per accidens. Castrop. *loc. cit.* citans Azor *p. 2. l. 8. c. 3. q. 2.* Lott. *l. 1. q. 39. n. 112.* citans Guido. Papam *decis. 629. per tot.* & Gig. *de pens. q. 47. n. 10.* Sic quoque, dum pensio debetur alicui Ecclesiæ, eique soluta est Antecessori tuo, agere potes judicio possessorio, ut tibi succedenti in beneficio, nempe in Rectoratu illius Ecclesiæ pensionariæ ea solvatur, etsi enim tu nunquam fueris in possessione eam exigendi; quia tamen tu non agis nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ tuæ, quæ ob solutionem factam Antecessori tuo est in possessione eam exigendi, poteris agere nomine illius contra debitorem negantem solvere de spolio. Castrop. *loc. cit. n. 14.* Azor *loc. cit. q. 2.* Gig. *cit. q. 47. nu. 9.*

Quæstio 581. *An Pensionarius super fructibus beneficii præferatur Creditori?*

Respondeo: Præferendum illum esse in fructibus gravati beneficii quibuscunque creditoribus, etiam anterioribus. Garc. *p. 1. c. 5. n. 136.* citans Collantes. *in pragmat. agricol. l. 3. c. 1. n. 8.* Card. de Luca *de pens. d. 15. n. 14.* citans Gig. *de pens. q. 51.* Tond. *eod. tr. c. 20. n. 20.* item *d. 9. n. 2.* ubi: suppositâ pensionis validitate, extra controversiam est pensionarii prioritas, dum agitur de concursu super fructibus beneficii gravati, qui pro terminis etiam decursis affecti sunt pensionario adversùs omnes Titularis creditores, quamvis anteriores, & privilegiatos, eò quòd ipse habet affectos hos fructus ex dispositione Papæ, & sic per quandam speciem hypothecæ, vel alterius similis juris super ipso beneficio, & causa productiva fructuum; econtra autem alii creditores beneficiati nullum jus habent super eodem beneficio, ejúsque fructibus adhuc non separatis, super quibus eatenus aliis creditoribus beneficiati ex causa indifferente jus competit, & hypotheca cadit, quatenus jam separati à causa productiva effecti sunt de patrimonio beneficiati, tanquam bona privata, & laicalia, &c. ac subjungit *n. 5.* pensionario tanquam per speciem hypothecæ affecti sunt fructus Ecclesiæ gravati cum ordine & prioritate temporis, adeo ut intret regula: *qui prior:* non solùm adversùs alios creditores indifferentes, quorum respectu casus est indubitatus; præterquam, ubi agitur de fructibus jam à solo separatis, & confusis cum reliquo debitoris patrimonio, concursus esset super eorum pretio, quod, cessante aliquâ ex limitationibus, juxta regulam non succederet loco rei. Sed etiam idem ordo intrat inter ipsos pensionarios, ut anteriores vincant posteriores.

Quæstio

Quæstio 582. *An pensionarius negligens in exigendo pensionem à defuncto titulari, ejúsve hæredibus, habeat actionem contra ejus successorem modernum beneficii possessorem?*

REspondet negativè Card. de Luc. *de pens. d.* 31. *à n.* 8. juxta dicta à nobis suprà, ubi, an successor solvere teneatur pensiones decursas tempore antecessoris sui; quamvis enim in puncto juris probabilior fortè sit opinio affirmans pro pensionibus decursis tempore antecessoris nullam competere actionem super fructibus futuris contra successorem; contrarium autem ex quadam æquitate in Curia receptum sit, ita ut de stylo potiùs quàm de jure detur actio contra successorem pro pensionibus illis decursis. Card. idem *cit. n.* 8. idipsam tamen nonnisi qualificatè receptum est, nimirum si pensionarius doceat de diligentiis bene à se adhibitis contra antecessorem competat ei hæc actio de stylo potiùs, quàm de jure inducta contra successorem; secus si de iis docere nequeat. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 9. eadem ferè habet idem Card. *de pens. d.* 19. *n.* 5. *juncto n.* 14.

Quæstio 583. *An, si pensionarius acceptis à Titio titulari pensionibus trium annorum sequentium anticipatis solutionibus, dein pensionem ex Apostolica auctoritate transferat in Cajum, hic Cajus exigere possit à Titio pensionem tribus primis annis à translata in se pensione?*

REspondeo: affirmativam videri probabiliorem; eò quòd in translatarium non transferatur pensio, quam habet tranferens, sed eâ extinctâ translatarius obtineat novam similem prorsus priori; cùm non detur in pensionibus vacatio, sed extinctio, & consequenter solutio facta transferenti illi non possit beneficium relevare ab onere solvendi moderno pensionario nempe translatario isti pensionem, debeátque sibi imputare Titius, quòd anticipato solverit; quemadmodum, si Prælatus elocans fructus alicujus prædii, & anticipato recipiens solutionem aliquot annorum, dein moritur, non relevatur locatarius à solvenda pensione successori Prælato, tametsi jam antecessori solverit. Castrop. *d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 11. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 1. contra Gig. *de pens. q.* 88. *n.* 5. apud eund. Castrop. hac motum ratione, quòd transferens in translatarium jus aliud non transtulerit, nisi quòd ipse possidebat; cùm ei subrogetur translatarius, transferens autem receptis illis anticipatis solutionibus non habeat potestatem exigendi à titulari illis annis tribus sequentibus; item quòd titularis anticipata solutione liberatus sit ab obligatione solvendi, adeóque eam de novo contrahere nequeat.

Quæstio 584. *An exigi possit pensio per procuratorem, & is probare teneatur mandatum suum, & suum principalem superstitem esse, seu adhuc vivere?*

1. REspondeo supponendo primum, ad secundum: Procurator verificare debet mandatum, quia sine mandato esse nequit procurator. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 16 *in fine.* Et si beneficiatus opponat exspirasse mandatum, quia pensionarius jam è vita decessisset, beneficiatus id probare debet; quia procurator, dum aliàs ejus mandatum tanquam validum admittitur, fundatam habet intentionem suam. Castrop. *loc. cit.* secus esse dicens, si beneficiatus opponeret falsum esse mandatum.

2. Respondeo ad tertium: Affirmativam teneri à Castrop. *loc. cit.* ubi: si beneficiatus opponeret, pensionarium jam è vita decessisse tempore decursæ pensionis à se petitæ, competit procuratori probare, pensionarium illo tempore vixisse. Idem tenet absolutè Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 46. nimirum titulari opponente, teneri talem procuratorem omnino probare superviventiam sui principalis, non solùm in urbe, sed etiam extra; tum quia sic habeat communis consuetudo, tum etiam, quia in literis reservationis apponi solet clausula: *quoad vixerit*: quæ, cùm videatur importare conditionem, veniat verificanda: tum etiam, quia fraudes multæ committi solent in pensionum exactionibus, quibus obviandum. citat pro hoc Maceratens. *var. resol. l.* 1. *resol.* 112. *casu* 65. ait nihilominus Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 92. hoc ipsum tamen non tam simpliciter admittendum videri, dum in contrarium adessent probabiles aliquæ conjecturæ mortis, cùm de jure vita hominis præsumitur durare ad centum annos; quemadmodum in simili casu de procuratore constituto per patronum ad præsentandum, quòd non teneatur probare vitam sui principalis, etsi is absens sit, dum ejus nomine vult admitti ad præsentandum. Pro quo postremò citat Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 44.

Quæstio 585. *An, & qualiter exigi possit pensio ante expeditionem literarum Apostolicarum super reservatione pensionis, & sub quâ pœnâ id prohibeatur?*

1. REspond. ad primum: Pensio nullatenus exigi, aut etiam solvi potest ante confectionem & expeditionem literarum, seu Bullarum Apostolicarum super dicta reservatione, ob decretum & clausulam apponi mandatam ac solitam in supplicatione à tempore Gregorii XIII. *pensionem, vigore tamen literarum desuper expediendarum, nec aliàs persolvendam.* Item ob hoc decretum à tempore Sixti V. extensum hac ratione: *vigore literarum Apostolicarum desuper expediendarum, nec antè; aliàs præsens reservatio nulla sit eo ipso, &c.* Quibus Clemens VIII. adjecit limitationem temporis expediendi dictas literas intra novem menses à die supplicationis sub pœnâ nullitatis reservationis pensionis. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 7. *n.* 25. dicens: quidquid fuerit antehac, hodie certum esse, non posse sine dictis literis exigi pensionem. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 6. *n.* 9. Garc. *p.* 4. *c.* 2. *à n.* 43. Lott. *l.* 1. *q.* 37. *à n.* 6. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *n.* 29. qui omnes testantur, de dictis decretis seu clausulis. Item Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 3. ubi: quòd, sicut impetrato à Papa beneficio, illius possessio apprehendi nequit sine illius literis; ita etiam post impetratam pensionem necesse est, ut expediantur literæ Pontificiæ, ut solvat pensionarius ministris pontificiis in Curia laborantibus; & quidquid sit de jure, usus Romanæ Curiæ sic habet, ut exigi non possit sine dictis literis pensio. Item Card. de Luc. *de pens. d.* 29. *n.* 3. & *d.* 44. *n.* 9. & 10. ubi, quòd pensio exigi nequeat ante expeditas literas, id non tam jure statutum, quàm provenire ex decreto annullativo in ipsa reservatione prima adjici solito.

2. Am-

2. Ampliatur responsio primò: ut ne quidem primo semestri à reservatione pensionis, etiam in foro interno licita sit exactio pensionis propter eadem decreta. Ita expressè Castrop. Azor *ll. cit.* contra Gig. *de pens. q. 34. n. 6.* Mandos. *ad reg. 27. cancell. q. 7. n. 4.* Rebuff. *de pacif. poss. q. 137. concl. 21. & in pr. tit. de signat. grat. p. 3. n. 11.* Sanch. *de matrimon. l. 8. d. 29. n. 5.* citatos ab eodem Castrop. qui putant solvi & exigi posse in foro conscientiæ pensionem, durante tantùm illo primo semestri, eò quòd firma sit gratia principis etiam verbo tantùm concessa ante expeditionem literarum: quibus in tantum favere videtur Tond. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 4. n. 5.* quatenus ait, exigi nullatenus posse pensionem ante expeditionem dictarum literarum, saltem in foro exteriore. Sed, ut dictum suprà, ubi de modo imponendi pensionem, aliud est gratiam illam firmam esse, aliud vi illius exigi posse pensionem.

3. Ampliatur responsio secundò: ut, stantibus dictis clausulis, ante expeditionem literarum etiam ab executoribus datis ad exequendam solutionem pensionis procedi nequeat, etiam stante cõsensu titularis, ac obligatione in forma Cameræ. Corrad. *loc. cit. n. 27.* dicens, hæc adeo strictè observari, ut prorsus rejiciendus sit, qui contrarium dixerit seu senserit. Siquidem clausula illa: *vigore literarum, &c.* non est apposita favore partium, ita ut possint eidem renunciare, sed favore publico Officialium Cancellariæ Apostolicæ; cùm antea in fraudem horum Officialium partes parum curabant literas ipsas expedire; cùm eis sufficiebat habere solam supplicationis signaturam, cum qua erant tuti in foro conscientiæ. Corrad. *l. c. n. 28.* citans Salust. Tiber. *in pract. Auditor. Cam. l. 3. c. 4.*

4. Limitatur verò responsio: Nisi adsit in reservatione pensionis, quòd sola supplicationis signatura sufficiat (quæ clausula apponi consuevit in pensionibus pro Palatinis, teste Garc. *p. 4. c. 2. n. 34.* seu pro pensionibus confidentiariis, ut Ventrigl. *loc. cit. n. 34.*) Corrad. *loc. cit. n. 26.* Ventrigl. *l. c. n. 35.* citans Mandos. Gig. &c. ac dicens, in hoc casu etiam in conscientia valide sustineri exactam pensionem ante dictas literas.

5. Respondeo ad secundum: Deficiente verò hac clausulâ, & reservatâ pensione sub clausulis istis aliis consuetis, si pensio exigatur ante expeditionem literarum, idque probatum fuerit; vel etiam si absque eo, quòd exacta fuerit, pensionarius non curaverit dictas literas expedire intra novem menses ultra montes, & intra sex citra montes; ipsa constitutio pensionis erit ipso jure nulla, ut patet ex tenore clausularum illarum, seu decretorum irritantium, ac proinde formam inducentium huic actui reservationis; adeóque mirum non est, hunc deficere hac formâ non servatâ. Lott. *loc. cit. n. 8. & 9.* & ex eo ferè verbotenus Corrad. *l. c. n. 32.* dicentes, sic hodie tenacissimè servari. Card. de Luc. *de pens. d. 30. n. 9.* dicens, cùm nimis clarum sit decretum annullativum pensionis in casu talis exactionis aliàs, quàm vigore literarum expeditarum, conclusionem hanc non admittere controversiam. Item Ventrigl. *cit. n. 29.* Castrop. & alii AA. citati pro responsione principali præced. quibus accedunt Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 98.*

6. Ampliatur responsio primò, ut nulla admittatur excusatio ad favorem exigentis pensionem ante dictam expeditionem. Lott. *loc. cit. n. 13.* Ventrigl. *cit. n. 29.* Barb. *loc. cit.* Et in specie nulla à tali exigente poterit allegari ignorantia dicti decreti de expediendis literis, & non exigendi antè illas pensionem. Corrad. *loc. cit. n. 35. & 36.*

7. Ampliatur secundò, ut procedat, etiamsi literæ ante exactionem sint cœptæ expediri, seu ex parte expeditæ; quia, cùm talis expeditio sit de forma, nihil dicitur actum, si aliquid deficiat, adeóque requiritur totalis expeditio. Lott. *loc. cit. n. 10.* Ventrigl. *cit. n. 29.* Barb. *loc. cit.* citans Sarnens. *ad reg. cancell. de idiomate.* Salust. Tiber. *in pract. Cam. Aud. l. 3. c. 4. n. 4.* Tunc verò sufficienter & non priùs dicuntur hæ literæ expeditæ, quando sunt plumbatæ. Lott. *n. 11.* Ventrigl. *n. 33.* Barb. *loc. cit. n. 100.* citantes Sarnens. *in reg. de non judicando q. 1.* (vel, ut Barbos. *q. 5. n. 5.*) Salust. Tiber. *ubi ante n. 5.* Corrad. *loc. cit. n. 31.* dicens sufficere, quòd sint plumbatæ, etsi necdum pervenerint ad manus pensionarii, idque intelligi, tam si expeditio fiat per Cancellariam, quàm per viam secretam.

8. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamsi partes inter se convenerint, & titularis promiserit reservatam Apostolicâ auctoritate pensionem solvere ante expeditas literas. Lott. *n. 5.* Corrad. *loc. cit. n. 28.* Ventrigl. *n. 30.* contra glossatorem antiq. apud eosdem tenentem, quòd si titularis per instrumentum ad partem promiserit pensionem solvere ante literas expeditas, possit cogi ad solutionem, quia, ut dictum, clausulæ illæ non sunt appositæ favore partium. Adde, quòd hujusmodi pactum inducat simoniam juxta Garc. *p. 4. c. 3. n. 45.* contra Paris. *de consid. q. 43.* apud Ventrigl.

9. Ampliatur quartò, ut non sufficiat ad evadendam dictam nullitatem, quòd literæ fuerint expeditæ, antequam opponeretur de nullitate (intellige, ob exactam pensionem ante expeditionem, aut propter non expeditas literas intra tempus præscriptum) quia dictum decretum requirit expeditionem literarum ante exactionem, & inducit formam præcisam, ac ideo non suffragatur expeditio post exactionem. Corrad. *loc. cit. n. 33.* prout etiam nihil ad hoc facit, quòd de consensu titularis expediantur literæ, per exactam pensionem; consensus partium siquidem nihil operatur in materia validitatis pensionis, nisi etiam interveniat auctoritas Papæ. Ventrigl. *n. 31.* Unde nec gratia reservationis pensionis per talem exactionem præproperam, vel neglectum expeditionis literarum annullata seu extincta non convalesceret de consensu titularis, patientis moram purgari, cùm post extinctionem pensionis non sit locus purgationi moræ. Lott. *n. 12.* Corrad. *n. 34.* Econtra

10. Limitanda conclusio, seu responsio primò: ut non inducatur nullitas ob non expeditas literas intra sex, vel novem illos menses, si pensionarius impeditus ab iis, quorum est literas dictas conficere, argumento illius, quod tradit Barb. *n. 99.* nimirùm quòd provisi à Cardinali habente ad hoc indultum, de reservato, si à Datario impediti fuerint, quò minùs expeditæ fuerint super ista provisione literæ intra sex menses, non vacent ea beneficia, uti ea aliàs vacarent vi decreti adjungi soliti in dicto indulto, si eas suâ culpâ intra dictum tempus non curasset expediri provisus. Et sicut in hoc casu de eo impedimento dicitur constare, si coram Notario, & testibus institerit provisus apud Datarium pro nova provisione, & protestatus fuerit, quòd per se non stet, quò minùs expeditio illarum literarum fiat intra dictum tempus. Barb. *cit. n. 99.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 15. à n. 109.* ita pari modo

modo dicendum videtur de impedimento simili ratione incerto expeditioni literarum reservationis pensionis.

11. Limitatur secundò : ut non inducatur nullitas pensionis per exactionem ante illam expeditionem, nisi exactio verè facta probata fuerit per concludentissimas probationes, ita ut probationes æquivocæ nullatenus admittantur. Lott. *loc. cit. n.* 13. Ventrigl. *n.* 32.

12. Porrò illud hic observandum, quòd, postquam paritum est isti decreto de non exigendo pensionem ante literas expeditas, vel etiam procurandi dictam expeditionem intra constitutum tempus, vi dictarum literarum non tantùm exigi possint termini pensionum decursi post dictam expeditionem, sed etiam quotquot decursi à die reservationis pensionis ante dictam expeditionem, seu termini intermedii inter supplicationem signatam, & literas expeditas; eò quòd, ut dictum suprà, expeditio illarum non concernat substantiam gratiæ seu reservationis pensionis, sed solùm executionem, ideóque impletio dicti decreti solùm removet obstaculum solutionis, & exactionis, quo ablato, res retrotrahitur ad suum initium, & gratia reservationis censum suum habet ab initio. Card. de Luc. *de pens. d.* 29. *n.* 4. *& d.* 30. *n.* 10. *& d.* 44. *num.* 9. *&* 10.

Quæstio 586. *An etiam promotus ad Episcopatum cum indulto Apostolico retinendi pensiones antè habitas (sine quo indulto eæ aliàs cessarent & extinguerentur) teneatur quoque expedire literas super hujusmodi indulto?*

1. REspondeo primò : Supponendo, quod, ut refertur in constitutione Leonis X. mox citanda, constituerit Sixtus V. & Julius II. ne literæ promotionis expedirentur sine literis retentionis pensionum, etiamsi talis promotus obtinuisset supplicationem, etiam motu proprio signatam super hujusmodi retentione pensionum, nisi desuper etiam expedivisset literas, eo ipso pensiones fore cassatas & extinctas; nisi fortè in schedula Consistoriali, in qua signata supplica super isto indulto, fuisset dispensatum quò ad expediendas insuper literas. Sic enim habetur in constitutione Leonis X. publicata 3. Jan. 1520. quæ in Bullario est 35. ejusdem Papæ. & Clem. 7. publicata 19. April. 1524. quæ est 8. ejusdem Papæ in Bullar. Lott. *l. 1. q.* 37. *nu.* 15. & ex eo Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 1. *num.* 35.

2. Quod tamen limitandum ita, ut, si promotus expediverit literas super Ecclesia, seu promotione sua ad Episcopatum, & non expediverit literas super dicta retentione, non illico in vim dictarum Constitutionum extinguatur pensio; cùm dictæ Constitutiones non determinent tempus, quo inducitur talis extinctio, ac propterea, cùm pœna privationis non habeat locum, nisi in casibus expressis, exspectandus est exitus, an tales literæ expediantur, antequam promotus adipiscatur possessionem Ecclesiæ; tum enim demum inducitur pensionum extinctio. Lott. *loc. cit. n.* 16. *&* 17. Ventrigl. *loc. cit.* Quòd si tamen etiam talis promotus impetravit Breve de capienda possessione ante expeditionem literarum super promotione cum decreto annullativo ipsius promotionis, nisi intra tot menses literas expediverit, ceperitque possessionem in vim istius Brevis ante expeditionem literarum super indulto retentionis pensionum ex eadem regula, quòd privatio non censetur inducta, nisi in casu expresso. Lott. *n.* 18. *junctò n.* 19. quem vide hoc ipsum pluribus *num.* declarantem. De cetero dicta de expediendis literis super indulto retinendi pensiones, dum quis per modum permutationis de uno Episcopatu ad alium transfertur, non procedere, tradit Lott. *loc. cit. n.* 24. addens *in fine. n.* 26 pensiones, præscindendo à jure singulari, ex stylo Curiæ, & dictis Constitutionibus, non extingui per promotionem ad Episcopatum. De quo inferiùs.

Quæstio 587. *An, quando, & qualiter exhibendæ & producendæ dictæ literæ?*

1. REspondeo primò : Sive agatur de censuris, vel alia pœna in literis comminata, sive agatur simpliciter de earum executione, literæ hæ non tantùm exhibendæ, sed & intimandæ, non obstante, quòd fuerit præstitus consensus, etiam literis non intimatis vel exhibitis, præcipuè stante regulâ Cancellariæ *de non judicando*, hanc legem judici præscribente. Lott. *loc. cit. n.* 27. sed neque obstante, quòd literæ non sint de substantia gratiæ, sed tantùm de forma probationis; cùm in judicio non tractetur de substantia in abstracto, sed in concreto ad effectum exceptibilitatis, cui proforma est literarum exhibitio, ut judex certus inde fiat de sua jurisdictione. Lott. *n.* 28. *&* 29. Unde de expeditione literarum, & mandato sibi facto Executor fidem habere non poterit parti, & validè sub assertione illa procedere, etsi postmodum revera ita compertum fuerit, ut pars asseruit; cùm nec, ut ait Lott. *nu.* 30. examinando mille testes, judex adhibere possit fidem de gratia principis facta, præcipuè si ea facta motu proprio, adeóque necesse est, ut recipiat jurisdictionem in habitu ex præsentatione rescripti. Lott. *n.* 31. quod sic intelligendum, quòd, licèt delegatus habeat jurisdictionem in habitu ex die Datæ, tamen non recipiat exercitium, nisi ex die præsentationis literarum. Lott. *nu.* 32. juxta *c. super eo il. secundo. de appellat.* & Bellam. *decis.* 110. *à n.* 12. quem citat.

2. Respondeo secundò : Similiter dum agitur de exequenda facultate transferendi pensionem, literæ super hac facultate sunt exhibendæ, & nisi eæ in effectu præsententur Executori, actus remanet nullus, juxta *cit c. super eo.* Lott. *loc. cit. n.* 33. citans Ferret. *cons.* 85. *num.* 4. Crescent. *decis.* 13. *de concess. præb.* & Rotam *decis.* 143. *nu.* 2. *p.* 2. *recent.* ubi etiam dicatur, quòd non staretur assertioni Executoris, nisi actus exhibitionis fuerit per extensum scriptus, vel literæ apparerent in instrumento translationis registratæ. Limitando tamen hoc ipsum ita, ut sustineatur actus translationis non exhibitis literis, si facultas transferendi data coram Notario, & testibus; eò quòd tunc Notarius non adhibeatur veluti Executor. Lott. *n.* 35. citans Rotam *decis.* 689. *nu.* 4. de cetero posse Executorem facultatis transferendi fidem habere exempto etiam impresso (quia agitur de actu, in quo non est citandus aliquis; cùm nemo de hoc opponat) præsertim, si non sit merum exemplum, puta v. g. quia infectum esset in aliquo actu publico, vel etiam si inferens attestaretur, se vidisse originales, tradit Lott. *n.* 36. Porrò huc usque dicta de plano procedunt respectu pensionarii, qui nec est in possessione, nec cum eo agit, qui pensioni consensit (intelli-

lige expresse) dum enim controversia est pensionario, qui non est in possessione, cum successore, qui non consensit expresse pensioni, non tantùm producendæ sunt literæ, sed & plenè justificandæ in omnibus narratis; nisi gratia esset facta motu proprio, vel hujusmodi literæ per titularem acceptatæ, sive expresse, sive tacitè per actum ad id implicantem. Lott. *à n.* 37. Verùm specialiùs adhuc

3. Respondeo tertiò: In possessorio adipiscendæ, v. g. dum is, in quem translata pensio, subrogatus in possessionem transferentis petit, in eam immitti, literæ reservationis sunt exhibendæ, & justificandæ. Lott. *nu.* 40. juxta *decis. Rotæ in causa S. Marci. 38. Feb.* 1612. Idem dicendum, si versemur in possessorio recuperandæ. Lott. *nu.* 41. dicens, Rotam tenere, agentem in hoc judicio teneri docere de suo jure, & hujusmodi possessorium à petitorio separari non posse, & sic in terminis pensionis ab ea decisum. *decis. 3. nu. 2. de restitu. spol. in antiq.* quod tamen ait Lott. *nu.* 42. intelligendum non de plena justificatione, sed de simplice colore, ita ut judici concludatur, petentem restitui, non propriâ auctoritate, sed auctoritate illius, qui dare poterat possessionem, se aliquando eam habuisse, ad quam petitur redintegratio. Pro colore autem hoc, etsi ante regulam Cancell. *de non judicando juxta formam supplicationis*, sufficisse supplicationem signatam, hodie verò eam minimè sufficere propter dictam regulam, ait Lott. *n.* 45. citans Mandos. *ad dictam reg. q. 3. n. 3.*

4. Respondeo quartò: Si versemur in summariissimo possessorio retinendæ, quamvis non solùm titulus non sit justificandus; sed nec aliquis exhibendus in ordine ad hoc, ut de eo quovis modo tractetur; cùm in hoc manutentionis judicio sufficiat nuda detentatio de facto, nec attendatur, utrùm possessio sit justa, nec ne; producendus tamen est, ut justificetur qualitas subjecti secundùm intentionem actionis, quod declaratur. Qui enim petit manutentionem in quasi possessione exigendi pensionem, non asserit simpliciter, se exegisse certam quantitatem pecuniæ, sed certam pensionem, adeóque tenetur probare qualitatem hanc, nempe id, quod exigit, esse pensionem, & quid diversum à pensione; & consequenter, cum causa efficiens pensionis sit Papa, neque atque gratia Papæ aliter probari, quàm per ejus rescriptum, necesse est tale rescriptum proferre in medium, ut judici constare possit de existentia rei, quæ possideri prætenditur, & sic sine illo rescripto decerni nequit manutentio. Lott. *n.* 50. *&* 51. Neque tamen propterea necessaria quoque est exhibitio literarum, sed sufficit sola supplicatio signata, utpote sufficienter probans justitiam pensionis; cùm illa procedat solùm in iis possessoriis, in quibus necessarius est titulus saltem coloratus, v. g. in possessorio adipiscendæ & recuperandæ, non verò in judicio hoc retinendæ, in quo nullus prorsus titulus exigitur, nec dicitur judicari juxta supplicationem cùm non pronuncietur super jure aliquo, sed tantum decernitur manutentio super facto meræ possessionis. Lott. *n.* 55. citans Garc. *p.* 10. *c.* 5. *n.* 446. & Rotam *in Anconitan. pens.* 15. *Jun.* 1587. Hòcque verum ait Lott. *n.* 56. etiamsi in ipsa supplicatione exstaret decretum, quòd, si pensio exigatur literis non expeditis, sit nulla ipso facto; eò quòd hinc non tollatur, quin reservatio ab initio fuerit in esse deducta; cùm perficiatur solâ signaturâ, & literæ solùm sint ad affectum probationis reservationis, quæ probatio in hoc judicio non sit necessaria. Neque obstare ait idem Lott. *nu.* 58. quòd, stante illâ clausulâ, pensio exigi nequeat literis non expeditis, & hoc decretum impediat principium acquisitionis; eò quòd id intelligi debeat de exactione de jure, & non de exactione de facto, qui autem petit manutentionem, non videtur asserere se possessorem de jure; cùm ei sufficiat possessio de facto, & nuda detentio; & quamvis dicta clausula: *nec aliàs quàm vigore literarum*: habeat vim decreti irritantis, adeò ut omnia resolvat ab initio, hæc tamen referenda esse non nisi ad effectus juris, ita ut removeat omnes effectus, sed non facti, adeóque non impedire manutentionem, tradit Lott. *n.* 60. *&* 61. quamvis addat *nu.* 62. *&* 63. quia hoc ipsum revocatum fuerit in dubium à Rota *in Parmen. pens.* 23. *Jun.* 1625. censere se, sic distinguendum, ut, si manutentio petatur contra eummet, qui reservationi pensionis consensit, necesse non sit producere literas; secus, si contra ejus successorem, eò quòd illi factum prædecessoris nullum possit inferre præjudicium.

De modo procedendi executivo in pensionibus, & de pœnis statutis non solventi.

Quæstio 588. *An, & qualiter pensionarius habeat pro exactione pensionis paratam viam executivam?*

1. Respondeo ad primum affirmative, Card. de Luc. *de pens. d.* 57. *n.* 13. ubi, quòd pensio de natura sui sit executiva, adeóque non dubitandum, quòd competat pensionario, etiam translatario via executiva, ut passim apud scribentes, & Rotam receptum, constatque ex ordinaria praxi Signaturæ, rescribentis cum clausula: *sine retardatione*: vel cum altera: *sine præjudicio.*

2. Respondeo ad secundum primò: dari duplex in materia pensionis privilegium executivum, unum ratione causæ efficientis pensionis, id est Papæ, qui solvi præcipit, & cui sine tergiversatione parendum: alterum ratione causæ finalis pensionis, id est alimentorum, quorum præstatio nullo pacto est suspendenda, cùm venter non patiatur dilationem; ac ita signatura rescribens in causâ pensionis pro conservatione prioris illius privilegii executivi adjicit clausulam: *sine præjudicio executionis*, quâ præservat facultatem exequendi in Executore, & pro conservatione alterius privilegii dictæ clausulæ connectit aliam, nempe hanc: *sine retardatione solutionis.* Lott. *l.* 1. *q.* 38. *à nu.* 1. sunt-que ambæ hæ clausulæ pro expeditione executionis omnino inter se connexæ, & una sine altera in ordine ad hunc effectum insufficiens, ut ostendit *ibid.* Lott. *à nu.* 5. Nam, etsi prior harum clausularum præserve t facultatem exequendi in Executore, seu Judice à quo, non tamè hinc satis consultum pensionario, nec fini pensionis, nempe alimentis; eò quòd, cùm dicta clausula non impediat devolutionem negotii principalis ad judicem, cui rescribitur, & quò minùs ille cognoscat, & causam decidat, etiam non factâ seu perfectâ executione facilè fraus fieri possit, nectendo moras executioni, & interim procurando reduci pensionem, aut annullari, adeóque pro hac fraude excludenda invectus est stylus conjungendi & alteram clausulam: *& sine retardatione.* Lott. *n.* 5. 6. 7. operatur-

que

que jam hæc conjunctio, ut Executor (qui inhibitus progredi per judicem, ad quem aliàs attentaret, si hæc posterior clausula sola adesset) non attentet, ex vi nimirum clausulæ prioris; & econtra judex ad quem, seu is, cui rescribitur, seu negotium principale committitur (qui aliàs ex clausula illa priore non impeditur cognoscere causam) jam impediatur ex hac secunda clausula, cujus præcipua vis est, ut, dum debitor pensionis urgetur ad solutionem per Executorem seu judicem à quo, non possit audiri per judicem ad quem, seu cui commissa causa principalis cum ista clausula: *sine retardatione*, cùm vis dictæ clausulæ fit, rescriptum reddere conditionale, si, vel modò non retardetur solutio, quâ conditione non purificatâ, non censetur ei tributa jurisdictio; ac ita debitori debet negare audientiam, usque adeò, ut quamvis aliàs nunquam denegetur in Curia tertium examen, hoc tamen casu repellatur debitor pensionis, volens producere testes, dictâ clausulâ non tantum ei, sed & judici illi ad quem, tanquam judici os obstruente. Lott. *àn.* 7. per plures *numeros seq.* Durat autem tamdiu virtus hujus clausulæ, quamdiu durat lis ipsa, sive in puncto nullitatis, sive in puncto reductionis, donec prorsus sit terminata per tres conformes, vel per unam, quæ transiit in judicatum.

3. Respondeo ad secundum secundo: Dantur tamen casus aliqui, in quibus Signatura sine illa clausula rescribere solet. Eorum novem prosequitur Gig. *de pens. q. 95. per tot.* quos omnes ad unam causam reduci posse ait Lott. *loc. cit. n.* 14, nimirum quando obligatio titularis non est liquida. Quod dupliciter contingere potest: nimirum vel ex defectu potestatis reservandi pensionem in causa efficiente; eò quòd, si facta ab inferiore Papâ videri possit esse in statu nullitatis, & consequenter utcunque in futurum declarari possit valida, interim tamen non erit exequibilis, cùm priùs debeat canonizari per tres conformes, quàm committatur executioni. Lott. *n.* 15. Vel ex modificatione voluntatis Papæ eam reservantis: quamvis enim dispositio facta sub modo, vel conditione non sit expers viæ executivæ, eatenus tamen est illiquida, quatenus illiquidum est, modum illum adimpletum, vel conditionem purificatam, & sic exequibilem esse; cùm conditionis ea sit vis, ut gratia sub ea facta stet in suspenso, donec conditio purificetur, & in hoc conditioni æquiparatus modus. Quæ modificatio vel expresè contingere potest, vel tacitè, v. g. si Papa reservet pensionem super pluribus beneficiis alicujus à se provisi, eóque mortuo, beneficia conferuntur singulis, si pensionarius ageret contra eorum unum pro solida pensione, ageret perperam; nec tamen ideo rescribitur cum clausulis prædictis, quia reservatio non intelligitur facta à principio in solidum. Item si titularis non negaret solvere pensionem, sed tantùm vellet deduci onera pro rata pensionis, respectu talis rætæ non rescribitur cum dicta clausula, quia censetur Papa reservationem ita modificasse, ut pensionarius pro rata sua onera subeat. Lott. *àn.* 16.

4. Respondeo ad secundum tertiò: Clausula illa prior: *sine præjudicio executionis*, præservativa executionis, dum qualificatur quandoque per clausulam: *constito de literis*: id intelligendum, non de literis justificatis, sed simpliciter de nuda existentia literarum; & sic non justificatio literarum non præjudicat executioni. Lott. *loc. cit. n.* 85. & 86. Neque tamen etiam dicta clausula imponit necessitatem executori præcipitandi executionem, cùm modificetur per aliam clausulam subjectam: *& justitiam faciant*: quæ omnia in rescripto contenta ad juris terminos restringit. Lott. *n.* 89. hanc addens limitationem: nisi tamen ipsemet Papa ex certa scientia aliquid præcisè decerneret contra juris regulas; non tamen propterea judex, ubi ex aliqua circumstantia facti videbit æquitatem stare pro titulari, deflectere debet à lege sibi data; cùm ad solum Principem spectet, inter juris rigorem, & æquitatem suas partes interponere, nec satis sapere videretur judex, qui æquitatis prætextu facultatem hanc sibi arrogaret. Lott. *n.* 99. & 100. Quamvis tamen in eo casu, ut addit Lott. Rota tantisper supersedere soleat, donec recurri possit ad Papam in ejus Signatura, quæ tunc rescribere solet cum clausula: *arbitrio*, quæ dictum rigorem penitus relaxat; & tunc demum, & non antè, potest judex juris scripti rigore omisso, æquitatem sequi, etiam excutiendo validitatem literarum. Nequaquam tamen hoc prætextu æquitatis deflectet à rigore supradictæ clausulæ, ubi exceptiones sunt turbidæ, & elidibiles litis progressu. Lott. *num.* 103. Præcipuè, si intentetur ex parte pensionarii summariissimum possessorium retinendæ, quo casu, ubi lite pendente impediretur exactio, non solùm inde resultaret æquitas, sed maxima iniquitas. Lott. *n.* 104. Sed tunc demum supersedebit executione, ubi ex inspectione literarum ex aliquo accidente, quod nequeat in dubium revocari, resultaret nullitas vel reductio gratiæ de esse ad non esse; quia ista demum dicitur notoria nullitas gratiæ, & ex ventre literarum orieus seu resultans exceptio retardationem executionis suadet, v. g. si exceptio resultaret non elidibilis, sive ex decreto aliquo apposito in literis, seu ex earum forma, quæ appareat destructa per publica acta, quæ nequeant in dubium revocari, puta; si ex instrumento, vel supplicatione signata resultaret extinctio; sicut econtra exceptio elidibilis adhuc ex possibilitate subsistentiæ, puta, vi dispensationis obtentæ, non admittitur ad impediendam executionem, v. g. in monacho professo retardari non posset executio solutionis pensionis prætextu professionis, stante solâ illâ possibilitate dispensationis. Lott. *n. 96. juncto 98.*

Quæstio 589. *Quis modus, seu practica servanda in urgenda solutione pensionis via executiva contra titularem coram Executore?*

1. Respondeo: Imprimis pensionarius astringere intendens titularem ad solvendum terminos decursos, debet eligere Judicem executionis juxta executoriales sibi datas. Castrop. *de benef. d. p.* 11. §. 6. *n.* 16. Debet is esse necessariò Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, aut in dignitate Ecclesiastica constitutus, juxta *c. statutum. de rescrip. in* 6. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 531. Castrop. *loc. cit.* Estque is mixtus, seu habet cognitionem causæ, etsi executivè procedat. A A. iidem.

2. Secundò: Pensionarius astringere intendens titularem ad solvendum terminos decursos coram dicto Judice executionis, præsentare debet literas originales, tam gratiosas seu reservationis pensionis

nis,quàm excutionis seu commissionem executionis,ut ipsi constet,quâ ratione procedere possit. Castrop.*loc.cit.*Garc.*n.*532.Ventrigl.*to.*2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 52. & etiam,ut Garc.*ibid.*processum fulminatum, si in virtute clausulæ *ceterùm* sumatur Judex. qui etiam addit *n*.533. sufficere tamen etiam, quòd præsentetur solus processus fulminatus, in quo ipsæ literæ sunt insertæ, absque eo, quòd præsententur originales, donec pars opponat. Item sufficit transumptum literarum ex regiſtro apostolico, utpote quod fidem facit saltem in Curia. Garc. *nu.*534.

3. Tertiò dictis literis sic præsentatis, & pensionario petente,seu instante pro mandato seu monitorio in forma contra possessorem beneficii pensione gravati,pro quantitate debita,seu pro tot ducatis sibi debitis ex terminis decursis (etsi enim in hoc judicio executionis non requiratur libellus solennis,uti id generale est in summariis, qualis dicitur omnis causa executiva;exigitur tamen aliqualis petitio ad hoc, ut appareat de intentione petentis.Ventrigl.*loc.cit.n.*75.citans Marant. *de ordin.Iudic.p.*4.*dist.*9.*n.*155.*juncto n.*12.) Judex illud illi concedere debet, insertis illi mandato literis commissorialibus,seu executorialibus sibi præsentatis,cum assignatione termini competentis, seu sibi bene viso ad solvendum, docendúmque de solutione facta,& paritione, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, aliisque censuris, sententiis ac pœnis, etiam in literis Apostolicis reservationis pensionis expressis;alioquin dicto termino compareat ad videndum, se incurrisse excommunicationem,aliásque censuras & prædictas pœnas, & usque ad dictarum pœnarum aggravationem & reaggravationem, brachiique sæcularis invocationem contra se procedi, vel ad ostendendum solutionem,quietantiam,vel rationem legitimam, quare præmissa fieri non debeant; ad quæ omnia citatur,& cum comminatione seu certificatione,quòd,sive comparuerit,sive nō, ad prædicta, & alia,quæ justitia suadebit, ejus absentiâ seu contumacia non obstante,Garc. *n.* 536. & ex eo Ventriglia.

4. Quartò hoc mandato intimato titulari (intellige,vel in propria persona,vel ejus Procuratori, aut,si id fieri non possit, quia malitiosè se occultat, publicato ad domum ejus,vel in loco publico, ubi ad ejus notitiam devenire possit.Castrop. *loc. cit.*) & reproducto in actis coram eodem Executore,si titularis intra statutum terminum soluturus non compareat, incusatâ, & habitâ pro accusata non comparentis contumaciâ, proceditur contra eum; & si titularis est ille ipse, qui consensit reservationi, mox (nisi fortè reservatio pensionis sit conditionalis) absque alia verificatione fieri potest, & debet contra eum sententia declaratoria, eum incurrisse excommunicationem,aliásque censuras & pœnas in literis reservationis pensionis expressas ob non solutionem pensionis, & condemnari potest in expensas legitimè factas, earum taxatione relictâ dicto Executori.Castrop *loc.cit.*Ventrigl.*n.* 53.Garc.*n.*537.*&*538.citantes Salust. Tiber. *in pr. Auditor.Cam.l.*3.*c.*5. Si tamen agitur non contra illum,qui expressè consensit pensioni, sed ejus in beneficio successorem,vel, si reservatio est conditionalis, debet pensionarius coram Executore ostendere & probare,se esse in possessione exigendi pensionem, ut relevetur ab onere alias justificandi literas reservationis,& narrata in eis, & conditionem in eis contentam.Garc.*n.* 539. & ex eo Ventrigl.*n.*54.Atque ita citatio alia necessaria non est, ex quo ille,qui est absens à loco judicii fuit citatus generaliter ad totam causam, & est contumax. Garc.*n.*540. citatis pluribus. Quòd si tamen titularis intra terminum compareat, allegétque causam seu exceptionem legitimam excusantem à solutione,v.g.solutionem pensionis,vel illius remissionem, extinctionem per pensionarii matrimonium,professionem &c. factámve auctoritate Papæ pensionis redemptionem, concedendus illi terminus brevis,puta,decem dierum,vel major,vel minor arbitrio Judicis, ut exceptionem à se allegatam probet, si ea notoria non est; quam si probaverit plenè, vel si ea notoria est, opùs non est longiore indagine, & suspenditur executio. Castrop.*loc.cit.*Garc.*n.*544.*&*545. Quòd si exceptionem non probet,interim fit executio, aliísque mediis compellitur ad solutionem; non tamen negatâ propterea ei actione, ut in judicio petitorio suam causam prosequatur.Castrop. *loc.cit.* Idem esset,si allegaret nullitatem,vel subreptionem pensionis, aliámve exceptionem,quæ requireret altiorem indaginem; hanc enim reservandam judicio ordinario, & interim ad executionem solutionis procedendum, tradit Garc. *à n.* 546. citatis pluribus Rotæ decisionibus. Quandonam autem exceptio requirat altiorem indaginem,id relinquendum arbitrio Judicis,ait Garc.*n.*547.

5. Quintò: à mandato executivo hujus Judicis non datur appellatio suspensiva; quia executivè procedit.Ventrigl.*to.*2.*annot.*11.§.2.*n.*72.Castrop. *cit.n.*16. *in fine.* Garc.*n.*570. citatis Gig. *de pens.n.* 95. & Vestrio *l.*3. *c. ult. n.*3. subjungitque Garc.*n.* 571. neque in hoc casu solere concedi commissionem appellationis,nisi cum clausula: *sine præjudicio legitimæ executionis*: quæ clausula, ut idem Garc.*n.* 573.id operatur, ut commissio appellationis propter illam non suspendat nec impediat,quin Judex à quo procedat ad ulteriorem executionem. Pro quo citat. Salust. Tiber. *ubi suprà. l.* 1. *c.*27.*n.* 4. Gonz.*gl.* 9.*n.* 229. *&c.* Licèt eadem clausula non operetur, quin Judex ad quem, qui cognoscit de causa appellationis,non possit revocare omnia gesta per Judicem à quo,si injustè processit; dictæ enim clausulæ:*sine præjudicio executionis*: præservat solùm,quòd factum legitimè,non verò quòd factum nulliter,vel injustè.Hinc passim tradunt AA.quòd, licèt non detur appellatio à dicto mandato executivo, seu sententia ad exequendum quò ad effectum suspensivum,secus tamen sit quò ad effectum devolutivum, si Executor excederet modum in exequendo; tunc enim permittitur appellatio etiam quò ad utrumque effectum,modò exprimatur in appellatione ista causa; & appellatio facit attentata.Ventrigl.*loc.cit.* Verùm quia excessus prædictus in exequendo non præsumitur,ab allegante illum est probandus.Ventrigl. *loc. cit.* citans Mascard.*de prob. concl.*696.*n.*11.Gig.*de pens.q.*9. dicitur autem hic Judex excedere in terminis executionis,quando illud,in quo excessum, est quid diversum ab executione, nec tamen ab ea separari posset;si enim separari posset,non deberet utile per inutile vitiari.Ventrigl.*loc.cit.n.*74. citans Lott. *l.*1. *q.*50.*n.*326. sicut è contra non excederet, ità ut locus sit dictæ appellationi, si cognosceret & pronunciaret per decretum, esse locum petitæ executioni, id enim judici tali executionis licet, saltem pro informatione suæ conscientiæ; & sic non dicetur

retur excedere partes executionis, etiamsi in hoc articulo proferat sententiam in scriptis; cùm hic modus pronunciandi sit in ordine ad ipsam executionem. Ventrigl. *n.* 73. juxta dicta antè, quòd hic sit Judex mixtus.

Quæstio 590. *An pari quoque modo procedi possit contra successorem, vel etiam hæredem prædecessoris pro solvendis terminis decursis tempore prædecessoris?*

REspondeo affirmativè: Dum nimirum adhibitæ diligentiæ, vel eæ adhiberi non potuerunt contra prædecessorem, Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 149. ubi: nihil est, quin si dictæ diligentiæ, vel non potuerunt fieri, vel perfici contra prædecessorem defunctum, possint fieri, vel continuari, & consumi contra ejus hæredem &c. Idem est de Successore, si factæ diligentiæ etiam contra hæredem, vel fieri non potuerint. Verumtamen, ut subjungit Lott. *n.* 150. quocunque casu Judex, qui compellit Successorem in beneficio ad solvendum pensionis terminos decursos in vita decessorum, debet cavere, ut relinquatur congrua pro ipso titulari, & illa imprimis & ante omnia deducatur, ne qui altari servit, fraudetur debito ex eodem altari victu; licèt enim ista exceptio non militet, ubi tractatur de solutione terminorum cedentium tempore suo, tamen recipienda est omnino, cùm agitur de terminis decursis in vita prædecessoris.

Quæstio 591. *An dictus Executor possit ante latam à se sententiam pro solutione pensionis ponere sequestrum in fructibus beneficii?*

REspondeo negativè: Quia sequestrum est odiosum, & à lege, nimirum *l.* 1. *c. de prohibit. sequest.* prohibitum; & ante condemnationem beneficiarii, ejusque causæ examinationem, non est justum, illum afficere illâ pœnâ, utpote medio illo odioso, & à lege prohibito. Castrop. *loc. cit. n.* 16. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n* 583. recitans pro hoc decis. Rotæ *in Cæsar. augusti. pens.* 4. *Novemb.* 1594.] Latâ verò sententiâ (intellige, declaratoriâ incursæ excommunicationis) & condemnato beneficiato ad solutionem pensionis, poterit Executor pro faciliore executione ponere sequestrum in beneficii fructibus, ut ex iis satisfiat pensionario; cùm non gravetur hoc sequestro beneficiarius, utpote in cujus voluntate situm, tollere illud sequestrum, nimirum satisfaciendo pensionario. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 584. Idem posse fieri à subexecutore, utpote cui Executor absolutè vices suas committit pro executione pensionis, tradit Garc. *loc. cit. n.* 585. contra Flores de Mena & Cautium *de Pens. Episcop.* censentes subexecutorem ex clausula *cæterùm* non posse procedere executivè contra bona debentis pensionem; quia hoc ipsum ei commissum non sit; sed solùm posse eum publicare censuras fulminatas à Papa, seu ab Executore in processu fulminato in casu non solutionis, & denunciare debitorem excommunicatum, & præcipere aliis, ut eum denuncient, & devitent.

Quæstio 592. *Quæ pœnæ statutæ non solventibus pensionem?*

REspondeo: Pœnam hanc esse duplicem, nempe excommunicatio, & privatio beneficii, cum potestate concessa pensionario regrediendi, vel accedendi ad illud beneficium; ut constat ex literis, quibus reservari solet pensio, in quibus sic inquit Papa: *volentes, & eâdem auctoritate statuentes, quòd ille, vel quiscunque alius successor, qui in dictis terminis, festivitatis nimirum natalis Domini, & natalis S. Ioannis, vel intra* 30. *dies earum singulas, seu immediatè sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non solverit cum effectu, lapsis iisdem diebus sententiam excommunicationis incurrat, à qua, donec tibi, vel eidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut aliàs tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si verò per* 6. *menses dictos seu* 30. *dies immediatè sequentes sententiam ipsam, animo, quod absit, sustinuerit obdurato, ex tunc effluxis mensibus iisdem, dicto beneficio perpetuò privatus existat; illúdque vacare censeatur, tibíque eò ipso liceat ad illud beneficium liberum habere regressum, & liceat etiam vigore prioris tui tituli possessionem propriâ auctoritate apprehendere, ac si illud minimè resignasses, &c.*

Quæstio 593. *An, & qualiter incurrantur hæ pœnæ ipso facto?*

1. REspondeo primò: Eatenus tantùm non solutâ pensione in præfixis ei terminis, eò ipso incurritur excommunicatio, & privatio beneficii, quatenus pensionarius declarat, se ita velle, adeóque non nisi dependenter ab ejus voluntate, ejusdémque declaratione; cùm enim non nisi in favorem pensionarii hæ pœnæ statutæ, ejus utique voluntati attemperantur, ità ut non solùm eas non incurrat titularis, pensionario præfixum solutionis terminum expressè prorogante, aut etiam non volente, ut non factâ solutione intra præfixum tempus eas incurrat, verùm etiam quamdiu voluntatem illam, quâ vult, eum illas incurrere, non declarat: quippe tamdiu ex recepto stylo & consuetudine censetur esse permissiva dilationis. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 139. Gonz. *gl.* 56. *n.* 54. (qui etiam addit, ad talem declarationem faciendam per procuratorem titularis, ei opus esse speciale mandatum, sine quo procurator generalis talem facere declarationem nequiret, utì idem ex eo tradit Castrop. Paulò post citand. *n.* 2.) Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 581. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 7. *n.* 1. citans Suarez. *to.* 5. *de cens. d.* 20. *s.* 2. *n.* 10. Tolet. *in sum. l.* 1. *c.* 9. *editionis Romanæ.* Nav. *in sum. c.* 23. *n.* 103. Procedúntque hæc ipsa, etiamsi de cetero literæ pensionis jam intimatæ titulari, Garc. *cit. n.* 581. *ad instium.*

2. Respondeo secundò: Ex stylo & benigna interpretatione declaratio hæc voluntaris pensionarii intendêtis, ut titularis termino præfixo non solvens ligetur excommunicatione, existátque privatus beneficio, debet esse juridica, & titulari intimata solenni notificatione; adeóque dicta declaratoria incursûs excommunicationis debet esse data per Judicem, quâ deinde utatur pensionarius, intimando illam titulari solenniter; quippe sententia excommunicationis, de qua in literis pensionis, indiget sententiâ declaratoriâ Judicis, & non sufficit voluntas privata partis. Garc. *loc. cit. n.* 582. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Suar. & Navar. *ubi antè.*

3. Respondeo tertiò. Sed neque ad istiusmodi declaratoriam incursûs pœnarum ex voluntate sua procedere potest pensionarius, antequam elapsus sit mensis, seu 30. dies à termino solutionis juxta tenorem literarum. Garc. *loc. cit. n.* 575. Ventrigl. *to.* 2.

*annot.*11.§.2.*n.*70. Item priusquam literæ pensionis originales, aut earum transumptum authenticum ex regiſtro Bullarum, aut ex Camera Apoſtolica ſint legitimè intimatæ titulari, ſi is eſt ſucceſſor conſentientis expreſsè penſioni, aut non per ſe ipſum, ſed per procuratorem conſenſit, idque ex ſtylo & obſervantia. Pariſ. *l.6.q.2.n.*98. Ventrigl. *loc.cit.n.*38 *junctο n.*39. (ubi etiam notat ex Saluſt. Tiber. *in pr. Iud. Aud. Camer. l.3.c.2. in initio*, non ſufficere, dictas literas inſerere monitorio, & ſic inſertas intimare. Item ex Marant. *to.3.controv. reſp.* 68. *n.*22. *& ſeq.* deficiente hac intimatione literarum, poſſe mandatum executivum relaxari) Garc. *n.* 576. citans Suar. *ubi ante*. Nav. *in man.c.*27.*n.*271. *ſeu* 274. Saluſt. Tiber. *in pr. Aud. Cam. l.3.c.2. n.*3. *&* 4. Gig. *de Penſ.q.*77.*n.*10.20.21. Mandoſ. *ad reg.* 27. *q.* 7.*n.*4. *&c.* Additque Garc. *n.*578. citato Gig. *ubi ante n.*21. debere fieri hanc intimationem literarum penſionis per Notarium, datâ etiam earum copiâ, ſi petatur. Item addit *n.*579. ſe exiſtimare, poſſe nihilominùs dictis literis non intimatis titulari etiam ſucceſſori, ſeu ei, qui expreſsè non conſenſit penſioni, Executorem dare ſententiam contra titularem, quâ ei mandet, ut infra certum terminum ſolvat, & quòd aliàs dabitur contra eum mandatum executivum, & in ſubſidium excommunicatio. Idémque ait Garc. *n.* 580. fieri poſſe etiam antè lapſum menſis à termino ſolutionis. Idem tradit Ventrigl. *loc.cit.n.*40. ubi: quòd hac cautelâ uti poſſit penſionarius, ſi fortè literæ dictæ ab initio non fuiſſent originaliter intimatæ dicto ſucceſſori, agendo nimirum cum Executore, ut dictam ſententiam contra illum ſucceſſorem expediat, & hac cautelâ adhibitâ poſſe procedi ad declarationem incurſûs cenſurarum contra ſucceſſorem, literis non intimatis à principio. Addit quoque Ventrigl. *n.*41. poſſe tamen etiam contra dictum ſucceſſorem procedi ad declarationem incurſûs pœnarum in literis penſionis contentarum, literis ipſis non intimatis, quando aliunde conſtat, ſucceſſorem illum plenam notitiam habuiſſe de prædictis literis Reſervationis; cùm inane ſit certum certificari juxta *l.*1.§. *venditor. de act. empt. & c. tum qui certus, de reg. juriſ. in 6.* & intimatio non debeat fieri ſcienti, uti ea ad alium finem non requiritur. ut Tiraq. *de retract. conſang.*§.36.*gl.*2.*n.*30. Menoch. *conſ.*1004.*n.*6. Alex. *conſ.* 24. *n.* 4. *l.* 4. citat pro hoc Ventriglia Gratian. *diſcep. for. c.*417.*n.*28. Marant. *ubi ante, Reſp.* 68.*n.ult. &c.*

4. Reſpondeo quartò: fieri tamen poteſt hæc declaratoria pro incurrenda excommunicatione, quin priùs executione reali, vel perſonali compulſus fuerit titularis ad ſolvendum. Garc. *n.* 587. Caſtrop. *loc.cit.n.*3. ſic conſtare inquiens ex ſtylo & praxi ſatis recepta. Idem tradit Ventrigl. *to.* 2. *annot.*11.§.2.*n.*71. ubi, poſtquam retuliſſet ſententiam Barboſæ *ad c.*3. *ſeſſ.*25. *Trid.* nimirum quòd, ubi Judex procedat ut Executor vigore literarum Apoſtolicarum, poſſit ſine diligentiis de faciendo executionem realem, vel perſonalem, licitè, & validè excommunicare moroſum debitorem penſionis; minimè verò id poſſit, ubi procedit vigore obligationis cameralis &c. ſubjungit ipſe Ventrigl. Sed quidquid ſit de hoc, praxis ſervat, quòd priùs expediantur literæ pro exequendo realiter vel perſonaliter, & factâ relatione curſoris, non potuiſſe exequi, proceditur ad declarationem executionis. Sed in rigore prædictæ diligentiæ non ſunt neceſſariæ, & non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſt 30. illos dies poteſt titularis declarari incidiſſe in excommunicationem, de qua in literis penſionis, cùm prædictæ literæ nullam exigant diligentiam; non enim eſt hæc excommunicatio in ſubſidium executionis realis & perſonalis; quia lata eſt quaſi per legem, & ex conſenſu titularis, dum penſioni ſub illa cenſura conſenſit, & tunc non præcavit, priùs faciendam contra ſe executionem realem. Caſtrop. *ibid.* Neque obſtat Trid. dum *ſeſſ.*25.*c.*3. cavet excommunicationem imponi niſi in ſubſidium ſupradictæ executionis, & quando aliter effectus obtineri non poteſt; adeóque videtur præſcribere formam (ut Leo *in theſaur. fori Eccl. p.*3.*c.*38 Lazarius *de monitorialib. ſ.*4.*q.*8.*n.*7. apud Caſtropal.) ſervandâ in impoſitione hujus cenſuræ, quâ proinde non ſervatâ, nulla ſit impoſitio. Nam quòd ad hanc materiâ ſolvêdæ penſionis aliud declaravit S. Congregatio ad *cit. l. Trid.* hiſce verbis: *quando in literis apoſtolicis datur facultas excõmunicandi moroſum in ſolutione penſionis; non tenetur Executor in ferenda ſententia excommunicationis ſervare formam decreti Trid. ſeſſ.*25.*c.*3. *nec hujuſmodi facultas cenſetur data in ſubſidium &c.* uti hanc declarationem recitat Garc. *cit. n.*587. & ex eo Caſtrop.

5. Reſpondeo quinto: tametſi ergo iſte incurſus pœnarum dependeat à declaratione voluntatis penſionarii; hæres tamen illius facere non poterit pro ſolutione penſionis hanc declarationem; quia poteſtas illa declarandi ad hæredes penſionarii non tranſit, ſed vitâ penſionarii finitur. Gonz. *loc. cit.n.*53. & ex eo Caſtrop. *cit.n.*2. citantes Caputaq. *deciſ.*15.*n.*3. & 4.*p.*1. Caſſiador. *deciſ.*2. *de penſion. n.*6.

6. Reſpondeo ſextò, Factâ juridicâ illâ declaratione à penſionario, factáque denunciatione & declaratione excommunicationis (ad quam requiri prævium illam declaratoriam illius, tradit Garc. *n.* 586.) cenſebitur titularis excommunicatus, non à termino ſolutionis præfixo, retrotractâ ad illum excommunicatione, ſed mox à facta illa declaratione; cùm enim à termino illo præfixo ad declarationem illam uſque non fuerit contumax, ſed potiùs ex præſumpta voluntate creditoris ſolutionem diſtulerit, non apparet, quomodo interea tanquam excommunicatus reputari poſſit; dum etiam, ut Suar. & Covar. mox citandi, in his pœnis ſpiritualibus non ſit locus fictioni juris, ſed veritas ſemper ſit attendenda. Caſtrop. *cit.n.*2. citans Suar. *To.*5. *de cenſ. d.*20.*ſ.*2.*n.*11. Covar. *inc. alma mater p.*1.§ 10.*n.*6. contra Nav. *in ſum. c.*23.*n.*103.

7. Porrò, quòd hìc peti poſſet, num à dicta excommunicatione, aliiſque pœnis incurrendis excuſetur titularis, ubi is cedit bonis, petitâ & aſſignatâ illi congruâ ſuſtentatione, reſponſum ſufficienter ſuprà, ubi qualiter titularis inops ſolvere teneatur congruam; ſi enim ſolvere non teneatur cum notabili imminutione ſtatûs ſui, prout tenet Caſtrop. *loc.cit.n.*4. utique nec excommunicationem incurret ob non ſolutionem, ſecus ſi adhuc ſolvere teneatur, pro ut Garc. Lott. & alii citati ſuperiùs.

Quæſtio 594. *Quandonam intret altera pœna, amiſſionis nimirum beneficii, & regreſſus penſionarii ad illud ob non factam ſolutionem penſionis termino præfixo?*

1. Reſpondeo primò: quemadmodum in aliis dicitur, Beneficiatum obligatum non eſſe dimittere beneficium, priuſquam declaratoria ſententia

tentia criminis, ob quod privatur beneficio, accedat; ita etiam in præsenti ob non solutam pensionem titularis non amittit beneficium, priusquam latâ contra non solventem sententiâ pensionarius declaret, se velle uti jure suo, quod habet regrediendi ad beneficium suum in casu non solutæ pensionis, & permanentiæ per sex menses in excommunicatione, propterea contra eum lata & publicata; uti similem pœnam non incurrit Emphyteuta ob non solutam pensionem, priusquam declaratum, Emphyteutam incidisse in commissum, & Emphyteutica bona effecta caduca, & Dominum velle uti jure suo. Castrop. *cit.* §. 7. *n.* 5. ex Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 4. Paris. *l.* 6. *q* 3. *n.* 22. *juncto n.* 23. *&* 24. ubi is expresse ait; regressus intrat, quatenus pensionarius declararet se uti velle regressu, & sic, ut Moheda, regressus pedet à futuro eventu, scilicet si illum habens voluerit eo uti uti, in simili pœna caducitatis non habet locum, nisi domino volente; nam quamvis jura velint, quòd, si non solvat Emphyteuta, cadat ipso jure; hoc tamen intelligendum ex magis communi & recepta, si Dominus directus declararit, velle esse locum caducitati. Hinc etiam inferunt hi AA. quòd, si titularis non solutâ intra præfixum terminum pensione mortuus fuerit, eóque vivente pensionarius hunc animum utendi jure suo non declararit, neque dictam sententiam declaratoriam excommunicationis contra eum ferri fecerit, beneficio illo vacante per mortem titularis, multóque minùs eo denuo plenè per successorem de eo provisum ad illud regredi non posse. Quia, dum titularis ille defunctus nunquam fuerit declaratus excommunicatus, adeóque nec requisito tempore in excommunicatione perseveraverit, creditur pensionarius in tantum cessisse jure suo, aut illud distulisse, non poterit beneficium illud rursus occupare, aut etiam successor in illo eo privari. Quemadmodùm in simili casu hæredes defuncti Domini contra Emphyteutam actionem non habent; quia videtur tunc Dominus eam remisisse. Idem tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 79. *in fine* hisce expressis: regressus hic quoque locum habet etiam contra successorem in beneficio pensione gravato: quod totum intelligendum est, volente & declarante pensionario, alias quocunque termino elapso locum non habet regressus. Ratio verò responsionis hujus est, quòd regressus ille non nisi ad facilitandam pensionis solutionem, & in favorem pensionarii inductus. Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 2. *&* 3. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *n.* 481. *&* 495. *juncto n.* 459. *&c.*

2. Respondeo secundò: videtur etiam post latam sententiam declaratoriam incursûs excommunicationis, factámque à pensionario declarationem mentis suæ utendi jure suo regrediendi, ad hoc, ut regressui actu sit locus, requiri sententia declaratoria lata à Judice competente, quâ declaret regressui locum esse; siquidem post latam publicatámque sententiam excommunicationis exspectandi sunt menses perseverantiæ in illa excommunicatione, antequam locus sit regressui; unde dicta sententia excommunicationis ad hoc non sufficit, neque etiam lapsus dictorum sex mensium sine nova sententia declaratoria dicti regressûs. Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 12. citans Gamb. *ubi ante n.* 472. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 281. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 2. *n.* 76. expresse inquiens: licet cautum sit inter partes, quòd ob non solutionem pensionis liberum sit pensionario redire etiam propriâ auctoritate ad beneficium resignatum, tamen requiritur judicis competentis declaratoria. Item Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 92. ubi: quòd, quando canonizatus est regressus per sententiam, quæ fecit transitum in rem judicatam, privatus est debitor pensionis beneficio, & illud ne quidem ex voluntate regressarii habere amplius potest sine nova collatione seu titulo. Contrarium tamen dicendum esset, si Judex nullo modo pronunciasset super regressu; licèt enim, ut declarat Gamb. sola declaratio pensionarii videatur inducere vacationem, tamen magna æquitas dictat contrarium. Contrarium tenente Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 25. ubi expresse: in simili facta hujusmodi declaratione Domini directi cadit ipso jure absque alia sententia declaratoria, ut Ruin. *cons.* 153. *n.* 6. *l.* 1. Decius *cons.* 146. *l.* 1. Alex. *cons.* 6. *post n.* 22. *l.* 3. Clarus, &c. quamvis idem Paris. *loc. cit. n.* 12. dicat: cùm locus est regressui, requiri sententiam declaratoriam, ut possit à regressario apprehendi possessio; cùm clausula irritans in regressu ob non factam solutionem non inficiat possessionem, nisi post sententiam. Quinimo Paris. *loc. cit. n.* 36. expresse dicat: non est omittendum, quòd in regressu hoc reservato ob non solutionem, ut interet effectualiter, requiritur Judicis canonizatio, ut Sarnens. & alii communiter. Item contrarium tenente Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 35. *juncto n.* 36. his verbis: sanè solus cursus temporis non esset sufficiens ad regressum concedendum ob non solutam pensionem, nisi præcederet sententia declaratoria. Quod tamen non habet locum, quando Papa in Bulla concedit liberum regressum ob non solutionem pensionis, & licentiam apprehendendi possessionem propria auctoritate, quæ verba includunt declarationem & liquidationem, ad quam postea devenitur, postquam est capta possessio propriâ auctoritate juxta concessam in Bullis facultatem, uti id fusè probari dicit à Gratian. *discep. for. c.* 921. *n.* 10. *& seq.*

3. Validam pro responsione nostra rationem hanc dat Lott. *loc. cit. n.* 279. *juncto n.* 280. 282. 283. Quòd, antequam ex hac causâ procedatur ad privationem beneficii, requiratur magna debitoris protervia & dolosa contumacia, ut Sarnens. *ad reg. de surrogand.* factum autem illud proterviæ seu pertinacis contumaciæ egeat declarationè (ut regulare est in quocunque facto, ex quo pœna incurritur, ut Felin. *in c. Rodolphus. de rescrip. nu.* 37.) & licèt factum hujusmodi proterviæ videatur liquidum ex perpessione censurarum per tempus constitutum in ipsis literis Apostolicis, ut Paris. *cit. q.* 3. *n.* 15. & Gig. *q.* 99. *n.* 1. 29. *&* 22. cùm tamen dari possit instantia legitimæ excusationis ex aliquo capite, adhuc non bene concludatur ad hanc liquidationem: atque ita jam necessarium esse, ut præcedat sententia declaratoria & canonizatoria regressûs. Huic itaque sententiæ inhærens subjungit Ventrigl. *nu.* 76. intimandas proinde etiam titulari literas pensionis continentes hunc regressum in ordine ad hunc effectum, pari modo, quo dictum *quæst. præced.* intimandas easdem in ordine ad intentandam, & incurrendam excommunicationem; credo tamen novâ literarum harum intimatione opùs non esse, dum eæ continentes pœnam excommunicationis, & regressûs jam ante sententiam declaratoriam excommunicationis incursæ intimatæ fuerunt.

Quæstio 595. *An, & qualiter regressus ob non solutam pensionem admittat appellationem, aut moræ purgationem?*

1. Respondeo primò: Dum agitur ad regressum ob non solutam pensionem simpliciter, sententia declaratoria, quòd intret regressus, est appellabilis. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 277. *juncto n.* 281. quia regressus hic est odiosus, & fundatur ex toto super proterviâ & dolosâ contumaciâ titularis nolentis solvere pensionem, adeóque sicut requirit declaratoriam hujus contumaciæ, ita & à dicta sententia appellari potest; cùm sententia, sub quacunque forma feratur, quia habet connexum factum, sive ob connexionem facti est appellabilis, dum factum sæpe patitur instantiam. Lott. *loc. cit.* quemadmodum, ut idem *n.* 285. nec debitor repelli potest tanquam perjurus, qui non solvit statis temporibus, ut juravit; cùm pro incurrendo perjurio non sufficiat non observantia, sed etiam exigatur dolus, ut Gratian. *cons.* 2. *in fine l.* 1. Unde jam etiam in hac materia solutionis pensionis mora solutionis semper est purgabilis. Lott. *n.* 284. sic ex æquitate tentum inquiens à Rota apud Verall. *decis.* 9. *n.* 2. *p.* 1. quæ erat pars altera quæsiti.

2. Respondeo secundò: Dum agitur ad regressum non ob non solutam pensionem, sed quia petita fuit vel annullatio, vel reductio pensionis, contra quod conventum inter resignantem cum pensione, & clausula: *non aliter, nec aliàs, nec alio modo*, & resignatarium sub hac conditione regressûs ad beneficium resignatum. In primo casu, nempe, si petitum, pensionem annullari, & hinc regressus intentatus, requiritur declaratoria & canonizatoria regressûs propter turbiditatem hujus actionis, & hinc à dicta sententia declaratoria appellare licet, non secus ac in casu declaratoriæ regressûs ob non solutionem pensionis. Lott. *loc. cit. n.* 290. *&* 291. In secundo verò casu, nempe, si petita reductio pensionis, quia tunc factum, à quo pendet regressus, est liquidum ex ipsa confessione partis etiam ad effectum executionis, hinc opus non est aliâ declaratoriâ; nec ratione facti quasi illiquidi; quia ut dictum, illud est plus quàm liquidum: nec ratione subjecti, quasi agatur de pœna & incursu illius, quia hic regressus non est propriè pœna, sed conditio quædam, vel modus rei traditæ, Lott. *n.* 292. *&* 293. & consequenter non est locus appellationi. Addit tamen Lott. *n.* 295. credere se, etiam in hoc casu admittendam adhuc appellationem, si procederetur per viam hujusmodi declaratoriæ, quod qualiter contingere possit, *ibidem* declarat.

3. Porrò pro declaratione præcedentium notandum: dum dicitur, quòd reservetur regressus in casu petitæ, vel tentatæ reductionis, id intelligitur de reductione indebita, & calumniosa, ad effectum evitandi solutionem, non autem de debita ex natura rei (v. g. dum supponitur expressus falsus valor) cùm pensio non debeatur nisi ex fructibus; quia supposità reducibilitate ex natura rei, reductionem intentans tanquam agens ex natura rei, non dicitur contravenire suæ promissioni, & hic non est locus regressui. Lott. *loc. cit. n.* 269. & ex eo Ventrigl. *cit.* §. 2. *n.* 77. citantes Ruin. *cons.* 51. *n.* 15. *vol.* 1. Idem tenet Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5. *in fine.* ubi: quòd clausula illa: *ut pensio ad minorem quantitatem reduci, aut tanquam irrita & inanis extinguatur*: locum habeat, quando exceptio beneficiati, seu debentis pensionem, quâ petit, ut pensio ad minorem summam redigatur, aut tanquam irrita extinguatur, est facti tantùm, non juris. Item, dum regressus reservatus in casu, si resignatarius alleget nullitatem pensionis, seu diceret de illius nullitate, illud non intelligendum de nullitate orta ex defectu intentionis Papæ in reservando pensionem, seu si nullitas ipsa fuisset expressa Papæ, v. g. dum falsò narratum Papæ, pensionem non excedere medietatem fructuum (& in genere, dum exceptio nullitatis esset juris, non autem facti, v. g. dum pensio reservata in fructibus, & non in distributionibus, & exciperet seu contenderet debitor, nullam esse pensionem, quia constituta in fructibus, & beneficium non habet fructus, sed consistit in meris distributionibus, exceptio enim hæc juris foret; cùm pensio non soleat in distributionibus imponi, Paris. & Azor mox citandi) si enim apertè doceretur de tali nullitate, nempe de hujusmodi excessu medietatis, elideretur actio ad regressum, sed intelligendum de aliis nullitatibus non expressis & quasi extrinsecis. Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 8. Lott. *loc. cit. n.* 274. Ventrigl. *loc. cit. n.* 78. Etsi autem in hoc casu non sit locus regressui, & resignans seu pensionarius repetere nequeat beneficium ratione regressûs, poterit tamen agere, & repetere illud actione spolii, perinde acsi eo spoliatus esset, Paris. *loc. cit. n.* 9. Lott. *n.* 275. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 4.

Quæstio 596. *An resignatarius, seu debens pensionem stante commissione appellationis, seu ante finitam litem intentati regressûs ob non solutam pensionem, possit pœnitere, offerendo solvere pensionem, & sic evadere pœnam regressûs?*

Respondeo affirmativè; Sententia enim declaratoria & canonizatoria regressûs per appellationem suspenditur, & durante lite habetur, ac si non esset. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 77. citans Sarnens. *ad reg. de surrogand. q.* 7. & Rotam *in Placentin. Decanatûs* 15. *Nov.* 1595. Idem tenere videtur Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 156. in genere dicendo, quòd qualitercunque intentetur actio, non aliter liberari titularem, quàm solutione pecuniæ, in qua reservata pensio. Secus tamen est, quando dicta sententia declaratoria transisset in rem judicatam. Barb. *loc. cit.* Similiter lite hac pendente posse ipsum resignantem, seu pensionarium pœnitere, & renunciare regressui, tradit *ibidem* Barb. ex Gamb. *de pot. Leg. l.* 6. *sub n.* 439. ac proinde, dum idem Gamb. *loc. cit. à n.* 483. tradit, intentato, & per sententiam declarato regressu extingui pensionem, & consequenter in eo casu per simplicem concordiam inter resignantem, seu pensionarium, & resignatarium, seu debitorem pensionis non posse pensionem revivisscere sine novo beneplacito Apostolico, id, inquam, intelligendum de concordia inter illos inita, postquam sententia illa declaratoria transiisset in rem judicatam.

Quæstio 597. *An, si reservata pensio v. g. centum aureorum cum regressu, & dein extincta ea fuerit de consensu Pensionarii quoad dimidiam partem, an ob non solutam illam dimidiam partem intret quoque regressus?*

Respondeo, Affirmativè, seu pro illa parte pensionis non extinctâ, non solutâ locum habere posse regressum, quantum est de rigore juris. Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 33. & ex eo Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *n.* 4. *in fine.* sic resolutum testantes à Rota *in Abulens. & Toletan. pens.* quamvis addant, ab eadem Rota *ibidem* resolu-

resolutum ex æquo & bono sufficere, ut in eo casu dicta media pars solvatur (intellige post intentatum regressum) & sic remittatur caducitas seu privatio beneficii non servato illo juris rigore.

Quæstio 598. *An, & qualiter regressus etiam locum habeat contra successorem in beneficio gravato pensione?*

1. REspondeo primò: Si sermo de pensione decursa tempore ipsius hujus successoris, non minùs ob eam ab eo non solutam contra illum intentari potest regressus, quàm intentari is poterat contra ejus antecessorem ob non solutam ab eo pensionem. Nam sicut statuitur pœna excommunicationis æquè contra successores, quàm primum titularem non solventes pensionem, ita & de hac pœna regressûs. Paris. *l. 6. q. 3. n.* 18.

2. Respondeo secundò: Si sermo est de pensione decursa tempore antecessoris, & ab eo non soluta, non est locus regressui contra successorem, si pensionarius vivente illo Antecessore tacuit, & regressum illi non intentavit; eò quòd tunc renunciasse regressui quoad illum Antecessorem credatur; adeóque propter non factas ab eo solutiones eundem intentare nequibit successori. Azor. *p. 2. l. 8. c. 9. q.* 4. Idem tenet Lott. *l. 1. q. 39. n.* 155. ubi; quòd, si tractetur de novo & ex abrupto (hoc est, absque eo, quòd cum prædecessore de hoc tractatum) super regressu contra successorem ob terminos decursos in vita prædecessoris, non potest locus esse regressui, nisi justificatis præmissis diligentiis contra eundem prædecessorem. Paris. *l. c. n.* 29. citans Gamb. *de pot. Leg. l. 6. de pens. n.* 197.

3. Respondeo tertiò: Factis tamen & adhibitis omnibus diligentiis, validè & judicialiter, adeóque etiam intentato regressu ad obtinendam solutionem, & desuper factâ justificatione, seu hoc probato, dum interim nihil effectum, agere poterit contra successorem etiam ad regressum, ac ita ad tales terminos decursos solvendum eum cogere indirectè, ubi non potest eum cogere directè & simpliciter. Lott. *l. 1. q. 39. n.* 151. ubi addit, quòd negari nequeat, mortuo decessore, contra quem intentatus fuit regressus, statum judicii afficere successorem; quia, ut subjungit *n.* 155. quatenus inchoatum judicium contra defunctum, pensionarius satis diligens actor fuit. Notandum tamen, quod habet Lott. *ibid. n.* 153. & 154. quòd, si judicium contra prædecessorem est productum ad finem, vel saltem omnis ex parte pensionarii adhibita diligentia, non dicetur ille, contra quem modò agit pensionarius, successor titularis seu debitoris defuncti propter effectum decreti reservationis regressûs, utpote includentis privationem beneficii ipso jure, & ideo non teneret collatio sive provisio ad illius favorem facta, regressu ipsius pensionarii eo ipso jam intrante hanc collationem impediente.

Quæstio 599. *Quandonam Pensionarius censeatur renunciare regressui?*

1. REspondeo primò: Regressarius, qui si voluisset, potuisset habere regressum, quia lapsus fuerat terminus solvendi pensionem, tempúsque requisitum ad regressum, recepit nihilominus pensionem, hoc ipso regressui renunciare censetur; non secus ac Dominus post incursam caducitatem recipiens ab Emphyteuta canonem censetur caducitatem remittere; caducitas enim statuta nonnisi in favorem Domini, & ille regressus reservatus nonnisi in favorem pensionarii non intrat, nisi volente Domino, & Pensionario. Paris. *l. 6. q. 3. à n.* 30. Barbos. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n.* 89. citans Gamb. *de pot. Leg. l. 6. tit. de pens. n.* 489.

2. Respondeo secundò: Pari modo censetur renunciare regressui recipiendo pensionem, postquam jam egit in judicio ad pensionem tantùm, & nihil adhuc dixit de regressu. Barbos. *loc. cit. n.* 91. citans Gamb. *ubi ante n.* 482. qui hoc ipsum limitat, & procedere tantùm vult, ubi sine protestatione pensionem reciperet. Barbosa verò vult, adhuc intelligi factam remissionem caducitatis & regressûs, etiamsi cum protestatione reciperetur canon vel pensio, & citat pro hoc Gig. *q.* 73. *n.* 7. Surd. *decis.* 317. *n.* 26. *&c.* Idem tenet Paris. *loc. cit. n.* 33. ubi, postquam præmisisset eandem limitationem: nisi pensionarius recipiendo pensionem protestatus fuisset, ait: Ego autem in praxi vidi observari contrarium, idque posset de jure sustineri; nam hujusmodi protestatio est contraria facto, unde non debet relevare juxta ea, quæ habet Clarus *l. 5. receptar. sentent. §. Emphyteusis. q.* 13. *vers. Item quæro.* Et ita etiam in Emphyteusi attestatur Ruin. *cons.* 110. *n.* 4. *l.* 1. Sic etiam Regressarius repellitur exceptione regulæ de Triennali, (intellige, dum non egit interea de regressu) quia ex triennali præsumitur novus titulus. Barb. *loc. cit. n.* 92. *in fine.* ex Caputaq. *decis.* 10. *p.* 3. & Moheda *decis.* 2. *de causa poss. & propriet.*

3. Respondeo tertiò: Recipiendo tamen pensionem, postquam egit tam ad solutionem, quàm ad regressum, & pronunciatum fuit super utroque, non censetur per hoc renunciare regressui, etsi absque protestatione facta hæc receptio pensionis. Barbos. *loc. cit. num.* 92. citans eundem Gamb. *ubi antè nu.* 483. siquidem per pronunciationem judicis, etiam super regressu, resolutus est titulus possessoris, nempe debentis pensionem, & consolidatus in pensionario virtute regressûs. Unde nec tacitè, nec expresè beneficium redire potest ad dictum debitorem; quia semel exclusus manet semper exclusus. Idque ideo, quia Papa in regressu de novo confert beneficium pensionario ex nunc prout ex tunc, adeò, ut collatio censeatur facta ab initio. Unde jam quamvis ipse postea petat pensiones decursas, non tamen ideo censetur renunciare regressui; quia ex quo possessor ille, seu debitor semel beneficium amisit ob non solutam pensionem, non potest absque novo titulo illud recuperare, etiamsi regressarius consentiat; cùm illius jus non pendeat à voluntate pensionarii in eo casu, sed à voluntate Papæ, quatenus vellet ei beneficium de novo conferre. Barbos. *cit. n.* 92. ex Gamb. *n.* 484. & Caputaq. *decis.* 10. *p.* 3. tenente, post latam sententiam super regressu requiri novum titulum, nimirum ut debitor beneficium illud retinere possit.

Quæstio 600. *An igitur, postquam intravit, seu locum actu habuit regressus, nimirum post declaratoriam tam judicis, quàm Pensionarii, debitor ille teneatur adhuc solvere decursas pensiones illas, ob quas non solutas regressus locum habuit?*

1. REspondet negativè Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 37. ubi: omnino sciendum, quòd, si resignans vigori regressûs ad suum beneficium revertatur,

vertatur, tali casu resignatarius non tenetur illi solvere arreragia, seu reliqua pensionum decursarum; quia, cùm privatio beneficii veniat in consequentiam non solutionis, si privatus ea de causa cogeretur solvere pensiones decursas, daretur contradictio, quia solveret, & ob non factam solutionem privaretur, citat pro hoc Gratian. *discep. for. discep. 617. n. 34.* citantur etiam pro hac sententiâ à Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 79.* Guerrero *in specul. juris pontif. c. 6. de pens. n. 6.* Gig. *de pens. q. 76. per tot.*

2. Contrarium tamen, nimirum, qui vigore regressûs ob non solutas pensiones obtinuit mitti in possessionem beneficii, non amittere pensiones illas decursas, sed eas illi adhuc deberi, tenet, & operosè defendit Barbos. *loc. cit. à n. 80.* argumento *L. Colonus. ff. locati.* ubi dicitur, quòd Dominus expellere potest colonum contumacem in solvendo, & petere pensiones: & argumento *auth. qui rem. c. de sacrosanct. Eccles.* ubi dicitur, quòd Ecclesia potest expellere Emphyteutam per biennium non solventem, & petere pensiones, quando excepit ab expulsione. Et *n. 8.* ait Barb. se absque dubio hanc sententiam veriorem existimare in casu, quo pensionarius (error est, dicere enim voluit, titularis) se obligavit sub juramento ad solutionem pensionis, eò quòd tunc juramentum habeat vim clausulæ: *rato manente pacto*: juxta *l. si quis major. c. de transact.* & Seraphin. *de privileg. juram. privileg. 85.* Tusch. *lit. C. conclus. 300. n. 4.* quos citat; dicta autem clausula: *rato manente pacto*, operetur, quòd debitum principale simul, & pœna exigi possint. Et utrumque declarat juxta *l. qui fidem. ff. de transact. l. cùm proponens. c. de transact.* Salust. Tiber. *in forma instrument. l. 1. c. 14. n. 10.* Guttier. & alios, quos citat *n. 92.* Et hinc dicta clausula apposita in Emphyteusi operetur, ut Emphyteuta possit expelli ob non solutum canonem, etiamsi Dominus illum receperit de præterito; quia utrumque consequi poterit, nempe canonem præteritum, & expulsionem, quæ sunt compatibilia juxta Tusch. *ubi antè. nu. 11.* Mart. *de clausulis. p. 1. claus. 131. n. 7.* Neque, ut ait Barbos. *n. 84.* in hoc casu regressus succedat loco pensionum debitarum, sed illis accedat, ac proinde utrumque peti possit, pensiones nempe præteritæ seu decursæ, & beneficium; maximè, quia pensiones petuntur ex debito antiquo propter fructus beneficii perceptos, & regressus ob incursam contumaciam in non solvendo debitis temporibus, vel potiùs ex pacto expresè inito in literis Apostolicis reservationis pensionis. Et tunc, quando pœna apponitur loco contemptûs, & postea res, & pœna petuntur ex diversis causis, veluti si pœna petatur ex contumacia, vel ex pacto, & debitum ex actione antiqua, certum sit, utrumque peti posse. Solvit quoque Barbos. *à n. 93.* rationes Gigantis pro contraria sententia allatas.

Quæstio 601. An, impositâ pensione super pluribus beneficiis, ob non solutam integrè pensionem, vel potiùs pensionis partem impositam beneficio A. solutâ parte pensionis impositâ beneficio B. sit locus regressui ad ambo beneficia?

Respondeo: Videri dicendum, quòd sic, præsertim dum beneficia illa possideantur ab uno; quia pensio illa est de una re, etsi sit imposita super duobus beneficiis ad faciliorem solutionem & majorem illius validitatem. Azor *p. 2. l. 8. c. 14. q. 11.* Paris. *l. 6. q. 3. n. 35.* sic resolutum testans à Rota *in Calagurit. Canonicat. & præb. 4. Decemb. 1551.* ubi reservata talis pensio cum tali clausula: quòd, deficiente Rectore, aut renuente solutionem dictæ pensionis in totum, vel in partem, liceret Titio liberum habere regressum respectivè, & eorundem realem & corporalem possessionem ingredi.

Quæstio 602. An detur quoque hujusmodi regressus ob non solutam pensionem reservatam ultra causam resignationis, sive an in eventu non solutionis concedatur regressus aliquibus, qui beneficium per resignationem non resignarunt, vel liti super eo non cesserunt?

Respondeo: In Curia receptum, ut, cùm beneficium vacans per obitum confertur alicui, reservetur quandoque alteri, qui ejus possessor aut titularis nunquam fuit, nec jus ullum ad illud, aut in eo habuit, pensio etiam cum facultate ad illud beneficium regrediendi, vel potiùs accedendi (ad regressum enim, seu ad regrediendum requiritur, ut is, cui conceditur, habuerit antè ejusdem beneficii possessionem; quemadmodum accessus tunc dicitur reservari, cùm alicui fit potestas intrandi, seu adipiscendi beneficium, vel illius possessionem, quod, & quam antea nunquam habuit, & ingressus reservari resignanti, dum quis cedit beneficium, cujus titulum & jus canonicè obtinuit, sed nondum adeptus possessionem, Tambur. *de jure Abb. to. 1. d. 13. quæsito 6. n. 1.* Paris. *l. 6. q. 5. n. 111. & 114.*) capiendique per se, vel per alium propriâ auctoritate possessionem illius in casu non solutæ pensionis. Azor *p. 2. l. 8. c. 9. q. 4.* Paris. *l. 6. q. 3. n. 6.* citantes Mandos. *de signat. grat. tit. regressus.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 19. n. 1* Unde Paris. *loc. cit.* ait: concludendum omnibus pensionariis ad sui favorem dari hujusmodi regressum.

Quæstio 603. An, sicut in ipsa impositione pensionis requiritur consensus titularis, ita etiam is requiratur in impositione regressus concessi ob non solutam pensionem?

Respondet negativè Paris. *l. 6. q. 3. n. 13.* sic resolutum testans *in una Conch. 20. Martii 1542.* & citans pro hoc Put. *decis. 223. l. 2.* & Redoan. *de simon. p. 2. c. 18. n. 4.* Rationem dat duplicem. Primam, quia hujusmodi regressus accessoriè datur in pœnam ad favorem pensionarii. Alteram, quia regressus hic concessus ob non solutam pensionem datur eo tempore, quo quis beneficio privatur; cùm capiat vires post privationem legalem, quo tempore jam non interest titularis, quis capiat beneficium, & ideo ejus consensus non requiritur, sed sola auctoritas Superioris sufficit. Unde jam etiam infert Paris. *n. 14.* quòd, dum Procurator generaliter constitutus ad acceptanda beneficia cum reservatione pensionis validè ea acceptat, etiamsi reservatus regressus in casum non solutæ pensionis; quia fines sui mandati non egreditur, dum facit id, quòd de natura actûs est.

***

Quæstio

Quæstio 604. *An concedatur quoque hic regressus extra casum non solutæ pensionis, vel etiam citra reservationem pensionis in aliis casibus?*

1. REspondeo ad primum affirmativè: Nempe in casu, si titularis petat, ut pensio ad minorem summam reducatur, vel in totum tanquam irrita & nulla extinguatur. Azor *loc. cit.* Paris. *cit. q. 3. n. 7.* quod qualiter limitandum, dictum est *quæstione ante hanc* 8.

2. Respondeo secundò: Quandoque conceditur etiam regressus, vel etiam ingressus citra omnem pensionem reservatam. Primò in eventum, quòd resignatarius præmoriatur. Tamb. *loc. cit.* sed de hoc aliàs.

3. Secundò, dum obtento secundo beneficio incompatibili, dimisit quis priùs habitum, subsecutâ dein evictione (qualis non dicitur secuta, nisi post latam sententiam, & ejusdem executionem, Tond. mox citandus *n. 29.*) secundi illius beneficii, seu deprehensâ nullitate collationis secundi beneficii, conceditur tali regressus ad primum beneficium dimissum. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 69. n. 1.* citans Garc. *p. 11. c. 5. n. 116.* & *c. si beneficia. de præb. in 6.* Idque procedit, etiamsi talis provisus de secundo illo incompatibili stetisset in possessione illius, etiam ultra duos menses; eò quòd, licèt per possessionem secundi spatio illorum duorum mensium censeatur primum vacasse à principio, hoc tamen intelligitur, nisi secundum evincatur. Tond *loc. cit. n. 2.* Garc. *loc. cit.* Licitus igitur est ille regressus ad primum beneficium, etiam post duos, aut plures menses, dum evincitur secundum; modò iste reditus fiat confestim & sine mora, quamprimum fit certus de invaliditate collationis secundi. Tond. *n. 4.* citans Tiraq. *in l. boves. §. hoc sermone. ff. de verb. signif. Limit. 21. n. 7.* competúntque intendenti redire ad primum remedia possessoria. Tond. *n. 5.* citans Gonz. *gl. 56. n. 146.* & modò illud primum fuerit simpliciter dimissum, in terminis enim simplicis dimissionis tantùm habet locum dispositio citati textûs *c. si beneficia*; & secus est, si agatur de resignatione primi beneficii, inter quam, & dimissionem beneficii magna est differentia. Tond. *n. 6.* hanc differentiam ostendens *n. 8. & 9.* Porrò occasione hujus observandum, quòd, etsi obtinens beneficium incompatibile non satisfaciat decreto de dimittendo, dum resignat in favorem alterius. Tond. *cit. n. 6.* citans Garc. *p. 11. c. 5. n. 58. & seq.* Dataria tamen soleat quandoque ex causa justa relaxare hujusmodi rigorem, & resignationem in favorem admittere in hoc casu. Tond. citans pro hoc Gonz. *gl. 15. n. 126.* Verumtamen etiam dum resignatur beneficium simpliciter, cum hac præsertim explicitâ protestatione, quòd resignans non intendebat amittere primum beneficium, seu resignationem sortiri effectum, nisi quis adipisci posset pacificam possessionem secundi, regressus locum habet. Tond. *loc. cit. n. 27. & 28.* Sed, ut vides, non est hic regressus propriè, cùm resignans non abdicet jus, imò nec possessionem in hoc casu ante impletam conditionem hanc.

4. Tertiò, & quidem à fortiori conceditur regressus ad beneficium compermutatum, dum secundum pacificè & fructuosè obtineri nequit; cùm permutatio hanc tacitam habeat conditionem: modò permutantes beneficiis permutatis frui possint. Tond. *loc. cit. n. 35.* citans Paris. *l. 1. q. 3. n. 7. & seq.* Barbos. *in c. universorum. n. 1. de rerum permut.* Minùs verò rectè addit Tond. *n. 36.* id multò magis procedere, dum Superior recusavit admittere permutationem, quia dum in hoc casu jus nullum à permutantibus abdicatur, locus esse non potest regressui.

5. Quartò conceditur regressus, ubi resignatio facta fuit per vim, & metum. Tond. *n. 23.*

Quæstio 605. *An, & qualiter regressarius redire possit ad beneficium auctoritate propriâ?*

REspondeo, quòd possit propriâ auctoritate per se, vel per alium apprehendere possessionem, constat ex ipsis verbis claris in Bulla apponi solitis. Paris. *l. 6. c. 3. n. 11.* Ita ut nullatenus prætendi possit vitium intrusionis, dum omnes fatentur, licitum redire propriâ auctoritate ad primum beneficium, quando possessio nondum fuit à successore occupata. Tond. *cit. c. 69. n. 25.* loquens de casu, ubi propter secundum beneficium evictum reditur ad primum; quia, ut idem Tond. fictione juris non videtur quis hoc casu à primo beneficio recessisse. Limitat tamen hoc ipsum Tond. *ibid. n. 24.* quòd licèt auctoritas superioris hoc casu necessaria non sit præcisè, esse tamen adhibendam ad majorem cautelam juxta Gemin. *in c. si beneficia. de præb. in 6. n. 8.* Franc. *ibid. n. 4.* Anchoran. *notab. 6.* Porrò, quod concernit reditum ad beneficium permutatum, an permutans possit redire sine nova collatione ad suum beneficium, dum permutatio non tenet, aut non sortitur suum effectum, de hoc dictum aliàs. Opus non esse novâ collatione, ita tamen, ut necessaria semper sit Superioris auctoritas, qui permutanti licentiam concedit redeundi ad priora beneficia, & talis licentia habeatur pro collatione, tenet Chok. *de permutat. benef. p. 3. c. 9. nu. 2.* Cevall. *commun. opin. c. 561.* apud Tond. *nu. 38. & 39.* & plures alii apud Garc. *p. 11. c. 4. num 6.* ipséque Tond. censet illam veriorem, & sine difficultate in supremis Galliæ Tribunalibus observari, & secundùm illam judicari.

Quæstio 606. *Pro complemento hujus materiæ de regressu, quinam hodie regressus sublati sint?*

REspondeo primò: Regressum illum, qui competit ex mero Papæ indulto, nullâ existente causâ à jure approbatâ, prorsus sublatum esse per Trident. *sess. 25. cap. 7.* regressum verò, qui est ex pacto inter resignantem cum pensione, & resignatarium, cùm amari nihil in se habeat, non subjici huic decreto, adeóque sublatum non esse. Lott. *l. 1. q. 40. n. 266.* Paris. *l. 6. q. 5. nu. 110.* Tond. *qq. benef. p. 1. cap. 26. num. 41.* & fusiùs *p. 2. cap. 1. §. 4. num. 23. juncto num. 30.* ubi loquitur de regressibus reservatis ob non solutam pensionem, & *num. 28.* ubi loquitur de regressu concesso ad beneficium dimissum ob bene-

beneficium secundum incompatibile evictum, seu de regressu fundato in dispositione juris communis, nempe *cit. cap. ad beneficia.* & hunc ab isto generali decreto Tridentini annullativo accessuum & regressuum excipi, ait. Et quamvis regressus omnes, etiam ob non solutionem pensionis, sublatos esse, & non practicari in Gallia dicat Tond. *p.* 1. *c.* 69. *n.* 11. cum Paris. *l.* 6. *q.* 3. *nu.* 17. id tamen *nu.* 12. *& seq.* limitat ex eodem, ita ut *cit. num.* 12. dicat, sublatum non esse ibi regressum, quo redire licet ad primum, dum quis privatur secundo, intellige, ob quod dimissum erat primum. Item, ut habet *num.* 21. non sublatum, sed dari in Gallia regressum, quando graduatus nominatus incompatibile beneficium in mensibus graduatis assignatis vacans acceptare intendens, dimittit simile obtentum prævia protestatione, quòd primum non intendit dimittere, nisi si, & quatenus secundi pacificam possessionem adipiscatur, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Item ut habet *num.* 22. ex addit. ad Paris. dum minor ætate beneficium remittit alicui, illud repetiturus, dum legitimæ ætatis fuerit. Quamvis ipse Tond. dicat, nec isti Additionatori, nec viris probis placere illum regressum tanquam confidentialem, nec se existimare, illum hodie in Gallia recipiendum, dum confidentiæ sunt prohibitæ. Item conceditur in Gallia regressus, si resignatarius non adimplet conditiones, sub quibus resignatio facta fuit, veluti si pensionem reservatam à resignante non solvat. Tond. *nu.* 14. Idque etiam, ut subjungit *num.* 15. ex Paponz. *l.* 2. *tit.* 8. *arresto* 8. si mortuo resignatario, beneficium alteri tanquam vacans per obitum fuisset collatum. Unde licèt ipsi regressus ob non solutam pensionem non admittantur in Gallia, ut Paris. *l.* 6. *q.* 3. *n.* 17. Rebuff. *de pacif. possess. num.* 129. Gregor. Tolosan. *syntag. juris l.* 17. *c.* 17. *n.* 30. & Tond. ipse *num.* 11. id tamen ita intelligendum tradit Tond. *cit. cap.* 69. *num.* 16. *juncto num.* 40. *cap.* 26. ut in Gallia agi quidem non possit ad regressum ob non solutam pensionem vigore expressæ reservationis contentæ in literis Apostolicis; eò quòd, cùm omnes reservationes sint sublatæ in Gallia, ut Rebuff. *in concord. tit. de reservat.* ista quoque reservatio expressa regressûs non admittatur; possit tamen ibidem intentari regressus ob non solutam pensionem ex eo, quòd tacitè semper reservatus censeatur in omnibus provisionibus pensionum Ecclesiasticarum, & beneficialium, ad instar donationis, quæ revocatur, si donatarius conditionem donationi appositam non implet. Citat pro hac distinctione Tondutus Paponz. *l.* 2. *tit.* 8. *arresto.* 20. Torner. *lit.* P. *nu.* 88. *& 65. in suæ recollect. arrestor.* addit. ad Paris. *cit. l.* 6. *q.* 3. *q.* 17.

*****
***
*

De Translatione Pensionis.

Quæstio 607. *An detur translatio pensionis, seu transferri possit pensio: quid sit; & quotuplex, seu potius quotuplici modo facultas transferendi concedatur?*

1. Respondeo ad primum affirmativè: Sic enim constat ex stylo Curiæ Rom. pensiones transferri ab uno in alium. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 9. *additivum* Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 1. quidquid sit de hoc, an pensio sit eadem in translatario, quæ fuit in transferente, de quo paulò pòst. Et sic quandoque in resignatione beneficii ultra pensionem reservatur & conceditur pensionario facultas pensionem transferendi in alium. Paris. *l.* 6. *q.* 4. *num.* 2.

2. Respondeo ad secundum: Translatio pensionis est mutatio juris (intellige activi, seu exigendi pensionem) ex una persona in aliam; hoc est, quòd hoc jus exigendi, quòd priùs residebat penes unum, resideat dein penes alium. Castrop. *loc. cit.* Unde, dum Paris. *loc. cit. n.* 4. eam definit, quòd sit mutatio obligationis solvendi pensionem de una persona ad aliam facta auctoritate Papæ, non vult in translatione hac obligationem ipsam solvendi, & onus incumbens beneficio, de uno beneficio transire ad aliud, sed manens infixum uni eidémque beneficio, vel etiam penes unum eundémque physicè, vel moraliter titularem, respicere alias & alias personas, quibus præstanda solutio, sive jura activa ratione tantùm diversarum successivè personarum, quibus successivè competit hoc jus exigendi, diversa. Unde, ut Paris. *loc. cit. n.* 6. ex Mandos. *ad reg. de infirm. q.* 11. *n.* 3. verbum illud: *translationis pensionis:* nihil est aliud secundùm subjectam materiam, quàm cessio pensionis in alterius favorem.

3. Respondeo ad tertium (quod non tam concernit intrinsecam hujus translationis diversitatem, quàm extrinsecam, desumptam à modo diverso, quo potestas pensionem transferendi conceditur) aliam esse, quæ fit in virtute potestatis hujus concessæ in ipso actu reservationis pensionis, seu vi obtentæ clausulæ in literis reservationis pensionis, nimirum ut eam quoque transferre possit. Aliam, quæ fit in virtute potestatis concessæ extra actum reservationis, seu citra talem clausulam, & absque eo, quòd in reservatione pensionis, literisque desuper expeditis fiat dictæ potestatis mentio, dum nimirum partes ipsæ ex post supplicarunt, ut pensio imposita in favorem Titii extinguatur ad effectum, ut reservetur Cajo. Vel etiam dum ea fit in vi potestatis hujus concessæ motu proprio extra actum reservationis pensionis; aut etiam in vi privilegiorum aliàs generaliter concessorum v. g. Episcopis in Capella Papæ assistentibus, Conclavistis, aliisque personis Papæ gratis, aut bene visis. Conrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 9. (ubi etiam, quòd ex eo multa constitui possit diversitas inter pensiones ipsas reservatas & translatas) Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 240. *juncto nu.* 251. *& 252.* Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 5. Paris. *loc. cit. sub nu.* 7. qui etiam exinde trifariam dividit dictam translationem, prout nimirum modus ille concedendi hanc facultatem extra actum reservationis pensionis subdividitur in eum, qui fit ad supplicationem partium, & qui fit motu proprio, vel etiam concessione dictorum privilegiorum.

4. Porrò

4. Porrò hìc notandum, quòd omnia indulta transferendi pensionem, quæ non in ipsa reservatione pensionis, sed ad partem conceduntur, regulariter expediantur per Breve sub annulo piscatoris, cujus literæ nemini nisi ipsimet transferenti in forma gratiosa diriguntur, cum deputatione tamen Executoris peripsum transferentem eligendi. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 12.* Item notandum ex eodem. *n. 14.* concedi quandoque hanc facultatem transferendi cum clausula: *etiam literis super reservatione pensionis non expeditis*, v. g. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis Capellæ pontificiæ assistentibus, Capellanis Papæ, ejusdémque Cubicullariis, familiaribus, & continuis commensalibus, aliisque personis illi charis. Qui tamen, si habeant facultatem transferendi cum dicta clausula pensionem ducentorum imperialium, non poterunt adhuc transferre pensionem plurium imperialium sine expeditis literis.

Quæstio 608. *An eadem sit pensio in translatario, quæ fuit in transferente?*

1. REspondeo primo: Loquendo de pensione accepta pro jure activo exigendi certam quantitatem pecuniæ, uti de eo loquuntur AA. mox citandi, non esse eandem pensionem, sed per translationem jus transferentis seu pensionem antiquam extingui, & dein constitui seu reservari translatario jus novum omnino, simile in conditionibus antiquo, seu antiquæ pensioni. Castrop. *cit. §. 9. nu. 2.* Paris. *l. 6. q. 4. nu. 7.* Garc. *p. 1. c. 5. nu. 255.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 9. q. 1.* Lott. *l. 1. q. 36. nu. 64. & 65. & 78.* Siquidem in pensionibus non datur vacatio, ita ut in rerum natura remaneat, nullo eam possidente, uti contingit in beneficiis; quia non sunt jura realia & perpetua, sed temporalia & personalia, ac proinde mutatis personis hæc ipsa jura mutantur, intellige numericè. Et certè si idem omnino numero jus in translatario esset, quod erat in transferente, mortuo transferente periret jus translatarii, quia transferens habebat jus pensionis pro sua tantùm vita, & consequenter non poterat ultra vitam propriam jus translatario concedere. Castrop. *loc. cit.* Proinde jam transferens non cedit jure suo, ut illud idem jus numero cessum sit in translatario, sed ut aliud omnino simile sit in eo, quod, quia propter hanc omnimodam similitudinem virtualiter est idem cum antiquo, adhuc dicetur translatio. Ita ut etiam, ait Lott. *loc. cit. num. 7.* quia hæc extinctio est momentanea, nec fit tam ad finem amittendi; quàm acquirendi eam alteri, habenda non sit in consideratione. Neque opponi potest, quòd census non varientur per hoc, quòd ex uno in alium transferantur; nam verum id est de censibus perpetuis, qui non variantur ex mutatione Censualitæ, quemadmodum Beneficia non mutantur ex mutatione beneficiariorum, quia personis non annectuntur; falsum tamen etiam est in censibus non perpetuis, ut patet in censu vitalitio, & similibus, qui cum persona, cui solvuntur, extinguuntur, non secus ac usufructus cum usufructuario, quibus proinde pensiones ad vitam pensionarii ei annexæ assimilantur. Castrop. *loc. cit.* Neque opponi potest, quòd census non varietur ex mutatione hypothecæ. Nam unitas censûs non tam ex hypotheca, quàm ex obligatione debitoris desumitur, quæ, cùm sit & maneat eadem mutatis hypothecis, census est idem; at unitas pensionis ex unitate pensionarii desumitur, dum eo pereunte perit. Castrop. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Loquendo tamen de pensione, pro ut est subjectum, & materia ipsa, in quam jus illud activum exercetur, sive prout est jus passivum, seu obligatio solvendi in titulari, est & manet semper eadem, & in effectu non extinguitur, nec alteratur per translationem, & mutationem pensionariorum, sed manet idem onus, eadémque servitus beneficio in suo fundamento; & sic dicitur non inferri novum gravamen beneficio, aut titulari, sed ad summum dicitur hæc pensio seu obligatio renovari (renovatione tamen, quæ non efficit, ut exinde nova dicatur pensio) & simpliciter solùm insinuari titulari, cui deinceps debeat solvere pensionem. Lott. *loc. cit. à n. 66.* Unde jam etiam, cùm dicta obligatio maneat eadem in titulari, & quamvis jus illud activum in translatario, seu pensio respectu translatarii non sit eadem numero, sit tamen ejusdem omnino rationis cum ea, quæ fuit in transferente; jam omnes derogationes, & decreta concernentia substantiam, & validitatem pensionis ab initio semper durant post translationem. Lott. *n. 71.* ex Crescent. *decis. 1. n. 3. de reb. Eccles. non alienand.*

Quæstio 609. *An igitur etiam obligatio fidejussoris dati in favorem primi pensionarii, translatâ pensione perseveret, & fidejussor transeat in favorem translatarii?*

REspondeo negativè: Prorogatio siquidem fidejussoris ex sola fidejussoris voluntate pendet, & non ex voluntate pensionarii transferentis, aut Papæ; adeóque cum fidejussor fidejussionem solùm dederit, & interposuerit in favorem primi pensionarii, nequaquam extendenda ad favorem secundi, seu translatarii. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Garc. *loc. cit. nu. 247.* id fusiùs Rotæ decisionibus comprobans. Contrarium tamen tradit Lott. *l. 1. q. 36. n. 77.* ubi: respectu titularis semper censetur eadem pensio, ideóque nedum ejus obligationem, sed etiam accessorias fidejussorum perdurare, utì id latissimè decisum *in Segobiens. pens. 20. Maii 1598.* (quam fusè recitatam vide apud Garc. *loc. cit. nu. 257.*) ubi expressè dicitur: obligatio fidejussorum pensionis ad favorem nominati, qui eam tunc transtulerat, extenditur ad translatarios cum omnibus decretis, & clausulis in reservatione contentis &c.

Quæstio 610. *An transeat quoque in translatarium quasi possessio transferentis, vel saltem in quo ea deserviat translatario?*

1. REspondeo ad primum negativè: Siquidem hæc quasi possessio alio modo in eum non transit, nec transire potest, quam possessio defuncti in hæredes, scilicet post apprehensam possessionem, Lott. *l. 1. q. 40. num. 354.* ubi: in translatarium non transfertur pensio, quæ fuerat apud transferentem; illa enim fuit extincta eo ipsò momento, quo transferens desiit habere animum possidendi; unde translatario sine nova apprehensione quæri non potest; & hinc respectu hujus possessionis dici non potest translatarius. citat pro hoc Rotam *in Neritonens. pens. 5. Nov. 1601.* quam quoque recitat Garc. *p. 1. c. 5. n. 472.* Idem docet Lott. *l. 1. q. 36. n. 119.* ubi etiam subjungit, *à n. 120.* hinc se-

qui, quòd, dlicèt Papa expresè translatarium subroget etiam ad possessionem (utì id quandoque facit ex suppositione quasi possessionis in transferente, etiam dum translatio fit citra consensum titularis, nempe per decretum adjectum in facultate transferendi hisce verbis: *decernentes præsentes literas dicto translatario in omnibus, & per omnia suffragari, & quò ad quasi possessionem prædictam pensionem exigendi, in qua existis, per viam gratiosæ subrogationis substitutum & subrogatum eo ipso censeri*) nihilominus, quia non datur fictio super impossibili, subrogatio hæc quidem serviat ad effectum immissionis, quæ non minùs datur in corporalibus, quàm in incorporalibus, minimè tamen ad effectum manutentionis, quæ exigit possessionem in petente, cùm sit nova actio, non eadem, & consequenter non possit in alia persona sustineri identitas possessionis, quæ eatenus repræsentetur in persona successoris, quatenus successio fit in subjectum identificum & inalterabile, ut cùm succeditur in dignitate aliqua, vel officio.

2. Respondeo ad secundum: Neque possessio transferentis in ullo subservit translatario; nimirum nec ad effectum manutentionis, neque ad effectum justificationis. Lott. *l.* 1. *q.* 38. *n.* 77. Nisi tamen possessio esset longissima 30. annorum; adeo enim longa præscriptio sufficit ad præsumptionem tituli, ne dum ad favorem illius, cui facta est gratia reservationis pensionis, & per tantum tempus exegit, sed etiam plurium successorum virtute successivarum translationum. Lott. *ibid. nu.* 78. & 79. Modò possessio hujusmodi fuerit bene formata, nempe ex concursu patientiæ ejus, contra quem, & exactionis illius; si enim fuisset interrupta, v. g. si aliquando super illius nullitate lata sententia, licèt postea fuissent continuatæ solutiones; vel etiam lis & controversia mota, ex qua intercipitur hic cursus 30. annorum continuus in præstatione obedientiæ. Lott. *ibid. n.* 80. & 81. Illud tamen hic notandum, quod habet idem Lott. *l.* 1. *q.* 36. *nu.* 75. tempora quasi possessionis exigendi translatarii, & transferentis esse conjungenda pro præsumenda justificatione literarum. pro quo citat Rotam *decis.* 347. *n.* 9. *p.* 1. *Recent.*

Quæstio 611. *An transferatur quoque in translatarium ipsa potestas transferendi pensionem, seu hic eo ipso possit quoque eam transferre iterum in alium?*

Respondet negativè Paris. *l.* 6. *q.* 4. *n.* 39. ubi: quòd, dum dicitur, in translatione eam fieri cum jisdem clausulis, & decretis in primæ pensionis concessione expressis, sub verbis illis non venit facultas transferendi; quia hujusmodi facultas erat personalis, & hinc non poterat extendi ultra primam vicem. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 11. ubi: Si semel fuit concessa facultas transferendi (nimirum in ipso actu reservationis pensionis) & dein alterata per cassationem (intellige, factam gratiâ transferendi) pensio, non intelligitur ullo modo repetita clausula facultatis transferendi, etiam virtute decreti, quòd reservata censeatur hæc secunda cum jisdem clausulis, & decretis, cum quibus erat reservata prior; istud enim decretum intelligitur de clausulis duntaxat validantibus ipsam pensionem. Idem tradit Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 44. ubi: Satis tritum est, translatarium non posse in alium transferre pensionem aliàs in ipsum translatam, nisi ostendantur privilegia comprehendere etiam pensiones semel translatas; nam aliàs nimis prorogaretur servitus beneficii; cùm translatio pensionis sit odiosa, & ideo restringenda. citat pro hoc Sarnens. *ad reg. de infirm. q.* 16. Caputaq. *decis.* 100. *num.* 6. *p.* 3. Hanc autem facultatem transferendi pensiones semel translatas ob dictam rationem odibilitatis non concedi per Papam, nisi personis plurimùm qualificatis, & eidem acceptis, potissimùm verò sibi conjunctis nepotibus &c. ait *ibidem* Corrad. pro ut etiam subdit, concedi etiam per novum Papam Conclavistis potestatem transferendi pensiones iis reservatas, etiamsi aliàs semel, vel pluries translatæ fuerint, usque ad summam 100. ducatorum anni de Camera.

Quæstio 612. *An translatio pensionis sit odiosa?*

1. Respondeo primò: Dum pensio transfertur per illum ipsum, cui reservata, in personam sibi bene visam, est odiosa. Lott. *l.* 1. *q.* 36. *n.* 110. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 2. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 1. Paris. *l.* 6. *q.* 4. *num.* 16. Idque non ideo, quia simpliciter prorogatur onus beneficii; cùm id non pertineat ad pensionem simpliciter reservatam super quantitate pecuniæ per titularem, quæ nullo modo tangit, vel gravat beneficium, & alterius non est considerabile præjudicium tale: nec respectu titularis; cùm contingere possit, & sæpe soleat, ut translatarius moriatur ante transferentem, etiam dum translatio fit ab eo, qui moribundus videbatur, & in his, quæ pendent à solo eventu, non possit firmari præjudicium. Lott. *loc. cit.* Corrad. *n.* 3. quamvis *n.* 4. addat; exinde fortè adhuc aliquid videri posse præjudicii, quatenus communiter translatio pensionis fieri solet in juniores translatario. Sed ideo tunc translatio hæc est odiosa, quia non est de jure, nec etiam de ipsius pensionis natura, sed veluti contra illam; cùm pensio reservetur ad tempus, & sic extinguatur morte pensionarii; translatio vero illius, cùm sit obligatio illam solvendi de persona ad aliam personam, operatur perpetuitatem illius, etiam post mortem pensionarii. Corrad. *cit. n.* 2. seu quia per eam constituitur actio personalis, nempe exigendi in eo, in quo esse nullo modo potest, deficiente consensu titularis à principio, utpote restricto ad unius tantùm favorem; atque ita repræsentata quâdam specie hæreditariæ successionis in illo ipso, in quo nec datur, nec dari potest. Lott. *loc. cit. n.* 112. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 6. *nu.* 579. Et quamvis Papa ita decernat, ut videatur pensionis solvendæ obligationem prorogare cum derogatione regulæ *de præstando consensu*, hæc tamen ipsa procedere videantur ex plenitudine potestatis (quæ semper aliquid amari habet) cùm de potestate ordinaria consensum alterius supplere nequeat.

2. Respondeo secundò: In eo casu, dum Papa intendens reservare pensionem ad commodum alicujus, v. g. miserabilis personæ non Ecclesiasticæ aut Clerici extranei, cui ea directè reservari non poterat, quia v. g. deficit in ea Clericatus, vel est extranea, dum in aliquibus provinciis viget pragmatica, ne pensiones exteris, seu non originariis reserventur, reservat pensionem in caput, & ad vitam clerici, vel personæ alicujus originariæ talis provinciæ, in commodum tamen tertiæ illius per-

sonæ

sonæ non clerici, vel non originarii, cum potestate eam transferendi, ne moriente pensionario illo, seu in cujus caput reservata pensio, evanescat etiam gratia respectu illius tertiæ personæ contemplatæ; in hoc inquam casu, dum hac ratione fit hæc translatio, ex necessitate nimirum sustinendæ gratiæ, prout ab initio constitutum, non cadit in illam odium aliquod, sed erit ex omni parte favorabilis; cùm tunc nihil statuatur gratiâ prorogandi vel extendendi consensum titularis, utpote qui se in isto casu constitutæ taliter pensionis, à principio obligavit, nedum ad favorem reservatarii, sed etiam omnium illius translatariorum. Lott. *cit. q. 36. n. 126.*

Quæstio 613. *Quis possit concedere hanc potestatem transferendi pensionem?*

1. REspondeo: Papam posse concedere hanc facultatem, extra dubium est; cùm habeat liberrimam & plenissimam in beneficialibus & bonis Ecclesiasticis dispositionem. Paris. *l. 6. q. 4. n. 14.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 1.* ubi: Papæ auctoritas in transferendo pensiones est omnimoda & indubitata. Neque, ut addit *n. 2.* Papa intelligitur in hac materia unquam aliquid constituere contra bonum publicum, nec gravare Ecclesias, aut proprietatem bonorum illarum, sed nudam duntaxat commoditatem, prælati seu beneficiarii, cui nulla est voluntas, aut causa reluctandi adversus ipsum supremum Ecclesiæ Principem. Porrò notandum cum Lott. *ibid. n. 5.* quandoque ipsummet Papam transferre pensionem, aliquando verò facultatem transferendi alteri dare, vel demandare; longè enim diversa sunt gratia translationis, & facultas eam transferendi, sicut aliud est provisio beneficii, aliud mandatum de providendo.

2. Respondeo secundò: Neque Ordinarius, neque Legatus à latere concedere potest facultatem transferendi pensionem. Paris. *l. 6. q. 4. num. 15.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 244.* ex Gamb. *de pot. leg. l. 6. n. 225.* sed solus Papa, AA. iidem. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 4.* Lott. *l. 1. q. 36. n. 56.* ubi etiam *nu. 57.* subjicit; in hujusmodi facultate transferendi semper vel præscribi, vel præscriptam censeri formam hanc, ut indultarius veterem pensionem per Papam reservatam extinguat, & mox aliam ejusdem quantitatis vigore indulti super jisdem fructibus reservet ad favorem cujuslibet.

Quæstio 614. *Ex quibus causis concedi possit, & soleat hæc facultas transferendi?*

1. REspondeo primò in genere: Hujusmodi facultatem concedi ex causa benè visa Papæ. Paris. *l. 6. q. 4. n. 16.*

2. Respondeo secundò: De cetero harum causarum assignentur tres. Prima est transcendens quidam affectus Papæ erga pensionarii personam, cui, ut usque ad summum faveat, ut inquit Lott. *l. 1. q. 36. n. 79.* concedit, ut vel in ipso mortis articulo in alias personas sibi gratas, vel bene visas transferat, quod rarò, & solis ferè S. R. E. Cardinalibus, aut familiaribus suis, vel Prælatis sibi maximè charis, plerumque tamen ad certam & definitam quantitatem concedit; ita ut, si excedatur, non tamen inde corruat tota translatio, sed sustineatur in quantitate non excessiva; cùm summa sit dividua. Lott. *loc. cit. juncto n. 80.* Secunda est prærogativa integræ alicujus Universitatis seu, Ordinis, cujus intuitu hanc facultatem concedit omnibus, & singulis ejus membris, v. g. militibus Lauretanis. Lott. *cit. n. 80. in fine,* qui etiam *n. 81.* ostendit differentiam inter potestatem hanc datam ex hac, & inter datam ex priore causa, sive inter datam intuitu personæ reservatarii seu indultarii, & intuitu officii seu dignitatis personæ. Tertia est mera necessitas sustinendi gratiam reservationis confidentialis, dum reservatur pensio in caput, seu ad vitam alicujus, juxta dicta & explicata *quæst. ante hanc 3.* ita ut commodum pensionis intendatur alteri; ex ea enim commoditate seu utilitate pensionis in alium transmissæ probatur confidentia. Lott. *loc. cit. n. 90. juncto n. 93.*

Quæstio 615. *Quandonam exspiret hæc facultas transferendi?*

1. REspondeo primò: Dum facultas hæc, concessa ratione seu intuitu officii vel dignitatis; durat tantùm durante illo officio vel dignitate. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 5. n. 14.* Lott. *l. 1. c. 36. nu. 86.* cessante enim causâ favoris, quæ erat illud officium vel dignitas, cessat favor. Lott. *ibid.* Et si hujusmodi officium emptum esset pecuniis alterius, qui sibi reservasset omnimodam dispositionem & commoditatem, nihilominùs istius reservatarii persona non haberetur in consideratione ad effectum fruendi hoc indulto, sed persona solius Officialis descripti in matricula. Lott. *n. 88.* & ex eo Corrad. *loc. cit.* juxta *decis. Rotæ in Papiensi pens. 19. Martii 1607.*

2. Respondeo secundò: Dum verò concessa dicta facultas intuitu personæ pensionarii; durat durante illâ persona; cùm causa favoris sit perpetua cum ipsa persona Lott. *ibid. n. 81. juncto nu. 83.* qui etiam hinc deducit *n. 82. juncto n. 84.* Quòd, licèt tunc concipiatur illa facultas cum clausula: *de pensionibus nunc, & pro tempore reservatis*: & ea restringere videatur indultum ad pensiones *tunc*, vel antea reservatas ante tempus Datæ, tamen ea verba referantur ad tempus translationis, ponderando præcipuè dictionem *pro tempore*, quæ futura comprehendit; finitur tamen & in hac persona hæc facultas primâ translatione validâ pensionis, ad quam transferendam ea concessa; quia per illam translationem abdicat transferens omne jus illius pensionis, & consequenter nihil habet amplius, quod transferre possit. Secus est de translatione invalida, utpote quæ se habet, ac si non fuisset. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. num. 7.* citans Garc. *p. 1. c. 5. n. 247.* Gonz. *gl. 11. n. 82.* Neque, ut dictum suprè, non extincta transfertur in translatarium, aut extincta in eo rursus creatur. Verumtamen, qui diceret, facultatem talem jam esse consumptam per translationem prius factam, deberet docere, eam translationem factam esse in vim ejusdem facultatis; nihil enim vetat, quò minùs concessâ unâ facultate, concedi potuerit & alia amplior. Lott. *l. 1. q. 40. à n. 65.* qui etiam *n. 68.* subjungit, non vitiari secundam facultatem ex tacita priore facultate, si saltem in genere sit facta mentio de prioribus cum clausula: *quorum tenores*, utpote quæ habet vim individuæ expressionis. De cetero extingui etiam dictâ facultatem transferendi per promotionem ad Episcopatum, & ita quidem, ut hæc extinctio eo ipso inducatur, concessa etiam retentione pensionis, tradit Lott. *cit. q. 40. n. 93.* Porrò quando in persona obtinente officium, vel dignitatem censeatur in hujusmodi facultatis con-

concessione considerata potiùs persona, quàm officium, vel dignitas, deducendum, ait Lott. *cit. q. 36. n. 87.* ex pondere verborum personalium *tibi*, item *per te*, & ex præmissione nominis proprii.

Quæstio 616. *An translatio pensionis fieri possit in articulo mortis?*

1. REspondeo affirmativè. Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. num. 104.* (ubi: non est verum, quòd per translationem pensionis prorogetur servitus beneficii, & constat ex *Mantuan. pens 4. Decemb. 1626.* ubi: quod, quidquid Rota cenuerit antiquitus, hodie constat, & est receptissima sententia, quòd translatio etiam facta in articulo mortis non est novum gravamen) Lott. *l. 1. q. 40. à n. 55.* Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 5. à nu 45.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5. in fine.* citans Azor. *p. 2. l. 8 c. 11. q. 10.*

2. Ampliatur responsio primò: ut procedat, sive permissâ translatione, censeatur etiam permissum, eam fieri in articulo mortis, etiamsi clausula: *etiam in articulo mortis*, quæ aliàs in concessione facultatum transferendi pensiones de stylo addi consuevit, ut Mandos. *de signat. grat. tit. translat. pens.* non addesset; siquidem dicta clausula potius ex superabundanti, quàm ex necessitate adjicitur. Lott. *cit. n. 55.* Corrad. *cit. nu. 45.* testans sic *decis. à Rota in Gadicens. pens. 25. Mart. 1541.*

3. Ampliatur secundò: ut, quemadmodum sustinetur testamentum factum à moribundo balbutiente & semimortuo, modò ad interrogationem Notarii, vel alterius potuerit exprimere mentem per simplicem vocem: *ita*, vel *non*; sic pariter sustineatur translatio pensionis à tali taliter facta. Lott. *loc. cit. n. 56. & 57.* Corrad. *loc. cit. nu. 47. & 48.* Quinimò etiam, sicut testamentum, & fideicommissum sustinetur factum à moribundo loquelâ destituto, per nutus oculorum, vel capitis voluntatem suam declarante; ita etiam translatio in hoc casu nutu fieri potest. Corrad. *loc. cit. n. 50.* Neque his contraria est Rota *in Portugallens. pens.* quia intelligenda de ita balbutiente, ut nullatenus intelligi posset, aut sciri, an dicat: *ita*, vel *non*. Corrad. *n. 49.* Idem dicendum, dum nutus tales essent, quibus voluntas non satis declararetur, & sciri nequiret, an annuerit, vel renuerit.

4. Ampliatur tertiò: ut procedat, etiamsi à tali extorta fuisset tanslatio banditiis, & persuasionibus translatarii; nam neque blanditiæ, & persuasiones tales vitiant testationem, aut vitio vertuntur blandienti, & persuadenti. Lott. *nu. 58. & 59.* Corrad. *cit. n. 9.*

5. Ampliatur quartò: ut non sit invalida à moribundo facta translatio, aut etiam desuper factum instrumentum, dum illud non fuit subscriptum secundùm jus aliquod singulare Provinciæ, alicujus solennitatem hanc omnino exigens in contractibus, & instrumentis, quæ super contractibus fiunt; cùm materia hæc tranlationis pensionis non pertineat ad contractus; cùm translatio hæc sit simplex actus, quem rogat Notarius, vel alius, & non sit contractus. Adde, quòd vix sit, ut hujusmodi consuetudines, aut pragmaticæ Laicorum juri communi superinductæ attendantur in instrumentis, quæ conficiuntur inter personas Ecclesiasticas. Lott. *n. 58. junctis n. 60. & 61.*

6. Ampliatur quintò: quòd locum non habeat in hac translatione regula de infirmis, ita ut, etsi infirmus transferens moriatur infra 20. dies, valeat tamen translatio, utpote quæ mox, ut facta, sortiatur suum effectum; dicta enim regula loquitur de resignante beneficium; jam autem neque translatio est resignatio, neque pensio est beneficium, nec appellatione beneficii comprehenditur. Corrad. *loc. cit. n. 46.* Sarnens. *ad hanc reg. q. 16. n. 2.* Castrop. *de benef. d. 1 p. 11. §. 9. n. 5. in fine.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 13. q. 1. editionis Colonienſis. de anno 1608.* ubi, dum respondet, *non valere*, error videtur esse typographi, & legi debere: *non habere*, nimirum locum, juxta quod quæsitum erat, & ostendit ratio ab eo adducta.

7. Limitanda econtra responsio primò: ut hucusque dicta intelligenda sint de tali moribundo, qui intellectum, seu rationem nondum amisit. Corrad. *loc. cit. n. 51.*

8. Limitanda secundò: ut nihilominus servetur in hac translatione modus, & forma tradita in literis, in quibus prædicta facultas transferendi conceditur. Corrad. *n. 54.* & sic hæc translatio fieri non potest per testamentum. Corrad. *ibid.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 56.* non obstante decis. Rotæ *in Placent. pens. 17. Julii 1602.* ut ait idem Garc.

9. Limitanda tertiò & principaliter: quòd fieri nequeat, & nullatenus valeat translatio, dum æger seu moribundus, & translatarius ita convenient, ut translatio facta intelligatur, si transferens ex illa infirmitate decedat, aliàs non. Corrad. *cit. loc. n. 52.* Garc. *loc. cit. n. 55.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 19.* eò quòd, cùm per translationem extinguatur antiqua pensio, & nova constituatur coram Executore, dicta facultas videatur non posse sibi vendicare locum, nisi in absoluta translatione; atque adeò translatio sub conditione factâ sit nulla. Garc. *cit. n. 55.* Sed de hoc postremo plura infrà.

Quæstio. 617. *An coram aliquo, & coram quo fieri debeat hæc translatio?*

1. REspondeo primò: Supponendo, translationem fieri vel ab ipso Papa, v. g. ubi translatio fit ex causa necessaria sustinendi gratiam reservationis pensionis confidentiariæ, de qua suprà, dum nimirum reservata pensio in caput, & ad vitam alicujus in commoditatem alterius tertii, & ille, in cujus caput ea sine commoditate fuerat reservata, moriturus, seu occurrente vitæ periculo eam transfert in alium, hac potestate (ut Lott. *l. 1. q. 36. n. 99.*) concessâ illi in hoc eventu, ne gratia illa facta isti tertio aliàs frustraretur; in hoc enim casu fieri translationem ab ipsomet Papa tradit Lott. *l. 1. q. 40. n. 6.* Item subjungens *n. 8.* in hoc casu, cùm nihil mutetur, nisi persona fiduciarii, hoc est, illius, in cujus caput sine commoditate erat reservata, fiatque motu proprio, nihil esse justificandum. Item dum fit ex certa scientia de consensu illius, cui facta illius reservatio. Lott. *cit. q. 40. nu. 7.* (& *n. 8.* subdens, in hoc casu nihil justificandum præter habilitatem pensionarii) illo ipso pensionario pro hoc, ut fiat, supplicante, sive dum fit translatio in vi supplicationis, in qua petatur, ut pensio aliàs absque facultate eam transferendi concessa cassetur, extinguatur, & annulletur ad effectum, ut similis pensio in favorem alterius constituatur, seu reservetur, pro ut supplicat ille tertius, ut sibi ea assignetur, seu reservetur cum clausulis, & decretis in prima pensionis reservatione contentis. Paris. *l. 6. q. 4. n. 36.* ex Mandos. *de signat. grat. tit. translationes. col. 2.* Et sub hac forma fit

ma fit translatio, dum in reservatione pensionis non fuisset concessa facultas eam transferendi. Paris. *ibid.* dicens, observasse se, difficulter tunc concedi dictam translationem, & non nisi pro personis valde benè meritis. Vel translationem fieri ab alio, cui nimirum ea facultas transferendi concessa (nempe vel eodem contextu, quo reservatur pensio, vel ad partem, seu extra hunc actum reservationis, Lott. *cit. q.* 40. *n.* 9 *juncto n.* 12.) vel demandata est. Papa enim aliquando facultatem hanc transferendi demandat personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, aliquando ipsimet cessionario concedit. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 18. Et in utroque hoc casu, hoc est, sive Papa per seipsum pensionem transferat, sive eam ab alio fieri concedat, vel mandet, hæc perpetuò servatur forma, fitque translatio hoc ordine, ut pensio antiqua priùs extinguatur, & dein nova reservetur ad favorem illius personæ, quam translatarium dicimus. Lott. *ibid. n.* 12. Idque ideò, ut in hac materia prorsus excludatur hæreditariæ successionis species, dum jus illud novum ad exigendam pensionem, quod creatur in translatario, immediatè illi fiat & dependeat à Papa; non secus, ac contingit in resignatione in favorem; dum nisi priùs per acceptationem resignationis extincto omni jure resignantis, & inductâ novâ vacatione, fit nova provisio resignatario, ita ut hic nullum jus à resignante, sed solùm à Papa nactus intelligatur. Nam pari modo translatio duos actus implicat, unum ex parte transferentis, & hic resolvitur in simplicem ejus consensum pro extinctione pensionis. Alterum ex parte translatarii, quo is instat & supplicat, novam similem pensionem sibi reservari, ita ut exactio istius novæ pensionis, quæ fit auctoritate Papæ, videatur moveri ab objecto personæ translatarii, non autem transferentis; quemadmodum in resignatione in favorem continuò contemplatur persona resignatarii. Lott. *n.* 13. 14. & 15. His itaque veluti suppositis,

2. Respondeo secundò ad quæstionem: Ante omnia itaq; diligenter inspiciendus tenor literarum, in quibus hæc facultas transferendi concessa pensionario (quarum literarum formulam vide apud Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *n.* 10.) num demandata executio, seu ipse actus translationis, an verò concessum quoque, ut ipse, pro ut maluerit, per se adhibito solo Notario ac testibus eam facere possit. Et in casu quidem primo, ubi in concessa facultate transferendi actus ipse translationis commissus alteri distincto ab ipso transferente, v. g. cuicunque loci Ordinario, vel alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ; diciturque v. g. *concedimus tibi, ut quicunque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitanæ vel alterius Ecclesiæ Cathedralis, seu alia persona in dignitate Ecclesiastica constituta, à te quandocunque in Romana Curia, vel extra eam, ubique locorum eligendus, vel eligenda, dictam pensionem de tuo consensu cassare vel extinguere, & postquam cassata vel extincta fuerit, unam pensionem annuam hujusmodi super iisdem fructibus Titio Apostolicâ auctoritate reservare, constituere & assignare liberè & licitè, valeat.* &c. In hoc inquam casu, ubi vel hæc forma sola, & præcisè præscripta transferenti, vel etiam ubi is, dum id ei relictum liberum, hanc viam prælegerit.

3. Primò per loci Ordinarium in subjecta materia intelligitur non tantùm Episcopus (uti eum solum intelligendum, si diceretur quicunque diœcesanus: vel etiam nomen Ordinarii adhiberetur in materia collationis beneficiorum, asserit Corrad. *l.* 5. *c.* 5. *n.* 29. *pr. benef.* per quod tamen credo, non volet exclusos illos, qui cum jurisdictione quasi Episcopali territorium, & quasi diœcesin habent) sed quicunque etiam alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem. Corrad. *loc. cit.* sed & quicunque habens jurisdictionem ordinariam, ut idem Corrad. *ibid.* citatis Abbate & Gemin. Paris. *l.* 3. *q.* 11. *n.* 19. Ac ita unusquisque ex prædictis facultatem hanc transferendi poterit exequi. Corrad. *ibid.* Et consequenter videtur id posse Vicarius generalis Episcopi, cùm jurisdictionem ordinariam habeat.

4. Secundò per personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, quò ad effectum hujusmodi translationis faciendæ, venit Canonicus Cathedralis, adeóque, etsi in dicta facultate non fieret mentio Canonici Cathedralis, & dirigeretur talis facultas tantùm ad personam in dignitate Ecclesiastica constitutâ adhuc talis Canonicus eligi posset à pensionario in Executorem dictæ translationis, & esse delegatus Apostolicus, seu reputari in dignite Ecclesiastica constitutus, quò ad hunc actum translationis; etsi de cetero strictè loquendo Canonicatus cathedralis dici nequeat dignitas Ecclesiastica, ut tradunt. Zerol. *in pr. Episc. p.* 1. *v. dignitas.* Felin. *in c. pastoralis. de rescript.* & DD. communiter *in c. statutum. de rescrip. in* 6. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 24. *loc. cit. n.* 30. *juncto. n.* 32. *in fine.* Nullatenus tamen, etiam in hac materia translationis Canonicus Ecclesiæ collegiatæ dici potest persona in dignitate Ecclesiastica constituta. Corrad. *cit. n.* 30. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 245. Et sic Executor hujus translationis esse non potest; etiamsi in dicta facultate adderetur: *Canonicus Cathedralis, vel aliarum Ecclesiarum*: id enim intelligendum de Canonico Ecclesiarum Patriarchalium, & Primatialium. Corrad. *loc. cit.* Quin etsi simpliciter diceretur in dicta facultate, faciendam translationem coram Canonico, adhuc commissio facta non videtur Canonico Collegiatæ, sed bene Canonico Cathedrali, tanquam, qui quò ad hunc actum censetur constitutus in dignitate Ecclesiastica, & aliàs censetur capax commissionum causarum. Corrad. *n.* 32. *ad initium* citans Garc. *in addit. ubi paulò pòst.* Proinde ut Canonicus Collegiatæ exequi possit hunc actum translationis, necesse foret, id in specie exprimi, dicendo: Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus; pro ut quandóque in hac facultate expressum vidisse se testatur Garc. *in addit. ad cit. nu.* 245. Corrad. *loc. cit.* qui etiam *n.* 33. notat, quandoque committi dictam translationem Canonicis Collegiatarũ insignium. De cetero per personam in dignitate Ecclesiastica constitutam comprehendi in ista commissione obtinentes dignitates in Ecclesia collegiata, indubitatum est, quidquid sit quò ad alia rescripta expressè directa personis obtinentibus dignitatem in Cathedrali. Corrad. *n.* 31. ex Garc. *ubi antè.*

5. Venire quoque hoc nomine, & eligi posse in Executores hujus facultatis utriusque Signaturæ Referendarios; quia & hi in dignitate Ecclesiastica sunt constituti. Item auditorem Curiæ, & Clericos Cameræ Apostolicæ, Protonotarios Apostolicos; eò quòd & hi de per se habent dignitatem Ecclesiasticam, ut Sarnens. *in proœm. reg. q.* 1. *n.* 5. & Barb. *in addit. ad alleg.* 106. *n.* 13. Loquens etiam de dictis Clericis; & hoc quidem intelligendo pariter de Protonotariis, sive in Curia Romana & Urbe, sive extra Urbem, & dictam Curiam exi-

ſtentibus, quia & hi, & cæteri in Curia exiſtentes habent verè dignitatem Eccleſiaſticam, ut tradit Corrad. *n.* 35. *juncto nu.* 36. juxta *deciſ. Rotæ.* 153. *n.* 14. *p.* 5. *recent.*

6. Ubi itaque juxta tenorem literarum conceſſionis hujus facultatis transferendi penſionem translatio facienda per talem Executorem à penſionario diſtinctum, erit quidem in hujus transferentis arbitrio, ex dictis perſonis in iis literis comprehenſis unum ſeligere, ſeu aſſumere, quem maluerit. Corrad. *num.* 37. pro ut in dicta facultate id exprimitur per verba: *per te eligendus.* Nequaquam tamen coram alio, quàm in dicta facultate nominato aut comprehenſo fieri validè poterit hæc translatio; idque, etiamſi in loco, in quo fieri contingit translationem, nullus reperiatur, aut reperiri poſſit de perſonis contentis in dicta facultate, & transferenti inſtaret mors; cùm delegatio ſit ſtricti juris, & non extendatur de perſona in perſonam, maximè in cauſa transferendæ penſionis, quæ eſt odioſa. Corrad. *n.* 38. citans Garc. *in addit. ad p.* 1. *c.* 5. *n.* 245. Ne proinde tali caſu contingente fruſtretur transferentis deſiderium transferendi penſionem, poterit is conſtituere procuratorem ad ſic transferendum in loco, in quo adeſt aliqua talis perſona ex contentis in facultate. Non obſtante, quòd in ea dicatur: *concedimus tibi: & per te eligendus:* cùm juxta communem regulam facere quis poſſit per procuratorem, quod facere poteſt per ſe, niſi in ſpecie prohibitum ſit, etiamſi verſemur in privilegio. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 246. & ex eo Corrad. *n.* 39. & Caſtrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. *n.* 5. Et ſic Notarius ad id per penſionarium rogatus factâ aſſertione penſionis ſibi reſervatæ ſuper fructibus talis beneficii, ipſe conſtituet procuratorem N. ad transferendum, ſeu potiùs ad conſentiendum translationi juxta formam in dicta facultate expreſſam. Quemadmodum etiam pro translatario abſente ſtipulare poterit Notarius, ſufficiente hac ſtipulatione, ſi poſtmodum apparuerit de acceptatione ipſius translatarii, veluti per mandatum procuræ ad exigendum, idque etiam in caſu translatarii inſcii de facta translatione. Corrad. *cit. n.* 39. qui *n.* 40. ſubjungit: advertendum, quòd hujuſmodi mandatum ad transferendum tantùm ſit validum, durante vitâ transferentis, & quòd, ſi is moriatur ante factam dictam translationem, prædictum mandatum exſpiret. Porrò de modo procedendi coram dicto Executore paulò pòſt.

7. Reſpondeo tertiò: In caſu, quo conceſſa penſionario poteſtas transferendi coram ſolis Notario, & teſtibus, pro ut quandoque conceditur perſonis quibuſdam Papæ acceptis, aut privilegiatis, ut ſunt milites Lauretani, milites S. Petri &c. dictâ Executoris deputatione, & electione opus non eſt; cùm enim ipſe transferens tunc habeat poteſtatem transferendi, alterius miniſterium non requiritur. Caſtrop. *loc. cit.* Corrad. *n.* 41. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 51. Sed neque Notarius ille tunc adhibetur, ut Executor, ſed ut ſimplex Notarius, ad promovendam probationem factæ per ipſummet penſionarium translationis, & non ut ipſe jurisdictionem aliquam exerceat, ſeu ut admittat, caſſet, & poſtea de novo reſervet penſionem, ut dictum de Executore, à cujus facto ipſa translatio dependet. Corrad. Lott. *loc. cit.* Poterúntque hi teſtes, & Notarius eſſe laici, pro ut dicitur in conceſſa illa facultate transferendi. Corrad. *cit. n.* 41.

Quæſtio 618. *An, & qualiter in utroque caſu hoc faciendæ translationis per Executorem; vel abſque eo per penſionarium ipſum opus ſit exhibitione facultatis transferendi?*

1. Reſpondeo primò: In primo caſu neceſſariò Judici, ſeu Executori electo intimandæ, & exhibendæ ſunt literæ, quibus conceſſa penſionario facultas transferendi continetur; ita ut ſine earum exhibitione Executori facta non teneat, ſeu nulla ſit translatio. Garc. *p.* 6. *c.* 2. *num.* 11. citans quamplurimos. Pariſ. *l.* 6. *q.* 37. Caſtrop. *loc. cit.* Corrad. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 41. Lott. *cit. q.* 40. *n.* 24. Siquidem aliàs procedere nequit; quia procedere nequit, quin ei conſtet juridicè de jurisdictione ſibi conceſſa, quam (vel potiùs cujus notitiam juridicam) accipit ex vi exhibitionis harum literarum. Caſtrop. *loc. cit.* Ac proinde non ſufficiet, Executorem aliunde certiorem factum eſſe tam de facultate penſionarii ad transferendum, quàm de delegatione ſeu commiſſione in ea ad ſe directa; cùm hujus Executoris jurisdictio, ut Corrad. *cit. c.* 6. *nu.* 43. vel ſaltem jurisdictionis hujus exercitium, ut Lott. *cit. q.* 40. *n.* 26. (ubi: delegatus poteſt quidem habere jurisdictionem ante præſentatum reſcriptum, at minimè illius exercitium, juxta *c. ſuper.* 20. *il. ſecundo. de appellat.*) dependeat ex productione dictarum literarum, vi totâ, ut Lott. *n.* 27. ex Bald. ſtante inſcientia vel ignorantia delegationis, ſeu in reali productione reſcripti.

2. Hinc etiam non ſufficeret, ſi prætendatur penſionarii facultas transferendi notoria; ut enim Judex ſuppleat ex notorio, requiritur notorium aut naturâ, aut lege, cujuſmodi nequit eſſe privatum aut ſingulare negotium. Lott. *n.* 31. Quòd, ſi tamen dicta notoreitas de dicta facultate deduceretur ex eo, quòd typis publicis expreſſa, & publicata in Curia, vel etiâ cum aliis Conſtitutionibus inſerta Bullario, ut dum agitur de facultate transferendi conceſſa Conclaviſtis, & aliquibus militiis, ſufficere poteſt. Corrad. *cit. c.* 6. *n.* 48. Lott. *n.* 32. ex Gratian. *diſcep. forenſ. c.* 551. *ſub n.* 16. ut eum citat. Lott. vel 11. ut eum citat Corrad. ubi Gratianus dicat, ex eo Executores dici certos de ſua jurisdictione, ut poſſint illis fidem adhibere abſque eo, quòd de nullitate translationis poſſit opponi. Et ſic tranſumptum impreſſum (non tamen tranſumptum ſimplex confectum à Notario Corrad. *n.* 52.) ſeu impreſſa copia dictorum privilegiorum in eo caſu ſufficeret, & faceret fidem ad effectum validitatis hujuſmodi translationis tâquam actus extrajudicialis; & ſatis eſt, inde Executorem certum eſſe de ſua jurisdictione. Corrad. *n.* 49. Quamvis in Judicio parte opponente ad effectum concludentis probationis requireretur tunc quoque ſubſcriptio Notarii, & ſigillum alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, pro ut Rota diſtinxit *in Lucana penſ.* 17. *Febr.* 1592. Corrad. *cit. n.* 49. Et hinc penſionarium, ſi transferat extra Urbem parte opponente teneri exhibere tranſumptum tale impreſſum cum ſigillo, & ſubſcriptione notarii, & prædictæ perſonæ in dignitate conſtitutæ, exiſtentium, ubi literæ originales facultatum, & privilegiorum ſunt cognitæ etiam ipſis Executoribus in eadem urbe, & ſtante impreſſione in ea facta, & in Bullario inſerta, ait Corrad *n.* 50. Unde etiam ait, practicari, ut qui ex privilegio impreſſo in curia Romana volunt transferre ſuas penſiones, ſi ipſi tempo-

tempore translationis fuerint extra Curiam, exhibeant suas facultates, id est, earum copiam impressam, & subscriptam à notario, & dicta persona indignitate constituta, quemadmodum videmus quandoque etiam nonnullis ex prædictis facultatibus, sicut Constitutionibus Apostolicis in earum calce adjectam hanc clausulam: *volumus autem, quòd præsentium exemplis etiam impressis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ.* Similiter in casu, ubi dicta facultas seu privilegium transferendi non esset typis impressum in Curia, insertúmque Bullario, sed in literis privatis Apostolicis concessa, sufficeret ad reddendum Executorem certum (intellige, in radice, prout requiritur ad valorem translationis) de sua jurisdictione, si, licèt non literæ originales, earum tamen transumptum exhiberetur, insertum in scriptura aliqua authentica. Lott. *n.* 33. citans Grat. *ubi antè. n.* 16. & 17. & sic decisum testans *in Bononien. translat. pens.* 20. *Jun.* 1612. Quod tamen idipsum limitandum ait *n.* 34. si postmodum de ipsis literis originalibus constaret. Quamvis tamen etiam ex sola supplicatione signata justificari posse facultatem hanc concessam, modò adjecta fuerit clausula: *etiam literis non expeditis.* Lott. *n.* 35. Sic validam fuisse translationem pensionis factam coram Executore vigore processûs fulminati, in quo insertæ erant literæ potestatis transferendi pensionem, dummodo postea constaret de originalibus literis, dū opponeretur de validitate dictæ translationis, testatur Corrad. *n.* 45. decisum *in Bonon. translat. pens.* 1. *Maii.* 1618. juxta aliam decis. *in Zamoren. pens. de Anno* 1544. Quamvis & ad hunc effectum sufficiat, reperiri dictam facultatem registratam in actis; cùm ex ista sola illius existentia in actis inducatur notitia. Corrad. *n.* 45. §. *& ad hunc. junctis* n 48. §. *licèt aliud.* Unde jam præscindendo à dicta notoreitate, & insertione, vix salvandum esse actum translationis factæ à nullitate sine exhibitione originalium, ait Lott. *n.* 36. & 37. Etiamsi Executor ipse enunciaret, sibi exhibitas, & visas literas dictæ facultatis, vel etiam notarius simpliciter attestaretur, literas fuisse exhibitas Executori, & à se lectas, attestando etiam de anno, mense, die concessionis illius facultatis. Eadem ferè habet Corrad. *n.* 43. & 44. nisi actus præsentationis seu exhibitionis literarum sit extensè scriptus, & nisi ipsæ literæ sint registratæ in actis, ut limitat Corrad *ibidem.* Hinc, cùm materia hæc translationis sit nimis delicata & periculosa, circa observantiam illius formæ, nec non exhibitionem dictarum literarum, ut Corrad. *n.* 47. magis tutam praxin fore, ait *ibid.* si in ipso translationis instrumento, & in illius corpore (contra quod faciunt aliqui Notarii, dum non in corpore dicti instrumenti eam facultatem inserunt, sed apponunt in fine illius post clausulam: *actum* &c. quod tamen etiam sufficere, ait Corrad. *n.* 46. ex Grat. *discep. for. c.* 551. *num.* 1. eò quòd, licèt per dictam clausulam denotetur, quòd omnia sequentia faciunt distinctum actum, sufficiat tamen subscriptio finalis ejusdem Notarii; cùm illius fides de rogatu talis instrumenti fit post prædictam registrationem dictæ facultatis) literæ inserantur per extensum nihil penitus omisso (quamvis in usu habeant quidam Notarii, ut tenorem literarum in illo instrumento summatim exprimant, cum anno, mense, die, ac mentione dictæ facultatis, & de registratione inferiùs facienda, quod facit, ut hujusmodi literæ dicantur virtualiter insertæ, & registratæ in corpore instrumenti juxta *l. asse toto. ff. de hæred. institut.* Corrad. *nu.* 48.) adjectâ etiam, prout id plurimùm conduceret, ab ipso Notario clausulâ: *non solùm isto, sed omni alio meliore modo.* Porrò formulam hujusmodi instrumenti translationis facti per Notarium vide apud Corrad. *cit. c.* 6. *num.* 60. Nihilominus deficientibus hisce, hoc est, reproductione seu reexhibitione ipsarum literarum, & earum insertione, & registratione in instrumento translationis, exhibitio earum probari posset, seu, ut ait Lott. probatio hujus exhibitionis (intellige, facta per assertionem ipsius Executoris aut Notarii de ea attestantis) coadjuvari posset per testes, qui utpote præsentes actui exhibitionis coram Executore, de illo deponerent. Corrad. *n.* 46. Lott. *n.* 38. Siquidem præsentatio rescripti potest probari per testes, ut Felin. *in c. quoniam contra. de probat. nu.* 56. Decius, & DD. communiter apud Corrad. *n.* 46. Et insertio hæc, & registratio dictæ facultatis non est præcisè necessaria, sed duntaxat solus actus exhibitionis literarum coram Executore factus, ut Innoc. *in c. quoniam contra. num.* 4. cùm talis actus possit explicari extrajudicialiter; eò quòd nō agatur coram Judice, sed mero Executore, qui non debet interponere aliquam causæ cognitionem. Corrad. *cit. n.* 46. Lott. *n.* 39. & 40. Atque ita, ut subjungit Lott. *n.* 42. locum hìc habeat regula: ubi versamur in gestis coram eo, qui potest procedere judicialiter, & extrajudicialiter, in scriptis, & sine scriptis, si quid proponatur factum, quod esset necessarium, ad actûs substantiam, illud posse probari per testes.

3. Respondeo ad secundum: In secundo casu, nimirum, dum concessa facultas transferendi coram Notario, & testibus, non requiritur dicta literarum seu privilegiorum, in quibus contenta facultas transferendi, exhibitio; cùm, ut dictum *q. præced.* Notarius ille non sit Executor. Lott. *cit. q.* 40. *n.* 52. Corrad. *l.* 5. *c.* 5. *n.* 41. juxta decis. Rotæ *in Lucana pens.* 7. *Feb.* 1597. Proceditque idipsum, etiamsi adhibitus simul Executor (intellige pro libitu pensionarii, dum nimirum in facultate transferendi id illi concessum, ut vel coram Executore, vel coram Notario, & testibus solis transferre possit) quia, cùm tunc forma translationis faciendæ sit posita in electione transferentis, per adhibitionem Executoris non censetur renunciasse facultati minùs solenni transferendi coram Notario, & testibus solis & simul adhibitis. Corrad. *cit. nu.* 41. Lott. *n.* 53. testantes, sic censuisse Rotam apud Puteum, *decis.* 334. valuisse translationem factam à quodam milite S. Petri coram Executore simul, & Notario, & testibus ad id rogatis, non tamen exhibitis eidem Executori privilegiis. Item Corrado teste *n.* 42. pari ratione in simili modo factæ translationis à milite Lauretano decisum à Rota *in Portugal. pens.* 15. *Decemb.* 1606. Valuisse translationem absque exhibitione literarum; eò quòd, cùm ea fieri potuisset coram solo Notario, & testibus sine dicta exhibitione, non fuerit vitiata per hoc, quòd elegisset viam Executoris. Ac proinde objici non poterit tali illud: *Via, quam elegisti, tibi pateat*: & illud: *quod potui, nolui*: quia, ut responsum à Rota *in citata decis.* 334. apud Puteum, in iis, quæ pendent ex nostra facultate, eligendo unam viam, non videtur quis renunciare alteri, ac dicendum, talem transtulisse omni jure, quo melius poterit. Corrad. *cit. n.* 42.

Quæstio 619. *An necesse sit insuper exhiberi à transferente literas reservationis pensionis, antequam procedatur ad extinctionem pensionis prioris, & creationem novæ?*

REspondeo negativè: Idque sive in facultate transferendi sit facta mentio de pensione in individuo cum illius Data, sive secùs; cùm Executor recipiat jurisdictionem ex sola facultate transferendi, & non ex exhibitione literarum reservationis pensionis. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 44. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 5. *num.* 13. Non obstante, quòd judex, seu Executor ille procedat per viam cassationis antiquæ pensionis, & creationis novæ similis antiquæ; quod facere non posse videtur, nisi ostendatur illi reservatio antiquæ pensionis, ut sic videat, an nova pensio sit illi similis. Nam satis est, quòd in creatione novæ pensionis reservetur pensio antiquæ similis, absque eo, quòd exprimatur qualitas illius, utpote quam sufficit exprimere per relationem ad antiquam, & absque eo, quòd judex, qui est merus Executor, discutiat, qualis sit pensio antiqua. Corrad. *ibid.* citans Rotam *in Segobiens. transl. pens.* 12. *Decemb.* 1587.

Quæstio 620. *Qualiter præmissis jam præstitis, nimirum electo Executore, exhibitisque literis facultatis transferendi, procedendum ad ipsam translationem: & in specie, num opus sit formalibus & præcisis verbis, quibus ea translatio concipitur in forma dictæ translationis?*

1. REspondeo primò: Ante omnia cavendum, ut præcedat extinctio pensionis in ordine ad reservationem novæ, aliàs translatio ipso jure erit nulla, utpote non servatâ formâ præcisâ. Corrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 6. *n.* 7. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 42. dicens, esse hanc *decisionem Rotæ* 401. *p.* 1. *divers.*

2. Secundò notandum, extinctionem ipsam non mandari Executori; illa enim permittitur ipsi pensionario, qui etiam sine auctoritate Apostolica illam promovet, modò expedierit super dicta facultate literas, nisi quoque & hoc ipsum, ut literis non expeditis possit illâ transferre, concessum & expressum sit. Lott. *n.* 43. Corrad. *loc. cit. n.* 1.

3. Tertiò notandum, huic formæ satisfieri non solùm, si explicitè, & verbis expressis extinguatur pensio, & similis nova creetur; sed etiam, si id fiat implicitè; siquidem forma præscripta in facultate translationis actui transferendi exigit quidem, ut extinguatur pensio vetus, & nova reservetur; sed nequaquam exigit, ut id fiat explicitè, nisi fortè id specialiter in facultate alicui hìc, & nunc concessa esset expressum. Corrad. *l.* 5. *c.* 6. *nu.* 12. & 13. Lott. *n.* 45. & 46. juxta decis. Rotæ 246. *n.* 10. & 11. *p.* 1. *divers.* Ac proinde si transferens coram Executore explicet, se velle transferre pensionem juxta facultatem sibi desuper concessam, quæ oculis Executoris subjiciatur, Executor autem hac voluntate intellectâ, visâque dictâ facultate transferendi, dicat, se pariter transferre juxta eandem facultatem, nihil est, quin dicatur satisfactum formæ, quia unusquisque eorum id agere intelligitur, quod ad se pertinet; cum uterque intendat, ut fiat translatio. Lott. *num.* 47. & 48. Unde jam, si omissis formalibus illis verbis, quibus in facultate concipitur dicta translatio, ea facta fuisset sub verbis æquipollentibus, paucioribus, aut pluribus, diceretúrque, v. g. in instrumento desuper confecto: Quòd transferens se spoliavit pensionibus, eásque transtulit in N. absque eo, quòd dicatur prior pensio priùs extincta, & cassata, ac postea alia similis reservata, prout cantant verba literarum facultatis transferendi, valida adhuc erit translatio; eò quòd, cùm dicta facultas exprimendo translationem dictis formalibus verbis, non det certam verborum formam, sufficiat, quòd illa verborum forma in facultate expressa sit virtualiter servata, licèt sic videatur esse adhibitus modus superficialiter solùm diversus; reipsa enim satis impletur illa forma, dum ipse transferens declarat, se velle transferre juxta facultatem, consentiens reservationi faciendæ per Executorem, & Executor illum consensum recipiens declarat, se novam pensionem reservare Titio, dum translatio est actus dependens à tali utrimque facto. Corrad. *l.* 5. *c.* 6. *nu.* 9. 10. 11. juxta decis. Rotæ 153. *p.* 5. *divers. recent.* prout eam citat Corrad.

Quæstio 621. *An insuper requirantur literæ Apostolicæ, vel etiam ipsius Executoris super nova illa reservatione pensionis per translationem factæ translatario, quemadmodum super prima reservatione, uti & in provisionibus beneficiorum factis à Papa, opus est expedire desuper literas?*

1. REspondeo ad primum primò: In casu ubi translatio facta coram Executore, negativè: translatio enim pensionis de transferente in translatarium facta in virtute facultatis concessæ pensionario, & dicto Executori præsentatæ, habet vim literarum Apostolicarum super nova reservatione illa ab Executore facta; cùm Executor quò ad hoc repræsentet personam Papæ, ut proinde idem sit, ac si à Papa ipso facta hæc translatio, & reservatio in personam translatarii, dum sicut Papa in reservatione pensionis dicit: *reservamus*; ita etiam dictus Executor in translatione iisdem utitur terminis, ut habetur in ipsa formula facultatis transferendi, ac propterea translatarius præter instrumentum super translatione facta juxta formam in facultate præscriptam confectum à Notario, non tenetur ad expeditionem aliarum literarum super dicta reservatione pensionis sibi facta. Corrad. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 53. & 54. Quinimò hoc ipsum exprimitur in ipsa facultate transferendi his verbis: *declarantes omnes, & singulas cassationes, extinctiones, reservationes, constitutiones, & assignationes vigore præsentium, etiam literis desuper non expeditis faciendas ex nunc pro ut ex tunc, postquam factæ fuerint, validas, & efficaces fore &c.* Quam clausulam, ait Corrad. *in fine n.* 56. ferè semper in hujusmodi indultis seu facultatibus, tam pro personis qualificatis generaliter, quàm pro aliis ad partem solere adjici ad omnem hæsitationem tollendam, ac quandoque dari adhuc pinguioribus verbis, prout apud eundem *ibidem* est videre. Unde etiam

2. Respondeo ad primum secundò: Idem videri dicendum ob rationis paritatem, eadémque applicanda, dum facta ab ipso pensionario coram Notario, & testibus.

3. Respondeo ad primum tertiò: Secus tamen dicendum, seu requiri literas Apostolicas super translatione, seu reservatione nova, dum translatio fit coram Papa, sive dum citra obtentam facultatem

tatem pensionem coram Executore, vel coram Notario, & testibus cassatur pensio de consensu pensionarii ad favorem alterius, seu ut ea à Papa transferatur in alium, seu alteri reservetur. Corrad. *cit. c. 6. n. 57.*

2. Respondeo ad secundum: Neque requiri literas ipsius Executoris, sed sufficere, ut dictum, translationis instrumentum. Corrad. *n. 58.* uti neque dictus Executor pro validitate factæ à se translationis præter observantiam formæ sibi à Papa in dicta facultate præscriptam inquirere in reliqua. Corrad. *ibid.* Quinimò, ut idem Corrad. scire non tenetur, an illa rectè fiat, nec ne; utì nec tenetur ad docendum, quæ Notarius in ipso instrumento translationis scribere debeat per jura, quæ disponunt de tali translatione. Quemadmodum, ut idem, neque testes, coram quibus ea debet fieri, tenentur scire aliquid circa validitatem, vel invaliditatem dictæ translationis; sed tantùm tenentur ad exhibendam præsentiam suam, & intelligendum id, quod agitur; cùm ad partes, quarum interest, scire pertineat, an actus coram iis factus valeat, nec ne.

Quæstio 622. An translatio fieri possit sub conditione, seu pacto?

1. REspondeo primò: Non posse eam fieri nec licitè, nec validè sub conditione, seu potiùs pacto, ut transferens illam (vel etiam aliquid, ut Lott.) exigat, quò ad vixerit. Garc. *p. 1. c. 5. n. 54.* citans Rodriq. *in sum. to. 2. c. 21. n. 7.* Navar. Vegam, &c. item Corrad. *l. 1. c. 5. nu. 53.* addens, id fieri non posse sine simonia. citat Navar. *cons. 65. n. 1. de simon.* Item Lott. *l. 1. q. 40. n. 20.*

2. Respondeo secundò: Neque eam posse fieri licitè, aut validè ab infirmo, sub illa conditione: *si mors ex illa infirmitate contingat.* Lott. *loc. cit. n. 19.* Corrad. *loc. cit. n. 52.* Garc. *nu. 55.* contra Nav. *cons. 11. de usuris.* apud Garc.

3. Respondeo tertiò: Videtur tamen fieri posse sub conditione, si, seu ubi translatarius factus fuerit clericus, cum clausula: *ex tunc, cùm fuerit clericali charactere insignitus:* in quo casu ante conditionis eventum nihil actum censetur, adeóque poterit transferens usque in illum diem initiationis exigere pensionem, ac si nihil actum. Azor *p. 2. l. 8. c. 7. q. 9.* Lott. *loc. cit. n. 21.* citans Paris. *l. 6 q. 4. nu. 55. & 60.* Gabriel *cons. 185. nu. 3. & cons. 186. per tot. l. 1.*

Quæstio 623. An translatio requirat consensum pensionarii, & pensionem solvere debentium, aut etiam patronorum beneficii, super cujus fructibus reservata est pensio?

1. REspondeo ad primum affirmativè, ut constat ex forma facultatis transferendi per hæc verba: *de tuo consensu.* Corrad. *l. 5. c. 5. n. 55.* dicens, debere de hoc consensu constare per publicum instrumentum translationis à Notario confectum. Item debere hunc consensum esse expressum, & non sufficere tacitum.

2. Respondeo ad secundum primò: Consensus beneficiati pensione gravati ad hanc translationem non requiritur. Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5.* Azor *p. 2. l. 8. c. 11. q. 8.* citantes Gig. *de pens. q. 8. n. 9.* Et sic dictis militibus S. Petri, & Laurentanis datam potestatem transferendi pensiones sine consensu illorum, qui eam solvere debent.

3. Limitanda responsio primò: ut in pensionibus impositis ob causam resignationis in facultate data easdem transferendi nunquam (nisi id exprimatur) censeatur Papa consentire, ut transferantur sine consensu resignatarii. Castrop. *loc. cit.* Azor *cit. q. 8.* ubi: si verò Papa resignantibus beneficia pensionem reservat, & facultatem transferendi eam concedit, id non facit sine resignatarii consensu, sive hanc facultatem concedat simul cum reservatione pensionis, sive seorsim ac divisim. Additque Azor, hunc consensum præstari posse etiam per Procuratorem, & post mortem Domini.

4. Limitanda secundò: ut, ubi pensio alìas seu semel translata denuo ex indulto Papæ transfertur, requiritur consensus pensionem solvere debentis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 58.* Idque ex constitutione Urbani VIII. qui, cùm adverteret, in repetita translatione pensionum onus illarum prorogari de persona in personam, & sæpe de moribundo ad sanum, de sene ad juvenem, motu proprio declaravit, pensiones ex quacunque causa, etiam onerosa concessas, & concedendas facultates transferendi quascunque pensiones, seu fructus illarum loco pro tempore reservatos, & reservandos quibuscunque personis, etiam Cardinalibus, non potuisse, nec posse suffragari cuique illorum quoad pensiones, aut fructus aliàs translatos, nisi in eis consensus pensiones, aut fructus solvere debentis accesserit, aut nisi idipsum expressum sit, seu exprimatur, quòd pensiones, seu fructus jam semel translati sint, vel apponatur clausula: *etiamsi pensiones, aut fructus hujusmodi forsan aliàs translatæ, aut, translati fuerint.* Corrad. *cit. n. 58.*

5. Respondeo ad tertium: Ad transferendum pensionem impositam super fructibus beneficii jurispatronatûs nullatenus requiritur consensus patronorum, etiam laicorum. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 56.* juxta decis. Rotæ *in Placent. pension. 7. Jun. 1607.* quamvis id limitet *n. 21.* ubi ait: aliud dicendum, quando pensio reservata fuit super fructibus Cathedralium beneficiorum jurispatronatûs regii, qui, cùm ad dictam pensionem in prima illius constitutione, & reservatione nominet personas sibi gratas & acceptas, ita dicta translatio fieri non potest, nisi in similes personas à rege nominandas.

Quæstio 624. An, & qualiter in translatione fieri debeat mentio qualitatis beneficii gravati, pensionis, aliorúmque gravaminum ei impositorum?

1. REspondeo primò in genere: Regulariter in translationibus pensionum non requiritur mentio qualitatum beneficii, super cujus fructibus imposita pensio, sed sufficit, eas expressas in literis super ipsa prima reservatione illius pensionis expeditis. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 20.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 86.* ubi: quòd supposità facultate transferendi indeterminatà, jam transitus ille, seu translatio pensionis impediri nequit ratione qualitatis beneficii, super quo imposita pensio; quia pensio est semper eadem, nec novum gravamen per translationem imponitur. Procedúntque hæc à fortiore, ubi in facultate transferendi non narratur particularis pensio reservata, sed datur facultas transferendi quascunque pensiones. Corrad *cit. c. 5. n. 28.* ubi: quòd tunc dicta facultas non sit restricta ad pensiones tantummodò reservatas ante datam literarum

rarum hujusmodi facultatis, sed intelligatur etiam de pensionibus post eam datam reservandis, & sic sufficiet illa ad transferendum pensiones reservatas eodem tempore, quo fit translatio. Idque multò magis procedat, quando in facultate transferendi adduntur verba: *nunc reservatis: & pro tempore reservandis:* juxta dicta superiùs.

2. Respondeo secundò in specie: Non est necesse fieri mentionem jurispatronatûs etiam laicalis, dum pensio transferenda imposita est fructibus talis beneficii; sed sufficit illius mentionem factam in prima pensionis reservatione, prout id requirebatur, ut nimirum Papa haberet notitiam, quòd tale beneficium pensione gravandum esset de jurep. laicorum; siquidem pensio illa translata novum gravamen non inducit, & ad hunc effectum est eadem cum illa primitus constituta. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 9. & 56.* citans Rot. *in Mediolanens. pens. quæ est 505. p. 2. Recent. n. 4. & in Terulens. pens. 15. Decemb. 1610.* ac dicens, ita in praxi tentum tam à Cancellaria, quàm Dataria Apostolica.

3. Respondeo tertiò: Etiamsi in articulo reservationis pensionis necesse esset exprimi qualitatem Ecclesiæ, seu beneficii, quia speciali notâ dignum, ut dum pensio reservata super fructibus Cathedralis Ecclesiæ, ac propterea necesse fuisset meminisse illius cum derogatione Concilii Lateranensis, ubi id factum in reservatione, necesse non est ampliùs ejus meminisse, aut derogari dicto Concilio in ejusdem pensionis translatione; cùm in identitate pensionis reservatæ, & translatæ conservetur etiam idem effectus necessariæ cujusvis derogationis, & mentionis à principio. Corrad. *cit. c. 5. n. 18. & 20.* Lott. *à n. 87.* citans Crescent. *decis. 1. ex n. 1. de reb. Eccl. non alien.* Rot. *in Bonon. transl. pens. 20. Jun. 1602. &c.*

4. Respondeo quartò: Si in reservatione pensionis facta sufficiens mentio pensionum antiquarum, prout requirebatur; non est necesse, ut in translatione, aut translationis facultate de hac circumstantia rursus fiat mentio. Paris. *l. 6. q. 4. n. 43.* Tond. *qq. benefic. p. 2. c. 1. §. 4. n. 70.* Corrad. *cit. c. 5. n. 56. & l. 5. c. 6. nu. 22. & 23.* Lott. *loc. cit. n. 91. & 92.* citans Mandos. *in signat. grat. tit. extinctiones.* Crescent. *ubi antè.* & Rotam *in Veronens. pens. 14. Jun. 1613.* & *in Roman. pens. 17. Jun. 1622.*

5. Nihilominùs tamen observandum, debere specificè exprimi ipsum beneficium, super cujus fructibus imposita pensio; dum enim illa fuerit reservata super fructibus unius beneficii expressi in facultate transferendi, non poterit illa translatio fieri de pensione imposita fructibus alterius beneficii, v. g. dum habeo unam mihi reservatam pensionem super fructibus beneficii S. Joannis, & aliam super fructibus beneficii S. Petri, & obtinui indultum transferendi pensionem impositam fructibus beneficii S. Joannis, non possum in vi istius indulti transferre pensionem impositam beneficio S. Petri; cùm pensionis materia veluti odiosa sit strictissimæ interpretationis. Corrad, *cit. c. 5. n. 22.* Idem tradit Lott. *cit. q. 40. n. 71. & 72.* ubi: quòd, si facultas dicta limitata est ad certam pensionem, observandum, ne translatio fiat de diversa pensione; cùm Rescripta hanc sortiantur à jure naturam, ut non extendantur nisi ad ea, in quibus clarè & specificè eorum verba verificari possunt, juxta *c. significavit. de Rescript.*

Quæstio 625. An, dum initum pactum inter titularem, & pensionarium de non transferendo pensionem, in impetratione facultatis transferendi necesse sit fieri mentionem dicti pacti?

Respondeo affirmativè, ita ut subreptitia, & nulla sit hæc facultas, non factâ mentione conventionis talis initæ in ipso limite reservationis; tum quia titularis aliàs Ecclesiam ita gravatam non acceptasset; tum etiam, quia ex tunc ita videtur quæsitum jus aliquod Ecclesiæ pro sperata libertate, ac impedita prorogatione servitutis; unde, si Papæ id narratum fuisset, verisimiliter non concessisset gratiam, cujus impetratio in impetrante fraudem, ac fidei violationem redolet. Card. de Luc. *de pens. d. 68. n. 12. & 20.*

Quæstio 626. An, & qualiter translatio pensionis fieri possit non tantùm pro tota, sed etiam pro parte pensionis?

1. Respondeo primò: Dum contrarium non expressum in facultate transferendi, sed simpliciter concessa facultas transferendi pensionem, pensionarius poterit transferre pensionem non solùm integram, verùm etiam unam illius partem, & alteram retinere; cùm pensio non sit indivisibilis sicut beneficium, & possit in unam, vel plures personas transferri. Corrad. *l. 5. c. 5. n. 43.* citans Gig. *de pens. q. 86. ante n. 1.* Garc. *de benef. in addit. ad p. 1. c. 5. n. 54.* Unde jam etiam verba illa: *in toto, vel parte,* passim apponi solita in hujusmodi indultis transferendi, potiùs ad cautelam, quàm de necessitate adjici, ait. *loc. cit.* Corrad.

2. De cetero, sicut diligenter attendendum, num dicta facultas limitata sit ad certam pensionem, ita etiam, an determinata sit ad certam pensionis quantitatem; ita ut, si in hoc casu transferatur ultra quantitatem concessam, non sustineatur actus, nisi pro quantitate concessa. Lott. *cit. q. 40. n 64.* Corrad. *l. 5. c. 6. n. 18.* Hujus autem, nempe quòd sustineatur actus in eo casu pro quantitate tantùm expressâ, vel etiam eâ minore, v. g. dum in vi concessæ facultatis transferendi pensionem 200. ducatorum usque ad quantitatem tantùm 100. ducatorum, facta translatio ejusdem pensionis ad 150. ducatos, valeat nihilominùs quoad quantitatem 100. ducatorum, vel etiam quantitatem minorem 100. ducatis, hujus inquam ratio est, quòd dicta pensio respectu quantitatis sit dividua, & sic ipse quoque actus translationis sit dividuus ratione subjecti, & in dividuis utile per inutile non vitietur. Corrad. *cit. c. 6. n. 19.* Lott. *cit. q. 40. n. 73. & 75.* Unde tamen non sequitur, dum facultas transferendi determinata est ad pensionem certam, & determinatam ex determinata quantitate, eam posse extendi ad translationem alterius pensionis etiam minoris quantitatis; quia ista facultas est quid individuum determinatum ad unam illam pensionem istius determinatæ quantitatis. Lott. *n. 75.* Quòd, si tamen certa quantitas, aut etiam qualitas pensionis fuisset expressa in facultate transferendi solius demonstrationis, seu certam pensionem demonstrandi gratiâ, & ea quantitas, vel qualitas deficeret tempore concessæ illius facultatis, v. g. Papa det indultum transferendi pensionem aliàs reservatam in certa quantitate, quæ de tempore indulti sit reducta ad minorem

rem quantitatem, dum interim constat ex alio signo de certo corpore, seu Papam ad hanc numero pensionem intendisse, & ad eam restrinxisse indultum; non vitiaretur exinde actus translationis talis pensionis, tanquam factus de pensione diversa ab ea, de qua loquitur indultum. Idque ideo, quia pensio reducta ad minorem quantitatem maneat semper eadem cum prima reservata in majore quantitate; & quamvis in ipsa reductione renovetur, non tamen ideo sit nova, & in substantia diversa ab illa priore. Corrad. *cit. c. 5. n. 23.* Lott. *à n. 79. ad 84* ubi idem esse ait, si Papa transferat pensiones impositas super fructibus talis, vel talis præbendæ reservatas ad favorem talis personæ, & erretur in nomine præbendarum, aut personarum eas obtinentium; dum tamen mens illius redditur clara, quia certa est persona, cui voluit favere, non attendatur istiusmodi error, & falsa demonstratio.

3. Notandum denique, quòd, dum concessa translatio certæ pensionis, v.g. 100. ducatorum, id ita intelligendum; si dicta quantitas non excedat medietatem valoris fructuum beneficii, super quibus ipsa pensio est reservata. Idque ob Constitutionem Urbani VIII. Romæ publicatam 24. Jan. 1624. vel ut citat Lott. *l. 1. q. 36. n. 127.* 23. Jan. 1625. quâ moderatur indulta transferendi pensiones, Papâ volente prospicere exonerationi beneficiorum, & in qua quascunque facultates, & indulta, ac privilegia transferendi quascunque pensiones annuas (quæ tamen per exactionem integrarum hujusmodi ab ipsis translatariis factam realem, & actualem effectum sortita non sint) reduxit ad summam, quæ medietatem veri valoris beneficii non excedat. Lott. *cit. q. 36. n. 127.* Corrad. *l. 5. c. 6. n. 17.* ad fusum recitans dictam Urbani VIII. Constitut. *& n. 18.* subjungens: quòd si tamen translatio excedat hujusmodi valoris medietatem, non ideo reddatur invalida in totum, sed tantùm in excessu, & in reliquo sustineatur juxta dicta paulò antè; quemadmodum ipsa reservatio (dum reservata pensio cum clausula: *modo medietatem, vel tertiam partem fructuum non excedat*) non vitiatur in totum, si dictam medietatem excesserit, sed reducitur ad medietatem, vel tertiam partem fructuum, nimirum dum reservatio facta extra casum resignationis beneficii; siquidem in hoc casu, si pensio vel in obulo excedat medietatem, in totum est nulla; eò quòd tunc, ut dictum aliàs, expressio valoris habeat vim conditionis. Corrad. *cit. c. 6. n. 19. & 20.*

Quæstio 627. *An, & qualiter cedi seu transferri possit à pensionario commoditas pensionis, remanente penes illum ipso jure, seu proprietate illius?*

1. REspondeo: Id fieri posse, etiam sine beneplacito Apostolico, ex privata conventione, etiam intercedente pecuniâ, vel aliâ re temporali. Card. de Luc. *de pens. d. 68. n. 26.* ubi ait: praxin receptam docere, ut hac ratione pensiones sint in commercio; cùm id non concernat substantiam pensionis, seu aliquod jus in re, vel ad rem, sed sit in sola commoditate, prout facti est, non ex aliquo speciali jure vel stylo pensionum, sed ex generali illa doctrina & conclusione desumpta ex theorica Bart. *in l. si quis qui ususfructus. ff. de pignorib.* ut nimirum etiam in feudis, officiis, juribus, Regalibus in commercio non existentibus, item in Emphyteusi, fideicommisso strictissimè prohibitis alienari, adhuc tamen cedi possit simplex commoditas; eò quòd per illam nullum acquiratur jus in re, vel ad rem, neque tangatur in aliquo substantia; sed importetur nudum factum exactionis mandatario cedentis nomine in rem propriam, id est, ut ejus nomine ac vice tanquam mandatarius exigat cessionarius fructus, postquam separati à sua causa, effecti sunt de bonis indifferentibus, ac liberæ dispositionis, continuante interim integro perfectóque jure in ipso cedente, unde nil vetat fieri validam translationem dictæ commoditatis in alterum. Confirmantúrque hæc eadem pari ferè ratione à Lott *loc. cit. à n. 15.* exemplo usufructuarii, qui, licèt à sua persona separare non possit jus usufructûs, potest tamen separare commoditatem perceptionis fructuum, & eam in alium transferre, juxta *l. arboribus. ff. de usufruct.* pluréisque alias leges & AA. ab eodem Lott. citatos *cit. nu. 15.* quemadmodum enim in usufructu distinguitur jus formale à jure causali, factáque separatione juris causalis, quod nuncupamus commoditatem à jure ipso formali durante illius causâ, usufructuarius nullam ex usufructu utilitatem consequitur; cùm apud illum nihil, nisi solus titulus remaneat; ita in pensione, remanente jure formali penes pensionarium, jus causale, seu commoditas percipiendi cedi potest, & transferri veluti quodvis aliud expositum libero hominum commercio, prout à fortiori ab exemplo usufructûs infertur ad commoditatem fructuum ipsorum beneficiorum, & decimarum, quæ & ipsa cedi potest pari ratione, ac pensionis commoditas. Lott. *à nu. 20. ad 27.*

2. Porrò, posse ipsum titularem, seu pensionis debitorem ejusdem pensionis commoditatem hac ratione translativè à pensionario obtinere pro sua persona, prout per fictionem juris distincta à persona beneficiati, absque eo, quòd intret incompatibilitas actionis, & passionis in eodem individuo subjecto, tradit Card. de Luc. *loc. cit. n. 4. & n. 31.* ubi ait: talem titularem ob illam reduplicationem personarum factam fictione juris quoad hanc cessionem commoditatis conservandam, esse tanquam tertium. Addit tamen idem Card. *loc. cit. num. 6.* quòd videatur hic quædam præsumptio fraudis intercurrere (intellige, in casu, ubi titularis acquirit illam cessionem commoditatis interveniente aliquâ temporali recompensâ) dum ad evitandum beneplacitum Apostolicum, quod omninò necessarium est, quando fit extinctio pensionis non gratuita, sed mediante solutione anticipatâ, vel alio temporali, adhibet viam cessionis commoditatis pensionis, & non extinctionis ejusdem.

3. Denique, non posse dictam commoditatem cedi fiduciario (intellige manenti tali) constat, cùm in eo jus illud formale maneat defixum ab initio cum separatione ab illo jure causali. Lott. *l. 1. q. 42. n. 35.*

Quæstio 628. *An Pensionarius transferre possit pensionem post terminos aliquot exactos, & anticipato solutos, ut à Translatario molestari non possit?*

REspondeo: Videri, quòd sic, exciperet enim in hoc casu titularis de liberatione ob anticipatam

patam solutionem, bonâ fide factam transferenti; cùm non prohibeatur debitor anticipatò solvere suum debitum, etiam eventuale, ubi non datur mixtura juris, vel præjudicii tertii. Et licèt verè ac propriè de rigore isti termini non intrent, cùm ad instar resignatarii translatarius suum jus potiùs à Papa metiri dicatur, attamen de facto, & inspectâ naturali veritate, jus totum obtinet à transferente per quandam speciem successionis, ac etiam titulari solventi proprio creditori anticipatò magna assistit æquitas. Ita Card. de Luca *de pens. d. 68. n. 13. & 22.* qui & addit, Gigantem *qu. 88.* supponere potiùs absolutam, & validam translationem talem, non obstante dictâ solutione anticipatâ titularis.

Quæstio 629 An transferri possit pensio clericalis acceptâ pecuniâ vel pretio, vel reservatâ parte fructuum, & an in tali translatione committatur simonia?

1. REspondeo ad primum: Etiam ex hypothesi, quòd pensio sit quid merè temporale, licitè tamen pro pecunia, aut pretio transferri nequit: tametsi potestatem à Papa habeat legitimam eam transferendi; non habet tamen potestatem eam vendèdi; neque enim eâ transfert, ut rem patrimonii sui; neque ea potestas transferendi est ordinaria, sed commissaria & delegata à Papa, nolente eam sic transferri. Azor *p. 2. l. 8. c. 11. q. 4.* Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 22.* ex Bonacin. *de simon. q. 4. §. 13. n. 5.* Licet tamen pensionario locare, vel vendere fructus pensionis, etiam ad totum vitæ suæ tempus; quia tunc non vendit jus pensionis, sed tantùm fructus. Azor *loc. cit.* Barbos. *loc. cit. n. 25.* uti & eosdem fructus futuros donare potest, etiam absque auctoritate Papæ ad totam vitam suam; quamvis jus ipsum dictos fructus exigendi, & percipiendi sine dicta auctoritate donare nequeat, ita ut in hoc casu donatarius nonnisi nomine pensionarii eos exigere, & percipere possit. Azor *cit. c. 11. q. 2.* qui tamen addit, in foro externo talem donationem fructuum censendam translationem pensionis ad alterum, & proinde ratam non habendam sine Papæ auctoritate: uti nec locationem fructuum futurorum ad vitam pensionarii judicandam in hoc foro venditionem, hoc est, jus exigendi fructus, sine consensu Papæ.

2. Respondeo ad secundum: Ex suppositione sententiæ illius, quæ negat pensionem esse aliquid spirituale, non tamen per talem translationem committendam simoniam. Ita expressè tenent Lott. *l. 3. q. 29. à n. 76.* aliique sub initium *tract. de pens. citati* pro temporalitate pensionis. Item Azor *cit. q. 14.* ex Gig. *de pens. n. 99.* qui etiam dicat, non obstare, si cum pensione transferatur quoque regressus, seu jus regrediendi ad beneficium in casu non solutæ pensionis; eò quòd, sicut jus patronatûs, cùm transit ad alium cum universitate rei, quæ venditur, ita etiam, etsi regressus ad beneficium per se vendi nequeat sine simonia, transfertur cum pensione, dum ea pretio transfertur.

3. Contrarium sentiunt, qui pensionem rem spiritualem volunt suprà citati, ubi de spiritualitate pensionis. Item Garc. *p. 1. c. 5. n. 52.* post quam præmisisset, pensionem beneficium non esse, ait: inde infertur, quòd transferentes pensionem per confidentiam, non comprehenduntur in Constitutone Pij IV. & Pij V. contra Confidentiarios editis. Pro quo citat Nav. *cons. 11. n. 7. de Constitut. & cons. 66. & 65. de simon.* Paris. *de consid. q. 23.* subjungit *n. 53.* At ita paciscentes peccant mortaliter, & committunt peccatum simoniæ, quæ tamen non inducit excommunicationem, vel aliam censuram; pro quo citat Nav. *cons. 66. de simon.* Paris. *de consid. q. 23. à n. 43.* Item sic tenet Barb. *loc. cit. n. 21.* expressè inquiens: *Pensio clericalis est materia simoniæ, non solùm contrà jus humanum, sed etiam divinum, ubi recepta Bulla Pij V. edita Anno 1571.* pro quo citat Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 5. n. 48.* Bonacin. *de simon. q. 4. §. 13. ex n. 4.* Azor *p. 2. l. 8. c. 10. q. 10.* (ubi is tamen hæc formalia tantùm habet: *qui privato jure, & auctoritate pensionem redimit, peccat quidem, & meritò puniri potest; sed in simoniæ pœnas non incidit, in quas nimirum incidunt, qui beneficium pecuniâ permutant*) Suar. *de relig. to. 1. l. 4. de simon. c. 26. n. 16.* Filiuc. *p. 3. tr. 45. c. 8. q. 1. n. 3.* Reginald. *in pr. fori pœnitent. l. 23. n. 276.* qui dicant, vendere pensionem, aut redimi pro pretio sine auctoritate Papæ, esse simoniam contra jus humanum. Plura de his infrà, ubi de redemptione pensionis.

Quæstio 630. An transferri nequeat pensio ex vitio litigiosi?

REspondeo negativè. Lott. *l. 1. q 40. à n. 99.* siquidem in materiam translationis non cadit vitium litigiosi, ut decidit Rota *in Mamianens. pens. 23. Martii 1626.* Lott. *ibid. n. 110.* Etiamsi enim ex parte titularis prætendatur reductio, vel extinctio, aut nullitas pensionis: & licèt etiam tunc, cùm vindicatur libertas Ecclesiæ, atque ita proponitur negatoria, vel è converso confessoria per eum, qui servitutem vindicat, dicatur moveri actio in rem, adhuc non concluderetur ad litigiosum, quia non contenditur principaliter de dominio; sive enim agatur hypothecariâ, sive actione personali, semper res ipsa sub substantia pensionis manet libera ab hoc vitio litigiosi; dum enim non contenditur, sive agitur principaliter de dominio, deficit extremum, sine quo non contrahitur vitium litigiosi. Lott. *n. 109. & n. 110. juncto n. 100.* Proinde etiam non militat hìc simile de beneficio; siquidem in beneficium cadit formalitas litigiosi, ex reciproca vindicatione duorum simul contendentium, beneficium seu proprietatem, & quasi dominium beneficii ad se pertinere. Et sic non mirum, si nec Papæ provisio de litigioso teneat, nisi factâ expressâ mentione litis, non ex defectu potestatis, sed voluntatis, ne cui præjudicium inferat. Lott. *n. 106. & 107.* Neque etiam dici potest affici vitio litigiosi ipsa possessio, si agatur actione hypothecariâ; cùm per translationem non transmittatur possessio, ut dictum suprà. Lott. *n. 101.* Sed etsi, dum movetur actio personalis, prætendatur & concedatur, actionem solam factam esse litigiosam, adhuc nihil facit ad rem; quia, sicut actio hæc personalis non afficit rem ipsam, ita nec, prout est actio transferentis, transit in translatarium, sed extinguitur potiùs, & nova alia, non ex persona transferentis, sed ex speciali facto principis, nempe Papæ, ipsi translatario quæritur, & sic cessat vitium illud, quòd minimè adscribi potest principi, quem etiam opus non est hoc scire, seu intelligere. Lott. *à n. 102. usque ad 106. inclusivè.*

Quæstio

Quæstio 631. *An non saltem, semoto illo vitio litigiosi, lis nihilominùs circa pensionem narrandi sit in translatione aut facultate transferendi?*

REspondeo negativè: Siquidem expressio litis in eo solùm casu facienda, ubi ex rescripto Principis acquiritur jus novum, quo alteratur status litis in præjudicium collitigantis, ut rectè Bellamer. *decis.* 747. *n.* 3. jam verò per translationem nullum novum præjudicium, seu onus creatur Ecclesiæ. Lott. *cit. q.* 40. *n.* 111. *juncto n.* 112.

Quæstio 632. *In quas personas fieri possit translatio pensionis?*

1. REspondeo primò in genere: Servatâ formâ translationis transitum pensionis adhuc impediri, si persona translatarii sit incapax pensionis, adeóque hoc præcipuè cavendum transferenti. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 113. Siquidem factum translationis totum quoad valorem pendet ex eo, an legitimè facta translatio, & in personam habilem, Lott. *ibid. n.* 352. si enim hæc talis non est, impeditur translatio ex contraria mente Papæ, perpetuò restricta ad capacitatem personæ translatarii. Lott. *ibidem n.* 94. Porrò is capax censetur, ut in se transferatur pensio, qui capax est, ut eadem pensio sibi reservetur. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 9. *n.* 6. dum enim conceditur facultas tranferendi pensionem in alium, intelligitur de alio simili ipsi transferenti, nempe quoad capacitatem habendi talem pensionem. Lott. *cit. q.* 40. *n.* 134. Conrad. *pr. benef. l.* 5. *c.* 6. *n.* 24. citans Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 140. eò quòd, ut Conrad. terminus *alius* implicet similia ac paria, & infert idem in qualitate, licèt diversum in substantia. Sicque in considerandâ habilitate vel inhabilitate personæ attendi semper debet tempus, ut nimirum pro illo adsit dicta habilitas, quo actus ad personam applicatur; sicut in reservatario tempore reservationis, sic in translatario ipso tempore translationis esse debet dicta habilitas, ita ut, si exposit priùs supervenias, translatio non secus ac reservatio sit nulla. Conrad. *loc. cit. n.* 26. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *num.* 130. Unde jam

2. Respondeo secundò in specie: Sicut non nisi clerico reservatur, ita hodiedum nulli permittitur facultas transferendi pensionem in laicum, nisi cum clausula: *ex nunc prout ex tunc, cùm clericali charactere insignitus fuerit.* Lott. *loc. cit. n.* 131. quod, sicut in reservatione pensionis, sic & in translatario intelligitur de charactere exequibili, & quidem exequibili illo tempore, quo fit translatio. Lott. *n.* 131. *juncto n.* 148. Conrad. *n.* 27. ita ut v. g. clericus factus ab Episcopo non suo sine licentia proprii Episcopi, quia non habet clericatum exequibilem, sed suspensus est: item clericus excommunicatus non potest esse translatarius, uti nec reservatarius pensionis juxta dicta superiùs. In eo autem casu ante susceptum clericatum pensionarius nequit petere pensionem. Conrad. *loc. cit. n.* 29. Lott. *loc. cit. n.* 132. Et, si interea moriatur transferens, non fit retroractio, sed remanet pensio extincta. Lott. *n.* 133. ex Gabriel. *cons.* 186. *n.* 13. *l.* 1. Item translatio facta in Novitium, non clericum, est nulla, sicut dictum de reservatione. Lott. *n.* 136. Sic bigamus, etiam dispensatus ad pensiones retinendas, est incapax pensionis in eum transferendæ, etiam ex vi facultatis transferendi in personas Ecclesiasticas. Conrad. *loc. cit. n.* 32. In summa, quidquid suprà dictum de laicis, regularibus, illegitimis, bigamis, &c. aliisque incapacibus hujus vel illius pensionis, vel omnium pensionum respectu reservationis, idem pari modo locum habet respectu translationis pensionis in eos faciendæ; ista proinde revidenda, uti & legendus Conrad. *l.* 5. *c.* 6. Adeóque jam etiam suppositis in persona translatarii pluribus impedimentis, tot esse necessarias dispensationes, quot sunt impedimenta, nec sufficere clausulam generalem remotivam obstantium, sed esse opus de singulis defectibus fieri mentionem, tradit Lott. *nu.* 192. *juncto nu.* 193. citans Gonz. *gl.* 13. *n.* 98. *&c.* Comprehendi autem in dispensatione sub verbis retinendi, consequendi, ac exigendi pensiones etiam casum consequendi illas per viam translationis, & in hoc puncto nullam considerari posse differentiam inter pensiones reservatas & translatas, dum pensio translata etiam dicitur reservata; quia in translatione, extinctâ priore, reservatur nova translatario, indubitatum videtur. Conrad. *cit. c.* 6. *n.* 32. juxta decis. Rotæ 50. *n.* 30. *p.* 5. *recent.* Sic etiam stante facultate transferendi pensiones in personas Ecclesiasticas quascunque, comprehenduntur & eæ personæ, quæ tales sunt per dispensationem Apostolicam, ac ita fieri posse translationem in clericum bigamum, sed per dispensationem habilitatum, *ibidem* tradit Conrad. ex Lott. *l.* 1. *q.* 40. *nu.* 168. Item in clericum illegitimum, qui per dispensationem Episcopi promotus ad clericatum. Conrad. *n.* 33. ex Lott. *loc. cit. n.* 144. etiam si is sit proprius filius illegitimus. Conrad. *n.* 34.

Quæstio 633. *An, & qualiter transferens, factâ translatione, continuò amittat jus exigendi pensionem?*

REspondeo: Destitui illum illico omni jure suo, etiam respectu exactionis pendentis termini pro rata fructuum perceptorum per titularem ante ipsam translationem, nisi fuerint expressè reservati. Lott. *l.* 1. *q.* 40. *n.* 22. Paris. *l.* 6. *q.* 4. *n.* 48. Attenditur siquidem in hoc simpliciter mens ipsius transferentis, qui, si expressè non reservavit ratam illam istorum fructuum termini pendentis, censetur & sibi, & hæredibus præjudicare. Lott. *loc. cit. n.* 23. Atque ita casus hic extinctionis voluntariæ pensionis quoad hoc distinguitur à casu extinctionis necessariæ, v. g. per mortem, in quo, ut Paris. *loc. cit.* juxta decis. Rotæ, numeratione factâ à die reservationis pro rata temporis, quo intra illum annum vixit pensionarius, dandum hæredibus, & residuum relinquendum Rectori beneficii.

Quæstio 634. *An, & qualiter translatio facta intimanda debenti solvere pensionem?*

REspondeo: Debere illi infra tres menses intimari translationem factam, sive ea facta sit in absentem, sive in non absentem. Paris. *l.* 6. *q.* 4. *n.* 47. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 12. citantes Gig. Cassador. dicentes, sic servari in praxi.

Quæstio 635. An, & qualiter translatario detur via executiva agendi ad solutionem pensionis?

1. REspondeo: Dum ad translationem accessit consensus titularis, quem præstitit sub obligatione in forma Cameræ Apostolicæ, vel etiam, dum, uti quandoque fit, citra talem consensum, Papa decrevit, eundem titularem teneri erga translatarium eodem vinculo obligationis Cameralis & juratæ, quo tenebatur erga ipsum pensionarium transferentem, aperitur eidem translatario multiplex via executiva agendi ad solutionem. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 6. n. 30. & 40.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 240.*

2. Prima via executiva est, seu translatarius agere potest viâ executivâ in vim obligationis Cameralis, sive habeat expressum consensum titularis sub hac obligatione, sive habeat sub hac obligatione eundem consensum tanquam transfusum auctoritate Principis ita decernentis. Lott. *loc. cit. n. 241. & 242.* subjungens *n. 243. & 244. & seq.* dubitandum non esse de hujus decreti vi & efficacia, in ordine ad transfundendum sub hac obligatione dictum consensum; eò quòd, cùm omnes actiones (si non respectu juris agendi in judicio, quo sensu definivit Justinian. *in principio Institut. de actione*: actionem esse jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, & in quo sensu actio est de jure gentium; saltem respectu formularum, ex quibus in præsente materia resultat via executiva, vel ordinaria) sunt introductæ jure Civili, à quo ordinatæ & compositæ, & consequenter positæ in mera & absoluta principis potestate quòad illas denegandas, vel concedendas, sufficiat ejusdem Principis voluntas cum generali clausula derogatoria obstantiarum. Hoc ipsum tamen decretum translationis seu transfusionis istius consensûs, & obligationis Cameralis exigi in specie, tradit Lott. *n. 250.* eò quòd, ut idem *n. 251.* licèt jus & privilegium obligationis cameralis sit cessibile & transmissibile, ut Galesius *de obligat. cameral. p. 2. q. 2. n. 1.* ea tamen illius transmissio sequi non possit ex simplici facto translationis pensionis; cùm actus hic translationis pensionis sit extinctivus primævæ actionis in persona transferentis. Neque, ut Lott. *n. 252.* etiam ex ordinario illo decreto translativo omnium obligationum & vinculorum (quod hisce verbis adjici solet in facultate transferendi pensionem: *quòd translatio censeatur facta cum omnibus immunitatibus, obligationibus, reservationibus, vinculis, & decretis, ac modo, ac formâ in prioribus reservationibus contentis:* eò quòd, cùm dictum jus & privilegium verificari potest in aliis obligationibus ac vinculis adjectis in dispositione ipsius Principis, rem ipsam, id est, fructus beneficii obligantis & afficientis, non est producendum ad obligationem, quæ oritur ex proprio consensu titularis debentis pensionem. Unde, dum exhibetur instrumentum obligationis in forma Cameræ super consensu titularis, si ex eo agere vult translatarius, eo ipso repellatur, quòd in eo non legatur, titularem se obligasse ad ejus favorem. Lott. *n. 253.* ex Gales. *ubi suprà sub tit. de vi instrumentor. obligat. cameral. n. 15.* Et, si Judex, seu Executor advertens in dicto instrumento non legi obligationem titularis ad favorem translatarii, citra dictum Principis Decretum speciale, & in individuo procederet executivè, utique excederet, & ratione hujus excessûs admitteretur provocatio seu appellatio ad omnem effectum. Lott. *nu. 254.* Atque ita jam patet, quantùm referat, translatarium habere hujusmodi decretum, vel expressum consensum titularis sub ista obligatione Cameræli, dum præter ordinem judiciarium, qui duabus aut tribus citationibus, etiam non personaliter executis absolvitur, plurimum tribuit compendii; siquidem excludit remedium appellationis, & ratione juramenti imponit præcisam necessitatem solvendi, etiamsi videri aliàs posset indebitum; quod petitur. Lott. *n. 255. & 256.* ac consequenter facit, ut nisi deducatur exceptio ex ventre literarum, penitùs denegetur audientia excipienti ad effectum evadendi vel differendi solutionem, ut Lott. *n. 265.* ut non admittatur excusatio, si titularis ageret, aut excipere nomine Ecclesiæ suæ pro vindicanda ejus libertate; cùm ista sit vis istius juramenti præstiti in illa Camerali obligatione, nisi præcedat absolutio ab illo. Lott. *nu. 257. & 258.* subjungens *n. 259.* pensionarios volentes adhuc magis esse cautos, procurare etiam sub eodem juramento titularem renunciare beneficio hujus absolutionis; & si ea quandoque motu proprio concederetur, de non utendo ea.

3. Secunda via executiva est intentatio regressûs. Lott. *loc. cit. n. 266.* siquidem si is, qui habet pensionem cum regressu, transferat pensionem in personam capacem illius beneficii, ad quod concessus regressus, dubium non est, quin in virtute decreti illius: quòd translatio censeatur facta cum omnibus immunitatibus, obligationibus, &c. facta censeatur translatio cum eodem jure regrediendi. Lott. *n. 267.* Paris. *l. 6. q. 4. n. 51.* Porrò qualiter intentetur hic regressus, & qualiter in dicta intentatione procedendum, num locus appellationi, & similia dicta sunt suprà; quod enim dictum in hac parte de reservatario pensionis, idem applicandum translatario ejusdem pensionis.

4. Tertia est via ex interdicto adipiscendæ in vim supradicti decreti concessæ, videlicet subrogationis ad possessionem, in qua erat transferens; eò quòd quamvis hæc subrogatio nihil operetur respectu interdicti retinendæ, operatur tamen respectu interdicti adipiscendæ pro obtinenda immissione, ex remedio *l. fin. c. de Edicto divi Aurel.* utpote quod competit æquè pro incorporalibus, ac corporalibus. Lott. *n. 298. 299. & 300.* juxta dicta suprà. Subjungitque Lott. *n. 301.* sine tali edicto dictæ subrogationis ad possessionem impossibile esse, hanc immissionem decerni, cùm omnia possessoria edicta à Prætoris edicto dependeant. *Instit. de interdict. ad principium.*

5. Quarta denique est ipsa via directa pro executione literarum Apostolicarum. Lott. *n. 302.* Neque enim minùs translatario pro executione suæ translationis, quàm ipsi reservatario pensionis pro executione reservationis processus, seu via executiva patet. Lott. *l. c. n. 302.* & ex eo Corrad. *l. 5. c. 6. n. 56.* Neque aliter solere Signaturam rescribere in hoc casu translatæ, quàm reservatæ pensionis, nempe cum clausula: *non retardata, &c.* ait Lott. *n. 306.* addens *n. 307.* id intelligendum, modò transferens esset in quasi possessione exigendi. & *n. 308.* modò ex literis reservationis, seu earum ventre non resultaret extinctio pensionis, quæ supponitur translata. Nequaquam autem via hæc impediretur sub prætextu, quòd non agitur ex literis reservationis pensionis, sed ex instrumento translationis factæ, cui de jure non competit via executiva. Verùs namque

namque est, agi ex ipsis literis, & simul ex instrumento translationis, in quo consumitur, & perficitur gratia translationis. Unde hæc tria necessariò sunt exhibenda coram Judice pro substantiando hoc processu executivo; nempe literæ reservationis pensionis, facultas transferendi, & instrumentum translationis factæ, quæ omnia non tanquam singula considerantur, sed tanquam simul unita, & ordinata ad unum finem, ita ferè Lott. *n.* 303, & ex eo Corrad. *loc. cit. n.* 55. Et sic, cùm dictum instrumentum habeat in ventre dictam reservationem vigore facultatis transferendi, hæc tria non sunt consideranda distinctim, & per se, sed mixtim, & tanqnam constituentia unum integrale. Corrad. *ibid.*

6. Porrò via hæc ex parte translatarii dupliciter intentari potest. Primò dirigendo processum ad finem obtinendi contra titularem sententiam declaratoriam incursûs censurarum, in literis reservationis contentarum. Secundò dirigendo processum ad finem simpliciter compellendi titularem solvere per capturam personæ, sequestrationem, & subhastationem bonorum. Qui duo processus, etsi intendantur in eundem scopum, nempe cogendi debitorem ad solvendum, quia tamen utuntur diversis mediis, diversimodè instituuntur juxta diversam naturam unius medii ab alio. Lott. *num.* 309. Hinc, dum translatarius intentat processum pro obtinenda declarativa, de essentia, & substantia hujus processûs est, post productionem literarum, & instructum processum, quatuor fieri citationes monitoriales distinctim executas, pro totidem audientiis ad dicendum, se paruisse literis, ex quibus citationibus constituatur contumax in parendo; utì enim sine hac contumacia non potest decerni declaratoria, ita nec in materia Censurarum potest constitui contumacia, nisi canonicè monito debitore. Lott. *à num.* 310. Idque, nempe quòd monitioni præmittantur dictæ quatuor citationes, potiùs invaluisse ex stylo Curiæ, quàm ex rigore Juris, dicit *n.* 313. ex Mandos. *trac. de monit. q.* 11. *&* *q.* 36. Dum verò translatarius simpliciter agit pro executione, seu mandato executivo, non est necessaria aliqua terminorum servatio: Nimirum neque jam dictorum quatuor, neque aliorum quatuor, quos aliàs de stylo fori in quolibet Judicio summario servari oportet. Lott. *n.* 315. licèt *nu.* 316. dicat, eos omninò necessarios, ubi proponerentur literæ inexequibiles, & reus instrueret sibi processum pro absolutione. Neque pro substantia istius processûs exigitur libellus aliquis; quia in summariis, qualis est, & dicitur omnis causa executiva, talis solennitas rejicitur. Lott. *à num.* 338.

Quæstio 636. *An translatarius, utcunque demum intendens agere contra titularem, qui non consensit translationi, ad concludendum processum suum teneatur intimare literas, & instrumenta reservationis ei, à quo petitur solutio, & easdem justificare?*

1. Respondeo ad primum affirmativè: Sic enim exigit manifesta ratio finis, ut ei, à quo petitur solutio, intimentur dictæ literæ, ut eis visis deliberare possit, an contendere, vel cedere debeat. Lott. *cit. q.* 40. *n.* 345.

2. Respondeo ad secundum primò: Quo ad justificationem illam translatarius eodem jure, & privilegio uti potest, nec plus gravari debet, quàm gravaretur quò ad hoc ipse transferens. Lott. *num.* 346. Proinde translatarius non tenetur justificare reservationem primitus factam, nisi quatenus ipse transferens teneretur, & consequenter, si dicta reservatio proponeretur facta motu proprio, utì tunc non teneretur eam justificare pensionarius (cùm ea sit vis gratiæ motu proprio factæ, ut Papa censeatur ex comperta veritate suppositorum eam fecisse, ac sic nullâ aliâ opùs sit justificatione, ut Abb. *in c. dudum, de privileg. nu.* 3. Gabriel. *de clauſ. conclus.* 2. *n.* 89.) ita nec translatarius. Lott. *n.* 348. *&* 349. juxta decis. Rotæ *in Firmam. pens.* 26. *Feb.* 1626. *&* 23. *Jan.* 1627. ubi dictum, quòd eâdem ratione remittitur necessitas justificandi respectu gratiæ ipsius translationis, quando ea esset concessa motu proprio, nisi fortè, ut Rota *decis.* 645. *nu.* 3. *p.* 1. *Recent.* respectu alicujus qualitatis Papa habuisset relationem ad narrativam ipsius translatarii per verba consueta: *ut asserit.*

3. Respondeo ad secundum secundò: Extra hunc casum reservatæ pensionis purè motu proprio, translatarius tenetur gratiam justificare, nisi ab hoc onere relevetur ex possessione, seu quasi possessione. Lott. *cit. n.* 349.

Quæstio 637. *Qualiter translatarius relevetur ab onere justificandi gratiam translationis ex quasi possessione exigendi pensionem respectu talis, qui non consensit pensioni?*

1. Respondeo primò: Quando ipse translatarius est in dicta quasi possessione exigendi, perstque in ea manuteneri, ac pro decursis, & decurrendis terminis sibi relaxari, seu concedi mandatum executivum, ad nullam tenetur justificationem; nempe neque literas reservationis, neque habilitatem suam, aut transferentis, tenetur justificare, sed sufficit ostendere literas expeditas, & translationem factam séque esse in quasi possessione exigendi. Lott. *cit. q.* 40. *n* 350. citans Mohed. *decis. 9. n.* 1. *de cauſ. poſſ. & propriet.* Put. *decis.* 239. *nu.* 2. *l.* 1.

2. Respondeo secundò: Dum translatarius nunquam adhuc exegit, transferens tamen exegit, per tempus aliquod etiam longum, non tamen longissimum, & translatarius agit contra titularis successorem, qui non consensit, nec solvit, tenetur translatarius tam suam translationem, quàm gratiam transferentis justificare; cùm enim in judicio duo asserat; nempe subjectum transferibile, quod pendet à justificatione reservationis, & factum translationis, quod pendet ab eo, an ea legitimè facta sit in personam habilem; dum ab eo, à quo petitur solutio, utrumque negatur, utrumque etiam ab actore est probandum. Lott. *n.* 351. *&* 352. Neque dicas, non esse gravandum translatarium, saltem in justificando gratiam reservationis, stante quasi possessione tranferentis, cujus jure utitur. Nam etsi transferenti competierit possessorium summariissimum retinendæ, etiam contra hunc novum successorem, qui nusquam solvit juxta dicta suprà. Competere tamen idem non potest translatario, utpote in quem non transfertur possessio, quæ fuerat apud transferentem, juxta quoque dicta suprà, & sic translatarius non cogitur in hoc casû justificare, tanquam impeditus uti jure in se transmisso, sed tanquam non valens uti jure in se

non transfuso, quin potiùs extincto. Lott. *num.* 353. & 354.

3. Respondeo tertiò: Dum tamen quasi possessio illa transferentis fuit non solùm longa, sed etiam longissima 30. annorum, translatarius non tenetur ad justificationem gratiæ transferentis. Lott. *nu.* 355. eò quòd tunc præsumptio veritatis narratorum non oriatur translatario ex quasi possessione, quâ ipse utatur, sed ex præscriptione longissima; cùm verisimile non sit, pensionem per adeò longum tempus fuisse exactam, & solutam, si gratia non fuisset justificata.

4. Respondeo quartò: Si neque transferens unquam adhuc exegit, sine dubio translatarius tenebitur ad justificandum non tantùm translationem, sed & ipsius reservationis literas. Lott. *nu.* 359. nisi ageretur contra illum, qui pensioni consensit; tali enim consensu supposito, sufficit justificare gratiam translationis, quæ ut plurimùm consumitur circa habilitatem personæ, & qualitates expressas, quantumcunque non necessarias; eæ enim omnino sunt justificandæ de ipso tempore translationis. Lott. *num.* 360. Unde etiam, si quis narravit se inhabilem, sed dispensatum, tenetur exhibere dispensationem, & justificare causam in ea narratam. Lott. *nu.* 361. ex Decio *in c. porrecta. n.* 11. *de confirm. utili vel inutil.*

De extinctione pensionis.

Quæstio 638. *An privatio beneficiorum extendat se ad pensiones, ita ut si quis privetur, aut privandus sit beneficio ob delictum, eo ipso quoque privetur, & privandus sit pensione Ecclesiasticâ, si quam habet, etiam dum id non exprimitur?*

Respondeo: Præscindendo à stylo in contrarium, de quo testatur Farinac. apud Tond. *loc. mox citand.* id in genere dici non posse, quia nomine beneficii, præcipuè in pœnalibus, & odiosis non venit pensio. Tond. *qq benef. p.* 2. *c.* 1. § 4. *n.* 96. 97. *juncto nu.* 101. citans Gratian. *discept. for. c.* 397. *n.* 14. Sic quoque Card. de Luc. *de pens. d.* 49. *n.* 4. ait: quòd, licèt pensiones Ecclesiasticæ reservatæ, ut tales pro Clerico assimilentur beneficiis, eorúmque jure censeantur (intellige, etiam respectu amissionis earundem) attamen certum sit, facilùs in criminoso tolerabilem esse pensionis retentionem, quàm beneficii; cùm pensio non percutiat substantiam beneficii, nec jus spirituale tribuat super fructibus.

Quæstio 639. *An ob hæresim extinguatur pensio?*

Respondeo: Hæreticum non solùm uti beneficiorum obtinendorum, ita etiam pensionum incapacem esse Tond. *loc. cit. nu.* 117. citans Ricciul. *tr. de person. extra grem. Eccl. existentibus. l.* 5. *c.* 19. *nu.* 7. juxta dicta à nobis suprà; sed etiam privari pensionibus obtentis. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *nu.* 51. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 31. idipsum extendentes ad hæretici filios, ac nepotes, ac citantes pro hac extensione Tho. Sanch. *in sum. l.* 2. *c.* 28. *nu.* 36. & Rotam *in Conchens. pens.* 6. *Martii.* 1609. quæ est *decis.* 123. *p.* 3. *Recent.* Intelligique hoc ipsum tam de filiis illegitimis, quàm legitimis, ne majus privilegium habeat luxuria, quàm castitas, ait Ventrigl. *ibid.* Item intelligi de nepotibus descendentibus per lineam paternam, non verò maternam. Item privationem illam pensionum afficere hos filios, & nepotes, etiam dum pater hæreticus fuit, tantùm damnatus in contumacia, dummodo sit verus contumax, subjungit Ventrigl. *in fine. n.* 31.

Quæstio 640. *An pensio extinguatur ob homicidium voluntarium, aliáve crimina qualificata patrata à pensionario, aut ob contractam exinde, aut ab eo, Irregularitatem?*

Respondeo: Quemadmodum beneficia obtenta non vacant per homicidiū, aliáque crimina, quamvis irregularitatis inductiva, nisi in casibus, quibus ita jure statutum sit, etsi crimen possit esse justum motivum judici ad damnandum ad hanc pœnam privationis beneficiorum: ita pariter loquendum de extinctione pensionis, & quidem à fortiori. Card. de Luc. *de pens. d.* 49. *n.* 3. & 4. *d.* 47. *n.* 11. ubi expressè: homicidium voluntarium, aut aliud crimen, quamvis majoris irregularitatis inductivum, non causat amissionem pensionis, vel beneficii. Atque ita intrat argumentum à fortiore, ut si per homicidium, aliáque qualificata delicta, non vacent beneficia, multò minùs amittantur pensiones. Unde jam patet responsio ad secundum, nimirum irregularitatem supervenientem, uti non causare vacationem beneficii, ita nec extinctionem pensionis. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 11.

Quæstio 641 *An ob bannum capitale, continens quoque confiscationem bonorum, comprehendantur quoque pensiones, ita & ut ha transeant ad Fiscum, aut extinguantur?*

1. Respondeo primò: Si sermo est de pensione merè temporali (intelligendum videtur, non tam de pensione laicali, hoc est, desumpta ex fructibus Ecclesiæ, & assignata laico pro ministerio aliquo temporali ei exhibito, quàm de pensione alia omnino sæculari assignata ex bonis aliis sæcularibus) ea venit sub confiscatione bonorum ad commodum fisci. Card. de Luc. *de pens. d.* 49. *n.* 7. ex Gamb. *loc. paulò post. citando.* si verò sermo est de pensione Ecclesiastica, ea neque quò ad commodum, seu commoditatem transit ad fiscum Ecclesiasticum, durante vitâ istius pensionarii delinquentis, ut expressè ex Gamb. *de pot. leg l.* 6. *ex n.* 722. & *præcipuè n.* 240. asserit Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 33. Sed continuò latâ sententiâ talis banni capitalis ob delictum, tanquam per mortem civilem assimilatam morti naturali extinguitur, Ecclesiâ libertatem acquirente, eo modo, quo de jurepatronatûs non transeunte in fiscum pœnalem, cum publicatione bonorum ex delicto dici solet. Card. de Luc. *loc. cit.* ita expressè dicens distingui, & teneri à Gamb. *eod. loc.* quo illum citavit Lott. Probat idipsum Card. de Luca. *num.* 8. & 9. quòd, cùm pensionarius per bannum capitale dicatur effici servus pœnæ, & incapax possidendi bona, ac jura, ea transire non possint in fiscum, ita gerentem vices, & personam hæredis anomali delinquentis; neque ea stare possunt in aëre, ac sine possessore, & domino; adeóque, sicut per capitis diminutionem maximam ex banno capitali resultantem extinguitur ususfructus (juxta cujus terminos, ut plurimum regulatur pensio) ita & pensio, utpote in qua tanquam jure vitalitio non datur formalis translatio de uno in alium, neque vacatio,

catio, sed solùm extinctio, redeunte Ecclesiâ ad pristinam libertatem; secus ac contingit in beneficiis, in quibus perdurantibus in suo esse datur vera vacatio, dum non implicat, Ecclesiam, vel Capellam ad tempus aliquod viduatam sub nullius dominio, sed quasi in incerto stare.

2. Notandum, responsionem procedere non de banno, vel etiam sententia contumaciali simpliciter, sed de banno per annalem contumaciam confirmato, & de sententia contumaciali, quam subsecuta non est intra annum purgatio contumaciæ; siquidem hoc anno elapso, sicut tum priùs irretractabiliter resultet vacatio beneficiorum, ita & extinctio pensionis. Dum econtra labente adhuc eo anno à banno, & sententia contumaciali, durat adhuc spes, & potentia resolutionis ejusdem sententiæ, nempe resultantis à purgatione per comparitionem infra annum, & sic ex solo banno contumaciali non dicitur resultare vera mors civilis, vel inductio maximæ servitutis pœnæ; sed solùm induci videtur suspensio seu amissio conditionalis, ac revocabilis, quatenus scilicet contumacia non purgetur. Ac proinde, secutâ ipsâ purgatione, fit retrotractio ad suum initium quodam jure postliminii, & per excitationem potiùs à somno, quàm à morte, seu per remotionem obstaculi. card. de Luc. *l. c. n.* 11.

3. Sed neque pensionario delinquenti suffragatur restitutio adversus bannum contumaciale, post annum obtenta; hæc enim restitutio, cùm non sit per viam justitiæ, declarando innocentem, sed per viam gratiæ, postquam Ecclesia jam perfectè redierat ad libertatem, operari non potest pensionis redintegrationem, & rursus excitationem servitutis Ecclesiæ, nisi factâ speciali mentione constet, quòd Papa explicitè vel implicitè redintegrationem concedere voluerit, tanquam per speciem novæ reservationis. Card. de Luc. *n.* 12.

Quæstio 642. *An amittatur pensio ob non delatum habitum Clericalem?*

REspondeo affirmativè: Statuit enim Sixtus V. per Bullam incipientem; *Pastoralis. sub dato prid. Kal. Feb.* 1588. quæ est in Bullario Constit. 92, ut, si habens pensionem excedente 60. ducatos de Camera, non deferat habitum, & tonsuram Clericalem, continuò sine ulla monitione, citatione, Judicis decreto aut ministerio eam ipso facto amittat. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 52. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 28. Card. de Luc. *de pens. d.* 48. *nu.* 7. Ut tamen hæc privatio locum habeat, requritur Primò, quòd pensionarius tanto tempore non incesserit in habitu Clericali, ut omnium opinione reputetur laicus. Ventrigl. *loc. cit.* citans Ricciull. *de person. extra Eccl. grem. exist. l.* 7. *c.* 6. *nu.* 17. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 11. *nu.* 49. *in fine*, juxta dicta aliàs à nobis de amissione beneficii ob eandem causam. Secundò ut pensionarius incedens in habitu Laicali pensionem actu exigat, vel per eum stet, quò minùs exigat. Lott. *loc. cit. n.* 53. Ventrigl. *loc. cit.* juxta tenorem citatæ Bullæ. Sic etiam dictam privationem pensionis ob delatum habitum non procedere, dum pensionarius id faceret ob paupertatem, infirmitatem, verisimile periculum, vel si domi se contineret, ait Ventrigl. *loc. cit n.* 29. citans Barbos. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 4. *n.* 33. Dictam etiam Bullam Sixti V. in Gallia non esse receptam, & extra Galliam difficilem fore ex hoc capite impetrationem, ait Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 174. *nu.* 20.

Quæstio 643. *An extinguatur pensio propter obtentum officium sæculare, vel etiam propter feudum obtentum à principe laico?*

1. REspondeo ad primum: Non convenire in hoc AA. Nam primò officium sæculare merè incompatibile cum Clericatu, nimirum quo quis occupatur in criminalibus, quale, v. g. est tabellionatus Judicis criminalis. (cùm id prohibitum sit Clericis, potissimum etiam ob juramentum, quod principi sæculari, à quo tale officium suscipitur, præstandum) causare amissionem pensionis Ecclesiasticæ, non secus, ac militiam: non verò officium sæculare, nullum admixtum habens exercitium jurisdictionis criminalis, quale v. g. esset Notariatus circa acta voluntariæ jurisdictionis, in confectione scilicet Instrumentorum, vel etiam circa acta jurisdictionis contentiosæ in causis civilibus, tenent apud Card. de Luc. *de pens. d.* 47. *n.* 4. *s.* 6. cum Jo-And. Rota *in Pistorien. pens.* 23. *Jun.* 1670. Zaborel. *in c. sicut. ne Clerici vel Monach. secular. negot. se immisc. n.* 2. aliique adducti per Fagn. *in cit. c. sicut. n.* 12. *& seq.* item per Covar. *qq. pract. c.* 19. *n.* 8. & Farinac. *in fragm. v. Clericus. n.* 212. *& seq.*

2. Secundò censet ipse Card. de Luc. *loc. cit. n.* 8. dato, præmissam doctrinam esse veram, non tamen tenere, dum pensionarius ex titulo venditionis, vel alio assequeretur tale officium, potiùs in dominio ac habitu, pro emolumentis aliisque præeminentiis, quàm pro actuali exercitio, quod per substitutos vel conductores geri solet, dum etiam viri nobiles, & magnates, Cardinales ad exercitium tale inepti, vel etiam, quibus tale exercitium indignum, talia officia per substitutos exercenda acquirunt pro solo emolumento, aliisque juribus, uti ait in ipsa Urbe Archiconfraternitatem Caritatis possidere officium criminale Gubernatoris, in quo omnes causæ criminales tractentur, non tamen adversùm qualitati loci pii, & Ecclesiastici; cùm exercituum illius sit penes Substitutos. Censet item idem Cardinalis. *n.* 11. dictam distinctionem inter officia sæcularia habentia, & non habentia admixtum exercitium jurisdictionis criminalis nihil ad rem facere; cùm id totum concernat incursum irregularitatis; irregularitatem autem supervenientem non causare amissionem beneficii aut pensionis, & in præsenti consideranda solùm sit omnimoda incompatibilitas, ex qua resultet implicita dimissio Clericatûs, ut dicetur paulò pòst de militia. Quinimò, ut idem Cardinalis. *nu.* 12. etiamsi non solùm accederet lex principis laici, inhabilitans Clericos, tam ad obtinenda, quàm ad exercenda officia similia sæcularia (quippe à qua induci nequit ista omnimoda incompatibilitas cum statu Clericali) sed ipsa prohibitio sacrorum Canonum super sæcularium officiorum susceptione, & exercitio, adhuc tamen inde non resultaret vacatio beneficii, aut pensionis amissio ipso jure, sed juxta magis communem, & receptum citati *Canonis Sicut*, intellectum, ut plenè Fagn. *ibid.* potest ab Ecclesiastico Superiore prohiberi dictorum officiorum susceptio, & exercitium, etiam sub pœna privationis beneficii (idem est de privatione seu extinctione pensionis) & interim durante hoc illicito exercitio, quæsitum tanquam illlicitè quæsitum prætendi, ut cadat sub spolio. Neque denique, ut idem Cardinalis *nu.* 15. obstat præstatio juramenti, facta principi sæculari, cùm illud restrictum sit ad concernentia administrationem illius officii, quod à

manibus laici suscipitur ad instar illius juramenti fidelitatis, quod Clerici & Ecclesiastici præstare solent, & possunt Principi laico ratione feudi, ratione cujus illi subsunt. Vel etiam ad instar juramenti illius, quod clerici suscipientes tutelam, vel aliam administrationem à Judice laico, jurant benè & fideliter administrare, & rationes desuper reddere. Et dato, id etiam fieri non debere, nec posse, non tamen nisi actum illicitum continebit, ob quem Clericus à Superiore Ecclesiastico puniri potest.

3. Respondeo ad secundum primò: Feudum à Principe laico susceptum, cùm sit militia, & quidem militia major eâ simplice militiâ, magisque qualificata, & in qua magis solenne præstatur Principi laico fidelitatis ac subjectionis juramentũ, incompatibilitatem omnimodam habere cum Clericatu sicut militiam aliam, & consequenter cum retentione pensionis Ecclesiasticæ, ait Card. de Luc. *de pens. d. 46. n. 10.* Item *d. 48. n. 3. & 4.* citans pro hoc, nempe, quòd etiam ab hac militia à feudo resultante oriatur iste effectus incompatibilitatis cum Clericatu, & pensione. Tond. *tr. de pens. c. 77. n. 7.* licèt Card. de Luc. *loc. cit. n. 7.* de hoc subdubitare videatur, cum ait: ista circumstantia actualis adeptionis feudi probabile disputationis (intellige super retentione pensionis) præbeat motivum. Loquitur autem *cit. d.* Cardinalis hic de feudo annexo Marchionatûs, Comitis, Baronis, similive titulo, vel potiùs cui feudo annexa similis dignitas: ipsum verò Marchionatũ, Baronatum, dum merè honorarii sunt, seu verbalis solùm dignitas, nullatenus hanc incompatibilitatem cum Clericatu, & pensionis retentione habere, tradit *ibidem n. 3. juncto n. 7.* ubi etiam *à n. 10.* plura habet de horum titulorum, ac dignitatum origine.

4. Respondeo ad secundum secundò: Feudum statûs Ecclesiastici acceptum à Papa compati secum non tantùm pensiones, sed & beneficia ecclesiastica, imò & dignitates, etiam Episcopalem, tradit Card. de Luca. *de pens. d. 46. n. 10. & 11.* de quo vide dicenda *quæst. seq. limitat. ult.*

Quæstio 644. *An, & qualiter pensio extinguatur ob assumptam à pensionario militiam sæcularem?*

1. Respondeo: Pensionem Ecclesiasticam, seu reservatam Clerico, ut tali (qualis semper præsumitur in dubio, quamdiu expressè non constat esse reservatam laico. Card. de Luca *de pens. d. 46. n. 3.*) extingui assumptâ militiâ. Card. de Luca. *de pens. d. 47. n. 3. d. 46. n. 3. & 4. d. 73. n. 16.* ubi: quod per assumptionem militiæ sæcularis tanquam per speciem mortis civilis pensio cesset. Paris. *l. 1. q. 1. n. 22.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3. n. 24.* Siquidem militia hæc ita incompatibilis est cum Clericatu, ut Clericus per eam dicatur recessisse à statu Clericali, eique implicitè renunciasse, adeóque cùm cessante Clericatu tanquam requisito substantiali cesset pensio, ea per assumptam militiam remanet extincta. Card. de Luc. *cit. d. 47. n. 3.* Ventrigl. *loc. cit.* Atque ita extinctio hæc pensionis ob militiam non tam provenit, quia sic à jure statutum, ut militia causet amissionem pensionis; sed quia per hujusmodi statum incompatibilem cessat status Clericalis, sine quo pensio obtineri, vel retineri nequit. Card. de Luc. *de pens. d. 42. n. 12.* Unde jam etiam patet differentia latissima inter susceptionem officii sæcularis, & militiæ, cùm ex ista susceptione officii sæcularis non resultet necessariò omnimoda illa incompatibilitas cum statu Clericali, ex qua oritur præsumptio dimissionis Clericatûs cum formali transitu ad statum sæcularem, uti in militia. Card. de Luc. *cit. d. 47. n. 10.*

2. Ampliatur responsio ab aliquibus primò: ut Clericus dicatur effectus miles in ordine ad hunc effectum amittendi pensionem, quamprimum nomen ejus in matriculam militum est relatum, ita Ventrigl. *loc. cit. n. 25.* citans Ricciull. *de person. extra grem. Eccles existent. l. 7. c. 5. n. 2. & seq.* Bald. *in l. duos. n. 7. ff. Magist. milit.* Ampliatur secundò, ut amittat illico post illam descriptionem ipso jure pensionem, etiamsi non pugnasset, nec sæva exercuisset; eò quòd attendatur solùm ad effectum incurrendi irregularitatem, non autem amittendi beneficia, vel pensiones; cùm militia sæcularis in præsenti consideretur solùm tanquam probatio voluntatis Clerici dimittendi Clericatum, & assumendi statum sæcularem ob omnimodam incompatibilitatem inter duos hos status. Card. de Luc. *de pens. d. 46. n. 3. & 4.* Ventrigl. *loc. cit. n. 26.* Atque ità opus non esset trinâ monitione præcedente; hoc enim procedit ad effectum privationis aliorum privilegiorum clericalium, à quibus non bene infertur ad privationem beneficiorum, & pensionum, Card. de Luc. *cit. d. 46. n. 6.* Unde jam, etiamsi post dictam descriptionem pæniteret pensionarius, redeátque post paucos dies ante sæva exercita, & habitum clericalem reassumat, non per hoc recuperat pensionem extinctam. Ventrigl. *cit n. 26.* citans Ricciull. *ubi ante. n. 21.* Ciarlin. *controv. for. c. 36. n. 41.* Barbos. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 50.* Verùm hæ ampliationes binæ, & deducte ex illis non placent aliis, directe contrarium tenentibus, & vel sic responsionem limitantibus, nempe Tond. *qq. benef. p. 3. c. 174. à n. 13.* ex Reb uff. *de nominat. q. ult. n. 63.* Lott. *l. 3. q. 26. n. 90.* Azor. quos ferè verbotenus citatos vide suprà, ubi, an vacet beneficium ob assumptam militiam, & quorum doctrina à fortiore militat pro non extinctione pensionis. Addit etiam Tond *loc. cit. n. 17.* non esse eandem in hoc puncto rationem pensionis beneficialis (hoc est, Ecclesiasticæ) quò ad ejus extinctionem propter assumptam militiam, quæ est beneficii quò ad ejus amissionem ex eadem causa. Quamvis *ibidem n. 19.* dicat: si tamen talis monitus esset, ut à militia desisteret, & id non faceret, amitteret etiam pensionem sibi in titulum beneficii assignatam. Sic quoque Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 9.* expressè docet, debere talem moneri, & si tunc non desistat, eò ipso extinguatur pensio. Item Azor. *p. 2. l. 8. c. 10. q. 4.* Præterea

3. Limitatur responsio primò à Ventrigl. *loc. cit. n. 27.* (idémque tenent quò ad vacationem beneficii Barbos. & Ricciull.) ut non procedat in Clerico constituto in Sacris; cùm is, etiamsi se pluries fecit inscribi in numero militum, non per hoc desinat esse Clericus; cùm id in ejus potestate non sit. Verùm & hoc à nobis rejectum suprà; ubi de vacatione beneficii ex hac causa.

4. Limitatur secundò: ut non procedat, etiam in Clerico in minoribus tantùm constituto, qui exercitum comitatur, ut ei in ecclesiasticis ministeriis inserviat. Ventrigl. *cit. n. 27.* citans Ricciul. *ubi ante. n. 31. & 32.* Et hoc facilè concedent omnes,

5. Limitatur tertiò: à Card. de Luc. *cit. d. 46. à n. 9.* nempe quòd dicta incompatibilitas militiæ sæcularis cum Clericatu, & eo hac ratione cessante, cessent beneficia, & pensiones reservatæ Clerico ut clerico, rectè procedat in militia Principis sæcularis,

ris;non autem in militia Papæ, cui compatibiliter clerici, nedum in minoribus, sed & in majoribus Ordinibus,imò in Prælatura constituti,inserviunt in militia, ut docent chronicæ. Unde & talis succedere potest in feudis Status Ecclesiastici,quorum Dominus & Princeps est Papa, etsi aliàs, ut dictum, feudum in omnibus importet majorem,magisque qualificatam militiam,ut Jason *cons.*119.*l.*4.Fagn. *in c.quæ Ecclesiar.de constitut.* Et id ipsum multò magis, clariùs & extra omnem controversiam procedere,ait idem Card.*loc.cit.n.*12. ubi Papa (quæ erat species facti,de quo tractat *cit.d.*46.Card.de Luca) congregasset exercitum (in quo talis pensionarius ageret v.g.tribunum militum)non ad formale bellum offensivum pro alicujus Provinciæ,aut Civitatis acquisitione,vel recuperatione, vel ob inimicitiam cum alio principe, vel ad injuriam ulciscendam,vel ad assistendum alteri principi militanti: sed ad parandam solùm defensionem adversùs molestias aliquas de facto;unde potiùs sit quædam electio proprii populi ac subditorum,segregando imbelles & inhabiles,juxta exemplum,quod legitur 1.*Machabæor* . ideóque talis non tam faceret se militiæ adscribi, vel militare servitium formiter assumerer, quàm gereret solùm pro habilitate,& peritia personæ partes subditi, parati ad proprii principis,propriæque patriæ, ac sui; suorumq; defensionem,quod Clericis & Ecclesiasticis licitum sit,utpote ex causa defensionis magis,quàm belli & pugnæ, ut constat ex praxi in civitatibus obsessis, seu aliàs hostilem invasionem timentibus , ut Clerici,etiam Regulares sumant arma, ut Bellet. *disq.clerical.de discipl.regular.*§.18.*n* 15.Dian.*tr.*4.*de bello.p.*7.*resol.*35.Card.Lugo *in resp.mor. l.*5.*dub.*14. &c.quos citat Card. de Luc.*loc.cit.n.*13. Idem esse, ubi non ageretur de Clerico militante in exercitu, sed solùm assumente custodiam arcis cujusdam existentis in Pontificio statu Ecclesiastico, ad solam defensionem ob incursionem Turcarum & infidelium;eò quòd hoc licitum Clerico, etiam in sacris constituto,tradit Card. de Luc.*loc.cit.n.*15.quin etiam *n.*16.ait,non improbabiliter sustineri posse , quòd non esset locus extinctioni pensionis in eo Clerico, qui maritimæ classi præfectus, dū ea classis principaliter erecta,& retenta esset pro defensione à Turcarum ac infidelium infestatione.

6. De cætero, dum agitur de pensione reservata alicui in stipendium pro servitio temporali uti laicō,istam non extingui ob assumptam militiam ; cùm sit omnino profana, quæ laico competere potest,expresè tradit Tond. *loc.cit.n.*17.

Quæstio 645. *An extinguatur pensio clericalis ob initum à pensionario matrimonium?*

1. REspondeo: Contrahēs per verba de præsenti matrimonium,etiam cu una, virgine(idque, etiamsi expresè profiteatur velle se perseverare in statu Clericali,ut Card.de Luc.*de pens.d.*46.*n.*6.)amittit beneficium,& pensiones. Castrop.*de benef.d.*1.*p.*11.§.10.*n.*3.(ubi etiam, quòd ad quæstionem illam ; num pensio extinguatur per matrimonium aliàs irritum;pari modo respondendum, quò ad illam:an in eo casu vacet beneficium. Pro quo citat Barbos.*de pot.Ep.alleg.*57.*n.*206.Sanch.*de matrim.d.*44.*n.*5. Azor.*p.*2.*l.*8 *c.*10.*q.*1. Garc.*p.*1.*c.* 5 *n.*105. Paris.*l.*1.*q.*1.*n.*15.Azor.*loc.cit.* Ventrigl.*to.*2. *annot.* 11.§.3.*n* 16.Tond.*qq.benef.p.*3.*c.*196.*n.*11. (ubi etiam,quòd id procedat,etsi pensio fuisset imposita absque ullo onere)& *p.*2.*c.*5.§.4. *n.*17. Lott. *l.* 1.*q.* 42.*n.*43.Idque juxta Constit. Pii V. in Bullar. 73. quam refert Lott.*l.*1.*q.* 40. *n.* 205. ubi expresè, quòd Clerici matrimonium contracturi,etiam cum unica,& virgine pensiones antiquas retinere non possint. Ratio etiam est , quòd quò ad hunc effectum extinctionis Clericatûs,in quo justificabatur gratia reservationis, per initum matrimonium veluti statum secum incompatibilem exspirat. Ventrigl.Lott.*ll.cit.*

2. Ampliatur responsio ferè,ut ea ampliata fuit suprà de amissione beneficii ob contractum matrimonium primò;ut procedat, etiamsi non sit secuta copula.Lott.*loc.cit.n.*46.Ventrigl.*loc.cit.*Secundò, etiamsi matrimonium contractum sit nulliter, modò nullitas non sit ex defectu consensûs,ob ætatem,vel furorem, vel metum.Lott. *n.* 47.*juncto n.* 49.(ubi etiam rationem assignat,nempe,quòd vis tota inductiva hujus extinctionis stet in eo transitu, sive de jure,sive de facto;cùm semper implicet abjectionem cujusvis emolumenti,aut prærogativæ Ecclesiastici status à quo fit transitus)Ventrigl.*loc. cit.*ubi etiam,quòd pendente judicio de matrimonii nullitate ex defectu consensûs, pensiō maneat tantisper inextincta, etiamsi pensionarius agat pro validitate matrimonii juxta Rotam,*in Barcinon.Parochial.*22.*Jun.* 1622 quam refert Ventrigl. ex Beltran. Tertiò, ut, etiamsi post matrimonium contractum non consumatum sponsa ingrediatur religionem, pensiō tamen maneat extincta. Ventrigl. *loc.cit.n.*21.

3. Limitatur verò responsio:Primò, ut nullatenus extinguatur pensio per sponsalia, seu promissionem matrimonii de futuro; cùm non sit actualis adhuc transitus ad statum illum cum Clericatu incompatibilem.Lott.*cit.n.*49.& ex eo Ventrigl.*loc. cit.n.* 18.

4. Secundò, ut neque procedant præmissa, dum sermo est de pensione reservata pro ministerio aliquo temporali compatibili cum matrimonio, v. g. pro custodienda Ecclesia.Lott.*n.*50.Ventrigl.*n.*17. citans Garc.*p.*1.*c.*5. *n.*105.

5. Tertiò,ut non extinguatur pensio Clericalis per contractum matrimonium, si cum tali Clerico; ut pensionem clericalem retinere valeat , etiamsi matrimonium contraheret , fuit per Papam dispensatum, intellige antecedenter & præventivè, dum nimirum(utpote nunquam solitus,aut volens dispensare super retentione,vel capacitate pensionis cum Clerico in matrimonio futuro , præterquam ex suppositione,continuatione status Ecclesiasticitatis, ne pusilli ignorantes scandelizentur. Lott.*l.*1.*q.*40.*n.* 198.)vel præservat Clericatum illæsum,non obstante conjugio futuro,aut etiam bigamiâ,quantumcunque reiterandâ,suspendendo, seu avertendo omnes effectus juris. Lott. *loc. cit. n.* 199.juxta dicta ex eodem suprà. Vel ex suppositione jam elisi Clericatûs ; conservat tamen personæ dispensatæ(nimirum etiam antecedenter seu præventivè) eundem statum Ecclesiasticitatis, aut persistentiam in famulatu Ecclesiæ, v.g. in milite Lauretano,aut in militia aliqua regulari, quæ matrimonium permittit.Lott.*cit.n.*199.adeóque dum hoc secundo modo dispensans inscribit dispensato literas tanquam Clerico, qualitas illa stet tantùm demonstrativè; cùm, ut dictum,ex suppositione Clericatûs jam elisi præservat eundem statum Ecclesiasticitatis.Lott.*n.* 203. restringit autem, dum hoc secundo modo dispensat, ferè gratiam suam

ad casum futuri ingressûs in talem aliquam militiam tolerantem matrimonium, Lott. *cit. n.* 203. siquidem Pius V. in Constitut. sua superiùs memorata, ut Lott. *n.* 205. revocavit indulta omnia & privilegia concessa similibus militiis, puta S. Jacobi de Alcantara, de Calatrava, S. Stephani, S. Lazari &c. quò ad habendas retinendásque pensiones, ità ut earum milites seu fratres, sive conjugati, sive clerici, sive etiam presbyteri, nullas deinceps recipere possint pensiones Ecclesiasticas, & eas solùm, quas habebant, retinere, sine facultate illas transferendi: alias verò privatas dispensationes, & gratias retinendi pensiones militibus seu fratribus quarumcunque militiarum similium, aut hospitalium ità moderatus est, ut vi earum soli tales milites non conjugati, aut bigami novas recipere, & antiquas retinere possent, & quam primùm nupserint, etiam unicæ, & virgini, eas amittant sine facultate transferendi Lott. *cit. n.* 205. *junctis n.* 206. & 207. dum itaque Papa dispensat cum aliquo, ut professus talem militiam retinere non solùm possit pensionem in statu talis militiæ (quod facillimè facit. Lott. *n.* 209.) sed etiam ut id possit, casu quo contraxerit matrimonium (dum enim hi milites ut plurimùm utuntur matrimonio, solet non solùm Papa contra statum hunc militarem, sed & contra matrimonium in eo futurum dispensare quò ad capiendas, & retinendas pensiones. Lott. *n.* 210.) id intelligitur de primo matrimonio, ità ut si talis dispensatus matrimonium iteret, mox pensio ab eo habita extinguatur, Lott. *n.* 208. Ventrigl. *loc. cit. n.* 20. Gonz. *gl.* 11. *n.* 83. juxta Rotam *in Placen. pens.* 21. *Novemb.* 1596. Loquuntúrque Ventrigl. & Gonz. absolutè, præscindendo à talibus militibus, nimirum facultatem retinendi pensionem contracto matrimonio, intelligi de contracto primo matrimonio, nisi aliud exprimatur; sicuti dispensationem & gratiam illam concessam dictis militibus solere ampliari, etiamsi sæpe matrimonium reiterent per hanc clausulam: *etiamsi contigerit te ad secunda, & alia plura vota transire*: testatur Lott. *n.* 211. qui etiam juxta decis. Rotæ, quam citat, *in Cæsar-august. pens.* 18. *Jun* 1610. tradit, quòd, licèt sine hac clausula per dictam dispensationem evitetur extinctio pensionis ex bigamia interpretativa ex unico matrimonio contracta (quod idem dicere velle videtur Ventrigl. dum *n.* 19. ait: si dispensatum à Papa, etiamsi contraheret matrimonium cum quacunque muliere, censetur dispensatum, etiamsi contraheret cum corrupta; inde enim nascitur bigamia interpretativa) non tamen evitaretur hæc extinctio ex hac vera bigamia propter reiterationem matrimonii. Et *n.* 213. concludit, quòd quoties Papa cum Clerico dispensat ad effectum capiendi retinendi que pensiones, non tantùm quò ad assumendum statum talis militiæ regularis, sed & in matrimonio; quin & in eo reiterando, si opùs sit, in omnibus hisce gradibus dispensationis derogare dictæ Cõstitutioni Pianæ juxta dicta à se. *n.* 192. Porrò, dum in tali dispensatione Papa semper præservare intendat, tam jus singulare, seu statuta specialia, vel etiam privilegia cujusque talis militiæ (quibus v. g. vetatur, non quidem matrimonium, sed matrimonium initum sine consensu magni Magistri talis Ordinis; vel initum cum vidua, vel iteratum) quàm jus commune concernens impedimenta dirimentia matrimonii, adjiciendo nimirum binas has clausulas: *ac etiam matrimonium juxta statuta & stabilimenta dicta militiæ, quam te profiteri contigerit, aut privilegia apostolica eidem militiæ concessa &c.* & alteram: *cum quavis muliere, nullo tamen jure tibi prohibita &c.* Dum inquam hac ratione coarctat dispensationem Papa, si talis contra statuta ordinis sui de facto tale matrimonium qualificatum ineat, evanesceret dispensatio, & consequenter intraret extinctio pensionis saltem in eo casu, dum jus speciale, seu statutum talis militiæ non tantùm prohibet tale qualificatum matrimonium, v. g. iteratum, vel cum vidua; sed etiam contrahentem illud exuit omnibus privilegiis militaribus. Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 10. *n.* 7. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 1. Lott. *loc. c. n.* 221. *junctis aliquot num. anteced.* An verò idem sit, ubi statuta illa id solùm prohibent, non verò eundem privant privilegiis talis militiæ? negat Castrop. cum Azor. Lott. *à n.* 221. fusè pro, & contra disputat, quem vide. Illud indubitatum, non suffragari dispensationem hanc, si contrahat de facto cum consanguinea, vel affine in gradu prohibito, Ventrigl. *cit. n.* 19.

6. Denique notandum, responsionem principalem non procedere, dum agitur de pensione laicali, reservata pro servitio aliquo præstito, aut præstando, compatibili cum matrimonio. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 50. Ventrigl. *loc. cit. n.* 17. citans Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 105. Beltram &c.

Quæstio 646. *An extinguatur pensio, si pensionarius, qui obtinuit facultatem eam retinendi contracto matrimonio post professionem, in dicto tali aliquo ordine militari emitteret professionem illam ante annum 16. ætatis, vel antequam novitiatum explesset, & ita contraheret matrimonium?*

REspondeo negativè: siquidem talis Professio non est nulla, sed valida. Tridentinum enim *sess.* 25. *c.* 15. *de regular.* annullans talem professionem, hos milites strictè non religiosos non comprehendit, cùm loquatur de religiosis communem vitam degentibus, & veram paupertatem, & castitatè voventibus. Castrop. *loc. cit n.* 4 citans Sanch. *de matrim. d.* 44. *n.* 4. Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 1. Paris. *l.* 6. *q.* 2. *n.* 115.

Quæstio 647. *An habens facultatem retinendi pensionem determinato tempore post contractum matrimonium, v. g. ad annum, ante annum illum elapsum suscipiat officium, seu ingrediatur ordinem talis militiæ, cui conceditur facultas retinendi pensionem, possit pensionem illam retinere, ac si nullum matrimonium contraxisset?*

REspondet Castrop. *cit.* §. 10. *n.* 6. Rotam id negare *in Roman. pens.* 13. *Martii.* 1609. eò quod privilegium talis militiæ sit retinendi pensionem matrimonio contracto, quo retineri ea poterat ante susceptam talem militiam; sed tunc tantùm unico anno poterat eam retinere. Sibi verò videri probabilius contrarium, nempe quòd possit retinere illam ultra illum annum, & deinceps in perpetuum; eò quòd pensio illa primitus fuerit concessa non pro limitato tempore, sed absolutè; cúmque extingui deberet contracto matrimonio, ea extinctio suspensa fuerit per facultatem pro uno anno post matrimonium concessam, adeóque, si intret militiam, cui concessa pensionum prorogatio non obstante matrimonio, prorogetur quoq; illius su-

suspensio; cùm superveniens militia impediat extinctionem, quam matrimonium causare debebat, ficuti si post assumptam militiam matrimonium contraheretur. citat pro hac sententia sua Garciam.

Quæstio 648. *An per ingressum in Religionem, vel per Professionem religiosam extinguatur pensio?*

1. REspondeo: Per professionem religiosam extinguitur pensio clericalis, quam quis ante illam habebat super beneficio seculari. Ventrigl. *to. 2. annot. 21.* § 3. *n. 22.* Card. de Luc. *de pens. d. 44. n. 2.* Tond. *qq. benef. p. 3. c. 196. n. 9.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11.* §. 10. *n. 8.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 114.* (qui duo postremi id quoque extendunt ad professionem tacitam) contra Rebuff. *de Pacif. poss. n. 157.* dum is voluisse videtur, quòd pensio durante vitâ Regularis debeatur monasterio pro alimento religiosi, quod Tond. *loc. cit. n. 12.* ait, intelligendum de pensione temporali data in stipêdum pro aliquo ministerio, aut servitio Ecclesiæ præstito, aut præstando, cujus servitii capax sit religiosus. De cetero

2. Ampliatur responsio primò; ut procedat etiam quò ad professionem factam in Ordine religioso militari. Tond. *loc. c. n. 15.* Castrop. *loc. cit.* loquentes expresè de religioso Ordinis S. Joannis Hierosolymitani. Ventrigl. *loc. cit.* Conrad. *pr. benef. l. 6. c. 1. n. 29.* ponens formam dispensationis, quâ egent tales milites religiosi. contra Sanch. *in decalog. l. 7. c. 29. n. 103.* apud eund. Tond. De militibus verò regularibus non propriè religiosis, quia contrahere possunt matrimonium, dictum satis *quæst. præced.*

3. Limitatur è contra responsio primò, ut non procedat de religiosis societatis Jesu, hi enim sicut bona alia retinere possunt post emissa absoluto novitiatu vota simplicia (per quæ efficiuntur non minùs verè religiosi, quàm Professi) ita etiam pensiones ecclesiasticas præhabitas. Ventrigl. *loc. cit. n. 23.* Castrop. *loc. c.* hisce expressis: *rectè advertit Sanch. in decalog. l. 7. c. 29. n. 10. per vota biennii facta à religioso societatis Jesu non vacare pensiones, sed eas possidere posse, interim dũ professionẽ, vel vota coadjutorum formatorum emittunt.* Et sic expresè habetur *in Epitome Instituti Societatis. p. 1. c. 6. §. 5. §. 3. tempus, quo permittitur bonorum possessio, est quadriennium, in cujus prorogatione nulli, præterquam Generali dispensare licet; pensiones tamen Ecclesiasticæ similiaque generum horum, quæ verè personalia sunt, & super nostrorum personis constituuntur, quibus absolutè, & in solidum abdicare se nostros non expedit, Patris nostri judicio distribuenda erunt, ita ut nulla talium administratio apud illos maneat &c.* Desumpta sunt hæc verbotenus ex *Decreto 17. Congregat. general. 7. §. 4.* unde jam aliter hac in parte loquendum de pensionibus religiosorum Societatis Jesu, quàm de eorundem beneficiis, & non inferendum à beneficiis ad pensiones (uti perperam facit Tond. *loc. cit. n. 22.* dicens, id probari à Sanch. *in decalog. loc. cit. n. 101.* nimirum, quòd, sicut retinere nequeunt beneficia, ità nec pensiones, uti & è contra Ventrigl. dicens, posse illos retinere beneficia, & pensiones) si quidem circa beneficia ecclesiastica, quæ nostri ante ingressum in Societatem habent, statuitur *decreto 5. Congregat. general. 5.* ut finito probationis biennio, priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, ea omnino resignent, non obstante Canone 1. *Congregat. 1.*

4. Limitatur secundò responsio, ut non extinguatur pensio, si ex tenore literarum constaret, talem fuisse mentem Papæ, ut pensio non obstante professione deberetur, Tond. *loc. cit. n. 13.* qui etiam *n. 14.* subjungit ex Conrad. *pr. dispens. Apost. l. 6. c. 1. n. 37.* quòd Papa in talibus dispensationibus, quæ conceduntur religiosis professis, concedere soleat pensiones sub titulo administrationis, & sub potestate sui Superioris. Item addit *n. 16.* ex eod. Conrad. *loc. cit. n. 38.* quòd, si religiosus dispensatus ad beneficium sæculare illud dein resignet cum reservatione pensionis, non egeat novâ dispensatione ad obtinendam pensionem; cùm ea pensio subrogetur loco beneficii resignati, licèt dicat Conrad, Officiales Romanæ curiæ tenere, quòd egeat novâ dispensatione.

Quæstio 649. *An, & qualiter extinguatur pensio per promotionem ad Papatum?*

REspondeo negativè, seu per assumptionem pensionarii ad Papatum non extingui pensionem ab eo habitam. Lott. *l. 1. q. 41. n. 1.* Ventrigl. *to. 2. annot. 11.* §. 3. *n. 36.* Conrad. *pr. benef. l. 5. c. 4. n. 15.* contra Gabriel. *cons. 200. n. 2. l. 2.* Hojedum *de incompat. p. 1. c. 1. n. 12.* quibus inhærent Garc. *p. 1. c. 5. n. 113.* Paris. *l. 2. q. 1. n. 9.* (qui etiam dicit, hanc suam opinionem esse communem) Gratian. *discep. for. c. 269. à n. 13.* & alios passim, quorum sententiam non esse in praxi receptam asserit Conrad. *loc. cit.* Responsionem probat Lott. evertendo bina fundamenta, quibus nititur Gabrieli: nimirum quòd sicut per assumptionem ad Episcopatum exspirat pensio; & quòd cessante causâ reservatæ pensionis, quæ est sustentatio pensionarii, cesset pensio. Ad primum enim dicit Lott. *loc. cit. n. 7.* quòd de jure communi non extinguatur pensio per assumptionem ad Episcopatum, de quo paulò pòst; & ut ait *n. 10.* dato hoc, non procederet adhuc illatio ad assumptionem ad Papatum, cùm nequeat esse lex ulla scripta Dei Vicario; & licèt Princeps profiteatur, si velle vivere secundum leges. *l. digna vox. c. de ll.* id tamen ad rem non facit; cùm hìc quæratur, an extinguatur pensio ipso jure ex facto promotionis ad Papatum, quod necessariò supponit coactionem ex parte legis; si enim accedat voluntas ipsius Papæ habentis pensionem suam pro extincta, resultabit quidem extinctio ex voluntate ipsius; at non ex ministerio legis eum cogentis, pro quo citat D. Tho. *1. 2. q. 96. a 5. ad 3.* Felin. *in c. 1. n. 25. de constitut.* Ad secundum ait *n. 1. juncto n. 11.* id factum esse, quòd cessante causâ illâ extrinsecâ rei res jam constituta in esse pereat, & quòd cessante dictâ causâ finali alimentationis, tum demum cesset reservatio pensionis, si dicta causa cesset, seu non sit tempore ipsius concessionis gratiæ pensionis, ità ut exinde causetur error in concedente, & mentis seu voluntatis defectus. Confirmat eandem responsionem Lott. *n. 14.* ipso facto summorum Pontificum juris prudentissimorum, qui pensiones vel exegerunt per totum Pontificatum, vel eas in personas sibi bene visas transtulerunt, quod non fecissent, si vel suspicati essent, id aliquo modo contra jus, aut rationem esse, quod satis fuit indicasse suis successoribus, dum Principes non imponunt leges suis successoribus, sed exempla, juxta *cit. l. digna vox. & ibi gl. v. indicamus.*

Quæstio

Quæstio 650. *An extinguatur pensio per assumptionem pensionarii ad Cardinalatum?*

REspondeo negativè. Card. de Luc. *de pens. d.* 75. *n.* 4. dicens, hodiedum cessare omnem super hoc difficultatem ob Constitut. Sixti V. 79. de qua etiam Tond. *tr. de pens. c.* 79. *n.* 29. quâ declaratur, per promotionem ad Cardinalatum censeri vacare solùm ea, quæ Cardinalitiæ dignitati repugnare videntur, ut sunt Canonicatus, & dignitates, aliáque beneficia residentialia, servitium personale in choro, vel Ecclesia annexum habentia, non autem simplicia, & consequenter multò minus pensiones. Sic quoque consuetudinem esse, ut promoti ad Cardinalatum, exceptis officiis (intellige, vacabilibus Romanæ curiæ, quæ dum excipit Urbanus VIII. in Constitutione sua, firmat regulam in non exceptis, adeóque retentionem reliquorum. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 8.) nihil amittant de beneficiis, & pensionibus, imò nec de Episcopatibus, & aliis, quæ jam obtinebant, ait idem Card. *loc. cit. n.* 9. ex Paris. *de resign. l.* 3. *q.* 1. *n.* 67. *& seq.* qui quamvis *ibi* dicat, introductum consuetudine, ut Papa ferè in omnibus promotionibus concedat retentionem obtentorum promotis ad Cardinalatum; Card. tamen De Luc. *loc. cit. n.* 8. tradit, hanc retentionem pensionis eis competere independenter ab indulto aliis concedi solito retinendi incompatibilia, sive tale indultum speciale ad hanc retentionem non requiri.

Quæstio 651. *An, & qualiter extinguatur pensio per promotionem ad Episcopatum?*

1. REspondeo extingui in hoc casu pensiones, tenent communiter omnes. Card. de Luc. *de pens. d.* 75. *n.* 2. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *n.* 32. Verùm, quantùm est de jure communi, non extingui per hoc pensiones, sed solùm ex stylo Curiæ, in vim cujusdam *Extrav. Iulii* II. quam anno 1520. Leo X. expressiùs innovavit Constitutione suâ, quæ est in Bullario 36. decernendo, pensiones hujusmodi extingui, nisi in ipsamet cedula consistoriali desuper fuerit dispensatum. Quam Leonis Constitutionem confirmavit Clemens VII. Anno 1524. Constitutione suâ 8. Hinc cessante hoc jure singulari, nulla est incompatibilitas inter Episcopatum, & pensiones. Card. de Luc. *de pens. d.* 43. *n.* 2. *d.* 58. *n.* 11. Lott. *l.* 1. *q.* 41. *n.* 7. 8. *&* 9. citans Hojed. *de incomp. p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *&* 5. Valenzuel. *cons.* 51. *n.* 41. & Rotam *decis.* 454. *n.* 9. *p.* 1. *Diverf.* contra Gig. *de pens. q.* 56. Ferret *cons.* 53. *n.* 4. Verall. *decis.* 303. *n.* 1. *&* 2. *p.* 2. Gabr. *cons.* 200. *l.* 2. Quibus inhæret Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 111. dicens ex eod. Gabriele, sic stylum inveteratum habere, qui facit jus. Item Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 10. *n.* 7. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 102. Quos Lotterius ait, moveri falsâ imaginatione, dum æquiparant, & ideo confundunt pensiones cum beneficiis simplicibus, de quibus tantùm loquitur textus *c. cum in cunctis. de Elect.* ut expressè facit Castrop. *loc. cit.* dum ait: extinguitur pensio per promotionem ad Episcopatum, quia per hujusmodi promotionem beneficia vacant. De cetero

2. Limitatur responsio primò: ità ut neque de jure communi, neque vi dictarum Constitutionum hæc extinctio pensionum se extendat ad Episcopos solùm titulares in partibus Infidelium, dum eorum Episcopatuum possessio, & administratio non obtinetur. Card. de Luc. *de pens. d.* 43. *n.* 2 *& d.* 75. *n.* 2. Sic quoque non extingui pensionem per adeptionem unius ex sex illis Episcopatibus Romæ vicinis, seu Cardinalitiis, utpote annexis ipsi Cardinalatui cum qualitate ancianitatis, & optabilitatis, utpote qui, dum non obligant ad residentiam (ut ultra plurium sæculorum observantiam à à Congregatione ad hoc specialiter deputata ab Alexand. VII. declaratum) sicut compatibiles sunt cum alio Episcopatu actuali, beneficiis, & Commendis monasteriorum, ità multo magis cum pensionibus, tradit Card. de Luc. *de pens. d.* 58. *n.* 10. *&* 11. Hinc

3. Limitatur secundò: ut etiam in Episcopatibus actualem administrationem habentibus, ad hoc, ut extinguatur pensio, non sufficiat sola promotio, nisi concurrat consecratio, & adeptio possessionis; quia spectatur quò ad hoc magis effectus, quàm ipsa dignitas. Card. de Luc. *cit. d.* 43. *n.* 2. Ventrigl. *loc. cit. n.* 32. citans pro hoc Gratian. *discep. for. c.* 296. *n.* 1. *& seq.* quamvis velint alii apud eundem Ventrigl. quòd vacent pensiones priùs post consecrationem susceptam ante trimestre datum ad eam suscipiendam, vel post trimestre illud, etiam non suscepta consecratione. De quo vide dicta suprà, ubi de vacatione beneficiorum per promotionem ad Episcopatum, & huc applica.

4. Limitatur tertio: nisi accedat indultum super retentione pensionum. Card. de Luc. *de pens. d.* 75. *n.* 2. Ventrigl. *loc. cit. n.* 33. Quod tamen indultum non suffragatur pro translatione pensionis, sive non intelligitur cum facultate translationis (etiam dum hæc facultas tali promoto competebat ante promotionem, ut expresè Ventrigl.) nisi fuerit specialiter expressa; cùm translatio, utpote magis odiosa, quàm retentio, speciali notâ sit digna. Ventrigl. *loc. cit. n.* 33. Card. de Luc. *cit. d.* 75. *n.* 3.

Quæstio 652. *An extinguatur pensio per promotionem ad Abbatiam?*

REspondeo: De Abbatia adepta, per quam priora beneficia vacant, idem, quod de promotione ad Episcopatum circa extinctionem pensionum, sentiunt Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 112. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 2. Sanch *in decalog. l.* 7. *c.* 29. *n.* 2. *&* 8. Gig. *q.* 57. Gabr. *cons.* 200. *l.* 2. apud Castrop. *loc. cit. n.* 8. quamvis, ut Garc. id durum videatur Hojedæ de incomp.

Quæstio 653. *An extinguatur pensio promoti per non expeditionem literarum super retentione pensionis. Item an ea extinguatur, dum super ipsa reservatione pensionis non fuerunt expeditæ literæ?*

1. REspondeo ad primum: teneri promotum expedire literas Apostolicas super gratia retentionis pensionis cum Episcopatu, juxta quod Constitutum à Sixto IV. & Julio II. pro ut refertur in Constitutione Leonis X. & Clem. VII. supra citatis, ità ut si promotus expeditis literis promotionis capiat possessionem Ecclesiæ, non expeditis literis super gratia retentionis pensionis, extinguatur pensio, tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 34. Lott. *l.* 1. *q.* 37. *n.* 14. *&* 15. Quòdsi autem promotus impetravit Breve de capienda possessione Ecclesiæ ante expeditionem literarum promotionis, cum decreto annullativo promotionis, nisi infra tot menses

menses dictas literas expedierit, in vi hujus Brevis possessionem acceperit, non tenetur sub pœna extinctionis pensionis literas expedire supra gratia retentionis, nisi unà cum ipsis literis principalibus super promotione. Ventrigl. *cit. nu.* 34. Lott. *cit. q.* 37. *à n.* 8. Non tamen tenetur expedire literas super retentione pensionis, qui permutavit Episcopatum; cùm ista obligatio locum non habeat in permutationibus Episcopatuum. Ventrigl. *n.* 35. Lott. *à n.* 24.

2. Respondeo ad secundòm: Indubitatum esse, extingui pensionem, dum pensionarius ante expeditionem literarum exegit pensionem, ob decretum annullativum, adjungi solitum in concessione pensionis. Card. de Luc. *de pens. d.* 71. *nu.* 1. juxta dicta à nobis suprà. Verumtamen, an pariter extinguatur pensio ob aliud decretum annullativum, adjungi quoque solitum, si literæ super reservatione pensionis non expedirentur intra 6. menses, subdubitat, & in utramque partem rationes affert idem Card. *cit. d.* 71. Nam etsi ex hujusmodi decretorum non implemento, seu contravention resultet irritatio gratiæ juxta communem, & plures Rotæ decisiones, & in specie juxta Tond. *in tr. de pens. c.* 37. *in fine.* apud Card. de Luc. *loc. cit. n.* 2. Verumtamen, cùm hujusmodi decreta super expeditione literarum non adjiciantur pro substantia, & perfectione gratiæ, sed pro interesse Officialium, ob emolumenta ipsis à talibus expeditionibus resultantia, poterunt tales Officiales, & Interessati, in quorum gratiam dictus terminus 6. mensium isti expeditioni præfixus est, renunciare juri suo, dictúmque terminum prorogare, pro ut habere dicitur stylus Datariæ, & Cancellariæ. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 3. Pro cujus styli subsistentia servire posse hanc non incongruam rationem; nimirum, quòd etiam contra Apostolicas Constitutiones, quarum vis non pendet à populorum usu, detur tamen non usus in Curia ob Papæ tolerantiam, ait. Card. de Luc. *ibid. n.* 6. Et quamvis de hoc ipso principaliter disputando in contrarium respondere deberet, posse tamen à pensionario, qui neglexit expedire dictas literas, adduci saltem in excusationem sufficientem pro evitanda extinctione ex recepta propositione: quod consuetudo, quamvis mala, & quæ reprobari meretur, in pœnalibus excuset juxta plenè deducta per Farinac. *q.* 95. Berojum, *cons.* 190. *l.* 3. Vermigl. *cons.* 159. *n.* 40. ait Cardin. de Luc. *loc. cit. n.* 7.

3. In contrarium verò facit regula communis, quòd Cancellariæ Officiales alterare non possint decreta Apostolica, vel substantiâ gratiæ, & quòd præmissa potiùs procedant, ubi agitur de incurrendo privationem beneficii jam obtenti, quod imponat pœnam formalem exigens delictum positivum cum dolo, & culpa inexcusabili, ita ut ad illam privationem evitandam sufficiat quælibet excusatio; secus autem sit ad effectum præsentis controversiæ super reservatione pensionis, ut illa exigi possit; cùm ita non adimplendo decretum, sit potiùs non adimplere conditionem emolumenti obtinendi, seu juris quærendi, ad quem effectum sufficiat ipsum non adimplementum de facto. Card. de Luc. *num.* 4. *&* 5. Unde consideratis hisce, ait idem, se reflectendo ad veritatem, maturum efformare desuper judicium adhuc non potuisse, sed exspectari Rotæ judicium, præsertim, cùm dicti Officiales Cancellariæ, & Expeditores vehementer instarent super dicti styli, quem esse certum, & notorium supponebant, observantia.

Quæstio 654. *An pensio extinguatur, dum Pensionarius assequitur beneficium gravatum pensione, vel aliud beneficium?*

1. Respondeo ad primum: Extingui pensionem in hoc casu, censet Castrop. *de benef. d.* 1. *p.* 11. §. 10. *n.* 13. eò quòd tunc cesset jus percipiendi ex alieno beneficio, sicut cessat ususfructus proprietate rei acquisita. *l. si tibi fundi. ff. quibus modis extinguatur ususfructus.* Dicit autem, non sufficere, ut pensionarius beneficium obtineat (intellige, de facto tantùm, sicut non sufficit ad amittendum, quòd usufructuario legetur proprietas ejusdem fundi, si proprietas hæc ad alium, quàm legantem pertinebat. Econtra Azor. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 7. sentire videtur, non extingui in hoc casu pensionem; eò quòd, si extingueretur, nunquam reviviscceret sine auctoritate Superioris de novo eam reservantis; sed potiùs dicendam consolidari cum beneficio, ut usus-fructus solet quandoque cum proprietate confundi, ita ut tunc quamdiu consolidata est, sopita tantùm, & non extincta censeatur; unde si pensionarius ille privaretur suo beneficio, in quo constituta pensio, remaneat tamen illi pensio, seu jus, & potestas petendi pensionem à possessore illius beneficii. Quòd si jam pensionarius iste adeptus illud beneficium, dimittat illud denuo, remansuram illi pensionem eidem beneficio impositam, si necessitate compulsus faciat illam dimissionem; eò quòd alius, qui in eo jus prætendebat, intentatâ lite illud evicit, astruit idem Azor ex Gig. *de pens. q.* 49. Quemadmodum contingit in usufructuario. *l. Dominus. ff. de usuf. & quemadmodum quis utatur*, ubi dicitur: Si usufructuario fundi proprietas per dominum legata fuerit, & demum usufructuarius illam fuit coactus restituere, tanquam ad alium pertinentem, videlicet ad eum, qui egit querelâ inofficiosi testamenti, & obtinuit; tunc ususfructus manet apud restituentem proprietatem, apud quem priùs fuerat &c. admittet hoc ipsum facilè Castrop. dum rectè dicit, non extingui pensionem per obtentionem istius beneficii, dum hæc est obtentio de facto tantùm, & non de jure. Econtra, ut idem Azor ex eod. Gig. dum talis (utpote habens verum jus in illo beneficio) dimittit illud liberè, seu sua sponte, non remanebit dimittenti pensio (intellige, nisi de novo illa ei conferatur) sed extinguitur illa; quemadmodum de usufructu dicitur *in l. cum filius. ff. de legatis.* ubi si dominus fundi, cujus ususfructus erat alterius, illum usumfructuarium suum universalem hæredem instituat, & illum fundum Titio leget, hæres usufructu non retento legatario consignare debet.

2. Respondeo ad secundum: Pensionario obtinente aliquod beneficium, non extingui præhabitam ab eo pensionem alteri cuidam beneficio impositam, quia pensio est compatibilis; cùm jura non prohibeant habere simul pensionem cum beneficio, tradit Azor. *cit. loc. q.* 8. citans Gig. *de pens. q.* 50. Verumtamen vide dicta suprà, ubi de incompatibilitate desumpta ex jure naturæ plurium beneficiorũ inter se, vel pensionum inter se, vel pensionum cum beneficio, dum pensio sola, vel solum beneficium sufficiens est ad congruam sustentationem.

Quæstio

Quæstio 655. An cessante necessitate pensionarii, cesset pensio. Item an cesset pensio reservata in favorem alicujus Collegii pro fundatione, ubi illi supervenit congrua provisio?

1. REspondeo ad primum: Loquendo de pensione propriè tali, seu imposita per Papam; etiamsi causa alimentorum in, vel ob quam fuit reservata ob quascunque partas pensionario divitias evanescat, pensionem tamen minimè extingui; eò quòd tunc demum extinguatur, si vel materia illius (quales sunt fructus beneficii, super quibus imposita pensio, & in quos actio realis dirigitur. Lott. *l.* 1. *q.* 41. *n.* 14.) pereat, vel reservatur ejus forma (qualis, ut Lott. *ibidem* est concursus ille consensûs titularis, & voluntas Papæ) cùm hæ sint causæ intrinsecæ, & essendi; illa autem causa alimentorum sit causa extrinseca seu finalis, réque non pereat, pereunte hac causâ extrinsecâ, sed illis intrinsecis. Lott. *loc. cit. n.* 1. citans Bald. *in proœm. decretal. rex pacificus. n.* 51. Quid verò sit ex alio capite, nempe incompatibilitatis, dum cessat illa causa alimentorum ex obveniente eidem pensionario beneficio ad honestam illius sustentationem sufficiente, resolvendum ex dictis suprà. *loc. cit. q. præced. in fine.* Quòd, si etiam sermo est pensione minùs propriè tali, quam Episcopus imponere potest ipsi personæ beneficiati expirantem cum ejus vita ad sustentationem alicujus pauperis scholaris, illam extingui seu cessare cessante illâ necessitate, probabilius sibi videri ait Card. de Luc. *de pens. d.* 40. *n.* 6.

2. Respondeo ad secundum: Neque in eo casu extingui seu cessare pensionem, dum in reservatione id specialiter expressum non esset, sed absolutè, & simpliciter imposita pensio pro fundatione talis Collegii. Siquidem de potestate Papæ absoluta gravandi Ecclesias, etiam perpetuis pensionibus dubitandum non est; voluntas autem illius super hoc in præsente casu est clara, dum aliud non exprimitur. Card. de Luc. *de pens. d.* 77. *per tot. præcipuè nu.* 4. De cetero, dum indicta fortè contributio per Papam Clero de beneficiis pro sustentatione Seminarii, eam contributionem cessare, cessante dictâ necessitate, libenter admittit idem Card. *cit. loc. nu.* 5. Verùm illa contributio, ut ille ait, longè quid diversum est à pensione imposita super certo beneficio simpliciter, ac perpetuò.

Quæstio 656. An extinguatur pensio, dum mutatur, vel alteratur beneficium, cui imposita, v. g. dum Ecclesia, cui imposita pensio, de simplice fit Parochialis, vel Collegiata, vel etiam de Regulari, vel sæculari Collegiata fit Cathedralis?

REspondeo negativè. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 1. Card. de Luc. *de pens. d.* 67. *n.* 3. citans Conrad. *in pr. benef. l.* 2. *c.* 15. *n.* 101. &c. eò quòd hujusmodi immutationes statûs, quoties expresè contrarium non disponitur, non præjudicent juribus tertii cum ipsa immutatione compatibilibus juxta regulam, de jure tertii non tollendo. Card. de Luc. *loc. cit.* Et id, quod Papa in reservatione pensionis contemplatur, sunt solummodò fructus beneficii, eorúmque quantitas, non verò duratio illius qualitatis, quam tunc habebat beneficium; dum autem illud, quod Papa contemplabatur, perseverat in suo esse, parum refert, quòd in alio contingat alteratio. Lott. *loc. cit.* qui etiam *n.* 2. idipsum confirmat ex eo, quòd, dum Parochialis, ex qua quis percipiebat partem funeralium ex privilegio, erigitur in Collegiatam, inde non sequatur amissio dicti privilegii, sed potiùs illud præservetur, pro quo postremo citat *decis. unic. n.* 3. *de sepult. in antiq.*

Quæstio 657. An pensio reservata alicui habenti certam qualitatem expiret cessante dictâ qualitate?

1. REspondeo primò: Dum ea qualitas non est causa concessionis pensionis, cessante dein ex intervallo illâ qualitate, non semper expirat pensio. Card. de Luc. *de pens. d.* 2. *nu.* 3. ostendens id in milite Lauretano ex privilegio illi militiæ concesso, capaci pensionis, non obstante statu sæculari, etiam matrimoniali: dum enim tali non Clerico reservatur pensio (non solita aliàs reservari nisi Clericis, vel talem militiam habentibus) cum expressione seu narratione, quòd reservatarius esset miles Lauretanus, habente seu supplente hac qualitate talis militiæ in hoccasu vicem Clericatûs, pensio non cessaret cessante dictâ militiâ, dum interea iste pensionarius Clericatum suscepisset; hoc enim suscepto opùs non erat, qualitatem illam aliam perdurare; cùm ea non esset principalis, & finalis causa reservationis, sed solùm enunciabatur pro habilitatione, eo modo, quo enunciari solet Clericatus.

2. Respondeo secundò: Quin etiam, si talis qualitas fuisset causa concessionis pensionis, ea adhuc non cessaret, cessante illâ qualitate; quia adhuc non foret causa durationis istius concessionis, ex eo, quòd cessante causâ, non statim cesset effectus consummatus, & semel perfectè in esse deductus, sítque magnum discrimen inter causas fiendi, & causas essendi, ut dictum *quæst. ante hanc* 2. & in illis causis fiendi non consideretur earum perseverantia; sed sufficiat pro eo tempore, quo actus factus est, eam fuisse. Card. de Luc. *loc. cit. num.* 3. exemplificans idipsum *n. seq.* casu pensionum reservatarum ad favorem Cardinalis, in quibus probabiliter dici potest, reservationem principaliter factam intuitu dignitatis hujus, nempe ad illius decorem sustinendum; & tamen, si talis, absque eo, quòd matrimonium contrahat, aut statum alium incompatibilem assumeret, dimitteret Cardinalatum, remanendo Clericus, aut in alio statu capaci pensionum, non per hoc amitteret pensionem præhabitam, eò quòd dignitas illa Cardinalitia fuit causa fiendi, ideóque non remaneat causa præcisa essendi.

Quæstio 658. An, & qualiter cesset pensio per mortem Papæ eam concedentis, præsertim, dum concessio pensionis conditionata est, & moritur Papa, eam concedens, dicta conditione adhuc pendente, seu necdum impleta?

1. REspondeo primò: Dum reservatio pensionis semel est in esse deducta, seu simpliciter, & absolutè concessa, moriente dein Papâ, qui eam concessit, non extinguitur. Lott. *l.* 1. *q.* 41. *nu.* 1. cum communi.

2. Respondeo secundò: Dum quidem ipsa gratia reservationis necdum est in esse deducta, concessa

cessa tamen est alicui gratia, per quam committitur assignatio, seu reservatio certæ pensionis in partibus, hujusmodi gratia non exspirat morte Papæ concedentis, re adhuc integrâ, seu dictâ commissione necdum executâ; sed Executor seu Commissarius poterit ad illius executionem procedere; quia in isto casu gratia de pensione est jam facta per Papam, licèt illius reservationem Executori in partibus committat. Garc. *p. 6. c. 2. num. 309.* citans Gig. *de pens. q. 91.* Guttier. *qq. Can. l. 2. c. 17. nu. 5.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 28. n. 88.* &c. Quemadmodum, ut tenent iidem AA. gratia, seu mandatum de providendo in forma *dignum*, nullo modo exspirat morte Papæ concedentis, re integrâ; sed adhuc potest Executor ad illius executionem procedere; eò quòd, ubi mandatur provideri certæ personæ de beneficio certo vacante, gratia dicitur facta, ex quo saltem habet jus ad illud. Garc. *loc. cit. n. 300.* Si verò committatur assignatio pensionis incertæ, nempe quantitatis, quæ videbitur Executori, exspiraret juxta *c. si cui nulla. de præb. in 6.* quia tunc non esset gratia facta, ex quo non est de re certa, & determinata, sed facienda. Garc. *loc. cit. n. 310.* Quemadmodum etiam contingit, ubi mandatum, provideri certæ personæ de incerto beneficio vacaturo. Garc. *n. 301.* citans Gonz. *gl. 12. nu. 42.* Cuchum. *in institut. major. l. 1. tit. 7. nu. 50.* Sed & videtur quoque applicandum præsenti materiæ de pensione, quod tradit Garc. *cit. loc. n. 305.* juxta Rotam *in Callagurit. exspectativæ. 1. Jul. 1592.* nimirum, quòd gratia ad beneficium vacaturum incertum non exspiret morte Papæ ante vacationem, etiam re integrâ, quando Papa non committeret Executori provisionem, sed ipse confert ex nunc prout ex tunc; eò quòd tunc gratia sit facta. Item quod tradit *n. 304.* citatis Sanch. Gutt. *ubi antè.* nempe, quòd, dum mandatum, provideri alicui de certo beneficio cum cognitione causæ, & citatione partis, non exspiret adhuc gratia, nec Executorum potestas tanquam accessoria ex *c. si super gratia. de offic. deleg. in 6.* utpote quod procedit non solùm in Executore mero, sed etiam in mixto.

3. Respondeo tertiò: Dum gratia pensionis verè conditionalis est, exspirat per mortem Papæ concedentis secutam ante conditionis purificationem; eò quòd gratia conditionalis ante conditionis eventum nullum jus, neque in re, neque ad rem tribuat, utpote imperfecta perfectionem exspectans à purificatione conditionis, sivè quod fieri, seu perfici dicitur gratia non de tempore datæ, sed de tempore purificatæ conditionis, juxta *c. ſ pro te. de rescrip. in 6.* & *clem. unic. de conceſſ. præb.* & consequenter impossibilis remanet gratiæ perfectio ob deficientiam personarum, quæ necessariæ sunt ad perficiendum actum, ut Gabr. *conſ. 186. l. 1.* Ita Card. de Luc. *de pens. d. 1. nu. 13. 14.* citans pro eo, quòd gratia adhuc imperfecta exspiret per mortem Papæ eam concedentis secutam ante conditionis purificationem, Garciam *p. 6. c. 2. n. 304.* (ubi tamen is nihil de gratia imperfecta ob non purificatam conditionem, sed solùm; & quidem ex mente aliorum, nempe Gigas. Flores, Maudos. volentium exspirare gratiam, utì & Executoris potestatem Papa mortuo, re integrâ, dum mandatum, alicui provideri de certo beneficio cum cognitione causæ) Sanch. *de matrim. l. 8. d. 28. nu. 86. & seq.* Fontanell. *de part. claus. 4. gl. 13. nu. 43. & seq.* Et quamvis gratia illa obtineret clausulam: *ex nunc pro tunc*: supposito tamen, quòd sit conditionalis, & imperfecta, nihil operatur; quia virtus retrotractiva, quæ huic clausulæ conceditur, bene procedit, quando extrema sunt habilia; secus autem est, ubi res devenit ad statum, à quo incipere non potest. Card. de Luc. *loc. cit. num. 20.*

4. Respondeo quartò: Dum gratia pensionis verè conditionalis non est, quantumcunque appareat talis, ut dum non substantia gratiæ collata ad tale vel tale tempus, sed solùm ejus executio ad illud tempus dilata, v. g. dum reservati alicui fructus omnes beneficii, alteri reservatur pensio in, seu post mortem talis reservatarii fructuum, Papâ concedente interea mortuo, non extinguitur dicta pensio; nam gratia illa non est conditionalis, & imperfecta, exspectans perfectionem ab illa futura cessatione reservationis fructuum per mortem illius reservatarii, sed ab initio pura, & perfecta, dilatâ solum ejus executione ad illud tempus, quemadmodum contingit in materia donationis effectum priùs fortituræ post mortè donatoris, vel alterius. Card. de Luc. *loc. cit. n. 22.* citans Rotam *in Burgenſ. penſ. 1580. in Salmant. penſ. 16. Feb. 1592. in Cæſaraugust. penſ. 31. Jan. 1656.* Quibus sustinetur, reservationem pensionis effectum sortituræ post alteram pensionem cessatam, esse, & dici puram & perfectam ab initio; idémque dicitur de gratia illico perfecta, quamvis executio seu effectuatio ad illud tempus dilata esset; eò quòd vivente Papâ concedente non fuisset expedita in ea forma, quæ ejus perfectionem denotet; unde propterea Papa successor expeditione concedit in ea forma, quæ dicitur: *rationi congrunt*: quæ non substantiat gratiam, sed illi jam validæ & perfectæ tribuit executionem. Confirmat hæc ipsa pluribus idem Card. *à n. 23.* Primò in gratia exspectativæ, quæ etsi concessa pro quando per cessum, vel decessum possessoris beneficium vacaverit, adhuc tamen dicitur gratia perfecta ab initio. Secundò in Coadjutoria cum futura successione, & in unione beneficii, quæ etsi fiat de beneficio pleno sine præjudicio possessoris cum clausula: *Si, & postquam per istius cessum, vel decessum vacaverit*: non tamen dicitur Conditionalis, cujus substantia ad talem casum dilata sit, sed perfecta, dilatâ solùm executione. Ideóque secutâ morte Papæ, vel Episcopi unientis, antequam casus ille fiat, nunquam dubitatur de validitate, & perfectione gratiæ, sed quæstiones frequentiùs, quæ desuper fiunt, sunt occasione regulæ revocatoriæ unionum effectum nondum sortitarum, quæ fieri solet per Papam successorem. Tertiò in usufructu, quem Dominus fundi præventivè concedit alteri, pro quando evenerit mors præsentis usufructuarii. Quartò in ipsa penhone, quam Papa potest super eadem Ecclesia simultaneè concedere pluribus, ita ut priùs eam obtineat unus, & dein alter. Quintò in facultate transferendi pensionem, quæ passim exercetur post mortem concedentis, cùm tamen in actu translationis nova pensio efformetur.

5. Neque his obstat, quòd dari non possint eodem tempore ejusdem rei duo domini, vel possessores, coæquale jus habentes in solidum, substantia autem pensionis resideat in fructibus, qui sunt ejus subjectum, adeóque implicare videatur, ut vivente reservatario omnium fructuum, alter pensionarius jus perfectum, ac de præsente habere possit, cùm idem jus uniforme competere nequeat

pluribus circa idem, sed bene difforme, uni de præsente, alteri de futuro; vel eodem tempore, diversis tamen respectibus compatibilibus. Nam hæc ratio impossibilitatis habendi jus in solidum circa idem locum non habet in pensionibus, dum imprimis neque reservatarius fructuum, neque pensionarius habeat dominium fructuum, super quibus hoc onus impositum; sed illud in solidum sit penes titularem, habentem onus ex eorum valore pensionem alteri præstandi, neque etiam utrumque illud onus sit contemporaneum seu simultaneum, ita ut eodem tempore solvenda sit pensio, & fructus ad alium, nempe reservatarium illum, spectent: Sed detur hic distributio compatibilis, etsi enim fructus sint subjectum pensionis, tale tamen sunt in genere, & non in specie, ita ut non præcisè fructus illius anni sint subjectum illius pensionis; quia aliàs pro pensionibus decursis non competeret actio supra fructibus futuris, & contra successorem. Ac proinde eodem modo, quo possidens fundum capacem, cujus usufructus ad alium spectat, vel gravatum censu vitalitio annuo, non prohibetur imponere super eo ex nunc validè, & perfectè novum censum sortiturum effectum ex tempore, quo cessante usufructu, vel censu illo vitalitio, fundus remanebit capax, & ex ejus fructibus alter census solvi poterit; ita etiam constitui potest præter reservatarium omnium fructuum alius pensionarius, vel duo simul pensionarii super fructibus ejusdem beneficii.

Quæstio 659. An, & qualiter extinguatur pensio, si non solvantur termini in vita titularis?

Respondeo: pensio voluntaria, seu de consensu ex decreto in ea apponi solito ad obviandum fraudibus, nisi verè, & effectivè, non autem simulatè, vel per solam confessionem titularis, qui pensioni consensit, soluta quò ad omnes terminos, omnino corruit. Card. de Luc. *de pens. d. 5. nu.* 4. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c.* 11. *n.* 101. juxta dicta aliquoties in antecedentibus.

Quæstio 660. An, & qualiter non servatâ formâ in translatione pensionis, ea extinguatur?

Respondeo: Dum forma ordine in literis facultatis transferendi præscripta non servatur, v. g. non præcedit ejus extinctio vel cassatio &c. ipsa translatio ipso jure est nulla. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 6. nu. 5. 6. & 7.* Lott. *l. 1. q. 40. nu. 42.* nihilque actum censetur: & dum hac ratione, nempe ratione non observantiæ formæ, vel etiam aliunde pensio nova, seu secunda non assignatur validè, nec cassatio tenet; ac proinde quoties in translatione datur vel præscribitur modus, eo non adimpleto, pensio prima non potest dici extincta, nec à transferente jus abdicatum. Corrad. *loc. cit.* Neque dici potest, pensionem factâ ex parte transferentis cassatione extingui, & dein non subsecutâ legitimè reservatione eam reviviscere; cùm pensio semel extincta, ut Corrad. *loc. cit. nu.* 6. dicens esse communem regulam, non reviviscat. Quemadmodum etiam, ut idem Corrad. decisum ait à Rota *decis.* 446. *n.* 1. *divers.* illud, quòd jus non abdicetur à resignante, nisi irrevocabiliter beneficium acquiratur resignatario, procedit pari modo in translatione pensionis. Atque ita datâ nullitate unius ex his actibus correspectivis, corruit & alter. An verò in pœnam non servatæ in hac translatione formæ extinguatur, nullibi expressum reperio.

Quæstio 661. An, & qualiter extinguatur pensio ex persona reservatarii fiduciarii; item ex persona Commodatarii, dum nimirum pensio reservata in caput unius ad commoditatem alterius; de qua fiduciaria reservatione dictum suprà.

1. Respondeo ad primum primò: Per consensum hujusmodi Confidentiarii in præjudicium commodatarii pensio cassari non potest, cùm substantia pensionis verè in Commodatario magis residere videatur, quàm in tali reservatario, qui fiduciariè solùm nomen ita accommodare dicitur. Card. de Luc. *de pens. d. 68. n.* 19. Ita expresè tenet Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 15. ubi sic ait: iste fiduciarius per constitutionem talis Procuratoris irrevocabilem transtulit ipsam commoditatem in alium, utique tota in eundem translata censetur utilitas per hujusmodi mandatum, & actiones directæ remanent penes fiduciarium, hinc prorsus ineffaces, & inutiles, ac proinde non potest tali cassationi validè consentire. Sic decidit Rota *in Valent. pens.* 1593. 3. *Nov.* (quam decisionem recitat Garc. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 268.) his verbis: etiamsi jus pensionis sit radicatum penes reservatarium, cùm commodum ad alium pertineat, sine illius consensu transferri non potest; quia facultas transferendi fuit data contemplatione illius, & ad ejus commodum. Contrarium tamen tenet Garcias *loc. cit. n.* 269. hisce expressis: circa dictam Rotæ decisionem adverto, verius videri, quòd reservatarius, in cujus persona fuit pensio reservata, possit validè eam transferre, & cassationi consentire, etiam sine consensu ejus, in cujus commodum est reservata; & quòd illa sit ad commodum alterius, id solùm faciet, quòd ille (intellige reservatarius fiduciarius) teneatur ad interesse, si malè versatus est, cum quo revera sentire videtur Card. de Luc. *cit. d. 68. nu.* 29. ubi: quòd, sicuti post cessionem commoditatis factam alteri pensionarius tacitè, v. g. contrahendo matrimonium, potest facere pensionem extingui, ita etiam id possit per expressum actum, remanente Cessionario solâ actione contra illum, quanti ejus interest, non factam illam extinctionem.

2. Respondeo ad primum secundò: Neque per illius mortem naturalem, aut civilem extinguitur pensio. Card. de Luc. *loc. cit. & d. 73. n.* 2. Neque in hoc est difficultas, dum mors talis fiduciarii contingit, sede Papali plenâ; cùm in eo casu imminente morte fieri soleat generalis translatio in alium fiduciarium successorem; si enim in pensionibus non fiduciarii Papa concedit passim ipsis privatis pensionariis indultum transferendi, etiam in articulo mortis, juxta dicta suprà, multò magis, & absque dubio id rectè facit idem directè, ac generaliter in hujusmodi pensionibus, quæ reipsa ad alterius, non ipsius fiduciarii commodum sunt reservatæ. Card. de Luc. *cit. n.* 2.

3. Respondeo ad primum tertiò: Sed neque extinguitur (intellige omnino, seu ita, ut non reviviscat, vel potiùs, ut alia ei omnino similis de novo creetur, ut solet in aliis ordinariis translationibus pensionis) pensio morte talis fiduciarii, ubi mors ea contingit sede Papali vacante; vel enim verum est, quod dici refert idem Card. *cit. d. 73. num.* 17. (quam-

(quamvis addat, in parenthesi, hoc hucusque foro ignotum esse) nempe esse de stylo Datariæ, quòd quando hujusmodi fiduciarii deputantur, contextualiter deputetur etiam successor, in quem generalis translatio fiat pro tempore, quando casus istius mortis contigerit; vel ut Lott. *l. 1. q. 36. n. 99. & seq.* ne moriente illo Fiduciario (intellige etiam pro casu Sedis Apostolicæ vacantis) evanescat illa gratia, etiam respectu personæ contemplatæ, seu in cujus commodum reservata pensio, introductus est usus, ut simul cum reservatione concedatur facultas transferendi (intellige in alium similem Fiduciarium) pensionem, ut occurrente vitæ periculo talis translatio fiat; quin &, ut Lott. *ibid. à n. 92.* titularis se obliget solvere pensionem, dato etiam fidejussore, & scedulâ bancariâ statis temporibus, quousque Pensionarius (intellige Fiduciarius ille) vix erit, simúlque ipse ille Pensionarius Procuratorem irrevocabilem constituat illam ipsam personam contemplatam per Papam, seu in cujus commodum cedit pensio, ad eam exigendam; neque mandatum illud deinceps revocari potest, etiamsi nuncupatum non fuisset irrevocabiliter concessum; cùm satis sit, concessum fuisse in rem propriam de necessitate. Vel certè, ut Card. de Luc. *loc. cit. n. 5.* fit ea translatio ex intervallo per Papam de novo creatum, non obstante, quòd quantum est de stricto jure, ob extinctionem pensionis resultantem à morte illius Reservatarii fiduciarii hujusmodi prorogatio seu translatio speciem novæ reservationis redoleat: nam dubium non est, quin & taliter prorogare pensionem possit Papa, etiam non requisito titularis consensu; quamvis & ipsi titulares revera hunc consensum præstent, ut Card. de Luc. *loc. cit. n. 9.* dum beneficia istiusmodi genere pensionum gravata acceptant, scientes, quòd pensio iis imposita sit ad commodum alterius, quoad is vixerit, non autem reservatarii nudum nomen suum accommodantis. Verumtamen hisce in tantum contrariantur Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 2.* Azor *p. 2. l. 8. c. 6. q. 7.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 262.* Paris. *l. 6. q. 4. à n. 61.* in quantum tenent, morte illius Reservatarii fiduciarii finiri pensionem, & omnem ejus commoditatem cessare, dum Reservatarius (ut poterat, uti id libenter admittunt hi AA.) in vita sua, instante mortis periculo, eam non transtulit in alium similem Fiduciarium. Sed neque hoc ipsum negat Lott. sed potiùs supponit, non factâ tali translatione extingui pensionem per mortem Fiduciarii, dum cum communi asserit, ideo concedi potestatem transferendi, ne aliàs morte Fiduciarii evanescat gratia. Quin etiam expresè ait *cit. q. 36. nu. 97. junctò n. 98.* tam ex persona contemplata, seu Commodatarii, quàm ex persona Fiduciarii extingui pensionem, prout alteruter præmoritur, uti idem iisdem ferè verbis tenet Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3. nu. 15.* Procedunt hi AA. ex hoc fundamento, quòd jus ipsum, seu titulus & proprietas pensionis spectet ad illum Fiduciarium. Unde econtrario sequi videtur, quòd si is nudum solùm nomen Pensionarii absque dicto jure haberet, non extinguendam ejus morte pensionem, & sic locum habituram sententiam Card. de Luca. Tunc autem jus pensionis esse penes talem Fiduciarium, v. g. Hispanum, & totum commodum penes Italum, dum Papa concederet pensionem in hunc modum: *Assignamus pensionem centum ducatorum super Decanatu Toletano Cajo Hispano Clerico, & volumus, ut eam exigat in commodum & utilitatem Titii Itali.* Tunc verò & commodum, & jus foret penes Italum, & nudum solùm nomen Pensionarii penes dictum Hispanum, si Papa his verbis reservaret pensionem: *Concedimus tibi Titio Clerico Italo pensionem centum ducatorum super fructibus Decanatûs Toletani; quæres clericum Hispanum, ut teneat illam in personâ suâ.* Ita ttadit Paris. *loc. cit.* Azor *loc. cit. q. 6.* Porrò, dum (ut fieri consuevit, ne gratia pensionis evanescat morte Fiduciarii) simul cum reservatione pensionis concessa facultas eam transferendi Reservatario incurrente periculum vitæ, Fiduciarii, penes quem est jus ipsum pensionis, & non Commodatarii esse, pensionem transferre (intellige, in alium Fiduciarium) tradit *cit. q. 7.* Azor. Unde etiam, si dictus Fiduciarius eam transferre nollet, Commodatarius eam transferre nequibit, ut *ibid.* Azor. Videtur tamen stante hac sententiâ Fiduciarius ille, si id instante vitæ periculo nollet, cogi posse ad hoc per Superiorem, ne per ejus malitiam fraudetur Commodatarius.

4. Respondeo ad secundum primò: Pensio extinguitur, & omnino cessat per mortem dicti commodatarii, seu illius, ad cujus commodum servit, & reservata est pensio, esto supervivat fiduciarius ille, in cujus caput seu personam reservata pensio; cùm pensio huic facta tota sit respectiva ad utilitatem tertii, nempe commodatarii illius, ac proinde hac utilitate cessante, cessat pensio. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n. 263.* dicens, sic servare stylum & Rotam, cujus plures pro hoc *ibidem* refert Decisiones, præcipuè *in Hispal. pens. 15. Octob. 1571.* quam recitat *ibid. n. 266. & n. 267.* dicit approbatâ vivæ vocis oraculo à Gregor. XIII. 29. Nov. 1573. Card. de Luc. *cit. d. 73. n. 10.* Lott. *l. 1. q. 36. n. 97.* qui etiam addit: hinc cum dicti commodatarii morte evanescere omnes obligationes ad favorem reservatarii, cujus actio propterea maneat elisa, Tametsi Rota aliàs *in eadem Hispalensi* contrarium, ut refert Garc. *loc. cit. n. 265.* resolvisset, nempe non extingui per obitum illius commodatarii, si ille alium nominaverit in commoditate, vel in alium eam transtulit, etiam sine aliqua solennitate, & solenni translatione per reservatarium facienda in ejus vita.

5. Respondeo ad secundum secundò: Si ille, in cujus commodum reservata pensio, hoc suum commodum in alium transtulit (quod eum posse, etiam inscio & invito reservatario fiduciario, cùm sic non pensionem, sed suum commodum transferat, tenet Azor *p. 2. l. 8. c. 8. q. 8.* Paris. *l. 6. q. 4. n. 63.* testans sic responsum à Rota) & dein decedat, pensionem non extingui; eò quòd jus pensionis remaneat penes fiduciarium illum, tradit *ibidem* Azor.

Quæstio 662. *An, & qualiter per mortem dicti Fiduciarii, in cujus caput reservata pensio; item per mortem personæ illius contemplatæ, seu Commodatarii extinguatur obligatio schedulæ seu campsoris; dum nimirum ob commodiorem ac faciliorem exactionem talis pensionis fiduciariæ solet ultra obligationem solvendi pensionem, quam faciunt provisi de beneficio, dari quoque schedula bancaria idonei alicujus mercatoris obligantis se (& quidem frequentius pro solutione duodecim terminorum, seu sex annorum)*

ad favorem talis fiduciarii, vel ejus translatariorum, cum declaratione, ut, moriente interim dicto fiduciario ante factam translationem, vel etiam post eam factam morientibus translatariis, aut moriente ipso proviso de beneficio, cesset ac evanescat obligatio, acsi nullatenus unquam fuisset?

1. REspondeo ad primum: Non cessare illam obligationem Cedulistæ, dum mors fiduciarii contingit Sede Papali plenâ, factáque jam translatione pensionis in alium similem fiduciarium, extra controversiam est. Card. de Luc. *de pens. d. 73. n. 1. & n. 2.* subjungens, in hoc casu procedere Decisiones illas Rotæ, quas ministri Datariæ pro duratione talis obligationis afferebant contra se agentem in causa quadam Romana pro Schedulistis. Sed neque cessare dictam obligationem in casu mortis civilis contingentis Sede Papali vacante, dum v. g. fiduciacius talis Sede vacante assumeret statum militarem: unde, cùm Papa noviter creatus, privando illum dictâ fiduciariâ pensione, alium deputaret fiduciarium, in quem translationem faceret; eò quòd tunc adhuc verificaretur obligatio cedulistæ, quâ se obstrinxit solvendi illis, in quos vivente reservatario pensionum translatio facta esset, tradit idem Card. *loc. cit. n. 15.* Cessare verò illam, ubi dicta mors naturalis, Sede Papali vacante (etsi admittat, eo casu non cessare obligationem ipsius titularis solvendi pensionem) probat idem Card. *ibid. à n. 3.* supponendo imprimis, translationem in alium pensionarium non esse factam in mortis articulo, Sede Papali adhuc plenâ, nec eam Sede vacante fieri posse; sed necessariò faciendam ex intervallo per Papam de novo creatum. Dein assignando inter præjudicium Cedulistæ, & ipsius titularis hoc discrimen, quòd beneficiatus contendat de lucro proveniente à gratia & benignitate Papæ, qui, cùm juxta magis receptam Canonistarum sit absolutus Dominus beneficiorum, sicut tollere potest beneficium uni, & dare alteri, ita multò magis mandare, & facere potest istiusmodi servitutis, vel oneris pensionis continuationem, etiam citra consensum titularis, adeóque conqueri non possit titularis, si in dicto casu creatus de novo Papa pensionem illam transferat in fiduciarium alium. Econtra autem, ut tradit *n. 3.* in fidejussore, seu schedulista, & campsore tali ejusdem obligatio rigorosè & strictissimè sit intelligenda ad limites verborum, neque admitti in ea debeat extensio à casu ad casum, etsi identitas rationis accedat; eò quòd actus voluntarii non debeant plus obligare, quàm est voluntas. Tum etiam, quia agitur de contractu correspectivo, & consequenter non agatur de lucro captando ex gratia & concessione Papæ, sed de damno vitando, nempe, ne maneat obligatus ad id, ad quod se noluit obligare. Unde propterea esset quodammodo violare jus naturæ, vel gentium, extendere obligationem ultra propriam voluntatem, quod, ubi non urget publica necessitas, vel utilitas, fieri non potest, nec debet. Verumtamen *n. 17.* Idem Card. videtur resolvere in contrarium, nimirum, neque in contingentia mortis naturalis fiduciarii Sede Papali vacante extingui ejus obligationem; non tantùm ex eo, quòd, ut dictum *quæst. præced.* quidam circumferant, de stylo Datariæ in deputatione talis fiduciarii contexualiter deputari quoque successorem, in quem generalis translatio fiat pro tempore, quando mors ejus contigerit; sed etiam quia cessat dicta ratio, quòd Cedulista contendat de damno vitando, cùm in effectu (saltem arguendo à frequentiore contingentia) hujusmodi Campsores, qui pro tali Fiduciario has cedulas faciunt, non soleant id facere, nisi cum eorum assecuratione, habendo æquivalentiam in manibus, vel aliam cautionem, adeo ut Cedulistæ liberatio potiùs concernat jus, vel interesse ipsius titularis. Item quod apud eosdem Cedulistas notum est, quòd pensionis duratio, vel extinctio non pendeat à persona fiduciarii, sed ab illa commodatariorum; unde propterea non urget allata priùs ratio cessantis in Cedulista voluntatis se obligandi.

2. Respondeo ad secundum: Exspirare illam Cedulistæ obligationem per mortem Commodatarii, etsi Reservatarius supervivat. Card. de Luc, *cit. n. 17.* Sic Lott. *l. 1. q. 36. n. 97.* tradit, unà cum persona contemplata, seu Commodatario præmoriente extingui omnes obligationes ad favorem Reservatarii, seu in cujus caput reservata pensio, & hinc ejus actionem remanere elisam. De quo etiam dixerat *n. 96.* quòd, dum fiunt quietantiæ nomine illius Reservatarii, & dein contingat, pensionem declarari nullam, tamen ipse non teneatur ad restitutionem, sed sufficiat, eum cedere actiones contra Commodatarium, quem Lott. consuevit vocare Confidentiarium.

Quæstio 663. *An, & qualiter extinguatur pensio morte Pensionarii alterius Ordinarii?*

REspondeo: Nisi translata fuerit pensio vivente pensionario, ejusdem morte extinguitur penitùs, sicut usufructus morte usufructuarii. Lott. *l. 1. q. 42. nu. 44.* Castrop. *cit. §. 10. nu. 1.* Azor *loc. cit. n. 10. ad initium.* Paris. *l. 6. q. 2. n. 113.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 239.* Conrad. *pr. benef. l. 5. c. 5. n. 24.* Sic quoque per ejusdem mortem civilem, puta assumptionem militiæ sæcularis, extingui pensionem, tradit Card. de Luc. *de pens. d. 73. n. 16.* juxta dicta à nobis suprà.

Quæstio 664. *An, & qualiter cesset pensio per cessionem voluntariam ipsius pensionarii?*

1. REspondeo primò: Ex solo consensu Pensionarii, citra Papæ, aut alterius Superioris auctoritatem, potest non solùm minui pensio, seu pars illius remitti. Azor *p. 2. l. 8. c. 10. q. 5.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 10. n. 11.* Lott. *l. 1. q. 42. n. 42.* (qui etiam *n. 43.* addit, in tali quantitate imminuta conservari idem jus, nec propterea censeri diversam, sed eandem prorsus pensionem, quæ priùs reservata) Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 78.* Card. de Luc. *de pens. d. 5. n. 3.* Tond. *qq. benef. p. 1. c. 35. n. 1.* ubi etiam, quòd fieri nequeat conventio vel prohibitio, per quam Pensionarius prohibeatur extinguere pensionem, nisi talis conventio vel prohibitio fuerit summi Pontificis auctoritate firmata; quia pensionis extinctio principaliter cedit in utilitatem Ecclesiæ. Sed & totum pensionis onus in totum extingui. Castrop. Azor. Barb. *ll. cit.* Lott. *loc. cit. n. 7.* Paris. *loc. cit. q. 2. n. 123.* Card. de Luc. *de pens. loc. cit. & d. 11. n. 9.* Tond. *ubi antè.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 39.* citans quamplurimos. Cùm enim pensio unicè in utilitatem Pensionarii constituta sit, potest solâ illius hoc suo favori renunciantis voluntate cassari. Castrop.

strop. Azor *ll. cit.* Cúmque consensus ille titularis impositioni pensionis consentientis, qui est de ejus forma, respiciat favorem Pensionarii, præfert formam contractûs merè profani, cui auctoritas Papæ, à qua immediatè dependet, in tantum adhæret, in quantum durat ille contractus; contractus autem omnis ex consensu contrario contrahentium dissolvatur. Neque obstat primò, quòd beneficium cessare nequeat, aut abdicari solâ Beneficiarii voluntate; nam beneficii dimissio nocere potest Ecclesiæ; dimissio autem pensionis semper est favorabilis Ecclesiæ, utpote, quæ per hoc evadit libera. Castrop. Azor. *ll. cit.* quemadmodum & hinc Patronus propriâ auctoritate abdicare potest se jurepatronatûs. Initúsque dicitur inter beneficiatum, & Ecclesiam quasi contractus correspectivus hinc inde obligatorius, stipulante pro Ecclesia Collatore, ideóque dissolvi non potest solo consensu beneficiarii absque consensu Ecclesiæ, quæ est alter contrahens, cujus vice illum præstat Prælatus, qui jus destituendi habet: hæc autem ratio non intrat in pensionibus continentibus purum lucrum, purámque donationem ad favorem pensionarii, cujus solus consensus, quomodocunque præstitus, inducit liberationem Ecclesiæ debitricis, cujus semper interest restitui suæ libertati, dum nulla quoad eam adest correspectivitas, sicut est in beneficiato. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 10.

2. Ampliatur responsio, ut procedat, etiamsi pensio expressè esset reservata pro alimentis, ut commodiùs quis sustentari possit. Garc. *loc. cit. n.* 40. contra Gig. *q.* 45. *n.* 9. *& q. ult. n.* 8. Gamb. *de off. Leg. l.* 6. *n.* 603. Gutt. *de jurament. confirm. p.* 3. *c.* 3. *nn.* 5. Zech, Duaren. &c. apud eundem Garc. sentientes contrarium *ex l. cùm hi. de alimentis.* juxta Gl. *v. alimentorum.* Nam tenendo, pensionem æquiparari contractibus profanis (quod procedit, dum reservatur de consensu partium, ut Put. *decis.* 193. *n.* 2. *l.* 3. Garc. *loc. cit n.* 41.) & sic cessat dispositio dictæ legis, ut patet ex ejus textu, utpote loquente de alimentis relictis ex ultima voluntate. Garc. *cit. n.* 41. Si verò æquiparetur ultimis voluntatibus (uti fieri censet Put. *ubi antè* apud Garc. *n.* 42. dum reservatur motu proprio, sine consensu partium) adhuc procedere responsionem, eò quòd favor, ad hoc consideratus in alimentis relictis in ultima voluntate, in præsenti casu considerari nequeat, dum pensio est odiosa, & ejus extinctio, utpote cedens in libertatem Ecclesiæ, est favorabilis, tradit Garc. *n.* 43. subjungens quoque *n.* 44. non videri in proposito militare rationem consideratam in alimentis relictis in ultima voluntate. De cetero, ut patet, dicendum, pensionem non habere ortum ex ultima voluntate, ac proinde dispositionem *cit. l. cùm hi.* extendendam non esse ad pensionem concessam ad alimenta. Garc. *num.* 45. cum Molin. *To.* 2. *de contract. d.* 559.

3. Limitanda econtra responsio primò: ut non procedat, dum titulo pensionis promotus quis est ad sacros Ordines; siquidem tunc pensio alienari, extingui, aut remitti nequit, donec pensionarius beneficium sufficiens consecutus, vel aliunde habeat, unde vivat, juxta Trid. *Sess.* 21. *c.* 2. Garc. *loc. cit. n.* 45. Azor. Castrop. *ll. cit.*

4. Limitanda secundò: ut procedat, modò cassatio sit omnino libera & gratuita, absque pecunia, aut sine anticipata solutione; de quo paulò pòst. Lott. *loc. cit. n.* 8. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 11. §. 3. *nu.* 38. Card. de Luc. *de pens. d.* 5. *num.* 3. addens talem cassationem sine beneplacito Apostolico non solùm invalidam, sed & simoniacam. Item *d.* 68. *n.* 23. ubi etiam ejus dat rationem hisce formalibus: *Pensio cedi non potest alteri, neque extingui cum recompensa temporali, non ob aliquod interesse Papæ, cujus assensus omnino requiritur; sed ratione subjectæ materiæ, cujus commercium ex stylo Curiæ interdictum.* Subjungit etiam Lott. *n.* 9. juxta Rotam *decis.* 471. *n.* 10. *p.* 1. *divers.* hinc non substituturam cassationem, si fieret eâ lege, ut alia reservetur. Et de tali cassatione non libera intelligendas varias Rotæ decisiones, dum dicunt, extinctionem pensionis requirere consensum & auctoritatem, ait Lott. *ibid. n.* 11. uti & super tali cassatione non libera esse necessariam expeditionem literarum Apostolicarum (contrarium tenente Card. de Luc. *loc. cit.* hisce expressis: Est recepta praxis, quòd super hujusmodi extinctionibus non liberis obtineatur beneplacitum Apostolicum, pro quo sufficit sola supplicatio signata manu Papæ absque expeditione literarum) ante quam expeditionem locum fore pœnitétiæ; secus verò super cassatione libera, etsi ex superabundanti super ea signata fuisset per Papam supplicatio, ait idem Lott. *n.* 10. Potest nihilominus ob concordiam minui à Pensionario pensio, citra consensum ullius Superioris, & quòd actus extinctionis vel diminutionis sine auctoritate Superioris factus sit validus & licitus, modò pecunia, vel alia res temporalis non intervenerit, Card. de Luc. *de pens. d.* 11. *n.* 9.

5. Limitanda tertiò: Nisi fortè gratuita illa extinctio fieret in fraudem alterius, v. g. si Fiduciarius id attentaret in præjudicium illius, in cujus commodum reservata est, ut id expressè tenent Card. de Luc. *de pens d.* 68. *n.* 19. Lott. *l.* 1. *q.* 42. *n.* 14. *juncto n.* 18. Idem est extra casum fiduciariæ pensionis de Pensionario, non Fiduciario transferente commoditatem pensionis in alium, v. g. creditorem suum, constituendo eundem Procuratorem irrevocabilem ad exigendam pensionem, eâque fruendum, donec ei satisfactum, vel etiam in alium non creditorem suum, constituendo illum pariter Procuratorem irrevocabilem; non enim teneret interim facta ab illis Pensionariis in præjudicium commodatariorum illorum extinctio, quemadmodum non teneret extinctio vel remissio usufructûs facta per ipsum usufructuarium, quæ eo ipso præsumeretur facta in fraudem commodatarii creditoris, vel non creditoris sui. Lott. *loc. cit. n.* 14. *juncto n.* 19. 29. *&* 30. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.* 39. Salgado *in labyrint. p.* 1. *c.* 34. *n.* 12. *& seq.* quorum sententiam probabiliorem præ opposita paulò pòst subjungenda censet Card. de Luc. *de pens. d.* 68. *n.* 18. non quidem, ut ait, ex vagis & generalibus aliquibus fundamentis, ponderatis à Lotterio, præsertim circa assimilationem usufructûs, cujus extinctionem seu remissionem fieri non posse dicunt per usufructuarium in favorem proprietarii, in præjudicium ejus, cui cessus est, (cùm id manifestam contineat æquivocationem, ut ostendere conatur Card. de Luc. *loc. cit. n.* 23.) sed ex circumstantia fraudis, ac malæ fidei ipsius titularis, qui sciens pensionem esse alicui cessam, & postquam cessionarium agnoverit in creditorem, extinctionem pensionis affectavit cum cedente non absque collusionis & fraudis vehementi suspicione, nimirum in casu & causa, in qua *ibidem*

scribit Card. de Luca. In contrarium sentire videtur Tond. *qq. benef. p. 1. c. 35.* in quantum *n. 1.* tradit, non valere inhibitionem de non extinguenda pensione instantibus creditoribus pensionarii: & *n. 5.* non valere mandatum irrevocabile factum à pensionario creditori suo ad exigendam pensionem ecclesiasticam, sicut non valet mandatum factum per possessorem beneficii de exigendo fructus sui beneficii, durante toto vitæ suæ tempore. Et *n. 6.* usumfructum quidem extingui non posse in præjudicium creditoris juxta *l. 3. ff. de his, qui in fraudem creditor.* aliam tamen esse rationem in his pensionibus ecclesiasticis, quippe quæ non sint in commercio nostro, sicut est usufructus; cùm tantùm quò ad factum, & fructuum perceptionem sint in commercio nostro, & non quò ad jus percipiendi. Ac tandem *n. 8.* non posse prætendi, quòd extinctio pensionis fiat in fraudem, eò quòd, qui jure suo utitur, nemini injuriam faciat, & ità decidisse Rotam *decis. 129. p. 1. recent.* non impediri extinctionem pensionis non obstante mandato irrevocabili per pensionarium facto. Eandem doctrinam tradit idem Tond. *tr. de pens. c. 21. n. 27.* item Ameyden *de stylo Datariæ c. 27. n. 15.* dicens, hunc esse stylum Curiæ juxta *citatam decisionem* Rotæ apud Card. de Luc. *loc. cit. n. 10. juncto. n. 17.*

Quæstio 665. An perperam facta extinctio pensionis, v. g. non gratuitò sine beneplacito apostolico præjudicet pensionario?

Respondeo affirmativè: Nam ex defectu istius beneplaciti per talem extinctionem non gratuitàm incurritur simonia tam à pensionario, quàm titulari (intellige, ubi is pecuniam, vel aliud quicquam obtulit pro extinctione) & consequenter incurruntur pænæ simoniacis statutæ, inter quas est illa amissio, seu extinctio pensionis à majoritate rationis, ob quam exinde vacant beneficia, absurdúmque foret dicere, quòd actus virtutis, qualis est gratuita extinctio pensionis, præjudicare debeat facienti illum, & non actus vitiosus continens delictum, ex quo etiam de jure resultet privatio & amissio illius, quod remissum est. Card. de Luc. *de pens. d. 5. n. 9.* Nec obstat, quòd resignatio beneficii nulla non abdicet jus à resignante; nam etiam nullitas illa, ubi culposa est ex parte resignantis, jus ab eo abdicat, ne crimen prosit criminoso. Card. de Luc. *loc. cit.*

Quæstio 666. An, & qualiter pensio præsumatur extincta ob diuturnam ejus non exactionem?

Respondeo: Tunc ex diuturno silentio, seu ex non exacta pensione præsumitur ejus extinctio, dum quæstio est inter pensionarium superviventem bene informatum de facto proprio, & titularem successorem non informatum. Secus verò est, dum pensio translata v. g. in aliquem constitutum in pupillari ætate, & è contra semper idem fuisset titularis, à quo solutio fieri debuisset, adeóque de hoc docere possit. Card. de Luc. *de pens. d. 67. n. 5. juncto n. 9.* Sic cum hac limitatione procedere dicens generalem aliàs doctrinam Gomesii, & Cavalerii, quòd stante diuturno silentio præsumatur extinctio pensionis. Subjungit etiam Card. de Luc. *n. 8.* præsumptionem factæ solutionis nunquam intrare in favorem illius, qui pulsatus negavit debitum, allegando se non esse debitorem. De cetero tale silentium non generare præscriptionem extinctivam pensionis, ait idem Cardin. *loc. cit. n. 6.* eò quòd agatur de annuo debito conditionali, in quo receptum sit, etiam tricénalem præscriptionem non sufficere, nisi pro annualitatibus decursis. pro quo citat Gig. *de pens. q. 83. à n. 9.* & Rotam *decis. 373 p. 9. Recent.*

Quæstio 667. An, & qualiter extinguatur pensio per anticipatam redemptionem?

1. Respondeo primò: Pensio, quæ datur laico tanquam merces laboris, ministerii & operæ stipendium redimi potest pecuniâ, absque Papæ consensu. Azor. *p. 2. l. 8. c. 10. q. 10.* ex Soto *de just. l. 9. q. 7. a. 2.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 25.* Castrop. *tr. 17. d. 3. de Simon. p. 13. n. 7.* ubi expresè: alia est pensio, quæ datur laicis ob officium temporale, v. g. ad pulsandas campanas, canendum figuratè in choro; & de hac certum est, non esse simoniam, neque juris divini, neque humani, si vendatur vel redimatur, nam quòd illa portio extracta sit ex aliquo titulo spirituali, scilicet ex beneficio, in causa non est, quò minùs temporalis sit, & vendibilis &c. Citat pro hoc Less. *l. 2. c. 35. n. 122.* Suar. *de Simon. l. 4. c. 26. &c.* Contrarium tamen sentire videtur Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 19. & 20.* ubi ait: pensio temporalis, etsi non sit materia simoniæ, quia est res temporalis pretio æstimabilis, & quamvis sit portio fructuum beneficii, est tamen separata à titulo spirituali; de stylo tamen Curiæ, qui facit legem, nō potest hujusmodi pēsio vendi aut redimi, qui quidem stylus induci potuit, ut sic omnis simoniæ suspicio evitaretur, unde vendentem aut redimentem hujusmodi pensionem privatâ auctoritate reum videri simoniæ contra jus humanum, tenent Azor. *p. 2. l. 5. c. 10. q. 10.* Reginal. *in pr. fori pœnit. l. 23. n. 276.* Suar. *de relig. T. 1. l. 4. de simon. c. 26. n. 16.* Filiuc. *p. 3. tr. 45. & q. 7. n. 3.* Verumtamen si Barbos. per pensionem temporalem intelligit laicalem illam, omnino fallitur, neque Azor de hoc *l. c.* verbulū, sed loquitur de pensione Clericali.

2. Respondeo secundò: Pensionarius citra Papæ, aut alterius Superioris auctoritatem sine labe simoniæ vendere potest fructus pensionis suæ, etiam ad totam vitam suam. Barb. *juris Eccl. l. 3 c. 11. n. 25.* ex Bonacin. *de Simon. q. 4. §. 13. n. 13.* juxta paulò pòst dicenda ex Cajetano, & Azor.

3. Respondeo tertiò: Pensio ecclesiastica, seu quæ datur loco beneficii, sive ea constituatur causâ resignationis beneficii, aut quia quis cedit liti: sive independenter à causa resignationis, & cessionis constituatur Clerico, ut habeat, unde commodiùs sustentetur, redimi nequit anticipatis solutionibus sine auctoritate Papæ. Paris. *l. 6. q. 2. n. 124. & 128.* citans Nav. *cons. 52. de præb.* Azor. *loc. cit. q. 11.* Lott. *l. 3. q. 29. n. 93 juncto n. 96.* Garc. *loc. cit. n. 20.* Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. n. 24.* ex Bonacin. *de simon. q. 4 §. 13. n. 7.* & alii passim cum Gig. *de pens. q. 87. n. 5.* contra Tolet. *in sum. c. 92. n. 82.* Valent. *to. 3. d. 6. q. 16. p. 3.* apud Garc. *loc. cit. n. 26.* docentes, hujusmodi pensiones, quæ dantur loco beneficii, posse redimi sine auctoritate Papæ, non tamen transferri aut vendi; in quo eos inconsequentiæ arguit Garcias. Item contra Cajetan. *to. 1. opusc. ult. tr. 31. in respons. 10.* apud Paris. & Azor. *ll. cit.* ubi tamen, ut refert Azor, solùm ait, redimi posse pensionem pecuniâ sine ulla labe simoniæ, quia pensio est quid temporale profanum, nempe fructus, qui quotannis ex beneficio debentur, & solvuntur. Item quia fas est futuros beneficii fructus ad certum tempus locare, & vendere,

dere, nisi lex scripta prohibeat, ergo futuras pensiones licet vendere, & emere; cùm id nullâ lege scriptâ sit vetitum. His accedit, quòd pensio conceditur tanquam alimentum in subsidium vitæ; sed is, cui annua debentur alimenta, potest anticipatis solutionibus ea vendere, & is qui ea debet, potest illa redimere &c. Quam sententiam etsi sibi non placere dicat Azor; eò quòd pensio non sint fructus, sed jus exigendi fructus ex beneficio alterius, illúdque sit jus quoddam spirituali annexum, & licèt dictos fructus pensionis futuros ad tempus, vel etiam ad totum vitæ suæ tempus locare, vel vendere anticipatis solutionibus in foro conscientiæ juxta jus commune pensionarius possit, sine ulla Superioris auctoritate, ut ipsemet Azor tradit *loc. cit. q.* 11. sub hac limitatione; nisi usus Curiæ Romanæ, vel judicium forense obstarent; uti idem absolutè tenet ex Bonacinâ, Barbos. suprà ‖ non secus ac usufructuarius retento ipso jure usus fructûs locare, & vendere potest alteri fructus, ita ut penes unum sit jus pensionis, vel usus fructûs, & penes alterum emolumentum & commodum, ut dictum aliàs: jus tamen ipsum pensionis pensionarius vendere, nec illud beneficiatus anticipatis solutionibus redimere possit sine Papæ auctoritate; quia id verat usus Curiæ Roman. Addit tamen etiam Azor. *cit. n.* 11. *in fine*, locationem quoque talem, & venditionem fructuum in judicio habendam suspectam (intellige, ac si jus ipsum distraheretur) præsertim si ista locatio fieret in perpetuum, seu ad vitam pensionarii. De cetero rationem responsionis præter usum illum Curiæ hanc dat Lotterius *loc. cit. n.* 94. Quòd ista extinctio per viam illam redemptionis sit contra mentem Papæ, utpote qui voluit pensionem deservire pro alimento pensionarii exemplo militaris stipendii, quod utcunque remissibile sit, vel gratuitò cessibile, non possit tamen pactione aliquâ obligari, juxta *l.* 4. *c. de exeq. rejudic.* Eandem rationem, nimirum, quòd pensio cedat in causam alimentorum, & super alimentis futuris non possit transigi sine auctoritate Superioris, dant Gigas, & Duaren. apud Garc. *loc. cit. n.* 30. cui ea displicet, eò quòd non omnis pensio cedat in causam alimentorum, sed illa tantùm, quæ dicitur sine causa, quæ datur Clerico cum clausula, *ut commodiùs sustentetur*. Quæ clausula operetur, ut pensio alimentorum causa videatur assignata, & tamen secundùm stylum in redemptione pensionis cujusliber, etiam quæ assignatur ex causa resignationis sive cessionis, ne ex ea nimium detrimentum patiatur, requiritur auctoritas Superioris. Quin &, si ex dicta causa adhibenda auctoritas Papæ in redemptione pensionis, sufficeret quoque, ut ait Garc. *n.* 34. auctoritas Ordinarii, utpote quæ sufficit in redemptione alimentorum, juxta *l. cum hi. de transact.* Item possit illa auctoritas suppleri juramento, quod ipsum admitti à Gigante, ait Garc.

4. Respondeo quartò: Posse dictam redemptionem pensionis quò ad jus ipsum illius penitus extingendum fieri anticipatis solutionibus, intervenientè auctoritate Papæ citra omnem simoniæ labem aut suspicionem, extra dubium est. Azor. *loc. cit. q.* 9. citans Gig. *de pens. q.* 87. Gamb. *de off. leg. l.* 6. *n.* 123. cum communi. pro quo ut bene inquit Azor, unus sufficiat pensionum sic redemendarum usus. Nequaquam tamen fieri posse redemptionem pensionis auctoritate Nuncii Apostolici, signanter asserit Garc. *loc. cit. n.* 35. nisi ad hoc habeat specialem facultatem, quam credit illum non habere.

5. Respondeo quintò: Quod ad praxin & modum hujus redemptionis spectat, non solet Papa dimittentibus beneficia pensiones reservare, & hanc simul facultatem concedere, ut ipsis ex toto pensiones solvantur anticipatis solutionibus; sed reservat simpliciter pensionem, & postea seorsim ac divisim facit liberam potestatem, & optionem, ut, qui annuam pensionem solvendam habet, redimere eam possit anticipatis solutionibus. Azor. *cit. q.* 10. qui etiam ait, teste Gigante, solere pensionem redimi anticipatis 5. vel 6. vel 7. ad summum solutionibus anticipatis, consideratâ pensionarii ætate, quemadmodum sic redimi solent alimenta à debente illa.

Quæstio 668. An dicta redemptio pensionis, seu extinctio illius quò ad ipsum jus anticipatis solutionibus citra auctoritatem Papæ facta, sit simoniaca?

1. RESpondeo: In hoc prorsus non convenire AA. nam primò tradit Azor. *loc. cit. q.* 11. talem redemptionem habere speciem simoniæ. Item. *q.* 10. *in fine* ait, usum Curiæ Romanæ, ut non nisi Romani Pontificis assensu redimatur, meritò introductum ad omnem simoniæ speciem evitandam, & ne alioqui ipsa beneficia venalia reddantur: & hinc fieri, ut, qui privato jure & auctoritate pensionem redimit, peccet quidem, & meritò puniri possit, non tamen incurrat simoniæ pœnas, in quas incidunt, qui beneficium pecuniâ permutant.

2. Secundò talem redemptionem, vel translationem absolutè simoniacam, & invalidam pronunciant Card. de Luc. *de pens. d.* 5. *n.* 3. pro quo citat Toud. *tr. de pens. c.* 57. *n.* 1. Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 20. citans pro hoc quamplures, & signanter *n.* 23. Henriq. *in sum. l.* 13. *c.* 13. §. 2. qui dicit, post Constitutionem Pii V. imponentis pensionario recitationem officii B. Virginis, pensionem redimere sine licentia Papæ esse simoniacum, & fieri nulliter, etsi propterea non incurratur excommunicatio. Ante Pium V. tamen pensionem reputatam redimibilem, in quo postremo, dicit Garc. eum falli. Item esse dictam redemptionem absolutè simoniacam, tenere videtur citato Laym. *Th. mor. l.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 5. *n.* 48. Barbos *juris Eccles. l.* 3. *c.* 11. *n.* 20. & 21. ubi, postquam dixisset, vendentem, aut redimentem privatâ auctoritate pensionem temporalem, videri reum simoniæ contra jus humanum, addit: at pensio Clericalis est materia simoniæ non solùm contra jus humanum, sed etiam Divinum, ubi recepta illa Constitut. Pii V.

3. Tertiò, distinguit Lott. & primò quidem pensionem, dum reservata ex causa cessionis, vel resignationis beneficii, redimere, seu extinguere anticipatâ aliquot annatarum solutione, esse simoniacum, indeque aperiri viam venditioni beneficiorum, neminem non videre, asserit *l.* 3. *q.* 29. *n.* 93. diceus, idipsum notari quoque à Gigante *de pens. q.* 87. *sub n.* 7. negat tamen Lott. *ibid.* hinc sequi talem pensionem non esse quid merè temporale; cùm, cur non possit talis pensio redemptione extingui, alia evidentior & firmior sit ratio, nempe quòd per talem redemptionem aperiatur via nundinationi beneficiorum. Uti eandem rationem indicat Azor. *loc. cit. q.* 9. sic enim posset quis resignare beneficio ea lege, ut reservetur sibi certa pensio, & insuper ut ea pensio pretio anticipato solvatur, seu redimatur, quod qui faceret, beneficium ipsum

vendere meritò crederetur. Nam dum beneficium resignas Titio, pacto cum eo inito, ut pensionem v.g. 20. Ducatorum, quam tibi reservas singulis annis solvendam, redimat 140. Ducatis, statim solutis, perinde est, ac si daresillud beneficium pretio 140. ducatorum recepto. Azor. *loc. cit.* Dein, dum pensio non est imposita ex causa cessionis seu resignationis beneficii, vel ex alia causa, ex qua possit argui pactio circa ipsum beneficium cedendum aut resignandum, eam redimere sine auctoritate Papæ, negat esse simoniacum. *n. 96.* hisce formalibus; Auctoritas Apostolica est perpetuò necessaria; sed non erit perpetuò necessaria pro abstergenda labe simoniæ, nisi eatenus, quatenus processerit pensio ex causa cessionis seu resignationis beneficii, vel alia, ex qua argui possit pactio circa ipsum beneficium cedendum, aut resignandum. Et ita intelligendos ait omnes, qui nimis effuso sermone pronunciarunt, redimentem pensionem sine auctoritate Papæ committere simoniam, qui sunt multi, cum quibus etiam sentit Moneta *de distrib. quotid. p. 2 q. 18. n. 12.*

4. Quartò Castrop. *tr. 17. d. 3. de simon. p. 13.* postquam *n. 3.* pensionē soli clerico concessam divisisset quadrifariam; nempe in eam, quæ datur pauperi clerico in sustentationem. Quæ datur Parocho seni non valenti amplius deservire, ut se sustentet; beneficio ejus alteri collato. Quæ datur renuncianti beneficium, quod pacificè possidebat. Quæ datur ad litem in beneficio sedandam. Dixisetque cum Valent. *d. 16 p. 3.* quem citat, de omnibus hisce pensionum clericalium speciebus, esse simoniam juris Divini, vendere has pensiones auctoritate propria, ubi Bulla Pii V. edita 1571. in Bullario *138.* recepta observatur; eò quòd in dictâ Bullâ Papa pensiones annectat titulo spirituali, obligando pensionarios ad recitationem officii B. Virginis, quo posito, ut ait, cùm pensio nihil sit aliud, quàm jus percipiendi fructus (intellige, ex alieno beneficio) medio spirituali officio, cùm hoc officium invendibile sit, etiam jus percipiendi fructus ab illo inseparabile, fore invendibile. Ubi verò dicta Bulla recepta non est, vendere dictas pensiones esse simoniam juris humani; eò quòd ex stylo Curiæ prohibitum, eas vendi, & venditores tanquam simoniaci puniantur. Denique *à n. 10.* sentit cum eodem Valent. *loc. cit.* Less. *l. 2. c. 35. dub. 22. n. 124.* Tolet. *l. 5. c. 92. n 6. dicto* 3. Suar. *l. 4. de simon. c. 26. n. 24. & 16.* quos citat; quamlibet dictarum clericalium pensionum redimi posse propriâ auctoritate sine simonia. Rationem dat ex Valent. quia, quod per se & immediatè acquirit titularis, seu possessor beneficii pensione gravati, redimendo pensionem, est immunitas & libertas ab obligatione & onere pendendi quotannis ex fructibus illius tantam quantitatem, libertas autem hæc non sit spiritualis, neque spirituali per se annexa; nam esto, inde sequatur beneficium beneficiato fore magis utile, & eum facultatem habere retinendi sibi omnes fructus, hoc tamen est extrinsecum & accidentarium redēptioni pensionis, utpote quæ non per se respicit hanc utilitatem, sed solùm dictam immunitatem. Atque ita diluit quoque fundamentum opinionis contrariæ, quod proposuerat *n. 9.* nimirum, quòd beneficiatus redimens pensionem reddat beneficium sibi magis utile, quia potest jam percipere partem illam fructuum, quam solvere tenebatur loco pensionis; potestas autem, seu jus colligendi illam partem fructuum sit annexa titulo spirituali, cùm sit propter officium, non secus ac potestas percipiendi ceteras partes fructuum. Addit quoque Castrop. *cit. n.* 10. pro confirmatione, quòd redemptio pensionis nihil aliud sit, quàm quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis beneficiatus tenebatur præstare. Ac tandem concludit, his non obstantibus, ad redemptionem pensionis semper solere intervenire auctoritatem Papæ, non quia ea necessaria, sed ad majorem securitatem, & quia jam ex stylo Curiæ hoc sit receptum.

Quæstio 669. *An pensio cassata, seu viâ redemptionis extincta, anticipatâ solutione egeat literis Apostolicis?*

Respondeo: Non sufficere supplicationem manu Papæ signatam; sed insuper expeditionem literarum Apostolicarum esse omnino necessariam in hac non libera, seu non gratuita extinctione pensionis, ita ut ante expeditionem illarum sit locus pœnitentiæ, tenet Lott. *l. 1. q. 42. n. 10.* Contrarium tradit Conrad. *pr. benef. l. 5. c. 6 n. 55.* hisce expressis: neque literæ Apostolicæ requiruntur, quando pensio de consensu pensionarii cassatur & extinguitur, etiam nonnullis anticipatis, seu anticipandis solutionibus; tunc enim sola Signatura supplicationis super hujusmodi cassatione sufficit cum clausula; quòd illa tam in judicio, quàm extra illud fidem faciat. Idem tradit Card. de Luc. *de pens. d. 5. n. 3.* ubi talis est recepta praxis, quòd super hujusmodi extinctionibus (intellige quæ fiunt mediante pecuniâ, seu redemptione per anticipatas aliquorum terminorum solutiones; de his enim immediatè ante fuerat locutus) obtinetur beneplacitum Apostolicum, pro quo sufficit sola supplicatio signata manu Papæ, absque expeditione literarum &c. Et *d. 22. n. 4.* ubi stylus est, sive cassatio pensionis fiat motu proprio, sive ex conventione partium ob aliquorum terminorum anticipatam solutionem non expediendi literas; sed quòd sola supplicatio signata manu Papæ sufficiat ex Decreto in eadem supplicatione adjici solito. citat pro hoc Tond. *de pens. c. 28. n. 26.* Garc. *p. 6. c. 2. n. 13. &c.* qui tamen ibi non loquitur de literis expediendis super pensionis extinctione per dictam ejus redemptionem, sed super illius translatione.

Quæstio 670. *An pensio cassata possit deinceps exigi?*

Respondeo: Pensio semel extincta, sive gratuitâ cassatione, sive mediâ redemptione, amplius non revivisci, licèt titularis, seu is, qui pensionem solvebat, de novo se obligaret ad solvendum illam; quia beneficium semel liberatum ab onere pensionis, non potest per beneficiarum iterum reduci ad servitutem sine nova auctoritate, & solennitatibus requisitis in reservatione pensionis. Ventrigl. *to. 2. annot 11. §. 3.* citans Mareschot. *var. resol. l. 2. c. 18. n. 24. & 25.* Cassad. *de pens. decis. fin. n. 6.* Procederéque idipsum, etiamsi titularis confiteretur, cassationem fuisse factam per metum, ex Mareschot. *loc. cit. n. 26.* astruit Ventrigl. *loc. cit.* dum tamen aliunde de dicto metu sufficienter per alias probationes, quàm titularis confessionem, constaret. pensio non quidem reviviscere, sed diceretur nulliter extincta, adeóque persolvenda. Ventrig. *loc. cit.* Sic quoque tradit Card. de Luc. *de pens. d. 22. n. 2.* quòd quamprimùm cassata pensio (loquitur de cassatione

ne facta per Papam motu proprio)& sic illico Ecclesia in primævo libertatis statu reposita, pensio ampliùs peti nequeat;adeò ut Judex ex officio nemine etiam opponente,pensionarium agentem repellere valeat.Citat pro hoc Gamb.*de off.leg.l.6.n.* 484.Tond.*de pens.c.77. n.25.&c.*

Quæstio 671. *Qualiter amittatur possessio exigendi pensionem?*

1. REspondeo primò: Tunc pensionarius dicitur amisisse possessionem naturalem, seu spoliatus possessione naturali pensionis, quando pensionem petiit ab eo, qui eam illi solvere consueverat,& is solvere non vult.Nam eò ipso, quod solvere recusèt, spoliare videtur pensionarium possessione. Azor.*p.2.l.8.c.13. q.2.* citans Innoc. *in c. suborta,de sent. & rejudic.* & Decium *cons.* 136.Lott.*l.1.q.38.n.214.*ubi: probando,pensionem semel petitam,& titularem eam negasse, probatur amissa naturalis possessio; quia illa denegatio intenta est ad spoliationem naturalis possessionis.Citat pro hoc Guido.Papam.*decis.629.per tot.*

2. Respondeo secundò: Posito autem,quòd possessio naturalis fuerit amissa per dictam denegationem solutionis, quòd, si pensionarius per decennium acquieverit illi denegationi, negligendo petere solutionem,abjecit etiam animum possidendi, sic ipsam quoque civilem possessionem per lapsum tanti temporis, quasi ejus oblitus, amittit. Lott.*loc.cit.n.215.*citans Bart.*in l.sive possidetis n.8. c.ne probat.* Covar.*ad regul.possessor.p.1.sub.n.3.* Bald. *cons.12.n.11.l.1. &c.* Subjungit tamen Lott. *n.* 216. Rotam idipsum non admittere, sed ut sit locus amissioni civilis possessionis, id exigere, ut naturalis possessio per alium fuerit occupata,qualiter illa ab alio occupata non est, ubi adest solùm simplex illa denegatio titularis, ut Rota *in Aquilegiens. pens.* 21.*Maii.*1610.Sic quoque ait Lott. *loc.cit.n.* 218. illud, quod unus possidet naturaliter tantùm, & alius civiliter tantùm, non posse applicari controversiæ super possessione,vel quasi possessione pensionis. Nam licèt pensionarius possideat tantùm civiliter, titularis tamen non potest possidere naturaliter;cùm pensio sit quædam servitus,& res sua nemini serviat juxta *l. in re communi.ff. de servitut. urbanor. prædior.* Porrò pensionarius spoliatus possessione naturali per denegatam ei à titulari solutionem,potest agere judicio de spolio, & judicio possessorio ad recuperandam pensionem.Azor *loc. cit.*citans Caccialup.*q.*18. Rotam *de restitut spoliat. decis.24. in antiq.* An autem, & qualiter agens hoc judicio teneatur ostendere titulum, dictum est aliàs. Vide de hoc Azor. *loc.cit.* & Lott. *loc. cit. à n.* 220.

PARAGRAPHVS IX.

De Resignatione per Procuratorem.

Quæstio 672. *An, & à quibus,& quorum beneficiorum resignatio fieri possit per Procuratorem ?*

1. REspondeo ad primum: Posse fieri resignationem per Procuratorem. Garc.*p.11.c.3. n.*142. Paris.*l.9.q.1.n.1.* Castrop.*de benef.d.6. p.2. §.4. n.1.* Azor.*p.2.l.7.c. 22. q.1.* affirmantes, hanc esse constantem omnium sententiam ex *l.Labeo. ff.de usucap.* ubi, quòd,qui potest aliquid per se, possit etiam idem per alium, nisi lege prohibeatur. Item in *l.1. ff. de Procurat.* ubi, quòd usus mandati necessarius sit, quando nostris rebus superesse non possumus vel volumus. Jam verò lex nulla,proh bet,resignationem beneficii fieri per procuratorem,nisi in casu unico; nimirum, dum resignationem faciens commoratur in Curia Romana; usus siquidem & stylus obtinet, ut præsentes in curia Romana non nisi per se ipsos consensum præstent resignationi (intellige, consensum illum magnum ad distinctionem consensûs parvi præstiti in correctione supplicæ, qui etiam per Procuratorem in eo casu præstari non prohibetur) idque vi regulæ Cancellariæ quæ est 24.Pauli IV. ubi sic dicitur: *Apostolicæ literæ nullatenus expediantur,nisi resignans vel cedens,si præsens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per Procuratorem ad hoc ab eo specialiter constitutum expeditioni hujusmodi in eadem Cancellaria expressè consenserit, &c.* Castrop. *loc. cit.* Azor. *loc. cit. q.* 8. Chok.*ad citatam reg.n.*39.Paris.*l.8.q.8.n.22.*quâ regulâ obligantur quicunque, etiam in magna dignitate, etiam Cardinalitia Constituti. Unde dum Cardinales resignant, hunc suum consensum præstant per syngrapham propriâ manu subscriptam, & missam ad Notarios Cancellariæ,vel Cameræ. Vel hi Notarii ad ipsos accedere solent, ut hunc eorum consensum excipiant, Azor,Chok. Paris. *ll. cit.*qui tamen posterior *loc.cit. n.23.* uti & *l.9. q.12.* & cum eo Chok. id limitant,ut procedat, dum hic consensus præstatur in Cancellaria, non verò dum præstatur in Camera;eò quòd Notarii Cameræ,ad præstandum ibi consensum admittant etiam Procuratores præsentium. Hinc jam

2. Respondeo ad secundum. Hoc unico igitur casu excepto,omnes, qui possunt per se resignare, possunt etiam constituere Procuratorem ad resignandum.Paris.*l.9. q.1. n.5.* Sic in specie poterit id infirmus, etiam morti proximus. Azor *loc. cit. q.1.* Paris.*loc.cit.à n.7.*modò sit sanæ mentis; destitutus enim usu rationis Procuratorem constituere nequit. Paris.*loc.cit.à.n.* 13. Et sic Constituti in quacunque dignitate eam resignare possunt per Procuratorem. Azor *cit. q.1. à n.* 10. Sic è contra, qui per se nequeunt resignare, resignare quoque non valent per Procuratorem.Paris.*à n.22.* tales esse dicens minores. Vel etiam,ut idem *ibidem*,qui constituere nequeunt Procuratorem. Hinc infero &

3.Respondeo ad tertium:Omnia beneficia resignari possunt per Procuratorem.Paris.*l.9.q.2.n.1.* etiam maxima, & ipse Papatus.Paris.*ibid. n.2.* De cetero potest resignatio per Procuratore fieri tam coram Ordinario, quàm in Curia in manibus Papæ, modò coram Ordinario fiat purè; cùm coram illo nec ipse Principalis in favorem,aut sub alia conditione resignare queat.Paris.*l.9.q.5.n.1.*Porrò quod dictum de resignatione, procedit quoque de resignatione permutationis gratiâ,ita ut permutari quoque possint beneficia per Procuratorem.Paris.*l.9.q.1.n.3.*citans Bellamer.*de permut. benef. p.8. q.2.n.9.*ac dicens,esse communem.

Quæstio 673. *An constitui possit Procurator ad beneficium idem accipiendum, & dimittendum ?*

REspondent negativè Castrop.*loc.cit. n.2.* Azor *loc.cit.q.7.*Paris.*l.9.q.10.*citans Bellam.*ubi antè n.17.* eò quòd constitui nequeat Procurator ad benefi-

neficium, quod tunc actu non habet Principalis, & nemo jure acceptare possit beneficium, habens in animo illud mox dimittere. AA. iidem.

Quæstio 674. Quinam constitui possint Procuratores ad resignandum, & in specie, num laicus?

REspondeo ad primum: Regulam ab omnibus communiter receptam esse, quòd omnes esse possint Procuratores ad resignandum, Paris. *l.9.q.3. n.2.* juxta *tit. ff. & c. de Procuratorib.*

2. Respondeo ad secundum: Potest etiam laicus constitui Procurator ad resignandum beneficium Ecclesiasticum. Laym. *in c. non indiscretè. de Procurat. in 6. n.2.* Azor. *cit. c.22.q.2.* Castrop. *cit. §.4. n.2.* Paris. *cit. q.3. n.12.* (licèt is *n.20.* dicat, quod etsi ipse viderit, sic in praxi servari, ut etiam laici constituantur ad resignandum, tutiùs tamen esse, ut constituantur Clerici, juxta gl. mox citandam) citantes Rebuff. *in pr. p.3. tit. de Procurat. ad resign. const. n.17.* & gloss. communiter receptam *in Clem. unic. de Procurat. v. Procuratorum*, contra Vitalin, non enim Procurator suo, sed constituentis nomine cedit beneficio, habétque se ut nudus minister, declarando mentem constituentis. AA. iidem. Unde & ad acceptandum beneficium constitui potest, ejúsque collationi præbere assensum nomine Principalis sui. Laym. Azor. *ll. cit.* Paris. *loc. cit. n.19.* juxta *c. accedens. de præb.* Et sic in genere, laicus in causis & negotiis spiritualibus, dum ei nudum mandatur ministerium, alienóque nomine agit & defendit, nullúmque in eo jus radicatur, constitui, & esse, potest Procurator. Laym. *loc. cit. n.1.* citans Anchar. *in cit. c. non indiscretè* & Bartol. *in l. quod possessio. §. etsi possessio. ff. de acquirend. possess.* Item Paris. *cit. q.3. n.20.* citans Decium *in c. decernimus. de Judic. in 6.* contra Abb. *in cit. c. decernimus*, cujus doctrinam, quod laicus ministerialiter tractare nequeat negotia ecclesiastica, veram non esse, ait *cit. n.20.* Paris. Proinde non obstat, quod in causis Ecclesiasticis laicus nequeat esse judex; siquidem in judice fundatur potestas & jurisdictio, quæ si Ecclesiastica est, non cadit in laicum; in Procuratore autem potestas est magis vicaria, & ministerialis tantùm. Laym. *cit. n.1.* Quin & quoties non quæstio juris, sed facti tantùm controvertitur in causis spiritualibus, seu ecclesiasticis, laicum posse cognoscere, tradit Paris. *loc. cit. n.14.* citatis pluribus. Item posse eum esse executorem testamenti ad pias causas, tradit *ibidem* citato Baldo & Decio *in cit. c. decernimus.* Neque obstat, quod in causis ecclesiasticis nequeat esse arbiter. *c. cùm contingit. de arbitr.* nec statuere de rebus Ecclesiasticis. *c. bene quidem. d.46.* nec interesse electioni Prælati Ecclesiastici. *c. Messana. de elect.* nec esse Collectot, nec Subcollector decimæ Papalis, &c. hæc enim, ut Paris. *cit. n.20.* non nudum ministerium sonant. Quod hìc dictum simpliciter de resignatione, idem etiam procedit in permutatione, ita ut etiam ad permutanda beneficia, laici constitui possint Procuratores. Paris. *l.9. q.3. n.13.* citans Gamb. *in c.1. de rer. permut. in 6. n.123.* & Rotam *dec. 8. de procurat. in antiq. n.5.*

Quæstio 675. An Monachus, aliúsve Religiosus constitui jure possit Procurator, per quem beneficiatus sæcularis resignet suum beneficium sæculare?

REspondeo: Tametsi Monachus, aut Religiosus eligi nequeat Procurator ad lites & judicia, juxta *Clem. religiosus. de Procurat.* Paris. *l.9. q.4. n.1.* cùm tamen constitui possit Procurator ad tractanda alia negotia, præsertim Ecclesiastica (utpote in quibus agere potest per se) posse quoque eum constitui Procuratorem ad resignandum tale beneficium; cùm id specialiter non prohibeatur, censet Card. Zabarell. *in cit. Clem. religiosus*, apud Azor *cit. c.22.q.3.* & in *Clem.2. de rescrip. n.2.* apud Paris. *n.17.* Idem quoque censet Azor *cit. q.3.* Castrop. *loc. cit. n.2.* sub hac tamen limitatione; si Superior illius in hoc consentiat, quem tamen, dicit Castrop. citato Rebuff. & gl. consentire non debere, nisi resignatio cedat in utilitatem Conventûs; eò quòd *c. Monachi, 2.16.q.1.* caveatur, Monachos tractare negotia Ecclesiastica, nisi monasterio utile sit, & Abbas præcipiat. Nihilominus Paris. *cit. q.4. n.6.* absolutè id negat his verbis expressis; verior est opinio, ut religiosus constitui nequeat Procurator ad resignandum, & sic non solùm ad lites, causas, judicia, sed neque ad negotia etiam extrajudicialia. citat pro hoc Vitalin. in *Clem. si religiosus. v. officium. n.3.* (quem etiam *n.18.* dicit intelligere illum textum generaliter, hoc est, de astrictis religioni, sive monachali, sive alteri) Rotam *in Senens. pension. 1. Jun. 1545.* rationem desumit ex statu Monachorum, qui ne retrahantur à divinis, & detur eis materia evagandi, aliena negotia accipere, nec exequi debent.

Quæstio 676. An Cardinalis esse possit Procurator ad resignandum?

REspondes affirmativè, Paris. *l.9.q.3.n.2.* ex Caputaq. ac dicit, sic communiter servari de stylo; nisi fortè dedeceret dignitatem illam suscipere id ministerii nomine alterius inferioris.

Quæstio 677. An, & qualiter plures simul Procuratores constitui possint ad resignandum?

1. REspondeo ad primum; posse ab uno duos, vel tres, vel plures simul constitui Procuratores ad resignandum idem beneficium. Castrop. *cit. §.4.n.2.* Azor. *cit. c.22.q.4.* Paris. *l.9.q.3.n.21.* citans plures alios, ac dicens, sic videri DD. communiter concludere. *in Clem. unic. de renunciat.*

2. Respondeo ad secundum: possunt hi Procuratores constitui vel in solidum, ita ut singulis detur potestas in solidum cedendi tali beneficio; & tunc quisque eorum resignare potest absque interventu alterius. Castrop. Azor. *ll ult. cit.* Paris. *cit. q.3.n.22.* dicens, sic constitui posse plures in solidum, etiamsi expresè non dicat Constituens: *constituo N. & N. & quemlibet in solidum; & n.23.* subjungens, ceuseri constitutos singulos in solidum, ubi Constituens in mandato apposuit Clausulam: promittens habere ratum, quidquid ab iis, seu altero ipsorum gestum factúmve fuerit. Vel constitui possunt plures non in solidum, sed in simul; & tunc non sufficit consensus unius, sed requiritur consensus omnium. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *cit. q. 3. n.26.* dicens, id sine exceptione ab omnibus communiter receptum. Necessarium tamen non est, ut omnes simul consensum præstent; sed sufficit unum post alium præstare consensum AA. iidem. Paris. *n.27.* citantes Sarnens. *l.1. decis. 144.* Quin &, si unus ex iis non in solidum constitutis consensit, & dein mona-

moriatur Principalis, seu constituens, posse adhuc alterum ex iis, seu ceteros, etiam post dicti Principalis mortem consentire valide in resignationem illam, tradit Paris. *ibid. nu.* 29. & ex eo Azor. *cit. q.* 4. juxta decision. Rotæ, de qua testatur Sarnens. apud eosdem.

Quæstio 678. *An unus idemque constitui possit Procurator à resignante, ut hujus nomine beneficium dimittat, & à resignatario, ut hujus nomine consentiat in pensionem reservatam resignanti?*

REspondeo affirmativè. Azor. *cit. c.* 22. *q.* 5. Paris. *cit. q.* 3. *n.* 30. *&* *n.* 31. addens, se vidisse sic servari in stylo, & mandata sic facta sine ulla dubitatione à Notariis Cameræ, & Cancellariæ admitti; quamvis melius suo judicio esse dicat, duos constitui Procuratores, unum à resignante, alterum à resignatario, & sic se consulturum. sic *l. cit.* tradunt jidem, & cum illis Castrop. *cit.* §. 4. *nu.* 2. posse eundem constitui Procuratorem à duobus volentibus permutare sua beneficia, cùm nulla in hoc appareat contradictio, quòd idem utriusque personam repræsentet, & utriusque nomine beneficia dimittat, & recipiat seu acceptet, pro quo Paris. *n.* 30. citat Bellam. *de permut. benef. p.* 8. *q.* 1. *per tot.*

Quæstio 679. *An necesse sit Procuratorem constitui per scripturam publicam, an verò sufficiant ad hoc literæ simpliciter manu principalis conscriptæ, & Titio submissæ, in quibus principalis dicat:* Constituo te Procuratorem meum in ordine ad resignandum hoc meum beneficium?

1. REspondeo primò: Sufficere dictas literas in ordine ad porrigendam supplicationem resignationis, quia porrectio supplicationis fieri potest à quocunque (intellige, nonnisi tamen de voluntate supplicantis) etiam absque speciali mandato; adeóque multò magis vigore talium literarum. Paris. *l.* 9. *q.* 6. *n.* 6. *juncto n.* 8. testans, ita observare stylum vulgarem Curiæ Romanæ.

2. Respondeo secundò: Non tamen sufficiunt tales literæ in ordine ad præstandum consensum nomine Principalis; sive non sufficit ad hoc tale mandatum datum, acceptúmque per literas missas, sed requiritur scriptura publica, seu mandatū scriptum manu Notarii publici. Castrop. *loc. cit. n.* 3. Azor. *loc. cit. q.* 6. Paris. *cit. q.* 6. *nu.* 7. ubi: quò ad præstandum consensum stylus non admittit, ut hoc fieri possit per literas missivas; nam Notarii Cameræ, & Cancellariæ non extendunt consensum, nisi constet de mandato per publicum instrumentum; citant pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de procurat. ad resig. n.* 7. & testatur Paris. sic pluries à Rota resolutum. Unde, si per literas privatas constitutus Procurator consentiat resignationi, seu dictum consensum præstet post mortem constituentis, præstatur is nulliter, & invalidè. Azor. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. num.* 9. Atque ita conciliari posse videntur sententiæ, dum Card. de Luc. *cons.* 47. *n.* 14. *vol.* 1. apud Paris. *cit. q.* 6. *n.* 1. docet, posse utroque modo, & per instrumentum publicum, & per privatas literas constitui Procuratorem ad resignandum. Item Anton. de Butrio *in c.* 2. *de renunc. in* 6. *n.* 4. dicens, non esse differentiam inter renunciationem, quæ fit per literas, & quæ fit per Procuratorem, intellige, constitutum per tale mandatum publicum: si nimirum mandatum illud per literas datum intelligatur de porrectione supplicationis, vel etiam præstando consensu parvo. Aliud verò mandatum per publicum instrumentum datum de præstando in Camera, vel Cancellaria consensu illo magno.

3. De cetero videtur quoque sufficere mandatum datum per privatas literas ad resignandum coram Ordinariis; siquidem prædicti AA. & alii, dum mandatum illud publicum requirunt, loquuntur solùm de resignatione, quæ fit in Curia Romana in manibus Papæ; quin & de consensu illo magno, seu extendendo in Camera, vel Cancellaria Apostolica post porrectam, & signatam supplicationem.

Quæstio 680. *Quale esse debeat dictum mandatum illud ad præstandum dictum illum consensum?*

REspondeo: Præterquam, quòd scriptum sit à publico Notario seu Tabellione, debet esse obsignatum signo publico Judicis Ordinarii (vel, ut addit Paris. *l.* 9. *q.* 7. *n.* 2. *&* 3. Communitatis, vel, quod melius dicit, utriusque, etiam sine subscriptione testium) recognitum ab ipso mandante, à Tabellione subscriptum (siquidem instrumentum non habens subscriptionem Notarii, nec rogitum, nec sigillum, non est in forma probante, ut Paris. *loc. cit. n.* 6. ex Caputaq. *decis.* 104. *p.* 2. uti neque valet, si in eo non est appositus locus, in quo confectum, etsi opus non sit, ut apponatur locus loci, ut idem Paris. *ibid. num.* 7.) continens expressè facultatem ad resignandum, & beneficium, quod resignare vult Principalis; addito, ut Paris. *loc. cit. num.* 20. & Azor. *q.* 6. ejus nomine, & loco, ubi situm. Ita Castrop. *loc. cit. nu.* 3. Azor. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. à num.* 1. singula stabiliens citatis AA. & Rotæ decisionibus. Insuper requiritur, ut constitutus Procurator ad resignandum in dicto instrumento sit nominatus, expresso nomine proprio, & cognomine, aliàs non valet, juxta *l.* 2 *ff. de Procurator.* Procuratorium. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 39. citato Rebuff. *ubi antè, n.* 7. Item requiritur, ut hoc instrumentum procuratorium non sit cancellatum; nam si cancellatum sit, nullam facit fidem, & resignatio facta vi illius est nulla. Paris. *n.* 44. citans Rebuff. *ubi antè. n.* 33. & *nu.* 47. *&* 48. subjungens id procedere, si Cancellario est in loco principali. *c. ex literis. de fide instrumentor.* Item, si factum est manu diversa. Porrò hinc bene inspici istiusmodi instrumenta à Notariis Cameræ, & Cancellariæ ait *n.* 49. *&* 54. *&* 55. Notarios Cancellariæ magnam adhibere diligentiam, ut mandata sint valida, & cum omnibus circumstantiis à jure, & stylo requisitis, & aliàs consensum non extendi; Notarios verò Cameræ esse largiores, & ideo extendi ibi consensum vigore mandati minùs sufficientis, cum obligatione tamen, ut ille procurator procurabit, ut veniat mandatum Procuratorium sufficiens, & validum, quod intra tempus præfixum tenebitur producere, sicut de stylo servari, ait, se didicisse à peritis, & vidisse.

Quæstio

Quæstio 681. *An requiratur mandatum speciale ad resignandum, an verò sufficiat constitutus Procurator generalis cum libera & amplissima potestate, cùm Procurator generalis cum libera administratione, & Procurator specialis æquiparentur?*

REspondeo: Constitutum Procuratorem generalem cum libera, & amplissima potestate non posse renunciare, sed requiri Procuratorem specialiter constitutum, seu mandatum speciale ad resignandum tale beneficium, vel talia beneficia. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *n. 9. & 10. junctò. n. 27.* citato; Rebuff. *ubi antè nu. 24.* Fusco. *de visitat. p. 2. c. 28. n. 13.* Bellam. *de permut. benef. p. 8. q. 2. n. 15.* Burſat. &c. juxta quod de beneficiis in Curia resignatis expresè dicitur *in Reg. Cancell. 44.* ubi: *per Procuratorem ad hoc specialiter constitutum.* Siquidem resignatio est quædam donatio; habens autem liberam, & ampliſſimam potestatem administrandi, non potest donare. *l. contra juris. §. si filii. ff. de pactis. l. procurator cui. ff. de procurat.* AA. iidem Paris. *nu. 28.* potestas enim donandi non censetur dari etiam ex datione totius potestatis, ut Bald. *in l. ult. ff. qui instit. pacif. num. 29.* Unde etiam, quia conferre beneficia est donare, Vicarius Episcopi ex commissione generali, quin etiam ex ampliſſima potestate ei data ab Episcopo faciendi omnia ac singula, quæ potest Episcopus, adhuc non potest conferre beneficia, sed ad hoc eget speciali, & expresso mandato ad conferendum. Paris. *à n. 32.* Hinc jam etiam juxta Rebuff. *in pr. tit. de procurat. ad resign. n. 11.* apud Paris. *loc. cit. nu. 21.* non admitteretur mandatum ad resignandum omnia, & quæcunque beneficia, quæ constituens habet. Quod Paris. intelligendum ait, quoties vellet resignare in favorem alicujus, secus, si vellet iis resignare simpliciter; eò quòd, si iis tacitè resignare possit, etiam id possit hoc modo expresè. Atque ita differentiam patere, ait Paris. inter mandatum ad resignandum, & mandatum ad acceptandum beneficia, dum hoc esse potest generale ad acceptandum omnia, & quæcunque beneficia, licèt nullum expresè fuerit nominatum, ut Abb. Imol. Jo. And. *in c. accedens.* & Covar. *var. resol. l. 3. c. 16. n. 4.* quos citat; eò quòd hoc mandatum sit favorabile, & mandatum ad resignandum odiosum, ut Rebuff. *loc. cit. n. 12.* Speciale autem censebitur mandatum ad resignandum, si nominetur expresè beneficium, & detur expressa facultas ad illud resignandum. Paris. *cit. q. 7. nu. 19.* citato Fusco *ubi antè c. 24. n. 13.*

Quæstio 682. *An designatus Procurator, habens notitiam mandati jam expediti, traditique alteri ad se deferendum, possit resignare, antequam illud ipse recepit, & in manibus habeat?*

REspondeo negativè. Azor. *c. 22. q. 6.* Paris. *l. 9. q. 8. n. 5.* ubi inquit, communem esse sententiam omnium DD. quòd quis resignare nequeat, nisi priùs receperit mandatum procuratorium ad hoc, etiamsi aliàs haberet literas (intellige, etiam ab ipsomet mandante) quibus certioraretur, mandatum jam esse confectum, citátque pro hoc Imol. *in c. in nostra. de procurat.* Boër. *decis. 348. sub nu. 7.* contra Rebuff. *in pr. loc. cit. nu. 24.* Quod confirmatur etiam ex eo *n. 6.* quòd Notarii Cameræ, & Cancellariæ non extendunt consensum, nisi videant mandatum in bona forma; quod mandatum post præstitum consensum reliquitur in Camera, vel Cancellaria, & dein literæ expediuntur. Item *nu. 10. & 11.* ex eo, quòd sine mandato recepto certus non sit, quomodo, sub quibus clausulis resignare debeat, & ne fines mandati excedat. Estque hoc ipsum conforme communi omnium sententiæ, quòd non valeant gesta per Procuratorem, ante receptum mandatum, Paris. *cit. q. 8. n. 8.* citatis pluribus. Atque ex his jam infertur, in resignatione beneficii facta per Procuratorem, ante acceptum mandatum, non habere locum ratihabitionem, uti ea locum habet in acceptatione beneficii facta per tertium nomine Titli, absque ejus mandato, dum is postea dictæ acceptationi consentit. Paris. *cit. q. 8. à n. 15.*

Quæstio 683. *A quo Procurator instrumentum illud mandati, seu mandatum illud scriptum recipere debeat?*

REspondeo: Sufficere, quòd illud receperit per manus alterius à mandante, etiam resignatarii, & interesse habentis, cùm suspicio falsitatis tollatur ob sigillum Episcopi, sui Judicis Ordinarii, vel Communitatis in eo appositum. Paris. *cit. q. 8. nu. 14.* juxta ea, quæ DD. communiter *in c. post cessionem. de probat.* contra Rebuff. *ubi antè. num. 25.* tenentem, debere recipi per nuncium missum à domino seu Principali, vel per epistolam illius; & ideo, si receperit per extraneum, non debere in vi illius præstare consensum, antequam sit à Principali certioratus.

Quæstio 684. *Intra quantum tempus ab accepto mandato Procurator præstare debeat consensum in resignatione beneficii?*

1. REspondeo primò: Si sermo est de consensu, qui præstatur resignationi per porrectionem supplicæ (idem videtur esse de consensu præstando coram Ordinario, dum in ejus manibus fit resignatio, ubi locum non habet magnus ille consensus, seu extensio consensûs requisiti, dum resignatio fit in manibus Papæ ante expeditionem literarum Apostolicarum) non est ei præfixum ad hoc à Jure tempus, sed poterit præstari etiam post lapsum quadriennii, quamdiu mandatum illud revocatum non est. Castrop. *cit. §. 4 num. 4.* Azor. *cit. c. 22. q. 9.* Paris. *l. 9. q. 13. num. 5.* contra Paul. Castrensem *cons. 12.* tenentem, non posse eum præstari post lapsum quadriennii; eò quòd ex lapsu tanti temporis sit præsumptio, Principalem revocasse mandatum; quod consilium Castrensis rejectum à Rota, tanquam contra regulas, & omnia principia Juris testatur Paris. Quamvis tamen & ipse dicat, melius fore, ut habeatur novum mandatum; eò quòd Notarii Cancellariæ quandoque faciant difficultatem in admittendo tam antiquo mandato. Attendendam etiam in hoc esse Provinciarum consuetudinem, ait Castrop. cùm in Gallia tale Procuratorium mandatum ad resignandum post annum elapsum non recipiatur, ut Paris. *cit. q. 13. n. 6.* ex Rebuff. *loc. cit. n. 18.*

2. Respondeo secundò: Si sermo est de consensu magno, seu extendendo consensu in Camera vel Cancellaria Apostolica, indubitatum est, illum præstandum per Procuratorem intra sex menses, (intellige tamen, non ab accepto mandato, sed à porre-

à porrecta supplicatione) intra quos expediri debent literæ Apostolicæ, & resignatio publicari vi constitut. Gregor. 13. *de publicand. resign.* Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 1.

Quæstio 685. An constitui possit Procurator post supplicationem porrectam per alium, & signatam à Papa, & recognitam à Datario, intellige, dum resignatio fit in Curia, seu coram Papa?

REspondeo affirmativè: Unde valebit resignatio facta per procuratorem præstantem consensum coram Notariis in Camera vel Cancellaria, v. g. in Novembri, dum supplicatio recepta, signata, & recognita, v. g. in Octobri vel Septembri. Azor. *cit. c.* 22. *q.* 11.

Quæstio 686. An resignatio beneficii facta per Procuratorem, seu consensus Procuratoris trahatur ad diem, quo datum mandatum, ita ut ab eo die censeatur amissum esse, & vacasse beneficium quò ad titulum, & possessionem?

REspondeo negativè: eò quòd, ut constat ex dictis ad initium hujus partis 3. beneficium non vacet, nec habeatur pro derelicto, ex quo quis Procuratorem constituit ad illud resignandum; cúmque talis retrotractio non admittatur in aliis actis per Procuratorem; admitti etiam non debeat in resignatione beneficiorum; cùm in eâ speciale non sit ex jure fundamentum, ita Castrop. *loc. cit. nu.* 7. contra Azor. *loc. cit. q.* 10. & Paris. *l.* 9. *q.* 15. *à nu.* 1. citantem pro se Abb. *in c. sollicitè. de restitut. spol. nu.* 11. Bald. *in c. audita. tit. eod.* Menoch. *de recup. possess. remed.* 1. *nu.* 274. Felin. &c. ac dicentem esse sententiam magis communem. Unde, ut infertur ex responsione nostra, si Principalis post constitutum à se Procuratorem, v. g. in Augusto resignet per seipsum beneficium coram Ordinario (non enim impeditur ex constituto Procuratore, quò minùs eo jam constituto per seipsum adhuc valeat resignare) antequam id in Curia faciat constitutus Procurator, v. g. in Octobri, & dein illud idem beneficium resignet dictus Procurator, v. g. in Novembri, valebit resignatio facta per Principalem ipsum, & non valebit facta per Procuratorem. Castrop. *loc. cit.* directè contrarium ex sua doctrina inferentibus Azor & Parisio, nimirum invalidam esse Principalis resignationem, & valere in hoc casu resignationem factam per Procuratorē licet tempore posteriorem.

Quæstio 687. An Procurator constitui possit ad resignandum certo modo, formâ, conditione, quam in resignatione servare debeat?

1. REspondeo primò: Generaliter affirmativè (modò tamen forma, modus, conditio sint talia, sub quibus ipse Principalis resignare potest; si enim constitutus ad resignandum coram Ordinario sub reservatione pensionis, ita resignare non poterit, quia nec ipse principalis coram Ordinario nisi simpliciter, & purè resignare potest) siquidem fines mandati excedere non debet, quia nomine proprio non agit, sed alieno, & per mandatum communicatur ei potestas juxta *c. cùm dilecti. de rescrip. c. cum olim. de off. jud. deleg. l. diligenter. ff. mandati.* Castrop. *cit. loc. nu.* 8. Azor. *loc. cit. q.* 12. Paris. *l.* 9. *q.* 17. *à nu.* 1. Et quia mandatum ad resignandum non solùm strictè, sed & strictissimè interpretandum, Paris. *ibid. nu.* 5. ex Card. Paris. *cons.* 143. *n.* 35. *vol.* 4. Bursat. *cons.* 395. *nu.* 11. *vol.* 4. quia odiosum, ut Rebuff. ubi supra *n.* 12. Hinc

2. Respondeo secundò in specie. Constitutus Procurator ad resignandum in favorem Titii, resignare non potest in favorem Caji. Constitutus ad resignandum sub reservatione pensionis non potest resignare absolutè &c. AA. iidem variis exemplis hanc doctrinam comprobantes. Constitutus ad resignandum coram Ordinario, non potest resignare coram Papa, & vice versâ. Castrop. *cit. n.* 8. Azor. *cit. q.* 12. §. *ex dictis.* Paris. *cit. q.* 17. *nu.* 136. & 137. addentes, hinc ad tollendam omnem dubitationem, cùm datur facultas Procuratori resignandi beneficium absolutè, & simpliciter, solere hanc clausulam apponi, ut coram Papa vel Ordinario loci possit resignare. Sic constitutus ad resignandum coram Papa cum reservatione omnium fructuum, vel cum regressu, si resignet nullis fructibus, vel nullo regressu reservatis, nulla est resignatio, Azor. *loc. cit.* quin & si in tali casu resignet reservatâ solùm parte fructuũ, vel pensione, vel sine regressu, eò quòd difficulter admittatur resignatio reservatis omnibus fructibus, vel cum regressu, resignatio erit nulla; quia licèt supradicta conditio sit concessu difficilis, solet tamen quandoque concedi; & quia resignatio, in qua reservantur omnes fructus, omnino diversa est ab ea, in qua reservatur pars fructuum, uti & resignatio, in qua reservatur regressus, ab ea, quæ fit simpliciter, adeóque à facultate ad resignandum cum reservatione omnium fructuum, vel cum regressu in ferri non potest facultas ad resignandum cum parte fructuum, vel sine regressu. Castrop. *loc. cit. n.* 7. contra Azor. *cit. q.* 12. & Paris. *cit. q.* 17. *n.* 20. 21. & 22. existimantes, talem resignationem adhuc fore validam (sub hac tamen limitatione: modò Procurator adhibuerit diligentiam ad impetrandam reservationem omnium fructuum, vel regressum, seu modò per illum non steterit, quò minùs resignatio fieret cum dicta conditione; eò quòd, cùm conditio illa impetratu sit difficilis, & soleat à Papa repelli, non videatur mandatarius ad illam arctari, sed solùm obligari ad illam, quantùm potest, procurandam. Idem esse videtur, si constitutus ad resignandum sub pensione cum hac clausula: *etiam literis non expeditis, solvenda etiam per successorem:* si Procurator resignet sub pensione quidem, sed omissâ dictâ clausulâ, eò quòd hæc impetratu difficilis; nimirum fore talem resignationem invalidam ex eadem ratione, nimirum ex defectu consensûs mandantis, uti admittunt ipse Azor. *loc. cit.* & expressè Paris. *n.* 54. & 55. sic resolutum dicens à Rota *in Cordub. dimidiæ portion.* 14. *Novemb.* 1559. cui decisioni inhæserit Rota, dum diceretur, de stylo non solere dari talem clausulam, reponendo, non stylum, sed mandatum debere attendi, cum quo, non satis video, quomodo cohæreant, quæ habent iidem Azor. *loc cit.* Paris. *n.* 57. quòd valeat resignatio, si constitutus ad resignandum sub pensione, reservata in fructibus, reditibus, proventibus, juribus, & distributionibus quotidianis, quæ acquiri solent ab illis, qui residunt, & divinis officiis intersunt, resignaret reservatâ pensione sub dicta clausula, omissis solùm illis verbis: *quæ acquiri solent ab his, qui residunt:* eò quòd

hæc verba pugnent cum jure communi, ac proinde contineant, quod jure fieri non potest; cùm non magis pugnent cum jure communi, seu concedi non soleant, quàm illa clausula: *literis non expeditis etiam per successorem solvenda.* Sic, si constitutus ad resignandum sub pensione cum potestate illam transferendi, resignavit reservatâ pensione, sed sine facultate eam transferendi, resignatio est nulla. Azor. *in fine. cit. q.* 12 Paris. *cit. q.* 17. *n.* 46. *junctò n.* 32. *&* 33. contra Caputaq. *decis.* 89. *p.* 3. sentientem, valere in hoc casu resignationem, eò quòd, qui facit mandato contigua vel vicina, non dicatur excedere fines mandati. Idem est, si constitutus ad resignandum sub pensione libera, & exempta, resignavit quidem sub pensione, sed non sub libera, & exempta. Azor. *loc. cit.* Sic inhærendo responsioni generali, si constitutus ad resignandum simpliciter, resignat sub reservatione pensionis, nulla erit resignatio; eò quòd ad conditionalem resignationem mandatum non habuerit: nec dici possit, quòd mandarius excedens mandatum, utiliter gerat negotium mandantis. Castrop. *loc. cit. n.* 8. contra Azor. *q.* 12. Quodsi tamen constitutus ad resignandum in favorem Titii modo, & formâ, & conditione, quæ Procuratori videbuntur, & reservatâ pensione cuicunque voluerit, is resignet in favorem Titii, reservatâ pensione ipsi mandanti; valida videtur resignatio, & facta melior conditio domini, seu mandantis absque eo, quòd fines mandati fuerit egressus. Azor. *l. c.* Paris. *n.* 78. Quodsi etiam in mandato aliud nihil expressum, quàm ut reservetur pensio, & dein supplica signata fuit cum clausula de exemptione pensionis, & posteà Procurator consensum præstitit absque clausula de exemptione pensionis, & similiter literæ expeditæ absque dicta clausula; validam adhuc fore resignationem, seu dictum consensum per Procuratorem præstitum, tradit *ibidem* Azor. cum Paris. *à num.* 51. quia consensus hic, & literæ cum mandato concordant, & ut habet regula Cancellariæ, judicandum non est juxta supplicationis, sed secundùm literarum tenorem; & dum Princeps concedit quid amplius, quàm in libello supplici petitum, concessio continet hanc tacitam conditionem, si partes uti voluerint dictâ concessione.

3. Denique constitutum ad resignandum in favorem personæ per ipsum hunc constitutum Procuratorem nominandæ, seu cui ipse Procurator voluerit, non posse Procuratorem nominare seipsum, tradit Paris. *à nu.* 102. ex Bursat. *cons.* 380. *vol.* 4. & cum eis Azor. Confirmántque id à pari, quòd, qui constitutus Procurator ad eligendum vel nominandum, non possit seipsum eligere vel nominare. *l. si mandavero.* §. *si tibi centum, ff. mandati. c. per nostra. de jurep. c. Cumana. de elect.* Patronus seipsum præsentare nequit, de quo vide dicta aliàs. Is, cui data facultas ad vendendum pignus, cui voluerit, non potest sibi ipsi vendere pignus: is, cui tradita pecunia, ut det illam, cui voluerit, non potest eam sibi reservare; quamvis Executor, vel alius constitutus ad distribuendum pecuniam inter pauperes, possit sibi ipsi dare, vel applicare, v. g. monasterio suo, si egeat. Rationem etiam hujus rei hanc dat Paris. *n.* 114. ne tales eligentes, præsentantes, nominantes seipsos in vitium ambitionis incidant. Et hinc limitandum illud: *Charitas incipit à seipso*: nimirum, si tali charitati admixta non sit ambitio, uti ea tali distributioni pecuniarum non est admixta, dum sibi ipsi ex ea quis tribuit, ut Paris. *à n.* 117. Item quia mandatum hoc, ut Paris *nu.* 115. videatur continere tres personas, constituentem, constitutum, & tertium, in cujus favorem facienda resignatio, unde videatur non servari ejus forma, si constitutus seipsum nominet ad beneficium.

Quæstio 688. *Si duo reperiantur data mandata eodem anno, mense, die, loco, testibus, ac Notario iisdem, contraria tamen, v. g. quorum unum sit ad simpliciter resignandum, alterum ad resignandum in favorem, cui ex illis standum?*

REspondeo: Utrumque esse invalidum, & nullius momenti, & hinc facta resignatio in vigore unius ex illis est invalida. Paris. *l.* 9. *q.* 23. *n.* 1. *&* 2. citans Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 15. *n.* 15. & Rotam. dum enim mandata sunt in qualitate diversa, propter incertitudinem utrumque est invalidum. Paris. *cit. nu.* 2. juxta *l. duo sunt Titii. ff. de testamen. tut.* & Abb. *in c. in nostra. de rescrip.* non secus ac contingit in duobus codicillis, in duobus rescriptis, in duabus sententiis diversis, & contrariis. Paris. *ibid. n.* 3. ex Jason. *in l. ult. à n.* 31. *c. de edicto divi Adriani toll.*

Quæstio 689. *An, si Procurator resignet in favorem inhabilis, vacet beneficium resignatum?*

1. REspondeo primò: Si ei à mandante denominata fuit persona illa, in cujus favorem renunciare debebat, & ea reperiatur inhabilis, mandante inculpabiliter non sciente de illa inhabilitate, non magis vacabit beneficium vi talis resignationis in talem factæ per Procuratorem, etiam conscium talis inhabilitatis, ac si ipse per se resignasset tali, juxta dicta aliàs. Sicut econtra vacabit beneficium, per talem resignationem, ipse mandans sciens inhabilitatem talis personæ, nihilominus mandavit Procuratori inscio de tali inhabilitate, in talem resignare. Paris. *l.* 9. *q.* 21. *n.* 8.

2. Respondeo secundò: Si constitutus Procurator ad resignandum in favorem illius, cui ipse voluerit resignare, & resignavit inhabili, videtur adhuc non vacare beneficium vi talis resignationis, & ea resignatio omnino invalida in ordine ad jus abdicandum à resignante, cùm talis Procurator egressus censeatur fines mandati sui, in quo aliud velle non præsumitur mandans, quàm ut beneficium suum obveniat habili.

Quæstio 690. *An Procurator constitutus ad concordandum super beneficio cum quibuscunque conditionibus, vi hujus mandati possit illud beneficium resignare?*

REspondeo negativè: Eò quòd cessio sit donatio, & facultas donandi non censetur data, nisi expresse dicatur, semperque præsumatur pro non donatione. Paris. *l.* 9. *q.* 19. *à n.* 1. Qui tamen id ipsum etiam sic limitat *nu.* 8. nisi esset data recompensa æquivalens vigore resignationis, vel casus esset dubius; utroque enim hoc casu posse resignari vi talis mandati juxta notata per DD. *in l. contra juris.* §. *si filius. ff. de pactis.*

Quæstio

Quæstio 691. *An constitutus Procurator ad resignandum beneficium, super quo ipse habebat regressum sibi reservatum per cessum vel decessum, etiam in favorem præstando consensum in resignationem, seu resignando nomine constituentis tale beneficium sibi præjudicet?*

REspondet negativè Paris. *l. 9. q. 20. nu. 1.* dicens sic resolutum à Rota, teste Achill. de Graffis. *decis. 2. tit. de Procur.*

Quæstio 692. *An, & qualiter resignatio præsumatur facta præcedente legitimo mandato?*

1. REspondeo ad primum affirmativè. Paris. *l. 9. q. 22. n. 2.* citans Simonet. *decis. 36.*

2. Respondeo ad secundum: Præsumitur mandatum legitimum, quoties enunciatur in sententia judicis, ut Anchar. *in Clem. 1. de probat.* aut per Judicem, ut Menoch. *de præsump. l. 2. præsump. 33. n. 10.* Paris. *loc. cit. nu. 3.* Item quoties enunciatur mandatum per acta certi Notarii. Sic si facta resignatio per Procuratorem coram Ordinario, constabit ex actis Notarii de mandato procuræ; vel si ea facta in manibus Papæ, & tunc constabit ex actis Notariorum Cameræ vel Cancellariæ, qui absque quòd constet illis de mandato, non admittunt supplicationes, ut expediantur literæ. Paris. *cit. q. 22. n. 4. & 5.* Et, si non adesset mandatum, Notarii id non dixissent, præsumuntur namque, quòd bene exerceant officium suum, juxta *c. ad audientiam. de rescrip.* Paris. *ibid. n. 8.* Item ex eo probatur, & præsumitur mandatum, quòd enuncietur in literis provisionis beneficii. Paris. *nu. 6.* citans Menoch. *ubi antè n. 10. in fine.* &c. Item, ut idem *n. 7.* quando enunciatur in instrumento antiquo, ob eandem rationem, nempe quòd Notarii aliàs id non dixissent. Item in his, quæ fieri non solent sine mandato, ut dum quis solvit pro alio, dum resignat nomine alterius, præsumitur mandatum. Paris. *n. 12.* ex Menoch. *ubi antè. num. 3.* Mascard. *de prob. concl.* 1004. Idque multò magis, dum intervenit scientia, & patientia Principalis, v. g. scientis & patientis illum, in quem facta per Procuratorem resignatio, capere vel cepisse possessionem, percipere fructus &c. Paris. *n. 13.* Item ex diuturnitate temporis præsumitur mandatum. Paris. *n. 17.* citans Decium. *cons. 199. in fine.* Nattam. *cons. 341. n. 3. l. 1.* Socin. Jun. *cons. 130. n. 10. l. 3.* Gozadin. *cons. 73.* & plures alios, ac dicens esse veriorem & magis communem quàm oppositam, pro qua citat Card. Paris. *cons. 47. nu. 38. vol. 1.* Alex. Socin. Sen. Afflictis &c. Idque eò maximè, si cum diuturnitate temporis concurrit conjectura aliqua. Paris. *n. 18.* citatis plurimis.

Quæstio 693. *An, & qualiter cesset mandatum ad resignandum morte mandantis seu Principalis?*

1. REspondeo primò: mandatum datum ad resignandum beneficium cessat morte ipsius mandantis. Azor. *cit. c. 22. q. 13.* Castrop. *cit. §. 4. n. 9.* Paris. *l. 9. q. 24. nu. 1.* cum communi juxta expressum textum *c. ult. de Procurator.* & gl. *in Clem. 1. de renunc. communiter receptam.* Ac ita, cùm beneficium vacet per mortem constituentis Procuratorem, non potest vacare per resignationem Procuratoris. Paris. *loc. cit. n. 12. & 13.*

2. Respondeo secundò, idipsum procedere, etiamsi Procurator ignoret mortem. Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 3.*

3. Respondeo tertiò: Probanda nihilominus mors est, cùm non præsumatur. Azor. *loc. cit.* Paris. *num. 4.* cum communi DD. ut per Mascard. *de probat. concl. 1069.* Quod fieri potest vel per vocem & famam publicam; vel ex veste lugubri consanguineorum; vel duobus testibus, dicentibus se vidisse illum mori aut sepeliri. Azor. *loc. cit.* Paris. *à n. 4.* singula stabiliens citatis plurimis.

4. Respondeo quartò: Intelligendam responsionem Principalem, modò res sit integra; nam si inchoata per Procuratorem, poterit ad exitum deduci. Castrop. *cit. n. 9.* Azor. *cit. q. 13.* Paris. *cit. q. 24. n. 14.* juxta *l. nam & Servius. §. si vivo Titio. ff. de negot. gest.* Sic licèt mortuo constituente, Procurator non possit porrigere supplicationem, & dein præstare consensum in gratiam resignatarii; quia res adhuc erit integra. Azor. *loc. cit.* si tamen porrexit supplicationem, quæ à Papa fuit signata, & datata, seu à Datario recognita vivo adhuc constituente seu resignante, poterit dein, etiam post mortem illius resignantis præbere seu extendere consensum in Camera, vel Cancellaria Apostolica, ut literæ expediantur, & possessio capiatur à resignatario. Azor. & Castrop. *ll. cit.* ex Paris. *cit. nu. 14.* id quamplurimis Rotæ decisionibus, uti & Alex. VI. & Leon. X. constitutionibus ad fusum recitatis comprobantis. Quin & talis Procurator in eo casu cogi potest ad consensum illum præstandum. Paris. *n. 22.* & ex eo Azor. *loc. cit.* juxta expressum textum *cit. l. nam & Servius.* Idque etiamsi probaretur, constituentem ante mortem mutasse suam voluntatem, modò mutatio illius voluntatis non fuerit Procuratori intimata. Paris. *nu. 24. juncto n. 26.* juxta *Clem. 1. de renunc.* Quod si tamen ipse Principalis porrexit supplicationem, & dein constituit Procuratorem ad consentiendum resignationi, seu præstandum consensum in Cancellaria vel Camera pro expediendis literis, non posse hunc Procuratorem præstare dictum consensum post mortem constituentis; eò quòd respectu talis Procuratoris, utpote qui nihil adhuc fuerit, res adhuc sit integra, tradit Paris. *nu. 28.* & ex eo Azor. Unde etiam, ut tradit Paris. *num. 29.* porrectio supplicationis per Procuratorem facta vivente constituente plenè ac concludenter probari debet ad effectum, ut Procurator possit præstare consensum post mortem Principalis. Cùm enim actus præsumatur factus ad instantiam illius, in cujus favorem, & utilitatem vergit. *c. constitutus. de testib.* & ibi Abb. Paris. *n. 31.* resignatario asserenti, Procuratorem illum consensum præbuisse vivo adhuc principali, onus idipsum probandi incumbit. Paris. *num. 32.* Probatur autem hoc ipsum per testes, & Registratorem deponentes de recognitione signi & manûs porrigentis à tergo supplicationis positam. Paris. *num. 33.* Si autem dicta manus Procuratoris à tergo apposita non est, sed sollitatatoris alicujus, ut fit de stylo, probatur per dictum sollicitatoris illius deponentis, se de mandato Procuratoris porrexisse supplicam illam; utpote quod mandatum satis præsumitur; cùm verosimile non sit, istiusmodi sollicitatores sine mandato id facere propter impensam licèt parvam & laborem. Paris. *num. 34. & 35.* Si verò nullum

signum, aut manus adest à tergo supplicationis, probari porrectionem supplicationis per duos testes, vel per unum idoneum concurrentibus aliis, ut Paris. *n.* 36. sic resolutum à Rota inquiens. Quod, si etiam Procurator non in vim mandati, sed vigore literarum vivente Principali, porrexit supplicationem, non poterit post mortem illius præstare consensum; si enim vivente Principali Notarii Cameræ & Cancellariæ non extendunt consensum vi literarum, multò minùs id facient, mortuo illo. Paris. *n.* 37. Azor *loc. cit.* Quin &, si Procurator vivente Principali porrexit supplicam vigore mandati, non potest præstare consensum elapso post obitum Principalis anno. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 39. juxta Bullam, ut ait, Alexandri VI. & communem praxin.

Quæstio 694. *An Procurator constitutus ad resignandum conditionatè, nimirum sub pensione, vel regressu reservato constituenti, qui ad hoc, vivente Principali, jam porrexerat supplicationem, possit dein eo mortuo præstare consensum; ratione dubitandi inde ortâ, quòd cui reservanda pensio, vel regressus, jam sit mortuus?*

REspondent affirmativè Azor *cit. q.* 13. *in fine.* Paris. *cit. q.* 24. *n.* 41. sic resolutum dicens à Rota contra alios ab eo non nominatos. Rationem etiam dat hanc, *n.* 42. quòd, ex quo Procuratoris utriusque, nempe resignantis & resignatarii, porrexerit supplicationem, eámque expediri fecerit, videatur resignatio facta, & reservatio pensionis & regressûs impleta, unde Data consensûs postmodùm præstiti non attendatur, utpote qui secundùm regulas Cancellariæ tantùm necessarius est pro expeditione literarum.

Quæstio 695. *An censeatur revocatus Procurator per hoc, quòd Principalis factus est furiosus?*

REspondeo affirmativè, juxta limitationem mox subjungendam, quia furiosus habetur pro mortuo. *l.* 1. §. *sed furiosus. ff. de acquir. possess.* Card. Paris. *cons.* 99. *n.* 15. & DD. communiter per Mascard. *de probat. concl.* 828. *n.* 23. ergo sicut per supervenientiam mortis, ita etiam per supervenientiam furoris revocatur Procurator. Ad hæc, resignare est donare, furiosus autem non potest donare. Verùm hæc intelligenda, re adhuc integrâ; si enim Procurator constitutus à Principali sanæ mentis porrexerat jam supplicationem, quæ fuit signata & datata, per supervenientiam furoris non censetur revocatus, adeóque potest ulteriùs procedere ad præstandum nimirum consensum formalem. Secus est, seu censetur revocatus Procurator, si nihil adhuc facere inceperat. Paris. *l.* 9. *q.* 29. *n.* 7.

Quæstio 696. *An Procurator censeatur revocatus, seu cesset mandatum, dum Principalis privatur beneficio, ad quod resignandum datus Procurator, vel dum transfertur ab Episcopatu?*

1. REsp. ad primum affirmativè; quia privatus, quoad illud beneficium dicitur mortuus civiliter; mors autem civilis quoad hunc effectum æquiparatur naturali. Paris. *l.* 9. *q.* 32. *n.* 1. & 2. citans Card. Paris. *cons.* 5. *n.* 44. *vol.* 4. Rebuff. *cons.* 93. *n.* 14. An autem, si dicta privatio contingat, postquam jam Procurator porrexerat supplicationem, eáque signatâ & datatâ, possit progredi ulteriùs, & consensum magnum, seu formalem præstare, dubitatur. Si in omnibus quoad hoc punctum mors civilis hæc æquiparetur naturali, poterit progredi, sicut morte naturali contingente post porrectionem supplicæ. Verùm contrarium indicare videtur Paris. *loc. cit. n.* 4. hisce verbis: *Per privationem Procurator impeditur procedere ulteriùs* (ubi nota, terminum *ulteriùs*, qui denotat, jam cœpisse agere Procuratorem) *cùm mutata sit conditio resignantis, & ex defectu potestatis.*

2. Respondeo ad secundum: Idem dicendum de translatione, quòd per eam Procurator revocetur sicut per privationem; cùm dispositio *Clem. ult. de procurat.* locum etiam habeat in translatione. Paris. *loc. cit. n.* 5. citans Rotæ *decis.* 28. *de procurat. in novis.*

Quæstio 697. *An Procurator constitutus ad resignandum possit revocari à Principali?*

1. REspondeo primò: Potest is à constituente revocari, juxta *Clem. unic. de Renunc.* Castrop. *cit.* § 4. *n.* 10. Azor. *cit. q.* 22. *q.* 14. Paris. *l.* 9. *q.* 25. *n.* 1. citans Rebuff. *in pr. tit. de revoc. Procurat.* ac dicens, tritam esse & receptam regulam, tam in jure, quàm in praxi; potest enim quis pœnitere non solùm in renunciatione, quam per se fecit, sed & in illa, quam fecit per Procuratorem. Paris. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Etiam Procurator constitutus ad resignandum cum juramento de non revocando, potest revocari. Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 26. *n.* 2. (qui etiam *n.* 3. & 4. subjungit, quòd si tamen instrumentum juratum contineret expressam promissionem de non revocando, revocari non possit Procurator sic constitutus, nisi novâ superveniente causâ, ut Boerius *decis.* 207. *n.* 2. Sed hoc locum non habet in constitutione Procuratoris ad resignandum; nam si statim constituentem pœniteat, non valet resignatio per Procuratorem) Paris. *l.* 9. *q.* 31. *n.* 18. citans *ibid.* pro hac sententia *n.* 1. Gemin. *in c. ult.* §. *ult. n.* 5. *de rescrip.* Mohed. Federic. de Senis, Selv. &c. contra Felin. *in c. ex parte Decani. de rescrip. n.* 13. Sarn. *de annal. q.* 40. *in principio.* Rebuff. *cons.* 93. *nu.* 34. quos citat Paris. *n.* 6. ac dicens *cit. n.* 18. ab hac sua responsione tanquam communi non esse recedendum in judicando, & consulendo, & ita vidisse se, practicari non solùm in hac materia beneficiali, sed etiam in quacunque materia, ut Procurator datus cum juramento de non revocando possit revocari, pro quo præter citatos à se suprà citat insuper Card. Paris. *cons.* 8. *vol.* 4. *col. ult.* Socin. Jun. *cons.* 44. *n.* 26. *l.* 2. Ruin. *cons.* 54. *n.* 12. *&c.*

3. Ampliat hoc ipsum Paris. *n.* 15. ut procedat non tantùm quando Principalis juravit simpliciter non revocare, sed etiam dum promisit Resignatario cum juramento, se non revocaturum Procuratorem. Contra quod sentiunt Bald. *in rubric. de Procurat. extra. col.* 5. *post principium.* & alii quidam citati à Parisio.

4. Rationem responsionis hanc dat Paris. *n.* 12. & 24. quòd, dum actus, super quo juratur, alias illicitus est ex juris communis dispositione v. g. alie-

alienare res dotales, & similia, contraventio, seu actus, quo illi contravenitur, sit nullus; secus, si actus, super quo juratur, aliàs non sit à jure prohibitus, sed licitus, & à libera agentis voluntate dependens, qualis est non revocare testamentum, Procuratorem, Vicarium, non fidejubere, non alienare, non contrahere matrimonium, &c. in hoc enim casu contraveniens juramento, actus, quo illi contravenit, validus est, & sustinetur. Pro quo citat Abb. *in c. illectus de jurejur.* Jo-And. *in regulam quod semel. de reg. juris. in 6.* Imol. *in c. contingat. de jurejur. &c.* Sic, si is, qui juravit testamentum non revocare, illud revocet, valet revocatio. Paris. *n.* 25. citatis Jo-And. *ubi antè.* Abb. *cons.* 41. *l.* 2. *col.* 2. Bald. *cons.* 22. *l.* 1. Boer. *decis.* 272. *n.* 18. & aliis quamplurimis. Sic Episcopus cum juramento promittens, non revocare Vicarium, potest illum revocare. Paris. *n.* 27. citans Joan-And. & Butrium *in c. cùm tua. de offic. Vicar.* promittens cum juramento, se non alienaturum, validè alienat. Paris. *n.* 28. citans Abb. *in c. intellecto. de jurejur. col.* 2. Franc. Oldr. &c. Nihilominus exercens talem actum contrarium illi, quod juravit, aliàs seu extra juramentum licitum, per illum efficitur perjurus. Paris. *loc. cit. n.* 13. & in specie is, qui, contra quod juravit, revocat mandatum procuratorium, ut idem Paris. *n.* 31. ita communiter tradi dicens ab AA. à se citatis, & aliis passim, nisi fortè ex aliqua justa causa revocationem illam, seu actum contrarium juramento suo fecerit, siquidem tunc à perjurio immunis erit. Paris. *n.* 32. ex Boerio *decis.* 27. *n.* 3.

Quæstio 698. *Qualiter dictus Procurator revocari possit?*

1. REspondeo primò: Potest hæc revocatio fieri vel expresè, vel tacitè; tacitè fit, dum alius Procurator constituitur ad renunciandum coram eodem, vel diverso, non reservato primo juxta clarum textum *c. non injustè. de Procurat.* ubi dicitur: *dato posteriore, prioris esset revocata procuratio.* Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 26. *n.* 6. Castrop. *cit.* §. 4. *nu.* 10. Azor. *cit. cap.* 22. *q.* 14. Paris. *l.* 9. *q.* 25. *n.* 3.

2. Ampliat responsionem Tond. *loc. cit. nu.* 7. citatis pro hoc Mantica *de tacit. convent. l.* 7. *tit.* 22. *n.* 38. Bellam. & aliis, ut procedat, etiamsi Procurator secundo loco constitutus mandatum non acceptarit. Quòdsi tamen post constitutum Procuratorem ad resignandum in favorem Titii, constituatur alius Procurator ad resignandum in favorem Caji, qui eo tempore jam mortuus erat, posse adhuc primum Procuratorem validè resignare in favorem Titii, tradit Paris. *l.* 9. *qu.* 30. *per tot.* sic resolutum dicens à Rota *in Gerundens. Canonicat.* 22. *Jun.* 1554. eò quòd, licèt per constitutionem secundi Procuratoris mutarit Principalis voluntatem suam, non tamen simpliciter eam mutarit, sed conditionaliter; si resignatio secunda facienda per secundum Procuratorem fuerit valida. De cetero limitanda responsio ita, ut non censeatur revocatus Procurator primus per Constitutionem secundi, quando in instrumento Constitutionis secundi adest clausula *citra revocationem.* Tond. *loc. cit. n.* 8.

3. Respondeo secundò: Debet fieri hæc revocatio, tam tacita, quàm expressa, re adhuc integrâ, v. g. ante præstitum consensum formalem, seu magnum, seu antequam Procurator perrexerit ad extensionem consensûs parvi in Camera vel Cancellaria, etiamsi de cetero fiat post signatam supplicationem, & præstitum parvum consensum; siquidem per magnum illum consensum perficitur prius, & omninò absolvitur resignatio, & abdicatur jus à resignante, & hic jam ampliùs se intromittere non potest; & post præstitum parvum consensum, signatámque supplicam potest resignans pœnitere (admittit enim Papa, & signat supplicam, quatenus partes in eadem voluntate persistant.) Tond. *loc. cit. à n.* 15. Paris. *cit. q.* 25. *à num.* 4.

4. Respondeo tertiò: Ut autem validè & in effectu revocetur, & revocatus censeatur Procurator, debet revocatio tam tacita, quàm expressa intimari. Castrop. *loc. cit. n.* 11. Azor *loc. cit.* Paris. *à n.* 12. citans Rebuff. *in pr. tit. de Procur. ad resign. revocat. n.* 2. juxta *Clem. unic. de renunc.* Revocatio enim non præsumitur. Paris. *n.* 15. citans Mascard. *de probat. concl.* 1280. *n.* 1. Alex. *cons.* 169. *n.* 5. *l.* 5. quia non præsumitur mutatio voluntatis. Paris. *n.* 16. citans Mascard. *ubi antè concl.* 1078. Card. Paris. *cons.* 72. *col.* 1. *vol.* 4. Socin. Jun. &c. Unde ante talem denunciationem seu intimationem facta per Procuratorem resignatio valet. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 17. citatis quamplurimis juxta clarum textum *Clem. unic. de renunc.* ubi dicitur: *Sancimus, ut si quis ad cedendum dignitati, cuilibet, vel beneficio Procuratorem spontè ac liberè constituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat cessio facta per eum, antequam ad notitiam* (intellige, ipsius Procuratoris, vel illius, in cujus manibus facienda resignatio, ut expresè Castrop. *cit. n.* 11. Paris. *cit. n.* 17.) *revocatio hujusmodi sit deducta.* Sic quoque Procurator datus ad permutandum postquam revocatus fuerit, poterit adhuc validè permutare, quamdiu illi revocatio ista notificata non est. Paris. *cit. q.* 25. *n.* 27. citans Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 16. *n.* 5 Felin. *in c. ex parte Decani. n.* 15. *&c.*

5. Limitanda tamen responsio primò: Ut dum constitutio Procuratoris facta est per metum, valeat revocatio, etsi ad notitiam Procuratoris non pervenerit. Paris. *n.* 34. citans Selv. *ubi antè. n.* 2. Rebuff. *ubi antè n.* 10. Gl. *in Clem. unic. de renunc. v. liberè.* & ibi AA. passim. Gesta enim causâ metûs sunt nulla. *l.* 1. *ff. de eo, quod metûs causâ.* Paris. *n.* 35. citans Menoch. *de arb. jud. casu* 135. *n.* 1. Si autem constitutio talis ab initio non valuit, ergo neque renunciatio secuta virtute talis actûs invalidi. Paris. *ibid.* Dum autem Paris. *n.* 37. ait, quòd metus invalidans constitutionem Procuratoris debeat esse justus, & hoc ipsum arbitrandum relinqui Judici, per justum metum intelligere videtur metum, qui cadit in constantem virum.

6. Limitanda secundò: Ut non procedat, dum per malitiam Procuratoris, vel illius, in cujus manibus facienda resignatio, non potuit fieri intimatio revocationis ante cessionem. Castrop. *cit.* §. 4. *nu.* 11. (qui tamen addit, quòdsi non ita fuerit principalis impeditus, quin saltem uni eorum, nempe vel Procuratori, vel Superiori recepturo resignationem potuisset denunciare revocationem, cessionem factam tenere, & revocationem non habere effectum: cujus contrarium sentit Gl. *in cit. Clem. unic. v. eorum alterum*: nempe revocationem

tionem non procedere, esto uni eorum potuisset intimari) Paris. *n.* 39. citans Selv. *ubi antè.* juxta expressum textum *cit. Clem. unic.* ubi: *nisi forte per ipsos, aut alios malitiosè factum fuerit, quò minùs ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse, &c.* ne fraus prosit.

7. Limitanda tertiò, ut non procedat, si, antequam resignet Procurator, Principalis moriatur, tunc enim censetur revocatus Procurator sine alia intimatione; dum enim beneficium vacat per mortem, uti fit in eo casu, non potest vacare ex alia causa, juxta *c. susceptum. de rescrip. in 6.* Paris. *n.* 42. & 43.

8. Respondeo quartò: Ita necessaria est dicta intimatio ad hoc, ut cessare censeatur mandatum, & Procurator invalidè resignare, ut nullatenus sufficiat illi aliunde constare de hac revocatione. Paris. *cit. q.* 25. *n.* 29. citans Gl. *in cit. Clem. unic. v. deducta.* Zabarell. & Vitalin. *ibidem,* ac dicens, sic pluries decisum per Rotam, & in praxi ab omnibus servari: ignorantia enim revocationis præsumitur. Paris. *n.* 31. citans Rebuff. *in pr. tit. de infirm. resign. n.* 31. Felin. *in c. ceterùm. de rescrip. &c.* Ac ideo dicenti, Procuratorem revocatum, incumbit onus id probandi. Paris. *n.* 32. citans Card. *in cit. Clem. n.* 22. communiter receptum. Nihilominus Rotam inclinare in hoc, quod dicta intimatio non requiratur pro forma, sed sufficiat sola scientia & notitia revocationis per cit. Clem. ubi dicitur: *notitia revocationis,* ait Tond. *loc. cit. n.* 13.

9. Respondeo quintò: Sed neque tacitè revocatus sine dicta intimatione censetur Procurator in ordine, ut ipse Procurator invalidè resignet, per hoc, quòd Principalis per constitutionem Procuratoris ad resignandum coram Papa per seipsum resignet illud beneficium coram Ordinario, Paris. *cit. q.* 25. *n.* 44. ubi; quòd in hoc casu Principalis nequeat validè resignare coram Ordinario, nisi priùs denunciet, seu intimet revocationem Procuratoris, seu mutationem voluntatis suæ; *juncto nu.* 53. ubi: concludendum dispositionem *cit. Clem. unic. de renunc.* constituentem, quòd revocatione Procuratoris debeat fieri intimatio, habere locum in casu hujus quæstionis, ut, si velit Principalis ipse resignare, debeat priùs revocare Procuratorem, alioqui resignatio non valeat. Citat pro hoc Barbatiam communiter quoad hoc receptum *cons.* 49. *l.* 4. Rationem dat ex eodem Barbat. Parisius *n.* 45. & *n.* 47. quòd in *cit. Clem.* prohibeatur illusio & variatio in personis Ecclesiasticis, illusio inquam, quâ illuderetur Procutatori ac Papæ, constituendo Procuratorem ad resignandum coram Papa, & dein eum revocando absque intimatione. Item ut Paris. *nn.* 48. quòd dicta *Clem.* dicat, quòd quomodolibet resignaverit, debeat fieri intimatio; verbum autem illud *quomodolibet* sit admodum prægnans, & importet omnem modum, per quem possit directâ vel indirectâ viâ revocatio fieri; adeóque & comprehendat casum hunc, quo quis resignando revocaret Procuratorem; cùm inficiari nequeat, quin eo ipso, quo Principalis resignat beneficium coram Ordinario, aliquo modo dicatur revocare Procuratorem datum ad resignandum coram Papa. Citat quoque pro hac sententia Parisius Selvam *p.* 3. *q.* 16. *n.* 9. ac dicit communem, à qua non recedendum in judicando & consulendo. Huic sententiæ accedit Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 26. *n.* 25. dicens, pro hac Selvæ & Barbatiæ sententiâ in Gallia sæpe judicatum. Contrarium tamen sentit Felin. *in c. ex parte Decani. de rescrip. n.* 16. nempe validam esse, & prævalere resignationem factam à Principali coram Ordinario, quamvis Procurator ad Romanam Curiam missus nondum fuisset revocatus, dummodo provisio Ordinarii præcedat collationem Papæ; neque ligatas esse manus Ordinarii per missionem Nuncii ad Papam; eò quod sufficiat, quòd Procurator revocetur, licèt revocatio ei non fuerit intimata, quando renunciatio Domini præcedit renunciationem Procuratoris. Quam Felini opinionem Parisius, & ex eo Tond. dicunt communiter reprobatam.

10. Respondeo sextò: Necesse non est, ut dicta intimatio revocationis fiat ipsi Procuratori, sed sufficit eam fieri in Camera & Cancellaria coram ejusdem Notariis. Paris. *l.* 9. *q.* 26. *n.* 1. & ex eo Azor *loc. cit.* juxta *cit. Clem.* Sufficit etiam, hanc intimationem deduci ad notitiam Superioris. Paris. *ibid. n.* 2. quæ autem fiunt in Camera vel Cancellaria, dicuntur fieri coram, seu in conspectu Superioris. Paris. *ibid. n.* 3. ex Sarn. *de triennali. q.* 7. Et qualis Superior etiam est ille, coram quo facienda resignatio, juxta dicta aliàs. Econtra necesse non est, fieri intimationem illam in Curia & Cancellaria, sed sufficit fieri ipsi Procuratori. Paris. *cit. q.* 26. *n.* 9. & ex eo Azor juxta *cit. Clem.* ubi expresè dicitur: *ad illius, vel ipsius: ad eos, aut eorum alterum,* hoc est, Procuratoris vel Cancellariæ, &c. *notitiam.* Pari modo, si Procurator fuit constitutus ad resignandum in manibus Ordinarii, Procurator ille revocari potest, & intimatio revocationis fieri dupliciter, nempe vel Ordinario, vel Procuratori ipsi. Paris. *l.* 9. *q.* 27. *n.* 19. citans Vitalin. *in cit. Clem.* Quòdsi intimatio non fit ipsi Procuratori, fieri debet tam in Cancellaria, quàm in Camera Apostolica, seu in utroque hoc loco; cùm literæ expediantur vel per Cameram, vel per Cancellariam, & liberum sit consensum præstare, vel in hac, vel in illa. Azor *loc. cit.* Paris. *q.* 26. *n.* 8. ubi etiam, quòd si postquam ejus revocatio facta fuit in Camera, Procurator resignet in Cancellaria, valeat resignatio. Quòdsi intimatio non fit in Cancellaria, aut coram Superiore alio, in cujus manibus facienda resignatio, sed Procuratori, debet ipsimet Procuratori fieri, nec sufficit fieri Cursori, qui missus est ad sumendas expeditiones beneficii. Tond. *loc. cit. n.* 12. citans Rebuff. Et si sint constituti plures Procuratores, facienda est omnibus intimatio revocationis, alioqui valebit cessio facta per unum eorum. Paris. *n.* 10. Idque sive singuli constituti sint in solidum, sive non. Tond. *loc. cit. n.* 9. dicens in hoc secundo casu, si nempe constituti non sint in solidum, non habere locum, *c. si duo.* §. *fin. de procurat. in 6.* quia id in Spiritualibus non tenet. Rationem pro utroque casu militantem dat Paris. *cit. n.* 10. quia quantùm ad Procuratorem, cui non est intimata sua revocatio, censetur Dominus durare in eadem voluntate, cùm, si non duraasset in ea, id ei notificasset sicut alteri. Porrò, quod attinet ad praxin istiusmodi revocationis intimationis, ait Paris. *n.* 12. & ex eo Azor *loc. cit.* observari de stylo, ut volens revocare Titium Procuratorem suum, dum principalis, seu revocans absens est à Curia, constituat alium, v. g. Cajum Procuratorem in Curia existentem, eique mandet, ut revocet traditum à se mandatum Titio de resignando tali beneficio, eique adimat omnem potestatem, & ipsam revo-

cationem denunciet in Cancellaria & Camera Apostolica: vel ut principalis existens in partibus coram Notario & testibus revocet Titium Procuratorem suum, & eâdem Scripturâ per Notarium confectâ Cajum in Urbe existentem creet Procuratorem ad hoc, ut Titio revocationem à se factam denunciet, qui Cajus dein accepto hoc mandato vel Titio, vel in Camera & Cancellaria revocationem denunciet per seipsum, vel per Cursorem ad hoc conductum. Quòdsi ipse Principalis quoque præsens est in Urbe, posse illum idem observare, faciendo per Cursorem intimationem procuratori revocando, & Notariis Cameræ & Cancellariæ.

11. Respondeo septimò: Literæ, in quibus Principalis Procuratori suo à se constituto mandat, ut nihil agat in hoc negotio resignationis, priusquam de suo ab eo admoneatur, acceptæ ab eodem Procuratore sufficiunt loco intimationis, ita ut si iis non obstantibus resignet, seu consensum suum præstet, invalida sit resignatio; eò quòd per illa verba posita in dictis literis, licèt non sit revocata voluntas Principalis, cesset tamen usque ad novas literas. Azor *loc. cit.* Paris. *l. 9. q. 28. n. 1.* qui etiam idipsum ampliant, ut procedat, etiamsi illæ literæ perveniissent priùs ad manus Procuratoris, postquam consensum parvum præstitisset per porrectionem supplicæ, & hæc signata à Papa, & datata.

12. Respondeo octavò: Sufficere quoque revocationem intimari Resignatario, tenet Tond. *qq. benef. p. 1. c. 26. n. 14.* Item tenent Selv. *de benef. p. 3. p. 16. n. 6.* Rebuff. *in pr. tit. de revocat. Procurat.* & alii apud Paris. *l. 9. q. 27. n. 2.* eò quòd, ut Paris. *n. 3.* in permutatione sufficiat intimationem fieri ei, cum quo facienda permutatio, seu notam esse revocationem alteri compermutanti; ad quod tamen respondet Paris. *ibid.* esse disparitatem, eò quòd in permutatione is, cum quo facienda permutatio, gerit vicem partis, Resignatarius autem, seu habens spem in resignatione futura, sit ut extraneus. Item, ut Paris. *ibid. nu. 4.* quodsi post intimationem factam Resignatario sequatur cessio in favorem ejus, is videatur esse in dolo tacendo revocationem; in beneficiis autem abesse debeat omnis dolus. *c. cùm dilecti. de elect. c. dudum de præb.* ad quod tamen etiam respondet Paris. *nu. 5.* negando, Resignatarium illum esse in dolo, cùm tacens verum non peccet, nisi quando est productus ut testis. Negat econtra Felin. *in c. ex parte Decani. n. 15.* apud Paris. *n. 1.* eò quòd *tit. Clem. unic. de renunc.* loquens de revocatione Procuratoris ad resignandum requirat intimationem faciendam Procuratori vel Superiori; dum autem soli Resignatario innotescit revocatio, neutri illorum innotescat. Sub distinctione resolvit Rota *in Salmantin. Abbatiæ 20. Jun. 1539.* apud Paris. *loc. cit. n. 6.* nimirum non sufficere, si resignatio in favorem sit simplex, seu sine alia conditione, v. g. reservatione pensionis, fructuum, regressûs: secus, si resignatio facienda in favorem est cum reservatione fructuum, pensionis, &c. eò quòd in illa resignatione simplici non consideretur persona resignatarii; secus in ea, quæ fit cum tali reservatione, utpote quæ vires habere nequit sine facto Resignatarii, ac proinde sufficiat ei intimari. A qua distinctione, quia patitur plures difficultates, recessisse dein Rotam, & firmasse in contrarium, nempe sufficere intimationem revocationis factam resignatario, sive resignatio facienda simpliciter in favorem illius, sive facienda unà cum reservatione fructuum, pensionis, &c. tradit Paris. *n. 10.* relatis pluribus Rotæ decisionibus. Ac proinde huic sententiæ affirmanti simpliciter id sufficere, adhæret expressè Paris. *cit. n. 10. in fine* dicens, hanc esse communem omnium DD. à qua non recedendum in judicando, & consulendo. & *nu. 15.* dicens, hunc proinde esse tertium modum revocandi Procuratorem constitutum ad resignandum coram Papa. Rationem etiam dat *nu. 11.* quòd, cùm tam in resignatione facta simpliciter in favorem, quàm in facta in favorem cum dicta reservatione, similive conditione beneficium resignatum debeat conferri illi, in cujus favorem facta, & aliàs sit nulla, persona resignatarii sit considerabilis, & reputetur pars: & sicuti Superior non potest beneficia permutata conferre, nisi compermutantibus; ita Papa non consuevit alteri conferre beneficium resignatum, quàm ei, in cujus favorem resignatum est; ac consequenter, si propterea compermutans pars est, adeóque sufficit ei fieri intimationem revocationis, sufficiat quoque ob rationis paritatem dictam intimationem fieri Resignatario, seu ei, in cujus favorem sine ulla reservatione pensionis, aut fructuum beneficium erat resignandum.

13. Respondeo denique: Si instrumentum procuratorium nondum receptum est à Procuratore, sufficit denunciare Notario, qui est rogatus de illo, quòd principalis pœnituit, & ideo non expediat. Paris. *cit. q. 27. n. 20.* citans Rebuff. *in pr. tit. de revocat. Procurat. n. 9.* ubi etiam dicat, quòd, si post factam dictam notificationem Notarius conficiat instrumentum, & tradat parti, tanquam falsarius puniri debeat. Refertúrque hoc ipsum tam ad revocationem resignationis faciendæ coram Papa, quàm faciendæ coram Ordinario.

Quæstio 699. *Si eâdem die, quâ facta fuit resignatio, seu præstitus consensus in Cancellaria vel Camera, facta est quoque revocatio, an revocatio mandati censeatur præcedere resignationem?*

REspondeo negativè; quia asserenti revocationem incumbit onus eam probandi, & asserens revocationem in hoc casu fundat se super tempore, quod probare debet. Adde, quod præsumatur pro validitate actûs, ac denique factâ revocatione non solent expediri Bullæ, seu extensio consensûs non admittitur. Ita Paris. *l. 9. q. 31. n. 32. in fine*, sic resolutum dicens à Rota 10. *Octob.* 1526.

Quæstio 700. *An, & qualiter revocans Procuratorem constitutum ad resignandum vel permutandum, teneatur Procuratori ad damna & interesse illius, uti & omnium, quorum intererat mandatum non esse revocatum?*

1. REspondeo primò: In casibus, in quibus permissa revocatio Procuratoris ad resignandum constituti, si factæ sint expensæ pro executione mandati, debet revocans illas resarcire, & damna restituere non solùm ipsi Procuratori, sed etiam parti, si illius interfit. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 26. à n. 27.* citans Rebuff. *in concord. tit. de sublat. Clem. literar. v. resignatio. 4. Limit.* & Bald. *in l. si mandasset.*

mandasſem. col. 3. ubi is dicat, quòd ſi Procuratoris aliquid intereſt, Dominus non liberabitur ab intereſſe propter revocationem, quia Procurator non eſt certificatus, & ideo mandatum adhuc durat ad effectum, ut conſtituens teneatur ad intereſſe mandatarii. Similiter, ut Tond. *loc. cit. n. 28.* reſpectu illius, cum quo Procurator aliquid geſſit, durat mandatum ad effectum conſequendi damna, & intereſſe uſque ad tempus revocationis intimatæ, adeóque tenetur conſtituens ad damna, ſive conſiſtant in expenſis, ſive in aliis damnis.

2. Reſpondeo ſecundò: In caſu præſente Principalis tenetur ſolùm ad intereſſe intrinſecum, veluti ſunt expenſæ factæ pro expeditione ad Urbem, pro Nunciis, Curſoribus, aliisque ſimilibus; non verò ad intereſſe extrinſecum, ſeu extra rem. Tond. *loc. cit. n. 34.* juxta regulam, ut ait, generalem DD. *in l. ſi quando. c. unde vi.* & nominatim Fumei *in tr. de eo, quod intereſt. n. 43. & ſeq.* nempe quòd quotieſcunque aliquis actus ſit lege permittente, & dando operam rei licitæ, ſolùm eſſe intrinſecum debeatur. Porrò tradit Tond. *à n. 31.* cùm intereſſe illud, utpote conſiſtentis potiùs in facto, quàm in jure difficilis ſit probationis, taxari & liquidari debere juxta qualitatem perſonarum, locorum, ac temporum, adeóque in hoc, ut Menoch. *de arb. caſu 116. n. 20.* multum poſſit arbitrium judicis.

PARAGRAPHVS X.

De Reſignatione facta vi, metu, dolo poſt ſpolium.

Quæſtio 701. An, & qualiter reſignatio debeat eſſe libera & ſpontanea?

REſpondeo: Debere eſſe liberam & ſpontaneam, ſeu voluntariam in hoc ſenſu, ut neque vi, ſeu metu, neque fraude, vel dolo ſit extorta. Garc. *p. 11. c. 3. n. 143.* Caſtrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 5. n. 1.* Azor *p. 2. l. 7. c. 26. q. 1.* Pariſ. *l. 13. q. 1. n. 1.* ubi: quòd inter alia requiſita bonæ ac validæ reſignationis illud obtinet principalem locum, quòd debeat eſſe libera ac voluntaria, juxta *c. ad audientiam. de iis, quæ vi metúsve causâ fiunt. c. Abbas. c. ad aures. tit. eod. c. accepta. de reſtitut. ſpoliat.* quibus, uti & aliis textibus reſignatio beneficii metu extorta graviter improbatur; metus ſiquidem liberæ voluntati contrariatur. Pariſ. *loc. cit n. 7.* & Card. Pariſ. *conſ. 2. n. 29. vol. 4.* & dolus conſenſum excludit. Pariſ. *l. 9. q. 3. n. 7.* dolo enim deceptus non dicitur conſentire. Pariſ. *ibid. n. 9.* ex Card. Pariſ. *conſ. 100. n. 72. vol. 1.*

Quæſtio 702. An igitur reſignatio metu facta ſit nulla, & in ſpecie, ſi juramento ſit vallata?

1. REſpondeo primò: Eſſe nullam. Garc. *loc. cit.* Card. de Luc. *de benef. d. 78. n. 6.* ubi: quòd poſitâ probatione metûs, vel coactionis reſultat nullitas actûs reſignationis. Pariſ. *cit. q. 1. n. 3.* ubi: communis ſchola Canoniſtarum, & Legiſtarum concludit, reſignationem factam metu eſſe nullam. citat pro hac communi ſententia AA. quamplurimos, probátque illam citatis *q. præced.* textibus illis quatuor.

2. Reſpondeo ſecundò: Citra omnem dubitationem eſt nulla in hoc ſenſu, quòd facta careat omni robore firmitatis, Caſtrop. *loc. cit. n. 2.* Pariſ. *cit. q. 1. n. 5.* conſtat ex citatis textibus; atque ita in terminis generalibus, quòd, quæ vi metúsve causâ fiunt, carere debeant robore firmitatis, dicitur in toto titulo *ff. & cod. de his, quæ fiunt vi metúsve causâ.* Pari modo, qui metu cogente Procuratorem conſtituit ad beneficium reſignandum, ipſa conſtitutio ſit nulla (etiam, ut expreſsè Pariſ. ipſo jure) & quidquid agit, planè improbatur à Jure, Pariſ. *cit. q. 1. n. 47.* Azor. *loc. cit.* citantes Abb. & Hoſt. *in cit. c. Abbas.* neque in revocatione talis Procuratoris ex metu conſtituti opus eſſe, ut ipſi Procuratori vel Reſignatario (adde nec Superiori, coram quo facienda reſignatio) fiat intimatio, ſed poſſe etiam clàm revocari tradunt iidem.

3. Ampliatur reſponſio, ut procedat in cujuscunque demum beneficii, ſeu dignitatis, etiam maximæ, reſignatione interveniat metus. Pariſ. *cit. q. 1. n. 8. & 9.*

4. Ampliatur ſecundò, ut nulla ſit in dicto ſenſu reſignatio, à quocunque demum metus inferatur, ſive à Laicis, ſive Eccleſiaſticis quibuscunque, puta à Cardinalibus, ab Epiſcopis, coram Vicariis, aliisque Ordinariis, Prælatis, Collatoribus, ſive ab extraneis, ſive à parentibus. Azor *loc. cit.* Pariſ. *cit. q. 1. à n. 10.* ſingula ſtabiliens multis AA.

5. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamſi collatio de tali beneficio ex metu reſignato facta jam ſit alteri. Pariſ. *n. 46.* citans Ruin. *conſ. 121. vol. 4.*

6. Ampliatur quartò, & reſpondetur ad alteram quæſtionis partem: ut jure reprobetur, infirmetur, & in dicto ſenſu ſit nulla reſignatio, etiamſi juramento ſit firmata, dum nimirum (ut Pariſ. *n. 16.*) ex metu juravit quis renunciare beneficium, vel in reſignatione juravit, ſe non repetiturum illud. Caſtrop. *loc. cit. n. 2.* Azor *loc. cit.* Pariſ. *cit. n. 16.* citans Butrio. *in cit. c. ad audientiam.* Navar. *in c. accepta. de reſtitut ſpol.* Ruin. *conſ. 121. n. 3. vol. 4.* Ne tamen hinc communi concluſioni obſtet textus *c. ad aures. de his, quæ vi, &c.* ubi dicitur: *Tua igitur diſcretionis præſentibus innoteſcat, quòd renunciatio facta ad terrorem Laicorum (niſi fortè juramento, vel fide interpoſitâ ſit confirmata) non impediat, quò minus is, qui renunciavit Eccleſiæ, ad cujus regimen priùs erat electus, præſciatur eidem, &c.* ne inquam textus ille obſtet, dicendum, requiri tamen, & neceſſarium eſſe, ut talis à juramento Superioris auctoritate abſolvatur ad effectum, ut poſſit agere, & petere, & redire ad beneficium metu renunciatum cum juramento. Azor. *loc. cit.* Pariſ. *cit. q. 1. n. 29.* qui etiam *n. 28.* cum Nav. *in c. accepta. de reſtit. ſpol. in 6. oppoſit. n. 6.* ait, hanc eſſe veram ad dictum textum reſponſionem, ut dicatur textus ille procedere ante abſolutionem à juramento, ita ut, niſi eam obtinuerit, non poſſit illi Eccleſiæ præfici (ſeu repetere denuo, & redire ad beneficium; eadem enim utriuſque eſt ratio; quamvis vel hinc aliam ad citatum textum reſponſionem petant alii, quam ſuſtentabilem dicit Pariſ. *n. 26.* nimirum illum loqui de reſignatione juris ad beneficium; quia loquitur de jure quæſito per electionem, in præſentia autem agatur de jure in beneficio reſignato, quod difficiliùs tollitur) ſive juramentum factum fuerit metu ad reſignandum, & dein ſecuta reſignatio, ſive facta fuit reſignatio ob metum, & dein interpoſitum juramentum de non repetendo.

Nam

Nam, ut Azor *loc. cit.* juramentum servandum est, quoties absque animæ interitu servari potest, & licèt actus meticulosus sit nullus. Paris. *n.* 34. citatis plurimis, & juramentum metu extortum, obligat tamen mero jure, & ideo absolutionem requirit; sive cum vi & metu juratum est, requiritur absolutio, & juramentum tale propria auctoritate sperni non potest. Paris. *n.* 30. 31. & 35. citans Menoch. *cons.* 24. *n.* 25. *vol.* 1. ac dicens, esse magis communem Canonistarum &, Legistarum, teste Bursat. Ita (ut subjungit Paris. *n.* 35. citato Jo. And. Imol. Felin. &c.) qui juravit solvere usuras, priùs deberet petere absolutionem. Porrò, quamvis in petenda absolutione à juramento super actu interposito non sit necessaria citatio partis; cùm etiam eâ invitâ concedatur. Paris. *n.* 37. & Afflict. *decis.* 220. *n.* 10. &c. requiri tamen citationem partis in absolutione à juramento præstito super actu metu celebrato, tradit Paris. *n.* 38. citans pro hoc Bursatt. *cons.* 72. *n.* 25. *vol.* 1. Selv. *de jure jur. q. ult.* Covar. *l.* 1. *variar. c.* 4. Menoch. *cons.* 24. *n.* 11. *vol.* 1. &c. Posse autem dictam absolutionem peti, etiamsi juratum, illam non petere; eò quòd tale juramentum sit illicitum, sicut votum de dispensatione voti non petenda, habet Paris. *n.* 39. 40. 41. citato Felin. *in c. constitutus. de rescript. n.* 9. Ac denique *n.* 42. & 43. ait, procedere hæc etiam in resignationibus factis in Curia, in quibus de stylo vulgari & notorio præstatur juramentum, quòd non interveniat metus, dolus, fraus, ita ut dicto juramento non obstante, resignans adhuc agere possit metu, & audiri super metu illato; eò quòd tale juramentum respexerit duntaxat actum resignationis, & non super hoc, quòd non voluerit convenire & agere, juxta quod decisum testatur à Rota.

Quæstio 703. *An resignatio facta metu sit nulla & irrita ipso jure; an verò, & qualiter sit nulla ope exceptionis, seu rescindenda & jure irritanda?*

1. REspondeo primò: Resignatio beneficii metu (intellige gravi, de quo *quæst. seq.*) non est ipso jure nulla, sed duntaxat venit irritanda, imploranda nimirum officio Judicis, vel ope exceptionis, seu actione, quod metûs causâ &c. Castrop. *cit.* §. 5. *n.* 4. Azor. *cit. c.* 22. *q.* 2. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 143 Paris. *l.* 9. *q.* 2. *n.* 8. citans pro hoc AA. quam plurimos, & plures Rotæ decisiones contra Host. *in c. ad aures.* Vital. *in Clem. multorum, de pœnis, n.* 27. Butrio *in c. super hoc, de rescrip.* Roffiniac. *de benef. c.* 19. *n.* 5. & *seq.* Staphil. *de lit. grat. tit. de var. mod. vacat n.* 24. & *seq.* citatos ab Azor & Paris. *n.* 1. Fundamentum responsionis est, quòd ea, quæ ex metu fiunt, mero jure valent. Castrop. *loc. cit.* dicens, idipsum à se fusè probatum, *tr.* 2. *de peccat. d.* 1. *p.* 9. quódque jura nulla declarent, resignationem beneficii metu factam esse ipso jure nullam, sed solùm esse irritandam, ut pote utentia verbis futuri temporis. v. g. *Ecclesiam ei restitui facias. c. ad audientiam. Pradicto R. cui integritate restituas universa. c.* 2. *quòd metûs causâ &c.* quæ rescissionem seu irritationem non factam, sed faciendam designant. Castrop. *loc. cit.* Paris. *n.* 10. (qui etiam *n.* 11. & *seq.* idipsum ex eo probat, quòd juramentum interpositum super actu ipso jure reprobato seu nullo sit nullum, seu non obliget; teneat tamen & obliget super renunciatione beneficii metu factum; quod manifestum signum, talem renunciationem non esse ipso jure nullam) quin etiam jura ideo dicunt, renunciationem ex metu factam nullius esse momenti, quia quò ad effectum talis censetur, ac si irrita esset. Azor. *loc. cit.* Qui tamen *ibid.* responsionem nostram sic limitat; ut, si beneficiatus fuerit captus à Domino sæculari, & detentus ab eo in carcere, resignet beneficio, resignatio sit ipso jure nulla, juxta *Clem. multorum, de pœnis. §. sanè.* Proinde facilè solvuntur, quæ ex iisdem textibus formantur argumenta in oppositum. Ac primo quidem ad illud, quod formatur *ex c. ad aures. c. ad audientiam, de his, qua vi*; ubi dicitur, renunciationem metu factam non impedire restitutionem, quam utique impediret, si talis resignatio esset valida, respondetur; valorem resignationis metu factæ non impedire, quin talis resignans possit restitui; cùm, licèt careat titulo ac possessione beneficii, careat tamen illo ob resignationem coactam, ad cujus rescissionem propter injuriam ibi imbibitam jus habet; rescissâ autem tali resignatione (intellige, non auctoritate propriâ, sed officio Judicis) restituatur ad beneficium. Castrop. *loc. cit. juncto n.* 5. Secundò ex eo, quòd *c. ad audientiam*, dicatur, talem resignationem carere debere robore firmitatis, non rectè infertur, non esse validam; sed bene non esse validam perpetuò ac irrevocabiliter, cùm veniat rescindenda. Castrop. *cit. n.* 8. Tertiò *Clem. multorum. de pœnis*, decernens, resignationem factam ad terrorem laici esse ipso jure nullam, de speciali omnino casu loquitur, in quo non solùm resignanti fit injuria per coactionem resignationis, sed etiam statui Ecclesiastico, dum beneficiatus in carcere à potestate laica detentus resignare cogitur. Azor *loc. cit.* Castrop. *cit. n* 5. Paris. *n.* 14. *juncto n.* 18. qui etiam dicunt, hanc esse specialem & unicam limitationem & exceptionem responsionis nostræ, à quâ, ut Castrop. non leve argumentum ducitur, quòd reliquæ meticulosæ resignationes valeant, quia jura reliqua non utuntur verbis ita nullitatem declarantibus; cùm nullibi utantur termino illo universali: *nullius omnino decernimus firmitatis.* Adde quòd tò *decernimus* jus novum inducì denotet, ut idem Castrop. juxta gl. *in c. eos. de senten. Excom. in* 6. Quartò denique inter resignationem beneficii, & electionem, quæ metu facta ipso jure est nulla. *c. ubi periculum. de elect. in* 6. Item matrimonium, quod metu contractum ipso jure quoque nullum est. *c. cùm coram. c. veniens. de sponsal.* magna est differentia in hoc puncto & diversa ratio, cùm electio jus publicum respiciat, resignatio privatum; matrimonium verò, & ingressus religionis status sint perpetui & indissolubiles Castrop. *cit. n.* 5.

2. Respondeo secundò: rescindenda talis resignatio coacta ac violenta implorato officio judicis, vel intentata actione, quòd metûs causâ. Castrop. *loc. cit. n.* 4. & 5. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 19. citans Calderin. *cons.* 1. *de renunc.* Coral. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 11. &c. Et Rotam dicere *decis.* 5. *n.* 2. *de renunc. in nov.* quòd intentabit vendicationem ad beneficium metu resignatum, vel possessorium recuperandæ. Rebuff. *in pr. tit. de resign. metu extorta. n.* 4. dicere, quòd intentabit actionem utilem in rem; eò quòd per resignationem metu factam perdatur solùm directa actio; vel actionem personalem, quòd metûs causâ, per quam omnia debeant reduci ad statum pristinum. Porrò in hac restitutione opùs esse novâ collatione, tenet Castrop. *loc. cit. n.* 4. *in fine.* Probus *ad monach. Rubric. de renunc.* apud Paris. *cit. q.* 2. *n.* 25. eò quòd jus extinctum non reviviscat sine nova collatione. Eâ opùs esse, dum beneficium illud

lud collatum alteri, tenent Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 28. aliàs vero eâ opùs non esse tenent iidem Azor & Paris. *n.* 23. citans Rebuff. *de pariſ. poſſeſ. n.* 179. *n.* 328. Coraſ. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 11. Nav. *in c. accepta de reſtit. ſpoliat. oppoſit.* 5. *n.* 15. Card. Pariſ. *conſ.* 5. *n.* 165. *vol.* 4. qui etiam *conſ.* 66. *n.* 1. *vol.* 4. dicat, renuncianti ob metum dari regreſſum. Ad illud vero, quod jus extinctum per talem reſignationem meticuloſam non reviviſcat ſine nova collatione, ait Pariſ. *n.* 25. id procedere, niſi aliud interveniat, per quod ſequatur integra reſtitutio, juxta *c. ab exordio. d.* 31. uti & Azor *loc. cit.* dicit, ad reviviſcentiam iſtius juris extincti ſatis eſſe reſtitutionem in priſtinum jus: quin etiam Pariſ. *n.* 27. dicit, quòd reſtitutio Judicis fungatur vice collationis. Atque in his jam pro praxi

3. Inferuntur plura primò: Ante reſtitutionem illam faciendam per Judicem non poſſe renunciantem juſtè & cum bona conſcientia tenere & miniſtrare in beneficio per metum reſignato, & ejus fructibus uti; eo quòd titulum perdiderit, & beneficium licitè teneri nequeat ſine titulo canonico, juxta *c.* 1. *de reg. juris in* 6. Pariſ. *n.* 29. 30. & 31. & ex eo Azor. *cit. q.* 2. § *verùm quærat.* Secundò: non poſſe illum reſignantem titulo taliter reſignari beneficii promoveri ad ordines. Azor. *ibid.* Pariſ. *n.* 32. citato Nav. *ubi ante n.* 22. Tertiò non teneri taliter reſignantem ampliùs ad horas. Azor. *loc. cit.* Pariſ. *n.* 33. ex Nav. *ubi ante n.* 21. Quartò, talem ſi poſt reſignationem metu factam permanſerit in poſſeſſione per triennium, non frui privilegio regulæ de triennali poſſ. Azor. *loc. c.* Pariſ. *n.* 35. ex Rebuff. *de pariſ. poſſ. n.* 355. Qui tamen cum eodem Rebuffo *ibid. n.* 328. docent, quòd, ſi talis antequam ex metu reſignavit, illud beneficium poſſederit pacificè per annum, & dein illud poſt dictam reſtitutionem poſſederit pacifice per biennium, fruatur beneficio dictæ regulæ, ac habeatur, ac ſi poſſeſſio nunquam fuiſſet interrupta; eo quòd, cùm quis priſtino juri reſtituitur, in illud ex toto redeat, juxta *l. quòd ſi minor.* § *de reſtit. ff. de minoribus.* Illud hìc notat Pariſ. *n.* 38. quod inferentes metum, ut fiant reſignationes beneficiorum, ſint excommunicati, citans Rebuff. *in pr. tit. de reſign. extorta n.* 3. & Dd. communiter in *Clem. multorum.* Item. *n.* 39. quòd priventur beneficiis, ſi quæ habent, pro quo citat Rebuff. *in pr. tit de mod. amit. benef. n.* 48. quod intelligendum erit juxta terminos *citatæ Clem.*

Quæſtio 704. *Qualis eſſe debeat dictus metus?*

1. Reſpondeo primò: Debet eſſe metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum. Caſtrop. *cit.* § 5. *n.* 2. Azor. *cit. c.* 26. *q.* 1. Pariſ. *l.* 13. *q.* 1. *n.* 52. juxta communem & receptam omnium ſententiam, ut Pariſ. non enim omnis metus geſta reſcindit, ſed ſolùm qui juſtus eſt, juxta *l. metum. ff. quod metûs cauſâ. c. ult. de appellat.* Pariſ. *n.* 53. Juſtus autem metus dicitur, qui cadit in conſtantem virum. *c. cùm dilectus. c. veniens. e. conſultationi. quòd metûs cauſâ.* Pariſ. *à n.* 54. citans præter dictos textus Card. Pariſ. *conſ.* 10. *n.* 56. *vol.* 1. Maſcard. *in c.* 1. *n.* 24. *de offic. deleg. &c.* Cùm autem varia ſit hominum conditio, alii conſtantiſſimi, conſtantes alii, aut magis timidi, Judici arbitrandum relinquitur, an metus hìc & nunc ſit juſtus. Pariſ. *n.* 58. & 59. citans Abb. *in c. cùm virum: n.* 8. *de regular.* Menoch. *de arb. Iud. caſu.* 135. *n.* 2. Covar. *de ſponſ. p.* 2. *c.* 3. § 4. *n.* 8. Card. Pariſ. *conſ.* 53. *n.* 60. *&c.* De quo arbitrabitur Judex juxta qualitatem perſonarum, cùm minor metus cadat in puerum quàm in virum. Pariſ. *à n.* 60. citatis pluribus. Azor *cit. q.* 1. ubi *in fine* ait]: metus juſtus cenſetur habitâ ratione perſonæ; nam in meticuloſis, in ſenibus & literatis minor metus ſufficeret. Item minor ſit metus ubi adeſt, quam ubi abeſt Princeps. Pariſ. *n.* 63. citans Card. Pariſ. *conſ.* 66. *n.* 4. *vol.* 4. Oldr. *conſ.* 251. *col.* 1. Cravett. &c.

2. Reſpondeo ſecundò in ſpecie: Reſpectu omnium timor mortis vel cruciatûs inducit metum juſtum. Pariſ. *n.* 64. citans Card Pariſ. *conſ.* 60. *n.* 12. *vol.* 4. Alex. *conſ.* 253. *n.* 3. etiamſi actualiter vis non inferatur; eo quòd quis non teneatur exſpectare vulnus, Pariſ. *n.* 65. & 66. ex Card. Pariſ. *conſ.* 53. *n.* 57. & *ſeq. vol.* 4. modò perſona, quæ mortem vel cruciatus minatur, ſit talis, quæ valeat & ſoleat tales minas ad effectum deducere, & ſint minæ atroces. Pariſ. *n.* 115. Et ſic, ſi quis reſignavit beneficium ob metum mortis vel cruciatûs corporis, reſignatio eſt nulla. Pariſ. *n.* 111. dicens in hoc concordare omnes.

3. Secundo metus excommunicationis eſt juſtus & cadens in conſtantem virum. Pariſ. *n.* 134. 141. citans Hoſtienſ. & Dd. communiter *in c. dilectus, quòd metûs cauſâ.* Nam licèt injuſta excommunicationis ſententia non liget quo ad Deum, nocet tamen quo ad participanda Sacramenta, & talis excommunicatus parere debet, ne ex ſuperbia ligetur, qui priùs ex pravitate ſententiæ abſolutus tenebatur, ut dicitur *c. hic.* 13. *q.* 3. unde juſtum metum inducit. Pariſ. *à n.* 195. Adeóque renuncians beneficium ob timorem excommunicationis imminentis, de qua fuit ei comminatum per Epiſcopum, Vicarium, vel alium Ordinarium, ſi non renunciaret, poteſt dicere reſignationem nullam, & ad beneficium redire, quia nulla eſt, & non tenet talis reſignatio. Pariſ. *n.* 129. citans Cardin. *in Clem. unic. de renunc. n.* 7. Decium *in c. ex parte, de reſcrip. n.* 25. Barbat. *conſ.* 30. *l.* 3. *&c.*

4. Tertio periculum amiſſionis omnium bonorum inducit metum juſtum. Pariſ. *n.* 144 juxta *gl. in c.* 2. *quod metûs cauſâ.* Æquiparatur ſiquidem hic metus metui mortis Pariſ. *n.* 145. citans Ruin. *conſ.* 23. *n.* 9. *l.* 1. Decium *conſ.* 690. *n.* 8. Menoch. *de arb. Iud. caſ.* 135. *in fine* Maſcard. *de prob. concl.* 1051. *n.* 54. Procedere idipſum in amiſſione majoris partis bonorum, tradit. Pariſ. *n.* 155. citans Abb. ac dicens communem. Pro quo etiam allegat *c. frequens. de reſtit. ſpol. in* 6. ubi: *in actu odioſo æquiparantur omnia bona, & major pars.* Unde jam nulla erit reſignatio beneficii facta ob metum amiſſionis omnium bonorum. Pariſ. *n.* 143 citans Coraſ. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *n.* 10. Card. Butr. Abb. & DD. communiter *in c.* 2. *quod metûs cauſâ.* Subjungit tamen Pariſ. *n.* 157. quod, qui reſignant ob metum amiſſionis patrimonii, peccent, nihilominùs licitè reſtituantur in odium inferentium metum, pro quo citat Innoc. *in c.* 2. *quod metûs exuſâ.*

5. Quarto etiam præceptum comminatorium privationis dignitatis vel carceris latum à Rege aliquo vel Principe, inducit juſtum metum ad effectum, ut ex eo facta reſignatio annullari ſeu reſcindi poſſit. Pariſ. *cit. q.* 1. *n.* 183. dicens communem, juxta quam conſuluerunt, ut ait, duo præclariſſimi DD. Decius *conſ.* 209. & Ruin. *conſ.* 121. *l.* 3. addit Pariſ. *n.* 188. ex eodem Ruino *loc. cit. n.* 11. 12. 13. ſatis ex literis Regis conſtare de metu, cùm Epiſtola plene probet intentionem ſcribentis, ſi appareat ejus manu ſcripta, vel habeat Regis ſigillum. Porrò, quod attinet ad actualem incarcerationem, pro-

probat ea justum metum; & vel hinc resignatio facta ab incarcerato (intellige non solùm vi potestatis laicæ, de qua loquitur *Clem. multorum*, sed etiam vi potestatis Ecclesiasticæ) non tenet, sed est rescindibilis. Paris. *n.* 116. & 117. Ad hoc autem, ut actus gestus in carcere dicatur per vim & metum, duo debere copulativè concurrere, nempe quòd incarceratio sit injusta, & quòd ordinata ad illum actum faciendum, sive quòd carceratio conducat ad commodum carcerantis, vel ejus conjunctorum, tradit Card. de Luca. *de benef. d.* 78. *n.* 7 Et sic requiritur quoque, ut compulsio ad resignandum proveniat ab eo, qui incarceravit; secus enim est, si ab alio; nam si quis instante Fisco, vel alio in vinculis detineretur, & cum tertio contractum iniret, utique non diceretur metu carceris celebratus, nisi cum persona, ad cujus petitionem fuit detentus, contraheret. Paril. *n.* 120. dicens communem ex adductis per Burfatt. *cons.* 72. *n.* 34. *vol.* 1. Si tamen renunciatio facta statim, postquam exivit carcere, valida erit, si constet metum cessare. Paris. *n.* 121. & 122. Secus si viget causa metûs præambuli, quamvis renunciaverit sponte, & ex intervallo secuto, tamen metus durare videtur. Paris. *n.* 123. qui etiam *n.* 124. id exemplificat in eo, qui ductus extra carceres renunciat, ne reducatur ad carceres. Porrò carcer in hoc proposito dicitur quilibet locus, à quo quis libere discedere nequit. Paris. *n.* 128. citans Bursat. *cons.* 72. *n.* 34 *vol.* 1.

6. Respondeo tertiò: Sufficit metus justus, etiamsi non sit incussus directè possidenti beneficium, sed ejus fratri, vel alteri conjuncto ad istum effectum, ut inde resultet dicta nullitas resignationis. Card. de Luca *de benef. d.* 78. *n.* 6. sic etiam Paris. *n.* 66. ait, metum justum esse respectu patris, dum periculum imminet filii. Item *n.* 69. justum metum esse timorem mortis affinium, &, ut habet *n.* 70. amissionem omnium bonorum. Atque ita concludit *n.* 158. renunciationem dici meticulosam, & hinc nullam, si fratri, vel consanguineo imminet periculum, vel detineantur in carcere, & ob hunc metum frater, vel alter renunciat beneficio, pro quo citat Card. Paris. *cons.* 5. *n.* 161. *vol.* 3. Nav. *in c. acceptâ. oppositi.* 5. *n.* 1. Felin. *in c. Ecclesia S. Mariæ. de constitut. n.* 99. *&c.* quæ tamen intelligenda juxta dicta *paulò antè*, dum ipse frater, pater, consanguineus injustè detinentur in carcere, ut Paris. *n.* 161. nam juris executio non inducit metum, nec injuriam. *l. injuriam.* § 1. *ff. de in injuria.* Item ut ad effectum extorquendi resignationem fiat incarceratio. Ut Paris. *n.* 165.

7. Respondeo quartò: Metum reverentialem, v. g. Cardinalis, Episcopi, parentis, &c. vitiare resignationem, seu reddere illam refundendam, tenebunt consequenter, qui docent, quòd sola causa reverentiæ sufficiens est, ut rescindatur contractus; quales sunt Mascard. de probat. *concl.* 1051. *n.* 15. Ruin. *cons.* 60. *l.* 3. Castrens. Ripa &c. quos refert Paris. *cit. q.* 1. *n.* 170. Negativam, seu metum reverentialem non vitiare renunciationem, tenent cum Butrio *in c. cum inter. not.* 4. *n.* 5. alii apud Paris. *n.* 166. distinguit ipse Paris. *n.* 172. citans pro hac distinctione Bartol. *in l. si ob turpem. ff. de condict. ob turp. causam. col.* 2. *in fine.* & plures alios, eique inhæret Azor. *loc. cit.* nimirum vitiari resignationem, si adsint minæ aut verbera, secus si absint. Hásque minas inducere justum metum juxta qualitatem inferentis, & illius, cui inferuntur, spectatâ nimirum personâ minantis, an promptus sit & solitus statim exequi, quod minatur, an ferox, injustus &c. & persona, cui inferuntur, an timidus, vilis &c. tradit Paris. *à n.* 174. citato Mascard. *ubi antè n°* 18. Menoch. *de arb. cas.* 136. *n.* 11. Cravet. Ruin. &c. Unde jam, ait *n.* 177. quòd, si quis precibus Episcopi resignet, non poterit inde annullari resignatio, quamvis aliàs preces Superiorum sint mandatum. Quod ipsum tamen limitat *n.* 180. nisi ille Episcopus, vel Ordinarius soleat in Clericos suis votis non obsecundantes sævire, ita ut in hoc casu rogamina inducerent justum metum, pro quo citat Abb. *in c. Abbas. n.* 4. Card. Paris. *cons.* 66. *n.* 8. *vol.* 4.

Quæstio 705. *An, & qualiter metus justus probandus?*

1. Respondeo ad primum: Cùm metus illatus non credatur, nec præsumatur. Azor. *cit. q.* 1. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 71. citans Alciat. *cons.* 60. *n.* 20. *vol.* 4. Card. Paris. *cons.* 5. *n.* 168. *vol.* 4. Bald. *cons.* 63. *q.* 1. *l.* 1. Mascard. *de prob. concl.* 1051. *&c.* quia delictum non præsumitur. *l. merito. ff pro socio.* Paris. *n.* 72. allegantí se renunciasse ex metu incumbit onus id probandi. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 74. citans Mascard. *de probat. concl.* 1052. *n.* 1. Card. Paris. *cons.* 26. *n.* 66. *vol.* 3. Rebuff. *de resciss. contract. gl.* 12. *art. unic. n.* 2. cumque metus clàm inferri soleat. Paris. *n.* 76. & consistat in mente, (dicitur namque instantis periculi, vel futuri causâ mentis trepidatio *l.* 2. *ff. quæ metûs caus.* Paris. *n.* 77.) difficilis reputatur probationis. Paris. *n.* 75. citans Menoch. *de arb. cas.* 216. *n.* 15. Card. Paris. *cons.* 83. *n.* 61. *&c.*

2. Respondeo ad secundum: Metus imprimis probatur per testes Paris. *n.* 80. sic communiter scribere inquiens DD. post Abb. *in c. super hoc. de renunc.* & *in c.* 2. *de restit. Spol.* magísque creditur duobus testibus deponentibus de metu, quàm mille deponentibus de spontanea voluntate, eò quòd illi deponant de minis, tormentis, & similibus, quæ sensibus percipiuntur; hi de voluntate interna, soli Deo nota. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 85. *&* 86. citans Felin. *in c. in nostra. de testib. col.* 2. Alciat. *de præsump. reg.* 3. *præsumpt.* 7. *n.* 5. Barbat. *cons.* 54. *col.* 1. *l.* 1. Card. Paris. *cons.* 53. *n.* 62. *vol.* 4. Mascard. *de probat. concl.* 1053. *n.* 1. Bursatt. *cons.* 72. *n.* 48. & aliós quamplur. Et quòd, qui deponunt de metu, habeant præsumptionem pro se, argumento *c. super eo. de renunc.* ubi dicitur: nulla ratio verisimile reddit, ut quis beneficium, multis fortè impensis & laboribus acquisitum, quo sustentari debet, facilè sine magna causa sponte dimittat. Paris. *n.* 84. Idque multò magis procedere ait Paris. *n.* 88. dum testes probant actus, ex quibus verisimiliter metus inferri potuit. Debere autem testes speciem & qualitatem metûs dicere, & debere deponere de metu in specie, & non in genere, tradit Paris. *n.* 106. *juncto n.* 110. citatis pluribus. Sic etiam Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 120. *n.* 25. ait cum communi, metum in specie probandum, & respectu illius actûs, de quo contenditur. Secundò per literas juxta Ruin. *cons.* 121. *vol.* 4. Paris. *n.* 82. Tertiò per conjecturas & indicia. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 99. citans Mascard. *de prob. conclus.* 1052. Alex. *cons.* 156. *n.* 1. *l.* 5. plurimos alios. Sic quoque Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 147. *n.* 8. ait; metus, cùm difficilis sit probationis, probatur ex conjecturis, & facti verisimilitudine, maximè quando agitur de metu illato filio à Patre. Hæ conjecturæ & indicia legitimè, exactè, & plenè probanda sunt. Paris. *n.* 102. citans Mascard. *ubi antè n.* 9. Alciat. Boër. &c.

&c. Cúmque conjecturæ in jure non sint definitæ, remittuntur arbitrio Judicis. Azor. *loc. cit.* Paris. *n.* 103. citans Menoch. *de arb. Jud. cas.* 136. *n.* 1. Mandos. *in c.* 1. *n.* 23. *& 24. de off. deleg.* Ita ut vis & effectus probationum hoc casu dependeat ex arbitrio judicis. Tond. *loc. cit. nu.* 10. citans Gail. *l.* 2. *observat.* 93. *nu.* 6. *&* 7. juxta *l.* 3. *in fine. ff. ex quibus caus. major in integ.* Cùm totum negotium præsumptivum resideat in arbitrio Judicis. Paris. *nu.* 104. citans Mascard. *de prob. Concl.* 1052. *num.* 10. Card. Paris. *cons.* 66. *n.* 6. *vol.* 4. Porrò ex quibus conjecturis probetur metus, vide apud Farinac. *in fragm. v. metus.* De ceterò non posse probari metum contra judicem, dum is procedit jure; eò quòd tunc metus non censeatur injustus, ac consequenter teneat cessio, tradit Paris. *n.* 215. si verò judex procedat de facto contra jus, posse allegari metum, & illum censeri justum, tradit idem *num.* 216. pro primo citans Card. Paris. *cons.* 5. *à num.* 168. *& seq. vol.* 4. pro secundo Bartol. *in l. si per impressionem. ff. quod metûs caus.* Natt. *cons.* 50. *n.* 11. &c.

Quæstio 706. *An requiratur protestatio, quando fit resignatio ob metum ad effectum, ut ea postmodum possit annullari?*

REspondeo negativè. Paris. *l.* 9. *q.* 1. *nu.* 170. citans Decium *cons.* 209. *n.* 6. ac dicens communem. Si tamen fiat protestatio, adjuvat probationem metus. Paris. *ibid. nu.* 191. citans Jo. And. *in c. ult. de appellat.* Cravet. *cons.* 114. *in* 6. non tamen sufficit absque alia probatione. Paris. *n.* 192. citans Burlat. *cons.* 72. *n.* 2. *vol.* 1. Alciat. *cons.* 367. *n.* 10. &c. Idem, nimirum quòd adjuvet probationem, dicit Paris. *n.* 193. *&* 194. de protestatione clandestina, eóque magis, si justo timore imminente non fuit aulus publicè protestari; quamvis, ut Paris. *n.* 195. *& seq.* protestatio talis clandestina nihil operetur in præjudicium tertii, v. g. in provisum de illo beneficio ex metu resignato, aut etiam præsentatum ex metu, quando, ut habet *n.* 198. Tertius ille probabiliter ignoraret talem resignationem factam fuisse per metum: Secus verò, si is de hoc sciret, vel etiam fuit causa ad metum inferendum. Nam sicut prodest talis protestatio clandestina respectu ejus, qui metum infert, ita quoque videtur prodesse contra eum, qui fuit causa, ut metus ille sit illatus in resignatione facta ad instantiam provisi. Paris. *nu.* 199. citans Decium *cons.* 209. *nu* 5. Ruin. *cons.* 121. *n.* 19. *& seq.* ac dicens, se secundùm hanc opinionem consuluisse, & putare se, ab ea non esse recedendum in judicando.

Quæstio 707. *An metus, qui intervenit in resignatione beneficii, censeatur purgatus, si per multos annos Resignans reclamavit, & egit allegando & probando meticulosam resignationem?*

REspondeo: Si metus cessavit, & non viget ampliùs causa metûs, purgabitur metus per intervallum temporis, maximè, si aliquis actus sequatur, per quem argui potest libera voluntas & consensus, v. g. in contractu ex metu celebrato, si postea sponte facta solutio. Item in matrimonio contracto per metum, si sequatur (intellige, causa metûs jam sublatâ) cohabitatio seu concubitus. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 205. citans Mascard. *de prob. concl.* 1051. *n.* 35. Card. Paris. *cons.* 170. *nu.* 23. *& seq. vol.* 4. Alciat. *cons.* 5. *num.* 9. Abb. *cons.* 4. *n.* 35. & DD. *in c. de muliere. de Sponsal.* 6. Si verò viget eadem causa metûs, semper metus durare præsumitur, & intervallum temporis aut mutatio loci illum non purgat. Paris. *num.* 206. citans Decium. *cons.* 209. *n.* 7. Abb. *cons.* 77. *n.* 14. Mascard. *ubi antè, n.* 34. ac dicens communem, utì id exemplificat *n. seq.* v. g. debitor carceratus præstare cautionem de solvendo coactus, dum carcere liberatus ex intervallo solutionem facit, solutio dicitur facta eâdem causâ metûs subsistente; nam si non solveret, posset rursus carcerari. Sic dum contractu venditionis celebrato ex metu, traditio rei venditæ facta ex intervallo durante eâdem causâ metûs, traditio hujusmodi dicitur facta per metum. Sic si maritus uxorem verberavit, quia noluit consentire alicui instrumento, dum dein ex intervallo consensit, dicitur consensisse metu mariti. Mulier intrans monasterium ex metu, etsi in monasterio perseveraverit per plures annos, non videtur adhuc purgatus metus, si viget eadem causa metûs &c. sic qui ex metu resignavit beneficium, & dein durante eâdem causâ metûs non reclamavit, seu repetiit beneficium, dicitur ex metu non reclamasse, seu non petiisse resciffionem. Quin & Paris. *n.* 21. citatis Ferret. *cons.* 79. *n.* 12. Grat. *cons.* 47. *l.* 1. Socin. Jun. *cons.* 77. *n.* 91. *vol.* 1. &c. (Idque, etiamsi interceſſiſſet juramentum. Paris. *num.* 212. citans Covar. *in* 4. *decretal. p.* 2. *c.* 3. §. 4. *num.* 1. Nattam. *cons.* 451. *num.* 3. *&c.*) licèt actus demonstrans liberam voluntatem sequatur, adhuc præsumitur durare metus, & is actus ex eo fieri, si eadem causa metûs subsistat.

Quæstio 708. *An allegari possit, & probari metus, si in literis resignationis dicatur, quòd sponte & liberè?*

REspondeo affirmativè. Paris. *cit. q.* 1. *n.* 213. citans. Ruin *cons.* 121. *nu.* 11. *vol.* 4. (qui etiam dicat, huic assertioni Papæ non stari, & per consequens eam non nocere, si aliter rem se habere ostendatur) Butr. Imol. Vitalin. &c.

Quæstio 709. *An resignatio facta ex dolo sit nulla?*

REspondeo: Esse nullam, & jure damnari talem resignationem. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 3. Paris. *l.* 13. *q.* 3. *nu.* 1. citans Bellam. *de permut. benef. p.* 7. *q.* 3. *n.* 6. Rebuff. *in pr. tit. de resign. dolos. n.* 1. &c. cum communi juxta gl. *in c. suggestum.* 7. *q.* 1. jus siquidem Canonicum abhorret vitiosum ingressum in beneficium. *c.* 1. *& per totum. de eo, qui mitt. in poss. in* 6. Paris. *ibid. n.* 2. non est autem deterior ingressus quàm dolus. *l.* 1. *ff. de doli excep.* Paris. *n.* 2. Idem est de resignatione facta cum fraude, quæ enim de dolo dicuntur, procedunt etiam in fraude; cùm fraus & dolus sint sinonyma. Paris. *l.* 13. *q.* 4. *n.* 1. ubi etiam *n.* 5. quòd juxta Butrio, Anchar. Gemin. & DD. omnes *in c.* 2. *de renunc. in* 6. permutatio facta fraude sit nulla.

Quæstio 710. *An resignatio facta dolo sit ipso jure nulla?*

REspondeo affirmativè. Azor. *loc. cit. q.* 4. Castrop. *cit.* §. 5. *n.* 8. contra Paris. *l.* 13. *q.* 3. *n.* 14. citantem pro se Bellam. *ubi ante*, dolus enim tollit omnino libertatem, quam metus diminuit. Castrop.

strop. *ibid.* & dolus excludit consensum. Paris. *l. 13. q. 3. nu. 7.* ex Abb. *in c. cùm dilectus. in fine. de his quæ fiunt vi metúsve caus.* & dolo deceptus non dicitur consentire. Paris. *ibid. nu. 9.* cum Card. Paris. *cons. 100. n. 72. vol. 1.* Unde dicitur, quòd dolo inductus ad aliquid faciendum sibi non præjudicat. Paris. *n. 8.* cum Card. Paris. *cons 25. num. 31. vol. 4.* juxta totum *tit. ff. & eod. de dolo.* Neque obstat textus *in c. redintegranda. 3. q. 1.* aliique, ubi dolus, & violentia æquiparantur; æquiparantur enim quo ad redintegrationem, ita ut omnia sic dimissa debeant redintegrari, sed diverso modo: nam dimissa ex metu redintegrantur quò ad jus & possessionem, quia jus & possessio amissa est. At quæ dimissa sunt ex dolo, solùm redintegrantur de facto, non de jure, quia solùm de facto, & non de jure dimissa sunt. Castropal. *loc. cit.*

Quæstio 711. *An, & qualiter dolus probandus, & præsumendus?*

1. REspondeo primò: Dolus est probandus. Paris. *l. 13. q. 3. n. 16.* citans Abb. *in c. cùm quidam. de jurejur.* Card. Paris. *cons. 96. n. 67.* Decium. *cons. 256. n. 3.* &c. dolus enim regulariter non præsumitur, Paris. *n. 17.* citans *l. non omnes à barbaris. ff. de re militar.* Mantic. *de conject. ult. vol. l. 2. tit. 7. n. 1.* Mascard. *de prob. concl. 531. in principio.*

2. Respondeo secundò: Dolus cùm in animo consistat, verè probari non potest. Paris. *loc. cit. n. 20.* citans *l. dolum. c. de dolo.* Corn. *cons. 140. nu. 9.* & ideo reputatur difficilis probationis. Paris. *ibid. nu. 21.* citans Jason. *cons. 141. col. 3. vol. 3.* Azor. *cit. c. 26. q. 4.* Et hinc probatur per leviores probationes. Paris. *n. 23.* citans Abb. *cons. 77. n. 9.* cum aliis per Mascard. *concl. 530. n. 4.* Facilius autem colligitur & probatur, quando tractatur de præjudicio tertii. Tond. *qq. benef. p. 1. c. 64. n. 10.*

3. Respondeo tertiò: Dolus & fraus, seu aliquid factum dolo & fraude, probatur conjecturis, & præsumptionibus. Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 22.* citans Card. Paris. *cons. 75. n. 31. vol. 1.* Ruin. *cons. 4. n. 10. vol. 1. &c.* & *q. 4. n. 20.* ubi; quòd regulare sit fraudem allegatam per conjecturas, & iudicia probari, citans pro hoc longè plures. Et licèt conjecturæ & præsumptiones sui naturâ non probent, tamne in his, quæ occultè fiunt plenam probationẽ faciunt. Paris. *num. 25.* citans Butr. *in c. veniens. de testibus.* Mascard. *de prob. concl. 530. nu. 5.* Ut autem præsumatur dolus, seu ut ex conjecturis resignatio beneficii censeatur fraudulenta, necessarium erit probare, quòd actus cadat in utilitatem ejus, qui dolo inducit ad hoc. Azor. *loc. cit. q. 5.* Paris. *cit. q. 3. n. 26.* citans Felin. *in c. tertio loco. nu. 2. de præsump.* Mascard. *de prob. concl. 311. n. 77.* qualiter autem ipsæ conjecturæ probari debeant, à Card. Parisio *cons. 52. n. 35. vol. 4.* tradi, ait Paris. *n. 24.*

4. Respondeo quartò: Tales conjecturæ resignationis dolo expracticatæ sunt, dum nulla ratio reddi potest, cur quis beneficium multo labore, & impensis quæsitum, quo commodè sustentatur sine magna causâ sponte resignat. Paris. *cit. q. 4. n. 16.* Azor. *cit. q. 5.* ex Rebuff. *cons. 56. nu. 10.* Si præcessissent minæ. Azor. *loc. cit.* Paris. *nu. 23.* ex Mascard. *de prob. concl. 815.* ubi tales conjecturas 53. recenset, inter quas hæc, & sequentes sunt principales. Si actus sit factus clam, v. g. dimissio beneficii. Azor. *loc. cit.* Paris. *nu. 24.* citans gl. *in c. consuluit. de off. deleg. v. odit. lucem.* Felin. Decium. *ibid.* Quando actus essent nimium vicini, & brevi tempore facti, vel nimis multiplicati. Paris. *nu. 25. & 26.* Tond. *loc. cit. n. 13.* Denique ex verisimili, & inspectâ personarum qualitate colligitur, & præsumitur fraus. Paris. *nu. 27. & 28.* Sic quoque permutationis fraudulentæ indicia, & conjecturæ assignantur sequentes: dum fit ab infirmo. Argumento *c. 2. de renunc. in 6.* Paris. *cit. q. 4. num. 6.* citans Federic. *de permut. q. 31.* Anchar. *cons. 388.* Mascard. *de prob. concl. 178. num. 1.* &c. dum fit à sene. Paris. *n 7.* citans Gloss. communiter receptam *in cit. c. 2.* Rebuff. *cons. 22. num. 2.* Dum permutatur pingue cum tenui. Paris. *nu. 8.* citans Gambar. *de pot. leg. l. 10. n. 334.* Imol. *in c. non liceat. n. 7. de cleric. non resid.* ex Mascard. *de prob. concl. 178. nu. 4.* dum fit lite pendente. Paris. *nu. 9.* citans Gamb. *ubi antè. l. 6. n. 334.* dum fit in fraudem exspectantium. Paris. *n. 10.* citans Zabarell. *in Clem. unic. n. 3. de rerum permut.* Oldr. *cons. 324. n. 6.* &c. dum permutatio fit cum nepote. Paris. *n. 11.* citans Selv. *de benef. p. 1. q. 18. n. 2.* Mascard. *ubi antè. n. 6.* eò quòd ratione sanguinis præsumatur fraus. Paris. *n. 12.* citans *l. data. c. de donat.* Card. Paris. *cons. 143. n. 22. vol. 4.* Cravet. *cons. 82. n. 6.* &c. Dum post permutationem unus permutantium manet in possessione sui beneficii antiqui. Paris. *nu. 13.* citans Card. Paris. *cons. 130. n. 6. vol. 2.* Mascard. *ubi antè. nu. 7.* Innoc. *in c. 1. de cleric. non resid.* Qui conjecturam hanc magni faciat, dum permutatio fit clam. Paris. *nu. 14.* citans Bartol. *cons. 60. col. 3. vol. 5.* Rebuff. *cons. 22. num. 2.*

Quæstio 712. *An resignatio facta seu extorta vi teneat, sive an eadem, quæ dicta sunt de resignatione facta metu, dolo, fraude quò ad nullitatem, locum quoque habeant in resignatione facta vi?*

REspondeo affirmativè. Azor. *cit. c. 26. q. 6.* Paris. *cit. q. 4. c. 29.* citans Butrio. *in c. super hoc. n. 6. de renunc. in 6.* Roffiniac. *de benef. c. 16. n. 5. 10. 11.* Rebuff. *in pr. tit. de renunc. vi dol.* Atque justificari id tum ex Rubrica, & toto *tit. de his, quæ vi, metúsve causâ*, in quo fit mentio de vi & metu, & hæc duo pacificari & producere eundẽ effectum, pro quo citat Bossium *in pr. criminal. tit. de pluribus violentiis.* Item *ex c. 2. quòd vi metúsve*, ubi: quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari, & *c. 3.* ubi: quæ vi metúsve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis. Verùm licet vis metui in omnibus æquiparetur, non videtur tamen æquiparari dolo in hoc, quòd is ipso jure reddat nullam resignationem, ob eandem rationem suprà datam pro hoc. De cetero sicut dolus, ita & vis, quia delictum est, non præsumitur, nisi probetur. Paris. *cit. q. 4. n. 31.* citans Barthol. *in l. gerit. ff. acquirend. hared.* Card. Paris. *cons. 67. n. 61. vol. 3.* &c. sic quoque probanda species violentiæ illatæ. Paris. *n. 33.* citans Menoch. *cons. 2. n. 327.* Alciat. *in l. interpositas. n. 3. c. de transact.* Probari autem potest per testes deponentes, se vidisse N. cum armis inferentem violentiam. Azor. *cit. q. 6.* Paris. *num. 34.* juxta quod colligitur ex toto *tit. ff. ad l. Juliam. de vi.* & ibi Barthol. & DD. alii; eò quòd, ut Paris. *n. 35.* ex Anchar. *cons. 212.* Alex. *cons. 156. l. 5.* Natt. *cons. 240. n. 10. l. 2.* Arma enim etiamsi sint ad latus, & non extracta, inferunt vim. Atque ita illi, cui vis illata, competit actio spolii. Azor. *loc. cit.* Paris. *n. 36.* ex Aut. de Butrio *in c. 2. n. 10. de restit. spol.*

spol. Fitque restitutio, etsi jam alteri facta collatio. Paris. *n.* 37. citans Rebuff. *in pr. tit. de renunc. vi facta. num.* 2. qui etiam id limitat, nisi vis esset illata à Judice de causa cognoscente.

Quæstio 713. *In specie, an censeatur vim passus in resignatione beneficii, qui resignat, seu cedit beneficio suo propter vexationes, quibus gravabatur ab Episcopo?*

Respondet affirmativè Azor. *cit. q.* 6. *in fine.* Paris. *cit. q.* 4. *n.* 38. citans Gemin. & Præpositum *in c. quàm periculosum. 7. q.* 1. ac dicens communem; censet tamen Paris. *num.* 39. citato pro hoc Sarn. *de infirm. resign. q.* 10. *c. ult.* Majol. *de irregular. l.* 3. *c.* 6. *nu.* 9. posse in hoc casu repeti beneficium, si calore iracundiæ motus id resignavit.

Quæstio 714. *An rata & firma sit renunciatio facta, postquam quis beneficio suo spoliatus est?*

Respondeo: Talem resignationem esse nullam in hoc sensu, quòd veniat rescindenda, & spoliato dari, seu dandam restitutionem in integrum. Castrop. *cit.* §. 5. *nu.* 6. Azor. *cit. c.* 26. *q.* 7. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *n.* 1. citans quamplurimos juxta *c. sollicitè. de restit. spol.* Idque ob præsumptionem coactionis, dum, ut dicitur *cit. c. sollicitè*, verisimile non est, quòd sponte juri suo renunciavit, qui renunciavit spoliatus. AA. iidem. aitque Paris. *loc. cit. n.* 3. juxta gl. *in cit. c. sollicitè. v. quia*, hanc esse præsumptionem juris, contra quam non admittitur probatio: qui etiam pro confirmatione responsionis *n.* 8. illud adducit, quòd in spolio ferè semper adsit vis & metus. Quin etiam procedit responsio in resignatione facta cum juramento, ita ut eo non obstante, possit ac debeat talis restitui. Paris. *loc. cit. nu.* 16. citans Berojum, *in cit. c. sollicitè. n.* 1. & ibi communiter alios; juramentum enim tale præsumitur præstitum, & extortum vi, metu, dolo, cùm sequatur naturam actûs, super quo interponitur. Paris. *n.* 18. citans quampl. Porrò spoliatus, cùm retineat proprietatem, non autem possessionem, quippe quâ spoliatus est. Paris. *n.* 6. per hujusmodi resignationem resignatur proprietas, non verò possessio; cùm nemo dare possit, quod non habet. Paris. *ibid.* actionem verò spolii nunquam intelligi cessam, nisi expresè dicatur. Paris. *n.* 15. Limitationum variarum loco deservient responsiones ad plures quæstiones sequentes.

Quæstio 715. *Quænam, & qualiter probare teneatur resignans post spoliationem, ut possit restitui?*

1. Respondeo primò: Debere probare duo, nimirum se possedisse, cum spoliaretur, & jus saltem coloratum habuisse in illo beneficio. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *cit. q.* 5. *à nu.* 86. *per plures n. seq.* Ratio prioris est, quòd qui possidet rem, eâ spoliatus dici nequeat juxta vulgarem regulam. Paris. *nu.* 88. ex Menoch. *in prælud. recup. poss. n.* 1. siquidem privatio supponit habitum. *l. decem.* §. *decem. ff. de verb. oblig.* Paris. *n.* 89. Ratio secundi est, quòd, licèt in profanis sufficiat sola probatio possessionis, in quibus etiam prædo est restituendus, *in c. in literis. de restit. spoliat.* Paris. *n.* 95. in beneficialibus tamen non sufficit, utpote in quibus exactior probatio requiritur. Paris. *n.* 96. citans Rotam *decis.* 20. *de restitut. spol. in antiq.* & Innoc. *in c. constitutus. de filiis presbyt.* cùm in iis prohibeatur vitiosus ingressus, juxta *c.* 1. *de mitt. in possess.* Paris. *n.* 96. Unde jam, licèt possessio inferat præsumptum titulum. *c. si à sede. de præb. in* 6. non tamen ex sola probatione possessionis in beneficialibus oriretur effectus restitutionis in spolio; cùm ad beneficium restitui non queat carens canonicâ institutione, quæ ex stylo saltem deducenda est ex coloratione justi ingressûs. Paris. *nu.* 98. 99. & 100. citans plures textus, & AA. & sic in beneficialibus spoliatus debet possessionis suæ titulum justificare. Paris. *n.* 101. citatis etiam pro hoc quampl.

2. Respondeo secundò: Sive contra tertium, sive contra ipsum resignatarium resignans agat spolio, duram prorsus esse illi provinciam potissimùm in firmando primo extremo, nempe possessione beneficii ab eo habitâ, ait Lott. *l.* 3. *q.* 14. *nu.* 96. eò quòd, ut addit, concludentes, & plenæ exigantur probationes, propter naturam istius possessorii, quod, licèt summarii sit processûs, ut tamen maximi præjudicii, aitque hanc esse communem, ut Menoch. *de remed. recup. poss. remed.* 15. *nu.* 408. & 413. & quam Rota sit perpetuò amplexa apud Verall. *decis.* 328. *nu.* 6. & 7. *p.* 2. Quin & præter rigorem hunc in probando primo extremo facillimè resignanti obstituram spontaneam possessionis abdicationem, ait Lott. *ibid. nu.* 111. juxta Rotam *decis.* 2. *de rer. permut. in novis.* Et quidem, si dirigatur actio contra tertium, extra dubium est, debere fieri tunc articulos, & super illos testes examinari, qui bene concludant, ait Lott. *nu.* 97. Si verò agatur contra ipsummet resignatarium eodem modo exigitur probatio. Lott. *n.* 100. Neque ad hoc extremum possessionis probandum confessio resignatarii, præsertim non geminata de possessione resignantis opitulabitur multum, si attendatur simplex factum resignationis; cùm possit quis resignare jus, quod habet absque eo, quòd sit in possessione illius, adeóque ex actu resignationis inferri nequeat ad talem possessionem. Lott. *n.* 100. & 101. Sed & ob eandem rationem enunciatio ipsiusmet resignantis de propria possessione non attenditur. Lott. *num.* 102. Atque ita hac in re simultaneæ confessionis, nempe factæ à resignatario, & resignante argumentum de nihilo inserviet; quia enunciatio circa non necessaria ad actum non probat, etiam inter ipsos enunciantes. Lott. *n.* 103. & 104. Quamvis ista simultanea confessio serviat ad probationem alterius extremi, nempe tituli colorati. De quo mox.

3. Respondeo tertiò: Non tamen exigitur exacta probatio veri tituli, sed forma quædam extrinseca seu facie valida, & sic possessionem pristinam ex aliquo colore justificare. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *nu.* 102. citans Menoch. *de recup. poss. remed.* 15. *nu.* 463. Imol. *in c. ex parte. de restit. Spol.* Bellam. *decis.* 455. Lap. Gemin. &c. Probatur autem hic color ad effectum restitutionis super spolio in beneficialibus, Primò, si probetur spoliatum habuisse ab eo beneficium, qui habebat auctoritatem instituendi. Paris. *n.* 103. citans Innoc. & Butr. *in c. in literis.* Jo-And. *in addit. ad Speculator. in rub. de restit. spol.* & plures Rotæ decis. Neque requiritur, ut spoliatus ostendat literas. Paris. 105. citans Cassad. *decis.* 8. *num.* 1. *de restit. spol.* Sed probatur etiam ex sola supplicatione signata. Paris. *n.* 106. citans Sarn. *in reg. de non judicando q.* 5. Mohed. *decis.* 306. &c. Secundò probatur iste color ex confessione licèt obiter

ter facta per spoliantem. Paris. *n.* 107. citans Sarn. *de triennalt. q.* 39. Felin. *in c. olim num.* 11. *de rescrip.* Rotam *decis.* 19. *de restit. spol. in novis* &c. sic etiam tradit Lott. *loc. cit. n.* 104. ubi: Simultaneæ confessionis, nempe factæ à resignante, & resignatario de possessione resignantis operari potest respectu tituli, & coloris illius, ita, ut probato primo extremo, non possit resignatarius excipere de defectu tituli colorati respectu probationis possessionis, etsi secus sit quò ad effectum adjudicationis in petitorio, ut Lott. *nu.* 105. dicens, sic distinxisse Rotam *decis.* 19. *de restit. spol. in novis.* Tertiò ex probatione diuturnæ possessionis. Paris. *n.* 108. citans Abb. Butr. & AA. communiter *in. cit. c. in literis*; quia ex longa possessione beneficii oritur præsumptio ingressùs Canonici. Paris. *nu.* 109. citans Roman. *cons.* 117. *in fine.* sufficit autem possessio decem annorum. Paris. *nu.* 111. citans Felin. *in c. illud. n.* 6. *de præsump.* Anchar. *cons.* 117. *in fine.* & alios. Et sic longo tempore reputatus Clericus, & existens in quasi possessione beneficii, etiam curati, habet intentionem fundatam, licèt non habeat literas Ordinum, & præsumitur ordinatus. Paris. *nu.* 112. citans Host. Butr. Abb. & DD. communiter *in cit. c. illud. de præsump.* Sic ei, qui per 30. annos possedit beneficium, præsumitur facta collatio, licèt non habeat literas collationis. Paris. *num.* 113. juxta eosdem AA. *ll. cit.* Decium. *cons.* 118. *n.* 2. Reputatúrque tunc calumniosa petitio visitatoris petentis literas. Paris. *nu.* 114. citans Gemin. *in c. si Judex. §. ult. nu.* 4. *de sent. excom. in* 6. testans, sic responsum à S. Congregat. Episcoporum *in Nolensi visitat.* Quartò probatur color & titulus ex testimonio de auditu à spoliato, qui possidebat. Paris. *n.* 116. citans Bellamer. *decis.* 455. *in fine.* Felin. *in c. ex parte. de restit. spol.* Rotam *decis.* 8. *eod. tit. in novis* &c. Quintò probatur coloratus titulus ad favorem resignatarii agentis super spolio ex narrativa resignationis facta in literis expeditis continentibus reservationem certæ pensionis ad favorem resignantis. Paris. *nu.* 117. citans Sarn. *de triennal. q.* 89. *in fine.* testantem sic resolutum, à Rota. Atque ita ad hunc colorem probandum sufficiet probatio levis. Paris. *num.* 118. citans Mascard. *de probat. concl.* 1322. *n.* 1. cùm etiam probetur ex institutione, etiam non constito de præsentatione. Paris. *n.* 119. ex Rebuff. *de pacif. poss. n.* 32. Quin & per exspectativam. Paris. *nu.* 121. ex Sarn. *de triennali. q.* 24. *nu.* 4. testante, sic sæpe decisum à Rota. Unde jam infertur, si ad restitutionem spoliati in beneficialibus requiratur probatio tituli, non esse dandam restitutionem ei, qui beneficium possidere non potuit, nec potest; cùm clarè & notoriè constet de jure non petentis, & frustra tractetur de possessione cum eo, qui possidere non potuit nec potest. Paris. *nu.* 123. *&* 124. id pluribus. *seq. n.* exemplificans, v. g. in laico intruso, excommunicato, & ut habet *n.* 137. in omnibus casibus, in quibus constaret de notorio defectu proprietatis; eò quòd in his casibus non est spoliato concedenda restitutio ad beneficium, pro quo citat Cravett. *cons.* 190. *n.* 8. Menoch. *de remed. recup. possess. remed.* 15. *num.* 438. Mascard. *de prob. concl.* 1326. &c. Item in omnibus casibus, in quibus objicitur alicui, quòd ipse jure privaretur dominio, & possessione; eò quòd, cùm ipse jure sit privatus, non dicatur posse possidere, juxta gl. *in c. quo jure. d.* 8. ut habet Paris. *nu.* 138. *&* 139. citans Menoch. *ubi antè nu.* 330. Abb. *in c. item cùm quis. n.* 9. *&* 10. *de restit. spoliat.* & plures alios.

Quæstio 716. *An resignatio facta post spoliationem coram Iudice competente valeat, ita ut in eo casu restitutio non debeatur?*

REspondeo affirmativè. Castrop. *cit.* §. 5. *nu.* 7. Azor. *cit. c.* 26. *q.* 7. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *n.* 21. citantes Abb. *in c. sollicitè. de restit. spol. n.* 10. Rebuff. *in pr. tit. de vi in resign.* contra Menoch. *de recup. poss. remed. 1. n.* 277. motum hac ratione, quòd resignatio fieri non possit nisi, in manibus Papæ, Episcopi, aut alterius Superioris. Siquidem auctoritas judicis de causa cognoscentis pergat, & excludit omnem suspicionem violentiæ, & metûs. AA. iidem, uti & Card. Paris. *cons.* 96. *nu.* 39. *vol.* 1. Bartol. *in l. frater à fratre. nu.* 51. *ff. de condict. indeb.* & alii apud Paris. *loc. cit. nu.* 22. qui etiam *nu.* 25. respondet ad rationem Menochii; quòd judex ratione causæ coram ipso pendentis dicatur Superior, cùm habeat jurisdictionem, quódque auditor Rotæ possit recipere cessionem litis & causæ coram eo pendentis.

Quæstio 717. *An resignatio facta post privationem, ubi certò constat eam factam sine vi & metu, valeat, & nequeat rescindi?*

REspondeo affirmativè. Azor. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 5. *num.* 8. citans Abb. *in cit. c. sollicitè.* Menoch. *de recuperand. poss. remed. 1. n.* 267. *&* 276. ac dicens communem, quamvis Paris. *nu.* 33. dicat, Rotam *in Abulens.* 29. *Decemb.* 1557. in contrarium firmasse, nempe dandam restitutionem non obstante quacunque resignatione, etiam spontaneâ postea secutâ, eò quòd non videatur renunciatum actioni spolii, nisi expresè dicatur secundùm stylum Rotæ: quin & expresè ait Paris. *n.* 35. hanc ipsam Rotæ *decis.* de plano procedere, seu concedendam restitutionem non obstante resignatione quâcunque etiam spontaneâ, quoties resignatio facta fuit in favorem illius, qui spoliavit; secus, si facta in favorem alterius ex aliqua causa, v. g. quia resignans senex, vel non potest, vel non vult litigare &c. De cetero ratio responsionis est, quòd resignatio spontanea sit valida, & apparente veritate de non metu & violentia, cesset præsumptio metûs & violentiæ; idque argumento *cit. c. sollicitè.* ubi dum ait Papa, non esse verisimile aliquem sponte renunciare post spolium, satis indicat, quodsi contrarium appareat, cesset dicta præsumptio. Paris. *à nu.* 29. dixi, ubi constat resignationem post spoliationem factam sine metu, & violentia; nam in dubio, resignatúmne sit sponte, nec ne, non præsumitur resignatio post spolium facta sponte. Azor. *loc. cit.* Paris. *num.* 36. eò quòd actus præsumatur factus ob causam, quæ præcesserit. Paris. *ibid.* ex Barbat. *cons.* 11. *col.* 6. *in fine. l.* 2.

Quæstio 718. *An teneat resignatio facta post spolium per Procuratorem ad resignandum constitutum sponte ante spoliationem?*

REspondeo affirmativè. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *cit. q.* 5. *nu.* 37. citantes Menoch. *ubi antè. remed.* 1. *num.* 272. Abb. *in c. sollicitè. nu.* 11. & ibi AA. communiter. Dum enim sponte & liberè ante spoliationem fuit constitutus Procurator, ad-

huc dicetur resignatio libera & spontanea, etiamsi Procurator resignavit post spoliationem; cùm facta per eum resignatio trahatur ad diem mandati, quando non aderat spolium, & consequenter nec vis, nec metus. Paris. *n.* 38. & ex eo Azor. Adde, quòd, ut iidem, dum constituitur Procurator ad resignandum, Principalis videatur beneficium resignandum habere pro derelicto, juxta dictum Abb. *in cit. c. sollicitè. nu.* 11. quemadmodum quis constituens Procuratorem ad adeundam hæreditatem, eo ipso censetur hæreditas adita ex illa animi declaratione. Paris. *n.* 39. juxta *l. Paulus per Procurat. ff. de acquir. hared.* & Cujatium *l.* 1. *observat. juris c.* 34.

Quæstio 719. *An valida sit & firma resignatio, facta post longum tempus à spoliatione, Resignante nihil de spoliatione conqueſto?*

REspondeo affirmativè; Cessat enim tunc præsumptio violentiæ continuatæ; quia dum nemo præsumatur velle jactare suum, si resignans metu fuisset inductus, de eo conquereretur. Castrop. Azor. *ll. cit.* Paris. *nu.* 41. & 42. citans Butrio *in c. sollicitè.* Menoch. *ubi antè. nu.* 278. Limitat tamen responsionem Paris. *à n.* 43. si facta fuerit resignatio in favorem tertii, qui non spoliavit, & si de omni casu constet, quòd resignans non fuerit conquestus, quia durabat eadem causa metûs; durante enim eâdē causâ metûs voluntas semper dicitur meticulosa. *l.* 2. *c. quod metûs causâ.* Ac ideo poterit petere talis resignans restitutionē, quando potuerit, ut Paris. *n.* 45. Et resignans post spolium, qui non fuit admissus, admittendus erit ad probandum, id se non fecisse, quia timebat, vel vis inferebatur, aut minæ. Paris. *n.* 47. *in fine.* Argumento *c. sollicitè.* Quod autem Trid. *c.* 19. *sess.* 25. *de regular.* statuit, ut elapso quinquennio non possit, prætendens per vim & metum se ingressum religionem, reclamare, etiamsi toto illo quinquennio duraverit eadem causa vis & metûs, ut censuit S. Cong. Concil. 21. Aug. 1572. dum Concilium quasi præsumptione quadam vult, ut post quinquennium nemo audiatur: Id inquam speciale dicit. Paris. *n.* 46. non trahendum ad præsentem casum. De cetero Castrop. annum statuit, post quem facta resignatio sit firma.

Quæstio 720. *An teneat, & firma sit resignatio facta post spolium, ubi resignans pepegisset cum spoliatore, se non acturum possessorio adversus spolium?*

1. REspondeo: Esse firmam, & talem non esse restituendum. Paris. *cit. q.* 5. *num.* 48. citans Menoch. *ubi suprà remed.* 1. *n.* 261. Card. Paris. *cons.* 1. *n.* 151. *vol.* 1. Abb. *in c. sollicitè. de restit. spol. n.* 16. Rebuff. &c. potest enim spoliatus cedere actione spolii. Paris. *n.* 49. *juncto n.* 84. & 85. (ubi: notanda conclusio communiter recepta, quòd actio spolii competens super beneficio potest cedi in favorem alicujus, & ideo potest quis promittere per pactum se non acturum spolio) Azor. *loc. cit.* cum communi DD. *in c. sollicitè.* & hoc modo, nempe paciscendo, ut dictum, ei ceditur. Paris. *ibidem.* Validum autem & firmum est tale pactum, non secus ac firmum est pactum post furtum, ne furti agatur, & ne ablatum restituatur. *l. si unus.* §. *pactam. ff. de pactis.* sicut & pactum de non molestando possessorem, ut Menoch. *loc. cit. n.* 283. Adeóque & resignatio facta post tale pactum est firma. Paris. *n.* 50. & 51.

2. Procedúntque hæc à fortiore, si interpositum quoque juramentum; licèt enim resignatio etiam cum juramento facta post spoliationem non impediat restitutionem, juramentum tamen præstitum postea de non agendo, impedit, ne possit intentari remedium restitutionis. Paris. *nu.* 52. citans Abb. *in c. sollicitè. in fine.* Menoch. *ubi antè. n.* 287. & 295. Card. Paris. *loc. cit.* &c. juramentum enim, ut dictum suprà, debet servari, ubi potest sine interitu salutis æternæ. *c. cùm contingat, de jure jur. c. quamvis, de pactis in* 6. Paris. *num.* 53. citans *D. Tho.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. Covar. *in cit. c. quamvis. p.* 1. §. 6. *n.* 6. Alciat. *in cit. c. cum contingat* &c. Unde & patet differentia inter resignationem, pactum, & juramentum facta post spoliationem; resignatio enim spectat jus proprietatis, & non possessionis. Pactum de non agendo possessorio, vel non molestando concernit ipsam possessionem. Paris. *cit. n.* 53. ex Abb. *in c. sollicitè.* Neque obstat *cit. c. sollicitè.* dum à pari procedere censet resignationem, & juramentum facta post spoliationem ad effectum, ut tam hoc, quàm illa dicatur facta ex metu; nam licèt præsumatur metus, ut dicitur *cit. c.* purgatur tamen ille per verba apponi solita à Notariis de stylo in instrumento, in quo dicitur sponte juraſſe, nullo metu &c. Paris. *n.* 54. citans Abb. Butr. & Imol. & alios passim *in cit. c. sollicitè.* Card. Paris. *cons.* 5. *n.* 187. *vol.* 4. &c. cùm hujusmodi præsumptio resultans ex verbis instrumenti tollat aliam præsumptionem legis, juxta *l. nam ita divus ff. de restit. in integ. c. literis. de præsump.* Paris. *n.* 55. & hoc, etiamsi dicta clausula passim ex stylo potiùs, & Notariorum consuetudine apponatur citra partium voluntatem. Paris. *n.* 56. citans Abb. *in c. cùm contingat.* Ruin. *cons.* 159. *n.* 16. *l.* 3. Decium &c. quamvis inter pactum, & juramentum metu extorta & alia accedat differentia maxima, nempe quòd juramentum etiam in hoc casu servandum, nisi absolutione remittatur, quod in pacto locum non habet. Paris. *n.* 57.

3. De cetero pactum illud de non agendo possessorio, seu de non molestando intelligitur tam de molestia juris, quàm facti juxta suam significationem. Paris. *n.* 58. citans Ruin. *cons.* 48. *n.* 9. *l.* 2. Decium. *cons.* 581. *n.* 11. addensque *nu.* 59. ex Menoch. *loc. cit. nu.* 285. idem esse de verbo *controversia*, cum eadem sit significatio verborum *molestiæ & controversiæ*, juxta gl. & Bartol. *in l. Lucius.* §. *tres hæredes. ff. de pactis.* Quòdsi tamen hujusmodi pactum fieret ante spoliationem, non valeret, & eo non obstante, si postea fuit spoliatus, erit restituendus. Paris. *n.* 61. citans Abb. *in c. sollicitè.* cò quòd tale pactum esset contra bonos mores. Paris. *n.* 62. citans *l. si unus.* §. *pacta. ff. de pactis.* Card. Paris. *cons.* 92. *n.* 21. *vol.* 4. Pacta autem, quæ sunt contra bonos mores, sunt nulla ipso facto, juxta gl. *in c. ult. de pactis*, uti etiam ea, quæ præstant materiam delinquendi (uti esset hoc pactum) *l. convenire. ff. de pactis.* Paris. *n.* 63.

Quæstio 721. *An resignanti post spolium concedatur restitutio, si resignavit in favorem tertii, à quo spoliatus non fuit?*

1. REspondeo affirmativè. Azor *cit. c.* 26. *q.* 7. Paris. *cit. q.* 5. *n.* 69. citans plures pro hoc Rotæ decisiones, contra Cassad. *decis.* 4. *de restitut. spol.* Rationem dat *n.* 70. quòd licèt talis Resignans cesserit

ferit jus, dominium & possessionem, non tamen actionem spolii, quæ post cessionem spontaneam duret & vigeat; & de stylo Rotæ nunquam censeatur cessa actio spolii, nisi expressè dicatur. Unde licèt cesset ratio *cit. c. sollicitè*, militet tamen hæc, quòd non sit renunciatum actioni spolii.

2. Limitat tamen responsionem Paris. *à n.* 72. ut non procedat primò, si resignans post spolium in favorem tertii cederet etiam actionem spolii. Secundò, si constaret resignasse ex aliqua causa, tum enim non esse restituendum ait *n.* 73. Tertiò, si spoliatus fuisset subrogatus in locum Resignatarii, etiam quoad possessionem, eò quòd, cùm iste subrogatus, qui eum spoliavit, non possit simpliciter dici tertius; cùm sit subrogatus in locum Resignatarii, & sicut non poterat agere contra illum, ita nec contra subrogatum. Paris. *n.* 75. Quodsi ille tertius, in cujus favorem facta resignatio, post spolium sit subrogatus etiam quoad possessionem, nihilominus adhuc resignantem posse agere de spolio, & non Resignatarium illum, tenet Paris. *n.* 78. contra Bellam. *decis.* 351. *sub rubric. de præb.* eò quòd subrogatus etiá quoad possessionem non videatur subrogatus quoad actionem spolii, nisi expressè fiat mentio de spolio in subrogatione, ut Sarn. *ad regul. de triennal. q.* 11. *n.* 13. attestans hunc fuisse stylum sui temporis apud Paris. *n.* 79. & quia actio competens spoliato est actio personalis, & ideo non transit in subrogatum, qui nec est læsus, nec spoliatus. Paris. *n.* 80. citans Rotam *in Pampilon. Prioratus*, 11. *Maji*, 155. Limitat tamen hoc ipsum Paris. *n.* 83. ita ut, si mortuo spoliato, Papa conferat, & gratiosè subroget, gratiosè subrogatus possit agere spolio.

Quæstio 722. *An post factam spontaneam resignationem spoliatus illo eodem beneficio sit restituendus?*

1. REspondeo negativè. Paris. *cit. q.* 5. *n.* 141. citans Innoc. *in c. super hoc. de renunc. n.* 1. Sarn. *de triennal. q.* 24. *col.* 2. Rebuff. *in pr. tit. de vi in resign. adhib.* Rossiniac. *de benef. c.* 26. *n.* 2. Menoch. *cit. remed.* 1. *n.* 297 & 299. Navar. *in c. accepta. in oppos.* 7. *n.* 2. *de restit. spol.* & Rotam *in Abulens. Canonic.* 16. *Jun.* 1598. Siquidem ad dandam restitutionem in beneficialibus requiritur titulus, ut dictum suprà; ille autem, qui sponte resignavit, nullum amplius habet titulum; cùm amiserit, nedum titulum, sed etiam possessionem, ut Innoc. communiter receptus *in c. quod in dubiis. de renunc.* adeóque non potest agere actione spolii, quæ non competit ei, qui sponte possessionem amisit, ut Abb. *in c. cùm in literis. de restit. spol. n.* 26. & sic notorius defectus impedit restitutionem. Paris. *n.* 142.

2. Limitanda responsio primò: ita ut, si Resignans spolietur, antequam sit admissa resignatio à Superiore, possit agere spolio; eò quòd, ut renunciatio suum consequatur effectum, debeat à Superiore acceptari, ita ut eâ admissione non factâ, non perdatur beneficium, juxta dicta aliàs, Paris. *n.* 152. citans Nav. *ubi antè, n.* 26. Menoch. *ubi antè n.* 303. & DD. communiter *in c. sollicitè.* contra Gl. Innoc. Host. *in c. admonuit.* & *in c. quòd in dubiis.* contrario nixos fundamento; quòd nimirum per resignationem non acceptatam admittatur possessio & proprietas, eáque præjudicet resignanti, non Superiori.

3. Limitanda secundò: ita ut, si post factam resignationem spoliatus stetisset in possessione, & dein ejectus fuisset, posset agere de spolio ad recuperandam possessionem, non obstante exceptione resignationis. Paris. *n.* 156. citans Abb. *in c. sollicitè. n.* 6. Menoch. *ubi antè, n.* 299. Navar. *ubi antè, n.* 9. & 12. & plurimos alios, eò quòd incumbendo post resignationem possessioni, videatur recuperare naturalem. Paris. *n.* 157. citans Gl. *in c. causam. de præscrip.* Calder. *cons.* 4. *de renunc. in fine.* Idem tradit Lott. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 89. & 90. ubi: cùm ante publicationem resignationis non sit perfectè jus quæsitum Resignatario, Resignans legitimè incumbit possessioni; & si spolietur per tertium, (qualis reputatur omnis, qui diversus est à Resignatario, etiamsi, quantum quoad hunc effectum, sit successor illius in beneficio; cùm non habeat jus à prædecessore, sed à collatore. Lott. *loc. cit. n.* 98. subjungens *n.* 99. id intelligendum, nisi lis fuerit cum resignatario inchoata, eò quòd tunc respectu litis, & illius status iste successor non habeatur pro tertio, sed pro eodem, ut Gl. *in c. ult. ut lite pend. v. in isto statu*) competit ei actio spolii. Non requiri etiam, ut possessio hæc fuerit per quatuor annos, vel etiam per annum, sed sufficere, quòd fuerit per menses aliquot, tradit Paris. *n.* 158. sic multoties à Rota decisum referens. Porrò procedere hoc de plano in resignatione in favorem, non verò in ea, quæ fit simpliciter; eò quòd in hac hoc jus statim abdicetur, ait Paris. *nu.* 157. *junctis n.* 159.

4. Sublimitanda etiam hæc postrema limitatio, ita ut, si resignans post resignationem persistens in possessione spolietur ab ipso Resignatario, non sit restituendus. Lott. *loc. cit. n.* 91. citans Cassad. *decis.* 4. *de restit. spol. n.* 6. Paris. *n.* 160. citans Menoch. *ubi antè. n.* 304. Bursatt. *cons.* 411. *n.* 6. *vol.* 4. Rotam *in Albiganens. Canonic. de Januario* 1579. eò quòd tunc cesset hæc actio propter implicitum resignantis consensum ab initio. Lott. *cit. n.* 91. & spoliator dicere possit, possessionem esse suam, & impedire restitutionem. Paris. *n.* 161. Idem tradit Lott. *loc. cit. n.* 92. fore, si spoliaretur per ipsius Resignatarii successorem. Quod tamen limitat *n.* 92. hac ratione: nisi tamen facta proponeretur resignatio sub aliqua conditione per Resignatarium implenda, eâ enim non impletâ pariter contra eum datur hæc actio; cùm hoc casu cesset præmissa ratio præstiti à resignante consensûs. Unde jam non sit restitutio, quoties ex actis constat de dominio spoliatoris. Paris. *nu.* 162. citans Natt. *cons.* 563. *n.* 30. *l.* 3. Cravet. *cons.* 299. *&c.* vel quoties de illius dominio constat per sententiam. Paris. *n.* 163. citans Card. Paris. *cons.* 1. *n.* 163. *vol.* 1. Rotam *decis.* 3. *de restitut. spol. in novis. n.* 6. puniendum nihilominus Resignatarium spoliatorem ob violentiam, cùm propriâ auctoritate non possint occupari spiritualia, juxta *c. causam in fine. de præscrip.* ait Paris. *n.* 164. citans Menoch. *ubi antè, remed.* 13. *n.* 74. & 75. Bellam. &c. & spoliatus consequatur damna, & expensas factas ob spolium. Paris. *n.* 165. citans Menoch. *ubi antè. remed.* 1. *n.* 305. Innoc. *in c. super hoc. de renunciat. col.* 2. Berojum *in c. sollicitè. n.* 24. quin & contra eundem daretur ipsa actio spolii, si capta esset ab eo possessio litè motâ super validitate resignationis. Lott. *loc. cit. n.* 94. citans Rotam *decis.* 1. *de renunc. in novis.*

PARAGRAPHVS XI.

De Resignatione facta sub conditione & simoniacè.

Quæstio 723. An Resignatio facta simoniacè, & inde secuta collatio beneficii sit nulla?

1. REspondeo ad primum: Resignationem ipsam esse nullam. Azor *p.2. l.7. c.24.* ubi, quòd robur & vim nullam habeat, Laym. *in c. super hoc. de renunc. n.5.* ubi censendam esse omni jure irritam, juxta *c. cùm non pridem, & c. ult. de pactis.* Paris. *l.14. q.1. n.1.* ubi, quòd talis resignatio sit nulla, esse communem omnium DD. sententiam, citatis Nav. *in man. c. 23.* Rebuff. *in pr. de simon. renunc. n.1.* Redoan. *de simon. p.4. c.11.* Abb. *in c. universorum. n.5. de rer. permut. &c.* Neque tenet talis resignatio, etsi vallata juramento. Paris. *ibid. n.5.* citans Staph. *super commiss. & Lit. Just. v. stylus. n.3.* cùm juramentum reguletur secundùm naturam actûs, super quo interpositum. Paris. *loc. cit. n.6.* citans *l. ult. c. de non numer. pecun.* Abb. *in c. illecto. de jurejur.* habétque hanc tacitam conditionem, si actus valet. Paris. *n.7.* citans Corn. *cons. 101. l.1.* Estque generale, quòd conventiones turpes, & simoniacæ non validentur juramento. Paris. *n.9.* citans *l. generaliter. & l. si plagis. ff. de verb. oblig.* Neque tenet, etiamsi quis se obligavit in forma Cameræ. Paris. *nu.11.* ex Staphil. *ubi antè.* dicens communem DD. Essèque talem resignationem etiam nullam quòad præjudicium resignantis simoniacè, ita ut jus non abdicetur, sed remaneat penes illum, tradit Paris. *n.12. & 13.* citans Staphil. & Rebuff. *ubi antè.* Redoan. *de simon. p.2. c.10. n.20.* Gl. *in c. super hoc. v. pecuniæ.* Cacciaup. *de pens. q.19. n.10. &c.* quamvis privari possit simoniacè resignans beneficio sic resignato in pœnam hujus criminis. Laym. *loc. cit.* Paris. citans Nav. *in summ. c.23. n.105. in fine.* Additque Paris. *à n.15.* quòd ille, qui simoniacè resignavit, non poterit medio tempore repetere beneficium, & ad illud redire, quia obstabit exceptio simoniæ; licèt enim inutilis sit resignatio, habeat tamen vim taciti pacti, ut non possit repetere. Sed hoc non subsistit cum eo, quod paulò antè dixerat, nempe per talem resignationem à resignante non deperdi titulum, seu proprietatem beneficii. Illud verum, quod habet Paris. *n.19. & 20.* citato Rebuff. *in pr. tit. de simon. resign.* non posse Resignatarium retinere illud beneficium simoniacè resignatum; cùm per talem resignationem non transferatur in illum jus, ut Nav. *cons. 14. n.3. de simon.* citatus à Paris.

2. Respondeo ad secundum: Nulla quoque est collatio beneficii taliter resignati, seu secuta ex illa resignatione, utpote infectâ simoniâ in radice, seu causa sua. Paris. *cit. q.1. n.2.* citans Rebuff. *ubi antè*, qui dicat communem. Bellam. *in c. si quis. 1. q.3. n.1. &c.* Procedítque idipsum, etiamsi sola renunciatio facta simoniacè, collatio verò absque omni simonia. Paris. *ibid. num.3.* citato Bellam. *ubi antè.* Nullatenus verò procedit, ubi collatio facta non illi, propter quem renunciatio simoniaca facta fuerat, sed alteri, collatore nullatenus participe simoniæ. Azor *lor. cit.* Paris. *n.3. & 4.* citans Bellam. *ubi antè.* Redoan. *de simon. p.4. c.11. n.5. &c.* Verùm de his accuratiùs statues, ubi legeris, quæ dicta sunt suprà, ubi de privatione & vacatione beneficii ob commissam simoniam.

Quæstio 724. An Resignatio facta simoniacè sit ipso jure nulla?

1. REspondeo: Non esse ipso jure irritam, sed esse solummodò irritandam per sententiam, tenent Roffiniac. *de benef. c.18. n.8. & 9.* Rebuff. *in pr. tit. de simon. resign. n.6.* Abb. *in c. cum in nostris. de concess. præb.* Innoc. *in c. per tuas. de simon.* & DD. communiter *in c.2. & in c. scisitatus. de rescrip.* apud Paris. *l.14. q.2. nu.1.* quibus in tantum accedit Azor *cit. c.27. q.1.* quatenus ait: certè olim jure communi non videtur fuisse irrita; eò quòd *in c. Presbyter. 1. q.1. c. insinuatum. de simon.* & alibi Papa dicat *privetur*, quod est futuri temporis. Addit etiam Azor, quòd in occulto simoniaco requiratur sententia definitiva, quâ quis beneficio dejiciatur.

2. Econtra esse ipso jure nullam, tenent Barbat. *in c. cùm universorum. de rer. permut.* Feliu. *in cit. c. insinuatum &c.* apud Paris. *loc. cit.* Verùm hodiedum, seu attento jure novo, ipso jure esse irritam, tradunt Azor. *loc. cit.* Paris. *n.6.* citans Redoan. *de simon. p.3. c.10. n.35.* Rebuff. *ubi antè. n.7.* Nav. *in man. c.23. n.105.* eò quòd simoniacus hodie privetur ipso jure (intellige ipso beneficio, super quo commissa simonia) Paris. *nu.7.* citans Felin. *in c. scisitatus. de rescrip.* Selv. *de benef. p.3. q.2. nu.13.* juxta quæ statuêre plures Pontifices, potissimùm Pius V. *in Constitut. sua incipiente: Cùm primùm*, ubi: *qui dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & qui beneficium & officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, &c.* Similia habentur *in Extravag. Cùm detestabile. de simon.* quæ est Pauli II. inter communes. ubi: *in Ecclesiis, dignitatibus personalibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis beneficiis, quæ per electiones, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacâ labe fieri contigerit, nullatenus jus unquam acquiratur, &c.* Idem ijsdem ferè verbis statutum in Concilio Constantiens. & in Conc. Lateran. per Leon. X. *Constitut. 13. incipientem: Supernæ*, quæ etsi concernant directiùs ipsos provisos simoniacè, quòd illi priventur ipso jure beneficio sic acquisito, vel potius nullum unquam jus in eo acquisierint; infert tamen & inde Paris. *n.14.* quòd renuncians sit inhabilis ad beneficium resignatum, *& n.16.* quòd repetere non possit beneficium, *& n.17.* quòd non possit illud impetrare, nisi expresserit, se esse simoniacum, & habuerit dispensationem. Et *n.19.* non esse restituendum ad beneficium illud. Et *n.20.* quòd non habeat, ne quidem titulum coloratum illius beneficii, quod simoniacè resignavit. Quorum omnium subjungit rationem *n.21.* quòd per simoniam privetur beneficio, citans pro hoc Card. Paris. *cons. 29. n.12. vol.4.* Mohed. *decis. 224.* & Rotam. Verùm quomodo ea iterum cohærent cum iis, quæ tradiderat antè idem Paris. *q.1. n.13.* hisce expressis: quando resignatio est simoniaca, jus remanet penes resignantem, & vacat per ejus obitum; verùm privari debet, qui renunciavit per simoniam? Vide proinde, quæ dicta à nobis sunt suprà, ubi de privatione & vacatione beneficii ob simoniam.

3. De cetero illud, quod directè in præsente quærebatur, nempe quòd ipsa resignatio sit ipso jure

jure irrita, directè magis constat ex illis illius Extrav. Pauli II. verbis: *Per electiones, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones* (inter quas venit quoque resignatio beneficii in alium) *quas simoniacâ labe fieri contigerit, quæ viribus omnino careant, &c.* Item ex illis verbis Conc. Constantiens. *Electiones, & quævis provisiones simoniacè deinceps factæ nullæ sint ipso jure, nullúmque per illas jus cuiquam acquiratur, &c.*

Quæstio 725. In genere, quænam resignatio censeatur facta simoniacè?

REspondeo: In genere omnem illam, quæ non fit absolutè & simpliciter, sed sub aliqua conditione, pacto, modo. Azor *cit. c. 27. q. 3.* Garc. *p. 11. c. 3. n. 145.* Paris. *l. 14. q. 3. n. 1.* citans Covat. *l. 1. var. c. 5. n. 3. 4. 5.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 10. in principio.* Coras. *de benef. p. 1. c. 8. n. 13.* Intelligenda hæc de conditionibus, quæ de jure non insunt, & absque auctoritate, seu beneplacito Apostolico. Unde

Quæstio 726. An, & qualiter auctoritas & beneplacitum Apostolicum excludat simoniam à resignatione?

1. REspondeo primò: Si pactum alioqui simoniacum initum fuit sub beneplacito Apostolico, & mox hujusmodi beneplacitum fuit obtentum, vel aliàs intervenit auctoritas Papæ, excluditur omnis simoniæ labes & suspicio. Lott. *l. 3. q. 29. n. 166.* ubi: quòd in eo casu diffluat omnis simoniæ spiritus. Card. de Luc. *de benef. d. 79. n. 6.* ubi: *concurrente reservatione beneplaciti Apostolici, quoties ad conventionis consummationem ante beneplaciti impetrationem non proceditur, conventio simoniaca dici non potest.* Idem habet *de jurep. d. 48. n. 2.* ubi: *ubi pactio fit sub expressa reservatione beneplaciti Apostolici, quatenus Papa illam approbet, & non aliàs, tunc habetur pro non adjecta, si Papa eam non approbet, & consequenter simonia non intrat.* Toud. *qq. benef. p. 1. c. 27. n. 28.* ubi: *quodsi in tractatu præcedente partium, seu in concordia reservatum fuisset beneplacitum Papæ, excluderetur simonia, & illius effectus.* Addítque, id etiam in Gallia indubitatum esse: Sic quoque *c. 72. n. 32.* ait: *Stante reservatione beneplaciti Papæ in transactione super beneficio, nulla potest adesse in ea simonia.* citat Farinac. *cons. 75. n. 19. 33. & 72.* Subditque: *Et quamvis prætenderetur, quòd concordia fuisset executioni mandata, antequam beneplacitum Papæ fuisset obtentum, tamen culpa unius ex transigentibus aliis, qui non deliquerunt, nocere non potest,* juxta *c. sicut. de simon.* de quo infrà ex professo. Idem expressè tradit Paris. *l. 14. q. 3. n. 10.* ubi: *quodsi fiat resignatio propter temporale aliquid, seu si renuncianti detur temporale aliquid auctoritate Papæ, non diceretur in hoc casu resignatio simoniaca,* citat pro hoc S. Antonin. *in 2. p. summæ. tit. 4. c. 5.* Felin. communiter receptum *in c. ad audientiam. 2. de rescrip. n. 3.* atque *ibid. n. 45.* Paris. *in simonia namque indulta jure positivo, qualis est hæc* (intellige dum astringitur collator inferior Papâ ad conferendum certæ personæ, & non aliter fit resignatio) *auctoritas & licentia Papæ excusant à vitio.* Item *l. 6. q. 2. n. 68. & 69.* ait: *Quamvis renunciatio debeat esse pura & libera, id tamen intelligendum, nisi Papa aliud disposuerit; factum enim ipsius Papæ tollit omne vitium simoniæ.* & *n. 70. procedítque idipsum procedente tractatu ante resignationem, v. g. de solvenda pensione.* & *n. 72. tractatus de resignando certo modo non est prohibitus, sed pactio firma; id eo magis, si apponatur clausula: si Sanctissimo D. N. placuerit, & ab eo approbatum fuerit.* Rationem responsionis ultimatam cum communi dat Lott. *loc. cit.* quòd jus positivum sit in manu Papæ, ut Rota *in Balneo-Regiens. simon. 17. Maji 1624.* & sic impossibile est, ut ait idem, ut committatur simonia (intellige juris positivi) ubi intervenit hujusmodi auctoritas.

2. Ampliat responsionem Lott. *loc. cit. n. 167.* dum ait, recipiendam non esse distinctionem, quò ad hoc punctum, ut tenuerunt Abb. Anan. Socin. & alii *in c. 1. de simon.* inter beneficia habentia administrationem Ordinis, vel executionẽ Clavium, & inter alia beneficia, quasi quòd ad respectum priorum deficiat potestas Papæ; eò quòd hic scrupulus moveri possit non solùm respectu potestatis Ordinis & Clavium; sed & respectu cujuscunque rei spiritualis. Unde sic universaliter videtur resolvere D. Thom. 2. 2. *q. 100. in a. in respons. ad 7.* Verùm hoc intelligendum ait Lott. *n. 168.* citato Felin. *in cit. c. ad audientiam. il. 2. de rescrip.* quando nuncupatim & expressè id temporale, quod accipitur, succederet loco pretii ipsius rei spiritualis sic appretiatæ & æstimatæ; in concessione enim rei spiritualis duo concurrere motiva, unum occasionale & remotum, in quod cadit talis æstimatio, seu quod talis approximationis est capax. Alterum propinquum, in quo ea non cadit, & ideo, ubicunque explicitè non est facta æstimatio ex hac posteriore causa propinqua, censetur facta ex causa remota, ex qua fieri poterat licitè sinè ullo simoniæ scrupulo, ut constat in Sacerdote conducto pro stipendio ad legendum Sacrum. Et sic, ut Lott. *n. 169.* dum hæc duo motiva sunt separata seu distincta ex separatione subjectæ materiæ, nempè spiritualis, & materialis illi cohærentis, ut ex intentione agentis fiat ista separatio, & actus ille judicetur licitus, & non simoniacus. Unde jam constat, prædictam distinctionem nullatenus applicabilem controversiæ de interposita auctoritate Papæ super pactis alioqui illicitis, & simoniacis privatorum inter se, utcunque agatur de beneficiis habentibus annexam potestatem Clavium, vel Ordinis administrationem. Siquidem pari modo, quo Sacerdos pro pretio celebrans ex sola intentione separat officium divinum à servitio suo, & pro hoc tanquam pro causa remota mercedem licitè recipit; ita & multò magis Papa habens jus positivum in sua potestate separat ex sola sua intentione, quidquid est spirituale à temporali, & commodum temporale cum simplici temporali adæquat. Lott. *n. 170.* ex Præpos. *in c. latorem, 1. q. 1.* & Jacobat. *de concil. l. 4. a. 4. ex n. 47.* His non obstante *c. si quis objecerit. 1. q. 3.* ubi dicitur: *penitus eum desipere, qui objicit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, &c.* quod est fundamentum prædictæ distinctionis. Nam id procedere respectu inferiorum Papâ, qui non habent facultatem separandi ac segregandi spiritualia à temporalibus, ait Lott. *n. 171.* ex Præpos. *ubi antè. n. 32.* & Jacob. *loc. cit. n. 39.* Hæcque eò facilius procedere, quòd Papa ad approbanda hujusmodi pacta non moveatur ullo affectu proprio, sed justis partium precibus & rationibus, v. g. ne nimium incommodum ex resignatione patiantur, vel ut ex inita tranlactione & concordia sequatur extinctio litis, ait Lott. *n. 172.* quin & subjicit idem *n. 173.* juxta Præpos. & Jacob. *ll. cit.* cessaturum omnem scrupulum, non solùm, ubi urget similis aliqua causa justa; sed etiam ubi Papa directè &

explicitè pro temporali concederet spiritualia: imò cessante omni causâ, cùm Papæ subjiciatur omne jus humanum, impossibile esse ei impingere simoniam, sed solùm simplex peccatum scandali ex defectu talis causæ. De cetero

3. Limitanda responsio ita, ut si dicta reservatio seu clausula: *sub beneplacito Apostolico*: fuisset solùm appositа ad tegendam & colorandam partium fraudem, utpote si ante obtentum illud beneplacitum Apostolicum conventio fuisset mandata executioni, & pecunia soluta, vel res alia æquivalens tradita, vel præstita, hoc casu committeretur simonia. Tond. *cit. c.* 27. *n.* 30. citans Mohed. *de simon. decis.* 1. *n.* 6. Unde

4. Respondeo secundò: ut ex confirmatione seu approbatione Papæ hujusmodi pacta circa beneficialia purgentur à simonia, duo hæc exiguntur. Primum, ut non solùm simpliciter reservetur beneplacitum Apostolicum, sed reipsa obtineatur; dum enim non obtinetur, conventio non est in statu validitatis, utpote qui initiari non potest ex consensu paciscentium, sed tantùm ex ipsius Papæ auctoritate. Lott. *loc. cit. n.* 177. citans Anan. *in c. audivimus. de colluf. detegend.* & Rotam *in Callagur. pension.* 29. *Maji.* 1595. Unde, ut subdit Lott. *n.* 178. *ad effectum istum non attenditur tempus tractatûs aut pactionis, sed confirmationis Papæ.* Alterum, ut omnia bona fide, & verbis claris sint Papæ exposita, ne aliquid contra ejus mentem extortum videatur, v. g. si narratis aliquibus pactis illicitis alia magis illicita taceantur. Lott. *n.* 179. Unde etiam decretum illud ex usu in literis apponi solitum de juramento à partibus præstando, quòd nulla conventio simoniaca interveniret, intelligendum ait Lott. *n.* 181. citato Felin. *ubi suprà. n.* 2. de conventione continente plus in dando, vel promittendo, quàm literæ continerét.

Quæstio 727. *An resignatio facta coram Ordinario in favorem alicujus, & non aliàs, aut aliter, sit simoniaca?*

1. REspondeo: Communem sententiam habere, quòd sic. Eam tenent Castrop. *de simon. d.* 3. *p.* 27 *n.* 4. dicens, communem esse, quòd sit simonia, saltem ex jure Ecclesiastico, præcipuè post Constitut. Pii V. quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ Dei, &c.* Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 27. *q.* 4. dicens communi AA. consensu receptam, & veritati magis faventem. Lott. *l.* 3. *q.* 14. *n.* 9. Paris. *l.* 14. *q.* 3. *n.* 12. & alibi sæpiùs citans quamplurimos. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 153. citans Felin. *in c. ad audientiam.* 2. *de rescrip. n.* 3. Rebuff. *in pr. tit. de resign. condit.* Sarn. *de triennal. q.* 16. *vers. ult.* Mandos. *ad reg. de infirm. q.* 16. *n.* 11. Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 22. Guttier. *cons* 42. *n.* 7. & 8. Ugol. *de simon. tab.* 1. *c.* 28 §. 2. *n.* 5. Gonz. *gl.* 14. *n.* 21. & 57. Less. *de Just l.* 2. *c.* 35. *n.* 87. (attento nimirum stylo Curiæ, aliàs secus) Suarez stante Constitut. Pii V. & purimos alios. Fundamentum hujus sententiæ est, non quidem, ut Paris. *cit. q.* 3. *n.* 13. quòd resignatio, prout ejus natura requirit, debeat esse libera & pura, Canonésque & Jura, ut Azor *loc. cit.* omnem conditionem in beneficialibus damnent; non enim ex eo, quòd id simpliciter prohibitum, sequitur esse simoniacum. Sed illud est, quòd omnis pactio in spiritualibus sit prohibita ob simoniam vitandam. *c. fin. de pactis*, adeóque, cùm in præsente prohibita sit pactio coram Ordinario, talis pactio de resignando beneficio, ut conferatur illud certæ personæ, & non aliter, erit simoniaca. Castrop. *l. c.*

2. Nihilominus oppositum, nempe non committi in tali resignatione simoniam, probabilitate non carere, ait Castrop. *loc. cit. n.* 5. & idipsum tenent apud Garc. *n.* 153. Soto *de Just. & jure. l.* 9. *q.* 7. *a.* 2. ubi ait, licitè posse fieri coram Ordinario renunciationem in favorem designatæ personæ & non aliàs; quia nullo jure prohibetur in Prælati arbitrio ponere, si voluerit conferre Petro, quodsi non voluerit, aliter ille, qui jure possidet, non renunciat. Valent. *To.* 3. *d.* 6. *q.* 16. *n.* 3. Vega *in sum. p.* 2. *c.* 101. *casu* 54. Covar. *l.* 1. *var. c.* 5. *n.* 5. Staphil. *de lit. grat. tit. de var. modis vacat.* §. *resignationis modum. n.* 8. & *seq.* Zerol. *in pr. Ep. p.* 1. *v. renunciat.* §. 2. & 3. addens quòd, quamvis hujusmodi renunciatio apud Ordinarium Constitut. Pii V. sit prohibita, & collatio irritetur, non tamen erit simoniaca. Item apud Castrop. *loc. cit.* Vasq. *de benef. c.* 2. §. 4. *dub.* 7. Less. *ubi antè, n.* 86. tenet quoque illam Pirrh. *ad tit. de renunciat. n.* 89. qui tamen rectè addit, simoniacam fore, & saltem jure Ecclesiastico prohibitam, si præcedat pactum cum Episcopo, ut is promittat, se acceptaturum resignationem, & beneficium resignatum collaturum personæ designatæ. Hujus sententiæ fundamentum insinuatum est ex Soto, quòd in hoc casu non arctetur Ordinarius ad acceptandam illam resignationem, ac proinde ibi nulla interveniat pactio, neque aliquid pretio æstimabile, pro quo renunciatio fiat. Item quòd hæc resignatio in Constit. Pii V. nõ prohibeatur ut simoniaca. Castrop. *cit. n.* 5. Porro sententiam communem sic ampliat Paris. *cit. q.* 3. *n.* 18. ut ipsum quoque mandatum datum Procuratori ad resignandum in manibus Ordinarii in favorem Titii, & non aliter sit simoniacum. Et sic mandatum illud nullius esse momenti, ait Azor *loc. cit.*

Quæstio 728. *An igitur etiam simoniacum sit, aut aliàs illicitum resignare beneficium coram Ordinario liberè quidem, cum ea tamen intentione, spe, supplicatione, ut detur certæ personæ?*

1. REspondeo negativè, modò idipsum non deducatur in pactum. Azor *cit. q.* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 10. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 134. *n.* 4. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 161. Paris. *l.* 14. *q.* 6. *à n.* 3. citantes quamplurimos. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 59. *junctis n.* 65. contra Host. *in c. ex parte. de off. Jud. deleg.* apud Azor. Ratio responsionis est; quia hic nulla intervenit conditio expressa, vel tacita, nullúmque pactũ aut contractus, nec ulla emptio aut venditio Garc. Azor. Paris. Castrop. *ll. cit.* neque sola spes facit simoniam. Garc. quin etiam, ut ait Paris. *l. c. n.* 5. citato pro Nav. *in man. c.* 23. *n.* 100. intentio accipiendi aliquid temporale pro spirituali facit simoniam; quod tamen intelligendum juxta limitationem mox subjiciendam. Sed neque responsio contraria est Constitutioni Pii V. cùm in ea solùm prohibeatur resignatio talis cum tali intentione in conventionem expressam vel tacitam deducta. Castrop. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 6. *n.* 7. ex Nav. *cons.* 38. *n.* 3. *de simon.* Sic etiam à Pio IV. & V. eam solùm damnari in resignatione confidentiam, quæ in pactum expressum vel occultum deducitur, non verò confidentiam solâ mente retentam, ait Azor ex eodem Nav. *loc. cit.* ait quoque Barbos. *cit. n.* 65. illis verbis positis in Constitut. Pii V. *nec futuri successoris ab iisdem verbo, nutu, aut alio signo designentur*: non imponi præceptum ipsis resignantibus, sed solùm

Præla-

Prælatis conferentibus; cùm ad eos solùm referantur. Imò, quòd nec præceptum importent, sed solùm admonitionem, ut ex verborum forma & contextu colligatur, dum Papa in eo versu utatur verbo *caveat*, in sequenti verò dicat: *præcipimus, & omninò interdicimus.*

2. Ampliatur responsio, ut si quis liberè resignet, nullam imponens necessitatem Ordinario conferendi personæ à se designatæ, etsi in animo ita constitutus sit, ut non renunciaret, si sciret, non conferendum personæ à se designatæ, adhuc non committat simoniam, ne quidem mentalem, quia nullum adhuc intervenit pactum tacitum aut expressum. Tond. *loc. cit. n.* 5. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 8. citans Nav. *in Man. c.* 23. *n.* 107. Secus tamen foret, si idipsum tanquam conditionem animo actu retineret, ita ut in animo actu nolit resignare, si non obveniat suum beneficium illi personæ. Azor *loc. cit.* Deducitur quoque ex responsione, non committi simoniam ab eo, qui dedit mandatum ad renunciandum coram Ordinario seu inferiore à Papa liberè & simpliciter, ad petendum tamen simul & obtinendum beneficium personæ à se designatæ. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 6. Garc. *n.* 162.

Quæstio 729. *An simoniacum quoque sit resignare coram Ordinario sub alia conditione, v. g. sub reservatione pensionis vel fructuũ?*

Respondeo affirmativè, juxta dicta *quæst. ante hanc* 4. Ita expressè Castrop *loc. cit.* Paris. *l.* 14. *q.* 5. *n.* 1. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 49. citans Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 35. *n.* 22. Filiuc. *To. tr.* 45. *c.* 8. *q.* 10. *n.* 34. Bonac. *de simon. q.* 4. §. 14. *n.* 2. Rationem quoque addit Barbos. quia in hoc casu temporalis conditio in spiritualibus adjicitur, per quam conventio non fit gratuita, & aliquid continet, quod pretii rationem habere videatur. estque hoc ipsum temporale. Procedítque idipsum, etiamsi, dum pactum, ut resignans recipiat fructus beneficii, vel eorum partem ad tempus (idem est de pensione) vel quoad vixerit, factum fuerit sub beneplacito Apostolico, & postea facta resignatio coram Ordinario; erit enim illa resignatio simoniaca. Paris. *l. c. n.* 3. sic resolutum dicens à Rota. Et à fortiore hæc procedunt, dum resignatio talis fit coram Papa, & sileatur talis pactatio facta. De cetero resignantem cum Resignatario antecedenter tractare de fructibus aut pensione sibi præstanda, non est simoniacum. Paris. *loc. cit. n.* 5. citans Redoan. *de simon. p.* 2. *c.* 15. *n.* 3. Card. Paris. *cons.* 30. *n.* 3. *vol.* 4. Caccialup. *de pens. q.* 19. *n.* 1. cum communi. Si quidem non nisi pactio firma prohibetur. *c. universorũ, de rer. permut.* tractatus autem non includunt aliquam firmam conventionem; cùm tractare nihil aliud sit, quàm in medio ponere. Paris. *loc. cit. n.* 7. qui etiam addit *n.* 9. & 10. hinc tales tractatus non inducere simoniam, etiamsi promissio transierit in obligationem, modò apposita clausula: *cum consensu Papæ; vel si Papæ placuerit*: Vide de hoc plura, ubi de pensione. Vide etiam Garc. *p.* 1. *c.* 5. *à n.* 57.

Quæstio 730. *An ergo etiam simoniacum sit resignare coram Ordinario ad effectum unionis sub conditione reservandorum sibi fructuum beneficii uniti?*

Respondeo: Non tantùm talem resignationem non esse simoniacam, sed etiam esse licitam, & validam. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 151. *n.* 6. & 7. ubi ait: Regula ista restringens auctoritatem Episcopalem ad resignationes puras ac simplices non habet locum in resignationibus factis ad effectum unionis, seu ut unio de beneficio fortiatur suum effectum; cùm hæc sit impropria resignatio, & ideo etiam sub conditione hujusmodi suspensiva potest fieri, uti id expressè tradit Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 138. ubi ait: dubium se offert, an, esto, quòd non possit fieri resignatio coram Ordinario in favorem alterius, possit tamen quis consentire, ut suum beneficium conferatur certæ personæ, seu uniatur certo loco in sui præjudicium, sicut potest absolutè consentire, quòd provideatur, & *n.* 159. ad hoc dubium respondet, dum ait: videtur id fieri posse, quia consentiens, ut suum beneficium provideatur, non renunciat verè & propriè, sed tantùm fictè & impropriè, quod patet; quia antequam provideatur, consentiens manet beneficiatus, & potest revocare consensum, & sic consentiens, ut hujusmodi beneficium conferatur seu uniatur certo loco, non renunciat in favorem, nec ibi intervenit pactum, conditio seu modus, sed nudus consensus, qui non inducit simoniam. Quin & plus addit Garc. dum sic continuat: & idem videtur in renunciatione in favorem sub conditione propria & suspensiva, nempe si beneficium conferatur tali; nam in effectu est quidem consensus, quòd conferatur illi, non tamen hic intervenit pactum seu modus; quamvis quoad hoc posterius dicat contrarium sentire Suar. *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 35. *à n.* 5. Jam verò, ut ait Tond. certum est, unionem posse fieri absque consensu illius, qui beneficium uniendum possidebat, quo casu unio durante ejus vita ei non præjudicasset, sed semper, quamdiu possessor vixisset, fructus beneficii uniendi ad ipsum possessorem pertinuissent; adeóque dum possessor unioni apposuit conditionem, quæ de jure inerat, ut Rebuff. *in pr. tit. de unionib. gl.* 11. *n.* 8. & 9 cum pluribus *ibi* citatis, & Rota *decis.* 133. *n.* 13. & 14. *p.* 2. *Diversar.*

Quæstio 731. *An resignatio facta coram Ordinario sub conditione, quæ de jure ineſt, sit simoniaca?*

Respondeo negativè; Conditio siquidem jure annexa (idem est de annexa à fundatore, & approbata ab Ordinario) tutâ conscientiâ in pactum deducitur, v. g. si resignes alicui beneficium, ut is resideat in Ecclesia, vel tertiò per seipsum legat in hebdomada Sacrum (intellige, ubi sic habet fundatio) Azor *cit. c.* 27 *q.* 6. Paris. *l.* 14. *q.* 6. *n.* 1. ubi: quòd spiritualia dari possint, aut dimitti sub conditione, quæ de jure ineſt juxta *c. significasti. de elect.* & Felin. *in c. ad audientiã. 2. de rescrip.* vide de hoc dicta aliàs, ubi, coram quibus faciendæ resignatio. Unde Resignatarius promittens se soluturum pensiones, si beneficium reperiatur pensione gravatum, non incurrit simoniam: etsi Paris. *l.* 14. *q.* 4. *n.* 11. citans pro hoc Nav. *cons.* 4. *de simon.* dicat, simoniacè resignare illum, seu resignantem, si is promittat, se soluturum pensionem, si qua gravatum reperiatur beneficium.

Quæstio 732. *An simoniacum sit resignare (idem est de conferre) beneficium sub conditione, quæ quidem de jure non ineſt, seu non annectitur ipsi beneficio, continet tamen aliquid aliàs de jure debitum resignanti, vel collatori, v. g. ut Resignatarius solvat, quod aliàs debet, & in quo solvendo erat injustè morosus?*

Respondet Pirrh. *ad tit. de simon. n.* 141. non esse simoniam, si collator (idem est de resignante) debitori

debitori conferat timore amittendi debitum, sive ut debitum ab eo consequi possit, si nullum pactum intercedat, per quod imponatur nova obligatio in futurum debitori; eò quòd tunc collator solùm petat, quod suum est, sive quod sibi ex præcedente alio contractu est liquidè debitum, adeóque adhuc gratis conferat beneficium Fore tamen simoniacum, si conferat debitori beneficium addito novo pacto securitatis in futurum, pro quibus citat Suar. *l.4. de simon. c.37. n.18.* qui etiam ibi addat; si debitor differendo solutionem, manifestam vim & injuriam inferret, posse dari spirituale aliquid, non ut pretium, sed ut medium tollendi vexationem, modò scandalum & omnis irreverentia caveri possit. Pro quo etiam citat Laym. *Th. mor. l. 4. tr.10. c.ult. n.ult.* de quo postremo plura paulò pòst.

Quæstio 733. An simoniacum sit resignare beneficium, ut resignatarius resignanti, vel alteri ferat suffragium in electione aliqua, aut præsentatione, seu adeptione alicujus beneficii, vel officii?

Respondeo affirmativè. Paris. *l.14. q.4. n.5.* & ex eo Azor cum communi. Idem est, si quis promittat, se resignaturum in favorem Titii, si operâ illius, aut alterius beneficium aliud fuerit adeptus. Azor *loc. cit.* quia in his fit resignatio pro pretio rei spiritualis, quod prohibetur *c. sicut, c. non satis. de simon.* Paris. *cit. q.4. n.6.* nec solùm resignatio est simoniaca, dum datur aliquid temporale, sed etiam dum datur aliquid spirituale. Paris. *ibid. n.1.* citans Joan. Caraf. *de simon. mental. n.65.*

Quæstio 734. An simoniacum sit resignare in favorem Titii, ut is resignantem moneat, seu certiorem faciat, ubi beneficium aliquod in urbe Titii vacabit?

Respondeo affirmativè. Paris. *cit. q.4.* citans Nav. *in man. c.23. n.107.* & cum illis Azor *loc. cit.* addit etiam Paris. *n.8.* statuisse Gregor. II. in Constitut. sua 4. nihil dandum nunciantibus vacationes beneficiorum.

Quæstio 735. An simoniacum sit resignare ea conditione, ut Resignatarius, vel alius resignet beneficium suum in favorem resignantis, aut alterius, puta amici, nepotis &c.

1. Respondet Azor. *cit. c.27. q.5.* indistinctè committi hoc modo simoniam; eodem modo respondet Paris. *l.14. q.4. n.3.* citatis Nav. *in man. c.23. n.100.* Innoc. Jo. And. relati à Vitalino *in Clem. unic. de rer. permut. n.43.* Verùm procedendo distinctiùs,

2. Respondeo secundò. Petrum resignare suum beneficium Paulo eâ lege, ut vice versâ Paulus resignet Petro suum beneficium, simoniacum non est, ubi talis reciproca resignatio plus non involvit quàm permutationem beneficiorum, quæ fieri potest coram Ordinario. Idipsum sentire videtur Paris. *loc. cit. n.4.* dum responsionem suam, quâ dixerat, illam reciprocam resignationem, qua quis resignat alteri suum beneficium, ut is iterum suum resignet sibi, simoniacum esse, sic limitat, ut velit, non procedere, quoties id fuit in supplicatione expressum, ut communiter practicatur, intellige, etiam coram Ordinario. De cetero permutare beneficia, etiam nullâ interveniente pecuniâ, vel alio temporali æquivalente, si talis permutatio fiat per pactum privatorum sine auctoritate Superioris, est simonia jure humano Ecclesiastico prohibita, seu inducta. Lott. *l.3. q.29. n.101.* Pirrh. *ad tit. de simon. n.124.* (ubi tamen addit; vel saltem illicita, quia jure Ecclesiastico, nempe *c. cùm olim. c. quæsitum. de rer. permut.* prohibita) Castrop. *de simon. d.3. p.15. n.3.* citans Rebuff. *in pr. tit. de permut. n.52.* Suar. *l.4. de simon. c.31. n.8.* Valent. *d.6. c.26. p.3.* Rodoan. *de simon. p.3. c.3. n.13.* contra gl. & Innoc. *in cit. c. quæsitum,* tenentes, præbendas ejusdem Ecclesiæ, & prærationis posse privatim permutari. Sed neque coram Ordinario possunt permutari beneficia inæqualium proventuum, ita ut de ejus consensu inæqualitas illa compensetur pecuniâ, alióve temporali sine labe simoniæ: cùm enim Ordinarius non possit fructus à titulo spirituali beneficii separare (uti id potest Papa, & hinc de ejus consensu hæc compensatio fieri potest) translato titulo, transfertur necessariò & jus ad fructus; adeóque, si pro hoc jure translato consentiret Ordinarius exigi pretium, foret in justum, & simoniacum. Castrop. *loc. cit. p.16. n.1.* citans. gl. *in c. cum pridem. de pactis.* Lessium *de Just. l.2. c.35. n.104.* Suar. *l.4. de simon. c.34. à n.10.* Idémque erit, si compensaretur dicta inæqualitas fructuum etiam proveniens ex decimis, primitiis, oblationibus (quos fructus spirituales vocat Castrop. *loc. cit. n.2.*) imposita de consensu Ordinarii pensione pinguiori beneficio; quia Ordinarius neque ex ista causa pensionem imponere potest. Castrop. *loc. cit. n.3.* citans Garc. *p.1. c.5. n.341. & 344.* Suar. *ubi antè.* Valent. Rodriq. &c. juxta dicta à nobis suprà de pens. contra Gonz. *gl.5. §.5.* Nav. *cons. 74. & 75. de simon. n.4.* Delphin. *de jurep. l.2. q.16. n.161. &c.*

3. Respondeo tertiò: Est tamen simoniaca illa alia reciproca resignatio, dum Petrus resignat beneficium suum in favorem nepotis Pauli eâ lege, ut Paulus sibi, seu Petro resignet suum. Azor. Paris. *ll. cit.* Castrop. *de simon. d.3. p.17. n.11.* citans Less. *l.2. de Just. c.35. n.87.* Suar. *ubi antè n.18.* eò quòd, licèt etiam in tali resignatione adesse videatur quædam permutatio, ea tamen mixta sit cum resignatione in favorem, quæ Ordinariis omnino prohibita est, Castrop. *loc. cit.* citatis iisdem.

4. Respondeo quartò: Idem dicendum de resignatione triangulari. v.g. dum resigno meum beneficium Petro, ut Petrus renunciet suum Paulo, & Paulus suum mihi, quia fortè meum beneficium commodius est Petro, & Petri beneficium Paulo, & Pauli beneficium mihi. Paris. *l.14. q.7. n.63.* ubi expressè: resignatio ex causa permutationis dicitur simoniaca, si est triangularis, vel quadrangularis. Castrop. *loc. cit.* citans Less. *ubi ante n.88.* Suar. *ubi antè.* Garc. *p.11. c.4. n.21.* qui tamen plus non dicit, quàm non valere permutationem pro tertio, & permutationem debere esse inter duos, non triangularem, aut quadrangularem. Ratio responsionis est, quòd ad evitandam simoniam in beneficiorum provisione omnis conventio & pactio obligans ad aliquid, quod de jure non inest, omnino cessare debet, juxta *c. tua nos. de simon.* & *c. fin. de pactis*; sed in præsenti intervenit pactio de aliquo præstando, quod de jure non inest, dum primus obligat secundum, ut resignet in favorem tertii, secundus tertium, ut resignet in favorem primi. Castrop. *loc. cit.* Posse tamen idem intentum obtineri licitè vi duplicis permutationis, ut si ego permutem beneficium meum cum beneficio Petri, & habito beneficio

neficio Petri illud iterum permutem cum Paulo; dum hac ratione Paulus habebit beneficium Petri, quod sibi commodius est, & Petrus meum, quod illi commodius, & ego Pauli, quod mihi commodius; sic inquam tradit Castrop. cum Lessio, dicitque id probabile censeri à Suar.

Quæstio 736. An simoniacum sit conferre, vel resignare beneficium pingue sub onere, ut resignatarius resignet simpliciter, seu purè minus pingue, ut illud conferri valeat alteri?

1. REspondeo per partes, ut enucleatiùs procedatur. Ac primò quidem, non esse simoniacum, si Episcopus (idem videtur quò ad hoc, de alio Collatore) conferat (idem videtur ob paritatem rationis, si quis resignet) beneficium habenti jam aliud incompatibile cum hoc secundo sub ea conditione & onere, ut renunciet primum; eo quòd in hoc casu conditio seu obligatio resignandi primum de jure ineat. Garc. *p.8. c.2. n.22.* citans Abb. *in c. significasti. n.6. de elect.* Pavin. *de off. & pot. cap. sede vac. p.2. q.1. n.8.* Selv. *de benef. p.2. q.20. n.2. & 3.* Redoan. *de simon. p.2. c.21. n.7.* Rebuf. *in pr. tit. requisita ad collat. ben. n.3.* Mascard. *de probatio. concl. 313. n.3. &c.* Cardenas. *in crisi ad propos. damn. ab Innoc. II. dissert. 27. n.120.* citans insuper pro hoc *n.116.* Th. Sanch. *to.1 consil. l.2. c.3. dub.25. & n.117.* Gibal. *de simon. q.16. coroll.8.* nec opùs quò ad hoc erat limitatione, quam ponit Sanch. *loc. cit.* nempe non fore id simoniacum, si prius beneficium collatum fuerit cum illa conditione, ut, si conferatur aliud pinguius, prius dimittat, dum absque eo adhuc illud onus dimittendi ipso jure ineat receptioni secundi beneficii incompatibilis.

2. Respondeo secundò: si verò beneficium conferendum non est incompatibile cum præhabito, esse simoniacum, si conferatur sub onere dimittendi præhabitum, tenent Garc. *loc. cit. n.24.* Sanch. Gibal. Selv. *ll. cit.* Nihilominus contrarium, saltem de Episcopo, collatore, docet Cardenas *loc. cit. n.122.* citato Alphon. de Moscoso *in sum. tr.5. de simon. c.10.* hisce expressis: *veram censeo sententiam affirmantem, posse Episcopum absque labe simoniæ conferre beneficium pinguius Clerico cum onere, ut renunciet beneficium minùs pingue, quod antea habebat, quamvis ea beneficia inter se sint compatibilia.* Rationem suæ sententiæ dat à *n.24.* quod vi *c. quæsitum. de rer. permut.* detur potestas Episcopo transferendi beneficiatum de una Ecclesia ad aliam, dum autem Episcopus confert beneficium pinguius Clerico cum onere resignandi tenuius, si vera & perfecta translatio, utpote quæ dicit terminum ad quem, & terminum à quo, qui uterque in tali collatione conditionata reperitur; dum enim confert beneficium pinguius, facit illum transire ad aliam ecclesiam tanquam ad terminum ad quem; dumque jubet renunciare beneficium tenuius, facit illum recedere ab Ecclesia, cui ante præerat tanquam à termino à quo, quæque, ut Suar. *to.1. de relig. tr.3. l. de simon. c.32.* in hoc differt à permutatione, quòd translatio non sit contractus, unde per se non requirat, quòd fiat inter duos, & per se respiciat utilitatem Ecclesiæ, non translatorum. Unde originem ducit à providentia Prælati, non autem à voluntate translati.

3. Quod, si ex hoc ipso sumas occasionem opponendi, & dicas, in tali collatione, etiam facta ab Episcopo, revera intercurrere pactum, & fieri eam per modum contractûs, dum Episcopus dat beneficium non nisi dependenter ab hoc, quòd collatarius consentiat in resignationem alterius beneficii; & sic collationem secundi beneficii non esse ex natura sua veram translationem, sed impletionem illius conditionis & pacti. Respondet Cardenas *n.133.* non esse contractum, nec fieri illam provisionem per modum contractûs; cùm illud onus Episcopus non imponat pacto, sed imperio & jussione; ac proinde æquivalere huic actui: *do tibi hoc beneficium, & quia scio te acceptaturum, jubeo, ut renuncies beneficium præhabitum.* Vel huic: *jubeo, ut acceptes hoc beneficium, & ut renuncies aliud.* Quod imperium facere possit vi acceptæ potestatis. *in cit. c. quæsitum.* Quin & ait in *fine cit. n.133.* si periculum est simoniæ propter pactum in tali provisione conditionali, se consulere, ne Episcopus utatur provisione conditionali, sed imperativâ, quam præsumere debeamus in Episcopo sic providente. Si instes & dicas, Episcopum exspectare consensum collatarii, utpote sine quo fieri nequit talis provisio, & si is renuat, non habendum pro inobediente; adeóque potiùs dicenda sit talis provisio pactio, quàm jussio, & sic, non esse veram translationem, de qua loquitur citatus textus. Respondet *n.136.* non repugnare, ut imponatur præceptum, & quòd, si subditus renuat, & Superior annuat ejus renitentiæ: sic enim leges imperativo modo imponi, & tamen solere Principes annuere renitentiæ populi, & exspectare consensum ejus; quia non volunt obligare populum invitum.

4. Quòd, si ulteriùs instes dicendo, veram translationem, cujus faciendæ potestatem datur Episcopo in cit. textu *c. quæsitum*, requirere, ut fiat ex causa necessaria, sed talis non est in præsente casu renunciandi beneficium præhabitum, ut consequatur secundum; necessarium enim non est, ut resignet præhabitum; cùm sint compatibilia, adeóque causa renunciandi prius in hoc casu est voluntaria beneficiato; & sic resignatio trahit originem non à providentia Prælati, sed à voluntate resignantis seu translati: ad hoc inquam, Respondet *à n.139.* adhuc dici causam moraliter necessariam, quæ importat magnam utilitatem pro bono regimine Ecclesiæ, qualis est distribuere ita beneficia, ut pinguiora dentur digunioribus, & evitetur in quolibet individuo pluralitas beneficiorum; talis autem est necessitas Episcopi in præsente casu, dum non fit ea translatio principaliter propter bonum clerici, sed ob bonum regimen Ecclesiæ, & sic causam renunciandi non esse voluntariam beneficiato, utpote cujus voluntati non subest bonum regimen Ecclesiæ, propter quod fit hæc translatio, sed originem ducere à voluntate & providentia Episcopi.

5. Rationem aliam responsionis suæ dat & firmat Cardenas *à n.144.* nimirum, quòd provisio beneficii sub conditione, ut renuncietur beneficium præhabitum etiam compatibile cum hoc secundo, ideo nihil contineat simoniæ, quia & hæc conditio non secus, ac conditio resignandi præhabitum incompatibile de jure ineat. Siquidem, cùm, ut ait, & pluribus textibus juris firmat *à n.145.* semper in Jure Canonico res odiosa fuerit pluralitas beneficiorum, etiam independenter ab eo, quòd sint incompatibilia propter plurima incommoda, quæ ex hac pluralitate oriuntur, & propterea, ut ait. *n.153.* conformius multò sit Juri Canonico, & Cõstitutionibus Pontificum &, Conciliorum, vitare pluralitatem beneficiorum; adeóque multo melius & consultius

sultius agat Episcopus pro bono regimine Ecclesiæ vitando, quantum potest, eam pluralitatem (etsi de cetero jus permittat haberi duo beneficia compatibilia ab uno pro sufficientia sustentationis; id enim est quasi mera indulgentia & permissio) concludit *n.* 154. non posse esse simoniam, dare beneficium sub conditione, ut fiat id, quod conformius est juri canonico, & utilius ad bonum regimen Ecclesiæ; nempe ut ad vitandam dictam pluralitatem renunciet priùs habitum; ac ita Episcopum non fore simoniacum, si dicat: *confero tibi beneficium sub condtione, ut agas id, quod conformius est juri canonico, & bono Ecclesiæ regimini, quale est, ut collato tibi tali beneficio resignes præhabitum.*

6. Quòd si contra hanc rationem opponas illud, non inesse de jure, quod jus non præcipit, etsi autem conformius sit juri vitare pluralitatem beneficiorum etiam compatibilium, jus tamem id non præcipiat. Respondet *n.* 159. non inesse quidem dictam resignationem de jure præcipiente, inesse tamen de jure consulente; non autem minus esse de jure, quod jus consulit, quàm quod præcipit; eò quòd, cùm juxta Apostolum æmulari debeamus charismata meliora, id, quod jus approbat, ut melius & utilius Ecclesiæ, debeamus æmulari ac sequi tanquam à jure injunctum. Quin & *n.* 162. ex eo dictam conditionem resignandi præhabitum inesse de jure etiam absolutè; quia de jure absolutè inest, ut Episcopus servet justitiam distributivam in distribuendis beneficiis, & ad hanc requiratur, quod abundantibus aliis, alii fortè digniores non mendicent nihil habendo.

7. Denique tertiam ponit rationem à *n.* 163. nempe quòd dato, illam conditionem resignandi præhabitum non inesse de jure, ad huc illa conditio non faciat collationem simoniacam ex eo; quòd, licèt omnis pactio, quæ fit circa spiritualia, aut spiritualibus annexa sit simoniaca, excipiatur tamen ab hac regula translatio ab una Ecclesia ad aliam, sive fiat per modum permutationis, in qua invenitur pactum utriusque beneficiati; sive per modum translationis, modò id fiat auctoritate Episcopi. Si enim possit auctoritate suâ Episcopus transferre personas factâ priùs inter beneficiatos invicem pactione, possit etiam transferre personas paciscendo pro bono regimine Ecclesiæ, eò quòd, sicut pactio beneficiariorum honestatur, si fiat permutatio auctoritate Episcopi, ita honestandam etiam pactionem, quæ facta fuerit ab Episcopo, pro utilitate & bono regimine Ecclesiæ. Pro qua ratione confirmanda adducit, quod docere ait Tho. Sanch. Lopez. Cordub. Eman. Rodriq. nempe, quòd, si Episcopus det alicui tenue beneficium sub conditione, ut illud resignet, casu quo obveniat ei pinguius, licitè possit dare pinguius sub ea conditione, quam promisit, nempe resignandi tenue præhabitum. Verùm de hoc ipso pari modo dubitari potest, an non sit simoniacum, sub tali conditione conferre tenue; quod ipsum bene advertit Cardenas *n.* 167. dum ait: *vel utraque provisio, vel neutra est simoniaca.* De cetero, si contra hanc rationem opponas, quòd, licèt Episcopus habeat potestatem auctoritativè, & potestativè approbandi permutationes aliorum, & pacta in eis inita, non tamen ex inde sequatur, habere quoque illum potestatem approbandi & justificandi pacta à seipso inita; adeóque non sequatur, posse eum justificare pactionem initam cum eo, cui confert beneficium, dando illud sub conditione, ut aliud renunciet. Ad hoc inquam, respondet *n.* 170. non habere quidem Episcopum potestatem approbandi pactiones ab ipso initas in proprium commodum, posse tamen illum approbare ab eo initas in utilitatem Ecclesiæ, & pro bono ejus regimine.

8. Circa quas probationes illud notandum, quòd, licèt prima & tertia hoc ipsum (nempe posse sine simonia conferri beneficium pinguius, ut dimittatur tenuius) firmet de Episcopo, utpote habente potestatem tranferendi de Ecclesia una ad aliam, auctorizandíque permutationes, & sic paciscendi pro utilitate & bono regimine Ecclesiæ, nullatenus tamen probent, posse idipsum quoque inferiorem collatorem, aut resignantem, utpote destitutum dictâ potestate. Procedat autem & de his probatio secunda; si enim dimissio beneficii tenuioris est conditio, quæ de jure inest, à quocunque collatore, vel etiam resignante adjici poterit.

Quæstio 737. *An simoniacum sit coram Ordinario resignare beneficium in favorem tertii ex causa permutationis, dum tertius ille non habet beneficium permutandum?*

Respondeo: Talem resignationem esse eo ipso nullam & irritam, tenet Castrop. *cit. p.* 27. *n.* 12. citans Less. *l.* 2. *c* 35. *n.* 100. Suar. *ubi suprà n.* 20. Garciam. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 10. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 16. eò quòd, si quis sciens, alterum non habere beneficium, sic resignet, non intendat permutationem, sed resignare simpliciter in favorem, quam resignationem Ordinarius nequit recipere. Si autem bonâ fide, putans alterum habere beneficium, sic resignet, decipiatur graviter, errórque hic dans causam contractui reddat illum nullum & irritum, Rebuffo *in pr. tit de permut. n.* 14. sentiente contrarium, resignationem nimirum talem & collationem esse validam; Resignantem talem posse agere, ut resignatum beneficium sibi reddatur. Videtur quoque talis resignatio à sciente, resignatarium non habere beneficium permutandum, facta esse simoniaca; quia est resignatio simplex, in favorem coram Ordinario.

Quæstio 738. *An simoniacum sit resignare cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas jam factas à Resignante in beneficio illo consequendo?*

Respondeo affirmativè. Pirrh. *ad tit. de renunc. n.* 91. (ubi etiam ait, esse id simoniacum contra jus non tantùm Ecclesiasticum, sed etiam Divinum; idque quia supponit & tenet sententiam, quæ docet, emere vel vendere jus illud percipiendi fructus annexum rei, seu officio spirituali, esse simoniam juris divini) Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 27. *q.* 7. Castrop. *loc. cit. n.* 15. citans Less. *ubi suprà. n.* 94. Suar. *loc. cit. n.* 29. Paris. *l.* 14. *q.* 7. *n.* 1. argumento *c. super hoc. de renunc.* & *c. cùm pridem de pactis.* Deducitur enim hic in pactum onus aliquod, quod de jure non inest resignationi, aut tali beneficio, quod propter hoc, quòd istis impensis fuerit obtentum, pluris æstimari non debet, nec potest, non secus ac domus ideo cariùs vendi nequit, quia multis expensis eam obtines. Castrop. Pirrh. *ll. cit.* tum etiam, ut Pirrh. quia illæ expensæ non fiunt in renunciando, vel conferendo beneficio ei, cui datur vel ceditur, nec fiunt simul in utilitatem ejus, cui fit resignatio, sed sunt priùs factæ in utilitatem & commodum solùm illius, qui resignat, & fortè per plures annos ex ben e-

beneficio fructus percepit; adeóque expensæ illæ nec per se, nec per accidens conjunguntur spirituali beneficio, vel collationi ejus, quæ nunc fit illi, cui resignatur, ac proinde nullo jure, aut justo titulo possunt repeti ab eo, cui fit resignatio, sed, si petantur, pro ipso beneficio resignato petuntur, quod est apertè simoniacum.

Quæstio 739. *An simoniacum sit, si Resignatarius solvat omnes expensas, quæ in conficiendis expediendisque literis Apostolicis factæ sunt, ita ut solvat etiam eas, quæ à resignante solvendæ essent ob fructus, vel certam pensionem ei reservatam?*

1. REspondeo fore simoniacum, si id faceret ex pacto præcedente tacito vel expresso, ut ei fieret resignatio Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 147. Paris. *l.* 14. *q.* 7. *n.* 9. citans Nav. *cons.* 5 *de simon.* & cum eis Azor *cit. c.* 27. *q.* 7. Et sic utrumque, tam resignantem quam Resignatarium, in foro externo judicari simoniacum, ait Paris *cit. n.* 9.

2. Limitat hoc ipsum Azor. *loc. cit.* & Paris. *n.* 10. si Resignatarius tantum, quantum impedit pro resignante in expeditione sua, retineat dein in primo termino solutionis pensionis, siquidem communi usu & consuetudine curiæ, ut inquiunt, receptum est, ut quod Resignatarius in expeditione literarum pro resignante solvit in primo termino solutionis pensionis retineat seu detrahat. Et sic Azor tenet, excusari utrumque à simonia vi dictæ consuetudinis, si antecedenter de hoc inter eos convenit. Quod ipsum tamen rejicit Garc. expressè dicens, esse simoniacum, si de eo præcedente pacto conventum, etiamsi postea tantumdem retineat Resignatarius. Quin & ait, praxin non esse in contrarium, quidquid dicat Parisius, sed ut id licitè fiat, requiri super hoc, & peti debere beneplacitum Papæ, sic quoque simoniacum esse, ait *ibid.* Garc. citato pro hoc Suar. *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 34. *n.* 19. hæc & similia pacta; ut unus compermutantium solvat omnes expensas, vel expediat suis sumptibus Bullas ad utrumque permutantium pertinentes, nisi id ipsum Papæ declaretur, & is desuper consentiat. Item dum gratia & beneplacitum Papæ, ut v. g. expensæ faciendæ in expeditione fierent per solum resignatarium, obtenta ex falsa causa expressa in supplicatione, puta, quia dictum fuit: *attentâ paupertate resignantis*: præcedente tractatu, fore confidentiam, seu simoniam confidentialem, tradit Garc. *loc. cit. n.* 149. eò quòd, cùm dicta gratia sit subreptitia & nulla, negotium remaneat in statu, quo erat ante dictam concessionem, quo considerato constet de pacto illicito prohibito, & confidentiali, quod fuit consummatum, quia expensæ jam factæ, adeóque sequatur commissam confidentiam, non secus, ac ea indubitatò commissa fuisset secuto effectu, seu factis expensis non obtentâ dictâ licentiâ faciendi illas expensas, ut Paris. *de confiden. q.* 46. qui tamen id limitat juxta resolutionem Rotæ *in Aretina confidentiæ* 23. *Jan.* 1693. ut non procedat, seu non committatur confidentia, si clausula illa: *attentâ paupertate*: fuisset posita in supplicatione à Revisoribus, inscio resignante & resignatario.

Quæstio 740. *An igitur pari modo simoniacum sit, dum ex conventione resignantis & Resignatarii exprimitur major valor vero ad effectum, ut obtineatur à Papa reservatio pensionis, aut majoris pensionis super illo beneficio?*

1. REspondeo negativè. Paris. *de confiden. q.* 41. *per tot.* potissimùm *n.* 8. & ex eo Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 40. citantes Nav. *cons.* 47. & 75. *de simon.* Rationem dat Paris. *loc. cit. n.* 9. & 10. *juncto n.* 17. quòd simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum; intentio autem in hoc casu resignantis, & resignatarii non sit talis voluntas, sed pure intentio, ut resignatio admittatur cum reservatione dictæ pensionis, nullâ pecuniâ, aut re aliâ pretio æstimabili interveniente. Neque illorum intentio principalis fuit paciscendi in casibus prohibitis super re spirituali, sed ut resignatio admitteretur cum illa reservatione pensionis, & sic absque eo, quòd constitutio pensionis esset pretium renunciationis; neutráque pars dederit, aut promiserit alteri quicquam in pretium rei spiritualis. Item *n.* 11. quòd nullibi caveatur in jure, quòd voluntas tacendi aliquid verum, vel exprimendi falsum ad obtinendum beneficium aut pensionem, quo non expresso Papa non concessisset, sit simoniaca; adeóque in præsente casu resignans & resignatarius judicandi non sint simoniaci; cùm pœna non habeat locum, nisi in casibus expressis. Vide eundem pluribus dissolventem rationes in oppositum. Idem quoque esse, seu non implicare simoniam, aut confidentiam in aliis similibus casibus, v. g. quoties non fuit expressus verus valor aliorum beneficiorum habitorum per resignatarium, super quibus imposita est pensio pro resignante (quandoque enim non super fructibus beneficii resignati, sed super aliis habitis à resignatario imponitur pensio) ut resignationi consentiret, tradunt iidem. Paris. *cit.* 41. *n.* 24 Garc. *cit. c.* 3. *n.* 150.

2. Cur verò potiùs in casu præcedentis quæstionis, quàm in casu præsentis committatur simonia, hanc dat disparitatem Garc. *loc. cit. n.* 150. & 151. quòd in præsente casu resignans & resignatarius simpliciter tractent de majore valore exprimendo, ut reservetur pensio inter eos conventa; non autem, quòd pensio sit solvenda à resignatario, non obstante, quòd reservatio sit subreptitia & nulla, & sic non sit conventio de solvenda pensione nulla & invalidè reservata; in casu autem *præcedentis quæst.* resignans & resignatarius tractent, ut dictæ expensæ fiant per resignatarium, & ad colorandum hunc tractatum & pactum petunt beneplacitum Papæ, cum dicta clausula: *attentâ paupertate*, cum tamen hæc clausula sit falsa, & sic in effectu expensæ fiant per resignatarium ex pacto; quia non tractant simpliciter de petendo à Papa, quòd solutio expensarum fiat per resignatarium, attentâ paupertate resignantis, sed de expensis faciendis per resignatarium beneplacito Papæ cum dicta causa falsa.

Quæstio 741. *An simoniacum sit resignare, ut Resignatarius solvat expensas factas à resignante in beneficio jam obtento, v. g. in reparanda Ecclesia, vel domo beneficiali, in fundis beneficialibus meliorandis?*

1. REspondeo: Ad hanc quæstionem absolutè negativè respondere videtur Pirh. *ad tit. de renunc. n. 91. in fin.* dum ait: si resignans expensas feciſſet in bonum ipsius beneficii, seu Ecclesiæ. v. g. beneficium vel Ecclesiam suis sumptibus recuperavit ab hæreticis, vel pretio redemit, tunc sine simonia, & justè posset expensas illas repetere; quia subintelligendum videtur paciscendo de dicta impensarum refusione in resignatione; cùm proponat ibi quæstionem, an renunciatio beneficii cum pacto solvendi expensas sit simonia.

2. Ad eandem quæstionem respondere videntur sub distinctione Felin. *conſ. 11. n. 6.* & cum eo Parisſ. *l. 14. q. 7. n. 46.* dum resignare, ut Resignatarius solvat expensas factas in certis massaritiis Ecclesiæ, simoniam volunt, si resignans impensas illas fecit ex bonis Ecclesiæ; secus, si eas fecit ex bonis propriis, credo, intelligunt patrimonialibus. *Massaritia* siquidem, vel *massaritium* dicitur instrumentum massæ rusticum, vel etiam ipse mansus hac suppellectile instructus. *Mansus* vero, sive *mansa mansum*, vel etiam *massa, massum* significat certum agrorum seu prædiorum, ac possessionum collectionem vel portionem, in qua etiam coloni ædes sunt. Vel etiam *mansum* significat Curiam, & sic *mansus Ecclesiæ* dicitur ea agri portio, quæ ipsi beneficio in dotem assignari solebat, vel presbytero Ecclesiæ deservienti cum aliquot mancipiis. Uti hæc omnia videre est in glossario Caroli du Fresne. Tradítque Parisſ. *ibidem n. 47.* ex eodem Felin. *loc. cit. n. 6.* Innoc. & Abb. *in c. ult. de pecul. clericor.* Archidiac. *in c. 1. 12. q. 4. &c.* quos citat; quòd, dum sumus in dubio, num factæ expensæ ex bonis Ecclesiæ, an verò ex bonis propriis, præsumendum factas ex bonis Ecclesiæ, & consequenter non posse eas repeti; cùm, ut habet idem Parisſ. *n. 48.* citatis Covar. *n. 7. in c. 1. de testibus. & ibid.* Abb. & DD. aliis. Innoc. Jo-And. gl. *in c. cùm in officiis. tit. eod.* Barbat. *cõſ. 69. col. ante penult. l. 3. &c.* omnia bona Prælatorum & Clericorum post acceptam dignitatem, & beneficia præsumantur esse de bonis Ecclesiæ, & de bonis Ecclesiæ, cui præficiebantur, acquisita, nisi contrarium probetur; ac ideo, ut Parisſ. *n. 49.* citato Felin. *in c. ex literis. n. 3. de constitut.* Bertach. *de Episc. p. 4. q. 3.* Ecclesia habeat fundatam intentionem super omnibus bonis à Prælato defuncto possessis.

3. Verumtamen huic doctrinæ, quò ad posterius illud, nimirum, quòd absque simonia hoc modo fieri possit resignatio, dum expensæ factæ ex bonis propriis, contradicit, seu contrarium sentit Gamb. *in c. 1. n. 137. de rer. permut. in 6.* citatus à Parisio. *n. 46.* quæ sententia Gambari non videtur carere fundamento; eò quòd, etiamsi aliàs successor in beneficio teneatur solvere prædecessori, aut ejus hæredibus impensas ab eo factas ex bonis patrimonialibus in conservandis, vel meliorandis prædiis beneficii, ea tamen adhuc non videatur esse obligatio seu conditio talis, quæ jure ineſt, seu annexa est illi beneficio, adeóque talis, quæ licitè possit in pactum deduci in resignatione illius, qualis est obligatio illa, v. g. certam summam exponendi in sarta tecta Ecclesiæ servanda, quoties beneficium tale confertur alteri, ubi Fundator in ejus fundatione sic statuisset, quæ proinde tanquam conditio à Resignatario servanda deduci potest in pactum. Quamvis obligatio dicta, si quæ est, solvendi expensas illas factas in conservandis, vel meliorandis beneficii bonis viciniùs contingat ipsum beneficium, utpote quod per expensas illas redditur fructuosius Resignatario, quàm obligatio solvendi expensas, quas Resignans fecit in consecutione illius, utpote ex quibus nihil commodi habet Resignatarius; & vel hinc minùs subjecta simoniæ videri posset talis resignatio quàm illa, quâ quis eâ lege resignaret beneficium, ut Resignatarius solvat resignanti, quæ aliunde jam contraxerat apud eum debita.

Quæstio 742. *An simoniacum resignare eâ lege, ut Resignatarius reparet Ecclesiam, in qua situm beneficium, vel certam summam in illam reparationem conferat, administret ibidem Sacramenta &c.*

REspondeo: Si hæc & similia onera jam antecedenter sunt imposita beneficio, seu cuicunque possessori illius (puta à fundatore, vel etiam Episcopo seu Ordinario, vel ex legitima conventione, v. g. Capitularium, vel per legitimam præscriptámque consuetudinem) non fore simoniam, sub hac expressa conditione resignare; exprimi siquidem, seu expressè in pactum deduci ea possunt in collatione, præsentatione, resignatione beneficii, quæ ei jure annexa sunt, ut Parisſ. *l. 14. q. 7. n. 23.* Azor. *cit. c. 27. q. 6.* cum Nav. *in man. c. 23. n. 100.* & communi. Secus, dum iftiusmodi onera de jure antecedenter imposita non sunt. Parisſ. *ibid. juncto n. 24.* citans Redoan. *de simon. p. 2. c. 11. in fine.* Azor. *loc. cit. q. 8.* Et sic jam simoniacum erit, resignare eâ lege, ut Resignatarius, ubi beneficium resignatum obtinuit, pendat certam summam distribuendam inter Capitulares, nisi excuſet legitima præscripta & non reprobata consuetudo.

Quæstio 743. *An simoniacum sit resignare in favorem alicujus (idem est de conferre) ob recompensam, seu remunerationem servitiorum præstitorum?*

1. RElspondet Parisſ. *cit. q. 7. n. 36.* citatis Abb. Anan. Felin. *in c. cum essent. de simon.* Innoc. *in c. tua. de stat. & qualit.* fore simoniam, si adsit pactum & conditio; secus, si non adsit pactum aut conditio. Verùm conformiùs ad damnatam ab Innoc. undecimo hanc propositionem, quæ est in ordine 45. *dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut contrà.*

2. Respondendum est etiam independenter ab eo, quòd id antecedenter in pactum deductum fuerit, esse simoniam, dum quis obsequia, quæ compensare debet mercedi temporali, compensare velit collato (idem est, resignato in eum) beneficio ecclesiastico; cùm talis compensatio sit virtualiter venditio, & commutatio beneficii pro obsequio temporali, & datio beneficii pro obsequio temporali, & datio beneficii propter munus ab obsequio tanquam propter finem principalem. Cardenas. *in Crisi Theolog. super 65. propoſit. damnat. ab Innoc. XI. diſſert. 27. n. 111.* Ubi etiam ait, aliud & nullum vestigium simoniæ esse, si Dominus adæquato pretio compensavit obsequia famuli, is tamen occasione famulatûs invenerit gratiam apud Dominum, ita ut hic inclinetur ad gratis omnino conferendum (vel quod idem est, resignandum) famulo beneficium.

Qua-

Quæstio 744. An simoniacum sit resignare (vel, quod quò ad præsens institutum idem est, conferre) alteri beneficium ad consequendum aliquid temporale tanquam finem; & econtra dare seu exhibere temporale aliquid ad obtinendum beneficium per resignationem, vel collationem, aut etiam præsentationem?

1. REspondeo ad hanc quæstionem fundamentalem, unde aliarum plurimum resolutio dependet, Primò. Si temporale illud est finis intrinsecus rei illius spiritualis aut annexæ spirituali, datio illius rei spiritualis, ob hunc finem intrinsecum temporalem, non est simoniaca. Adeóque simoniaca non est collatio, vel resignatio, uti nec petitio, & acceptatio beneficii, ut Collatarius, vel Resignatarius habeat, unde vivat; cùm beneficia ab Ecclesia propter sustentationem vitæ Clericorum, & temporale subsidium, tanquam finem suum intrinsecum instituta & ordinata sint. Cardenas *loc. cit. n.* 89. Siquidem hac ratione nullus intrat contractus non gratuitus circa spirituale, aut spirituali annexum (qualis est omnis simonia; cùm definiatur, quòd sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale aliquid, aut spirituali annexum, veniente nomine venditionis, & emptionis omni contractu non gratuito. D. Tho. 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. *ad* 5.) non formaliter, nec æquivalenter talis, dum ex isto fine conferens, aut resignans nihil paciscitur (non enim obligat resignatarium, ut vitam sustenter) neque dat spirituale pro temporali, sed omnino gratis & liberaliter, respiciendo purè utilitatem Collatarii, vel Resignatarii. Ac proinde responsio hæc non subjacet damnationi illi, quâ damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio in ordine 46. *id quoque locum habet* (nempe quòd dare temporale pro spirituali non sit simonia) *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis*: tum quia, ut dictum, non datur spirituale pro temporali, nec fit contractus; tum quia temporale in hoc casu est motivum, & finis intrinsecus quidem, sed minùs principalis, siquidem sustentatio vitæ non est finis intrinsecus spiritualitatis, sed temporalitatis præbendæ seu beneficii, finis autem intrinsecus ille, ad quem ordinatur temporalitas præbendæ, est finis minùs principalis, & finis intrinsecus spiritualitatis, seu ad quem ordinatur spiritualitas præbendæ, est magis principalis, nempe commodum spirituale. Et sic desiderans, petens, & acceptans præbendam (si rectè & ordinatè procedit) non petit, aut accipit præbendam propter sustentationem vitæ tanquam finem principalem, sed tanquam finem intrinsecum minùs principalem. Jam verò propositio damnata dicit, non esse simoniam, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Cardenas *loc. cit. n.* 98. *junto num.* 95. proinde

2. Respondeo secundò: Facere, seu dare spirituale aliquid ob commodum temporale tanquam propter finem principaliter intentum est simoniacum; secus, si intendatur principaliter bonum spirituale, & secundariò bonum temporale, v. g. Beneficiatus frequentans chorum propter distributiones, aliàs non iturus, dum respicit distributiones quasi finem sui operis principaliter intentum, peccat mortaliter, & committit simoniam (cujus contrarium, nempe id non esse simoniam, saltem ex natura rei, seu quod idem est, jure divino naturali, expressè tradit Pirh. *ad tit. de simon. n.* 130. eò quòd intendere lucrum temporale, etiam tanquam finem principalem non sit emere, vel vendere rem spiritualem, si non intendatur lucrum principaliter tanquam pretium, sed tanquam debitum sustentationis stipendium, vel tanquam Eleemosyna gratis oblata) si autem habet principalem finem Deum, seu cultum divinum, ad distributiones verò respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad sui sustentationem, constat, quòd non vendat actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim distributionum acceptio non erit causa, quare vadat ad Ecclesiam, sed propriè hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non aliâ vice. D. Tho. *quodlibet.* 8. *à n.* 11. & ex eo Cardenas *loc. cit. n.* 99. Pari modo erit simoniacus, qui celebrat propter stipendium tanquam finem principaliter intentum; secus, si principaliter propter salutem animæ, & secundariò propter stipendium, quatenus deserviens ad sui sustentationem. Item qui cupit nunc baptizari, dum se offert occasio accipiendi amplum donarium, v. g. à patrino, aliàs adhuc dilaturus Baptismum, si suscipit Baptismum nunc ob illud donum tanquam finem principaliter intentum, est simoniacus; secus, si suscipit Baptismum propter salutem animæ, & secundariò vult baptizari nunc, ne amittat occasionem donarii illius; cùm hoc modo commodum temporale est tantùm impulsivum. Cardenas *loc. cit. n.* 102. & 103. Ratio responsionis jam indicata est ex S. Thoma. nempe quòd, qui actionem spiritualem facit, aut spirituale quid exhibet ob commodum temporale tanquam ob finem principaliter intentum, æquivalenter vendit actionem illam spiritualem, seu spirituale illud, non secus, ac serviens Domino propter mercedem, vendit actionem, & servitium suum Domino; secus verò, si commodum temporale secundariò intendatur. Cardenas *n.* 100, ubi etiam addit, quòd, si dans de suo, & sine ulla obligatione dandi tali, v. g. distributiones frequentanti chorum (vel, quod idem esse videtur, legenti sacrum) sciret, velle illum eas, vel illud recipere propter commodum temporale ab eo principaliter intentum, utrumque fore simoniacum, quia alter venderet actionem suam, v. g. frequentationem chori, lectionem sacri, & alter eam emeret.

3. Respondeo tertiò: Dum datur temporale aliquid propter beneficium obtinendum, etiam tantùm tanquam propter finem minùs principalem, adhuc erit simoniacum, si illud, quod datur, alliciat, & moveat animum conferentis, vel resignantis beneficium, aut præsentantis ad illud: Secus, si id non alliciat ad collationem, resignationem, præsentationem, v. g. qui dat gratitò de cetero munus alicui, ut is secundùm statum suum, quo fortè non nihil exciderat, decentiùs vivat, intendendo hoc ipsum principaliter, seu tanquam finem principalem suæ donationis, intendat tamen simul secundariò, ut donatarius sibi cõferat resignet vel, beneficiũ suum, vel ad illud præsentet, est simoniacus; quia datquod allicit illum ad conferendum, vel resignandum beneficium. Econtra famulatur quis alteri propter mercedẽ temporalẽ tanquam finem principaliter intentum; secundariò tamen, etiam

etiam cum spe aliqua obtinendi ab eo beneficium; unde dicitur famulari propter beneficium obtinendum tanquam finem minùs principalem & indirectum, non est per hoc simoniacus (nisi perverintentio, & tatur intendat beneficiũ primariò per famulatum suum) quia solus famulatus æquali mercede compensatus non allicit animum ejus, cui famulatur, ad conferendum famulanti beneficum. Cardenas *loc. cit. n.* 105. & 106. qui idipsum, *à n.* 107. probat ex *c. etsi quæstiones, de simon.* ubi dicitur: *quòd scriptum est, beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, & pervertere solent*: & additur: *quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debent, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* Ex cujus textûs priore parte infert, dantem munera, quæ recipientis ea animum allicere, vel pervertere solent, quamvis dicat, se dare propter assecutionem beneficii tanquam finem secundarium, committere simoniam; quia revera dat munera, ut per ea sibi paret viam ad beneficium. Quod postremum, nescio, an rectè inferat Cardenas; cùm non omnis, qui dat munus, quod inclinare potest recipientem ad faciendum aliquid, eò ipso det illud, ut illum alliciat ad tale quid faciendum. Econtra ex posteriore textûs illius parte infert, non fore simoniacum dantem munus ab obsequio, seu exhibentem famulatum taliter, ut per illum non moveat, aut inclinet ad dandum beneficium, licèt spem habeat perveniendi hac ratione ad beneficium tanquam finem secundarium. Quod saltem sat efficaciter confirmatur ab eodem *num.* 109. à posteriore, nempe, quòd durum sit damnare omnes famulos, & familiares Episcoporum, & Cardinalium, qui cum hac spe obtinendi beneficium famulantur illis, & in hoc sensu respiciunt secundariò præbendam. Rectè tamen monet eosdem Cardenas *nu.* 110. quòd, cùm facilè intentio illa pervertatur, & inflectatur ad respiciendum beneficium, & hoc sensu dicatur famulari propter beneficium tanquam finem principalem famulatûs sui, ut caveant, ne famulatum, similéve munus ab obsequio præstent principaliter ob promotionem ad beneficium; vel etiam, ut expressè ait, cum animo alliciendi suo famulatu voluntatem Episcopi ad talem promotionem.

Quæstio 745. *An simoniacum sit dare tanquam gratuitam compensationem (hoc est, quæ fit ex gratitudine, sive propter debitum gratitudinis, verum vel existimatum, quæque longè diversa est à gratuita donatione, utpote quæ fit ex mera liberalitate, ita ut non detur ob nullum debitum, neque Iustitiæ, neque gratitudinis, neque cum ullo onere, & prout gratuita donatio in præsenti condistinguitur à purè spontanea donatione remuneratoria) temporale pro spirituali, vel contrà, v. g. dare temporale aliquid pro beneficio resignato, vel collato, vel præsentatione ad illud; vel beneficium resignare, conferre pro temporali aliquo sibi dato aut exhibito?*

1. Respondeo affirmativè. Cardenas *loc. cit. à nu.* 38. juxta damnationem factam ab Innocentio XI. hujus propositionis: *simonia non est dare temporale pro spirituali, vel contrà, quando temporale est solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut contrà.* Sic itaque simoniacum erit, resignare (idem est de conferre, præsentare &c.) beneficium cum pacto, ut resignatarius se gratum exhibeat, seu ex gratitudine det certum quid temporale; seu resignantem resignatario imponere novam obligationem (intellige, præter obligationem naturalem antidoralem) implendi obligationem antidoralem, dando sibi ex gratitudine donum temporale. Cardenas *loc. cit. à n.* 39. citans *n.* 43. Suar. *to.* 1. *de relig. l.* 4. *de simon. c.* 5. *nu.* 11. ubi dicit, hanc non esse palliatam, sed manifestam simoniam. & *num.* 44. Gibalinum *tr. de simon. q.* 18. *Conclusio* 3. *n.* 5. ubi dicit; hanc sententiam passim rejici, & gravi notâ configi tanquam temerariam, & reipsâ simoniacam, quam, si sequamur, rerum omnium confusionem inducendam, & omnes dicturos, se pacisci de aliquo temporali pro spirituali tanquam de antidoro, & non de pretio, eáque simulatione tecturos omnes conventiones simoniacas magno animarum damno, vagaturam simoniam, & omnia sacra contaminaturam. Etsi alias oppositam illam sententiam, nimirum licere pacisci de dando ex gratitudine, dono temporali pro re spirituali, aut spirituali annexa aliàs docuit Diana. *p.* 2. *li.* 2. *Miscell. resol.* 39. & *p.* 10. *tr.* 5. *Miscell. resol.* 5. & *p.* 11. *tr.* 5. *resol.* 40. citans pro se Gaspar. Hurtad. Machado. Tannerum. Felin. &c. (quorum tamen plures id non tenere, sed hoc solùm, quòd resignans petere possit, ut resignatarius impleat obligationem antidoralem, sine eo, quòd is subeat novam obligationem, inquit Cardenas *loc. cit. n.* 4.

2. Responsionis, & consequenter damnationis oppositæ sententiæ varias probationes adducit Cardenas *à n.* 46. quæ in hanc ferè recidunt, quòd obligatio naturalis antidoralis, quæ nascitur ex ipsa datione beneficii, & quâ obstringitur eo ipso, qui accipit aliquod beneficium, non determinet aliquid temporale, per quod compensari debeat beneficium acceptum; cùm sufficienter ea obligatio naturalis antidoralis expleatur, quod fundet pro eo preces, & teneatur solùm ad gratificandum, pro ut acceptor beneficii spontaneè elegerit. Adeóque jam, qui pro collato beneficio determinatè temporale quid exigit, exigat aliquid supra ipsam obligationem antidoralem ultra debitum gratitudinis, & ad quod illum ipsa obligatio antidoralis illa non astringit, & consequenter obligando illum ad aliquid, ad quod non tenetur ex gratitudine, imponit illi novam & onerosam obligationem, & sic consurgit contractus oneriosus, in quo datur temporale pro spirituali, adeóque evidenter committitur simonia, dum jam non datur pecunia ex obligatione antidorali, sed ex contractu oneroso.

3. Nec dicas primò: Obligatio antidoralis de jure inest in quolibet recipiente beneficium; ergo non est simoniacum pactum de antidorali obligatione implenda; quia pacisci de eo, quod de jure inest, non est simoniacum. Nam obligatio antidoralis de præstando obsequio aliquo ad placitum rationale recipientis beneficium inest de jure: non verò obligatio antidoralis de præstando tali determinato obsequio per exhibitionem doni temporalis. Cardenas *loc. cit. n.* 57. & 58. Neque dicas secundò: Per receptionem beneficii subiens eo ipso obligationem antidoralem, potest sponte offerre implectionem illius obligationis faciendam determinatè per aliquid temporale; sed hæc promissio

acceptata à conferente beneficium est pactum de tali determinata impletione, ergo fieri potest pactum de adimplenda obligatione antidorali per aliquod temporale, adeóque de tali compensatione gratuita. Nam ad summum potest promittere adimplere obligationem antidoralem determinatè per aliquod temporale, non contrahendo ex illa promissione novam obligationem ultra antidoralem, sed manendo in sola obligatione antidorali, ita ut determinare quidem se possit ad dandum illud temporale, citra tamen, quòd propterea maneat obligatus ad dandum illud; cùm non intenderit se obligare ultra id, ad quod obligabatur obligatione antidorali, quæ obligatio aliter sufficienter impleri potest. Hinc si dicta promissio aliud nihil est, quàm commemoratio & recognitio obligationis antidoralis, non inducens novam obligationem, sed relinquens promittentem non obligatum ad talem compensationem, quam sponte obtulit, sed potentem mutare in aliud obsequium, fundendi, v. g. pro benefactore preces, non erit simoniaca talis promissio; secus, si ea ampliorem obligationem quàm purè antidoralem superaddat. Cardenas *loc. cit. à n.* 59. citans Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 45. *n.* 9. Et quidem addit Cardenas *n.* 61. in fine, hoc procedere magis in speculatione, quàm in praxi, in qua verba promissoria practicè solent relinquere homines in nova obligatione ultra antidoralem. Nec dicas tertio: non dari simoniam, nisi ubi datur temporale tanquam pretium rei spiritualis, vel contrà; illud autem temporale, quod datur etiam cum pacto expresso ob gratitudinem, non datur tanquam pretium. Nam etsi simonia definiatur sub terminis emptionis, & venditionis, & pretii, nomine tamen venditionis, & emptionis in hac materia intelligitur quilibet contractus onerosus, seu non gratuitus, aut commutatio spiritualis pro temporali, aut contrà juxta expressa verba D. Thomæ paulò suprà data. Cardenas *n.* 62. *& 63.*

4. Atque ex his vides, quid dicendum ad hunc casum ordinarium, dum aspirans ad beneficium, seu resignatarius non volens determinare certam pecuniam, aliúdve temporale, dicit solummodò resignaturo: *confide in me, jum vir honestus, ero tibi gratus*: nimirum non continere ea simoniam, si sincerè exponendo solùm per ea suam obligationem antidoralem, proferantur; secus, si taliter proferantur, ut attentis circumstantiis significetur intentio dandi temporale pro spirituali. Quamvis enim prolatio istorum verborum nudè sumpta non significet aliquod munus temporale tribuendum, ex circumstantiis tamen, & communi usu & modo loquendi inter ejusmodi Clericos usitato, verè significat, tribuendam esse compensationem temporalem; qui autem promittit, se daturum ex gratitudine compensationem temporalem, juxta dicta novam inducit obligationem antidoralem. Cardenas *loc. cit. n.* 65. *& 66.* qui etiam *n.* 67. subjungit, fore hanc simoniam non mentalem, sed & conventionem subjacentem pœnis Canonicis; eò quòd, cùm ea verba inter eos ita sint accepta, ut significat promissionem compensationis temporalis, non sit simonia tantùm ex intentione, sed etiam ex significatione verborum, & signis externis.

Quæstio. 746. *An simoniacum sit, Resignatarium (& in genere recipientem aliquid spirituale, vel spirituali annexum) facere resignanti beneficium, vel danti spiritualem donationem merè spontaneam, gratuitam, purè liberalem, in hoc distinctam à compensatione gratuita, quòd non sicut illa detur pro spirituali, quamvis fiat præcedente datione rei spiritualis?*

1. Respondeo primò: Quasi supponendo, posse hoc ipsum quoque prohiberi ab Ecclesia. Castrop. *de simon. d.* 3. *p.* 5. *n.* 1. (quamvis is non satis in hoc videatur distinguere donationem merè spontaneam à gratuita compensatione, vel à medio consequendi spirituale tanquam finem, dum ait, posse Ecclesiam donationem temporalem non solùm onerosam, sed etiam gratuitam, si fiat pro spirituali consequendo, prohibere ob reverentiam rerum sacrarum, & ne videantur commutari, & donis temporalibus obtineri) Cardenas *in Crisi super* 46. *quæst. damnatas ab Innoc. XI. dissert.* 27. *num.* 70. in terminis expressis in quæstione citans Suar. *l.* 4. *d. simon. c.* 49. *n.* 5. Gibal. *de simon. q.* 18. *consectar.* 2. *n.* 2. Ecclesia siquidem non solùm prohibere potest actiones ex se pravas, sed etiam eas, quas judicat afferre suspicionem aut speciem mali, juxta illud Apostoli 1. *Ad Thessalon.* 5. *ab omni specie mali abstinete*: Jam verò Ecclesia rectè judicare potest, donationes gratuitas factas à recipientibus spiritualia habere suspicionem & speciem mali, & quidem simoniæ, ergo. Cardenas *loc. cit. n.* 71. *&* 72. Neque obstat, quòd præsumptio hæc seu species mali, nimirum pacti iniri, in qua fundatur hæc lex prohibens, hic & nunc possit esse, & sit quandoque falsa. Nam quando præsumptio, sive vera sive falsa, ipsa censetur indecens respectu rerum, spiritualium, seu secum afferre indecentiam, aut nocumentum, aut aliud grave inconveniens, uti contingit in præsenti, & lex fertur propter illam indecentiam, & nocumentum vitandum, quod affert actio aliqua, non cessat adhuc finis, etsi præsumptio sit hic & nunc falsa, & consequenter lex pergit obligare. Cardenas *loc. cit. num.* 75. *&* 76.

2. Respondeo secundò: Dum Ecclesia tales actiones prohibere potest intuitu religionis, ut satis ostendit ratio allata à Castrop. & Cardenas, si eas intuitu religionis prohibuit, erunt simoniacæ. Cardenas *loc. cit. n.* 74. citans Suar. *ubi antè*. Dum enim Ecclesia prohibet actionem intuitu religionis, violatio illius prohibitionis est irreligiosa & sacrilega, adeóque spontanea illa donatio facta contra prohibitionem talem foret imprimis sacrilega: dein, cùm prohibitio talis donationis non fieret utcunque intuitu religionis, sed quia illa donatio, licèt spontanea, haberet speciem mali, & commutationis temporalis pro spirituali, adeóque jam esset irreligiosa & sacrilega, non utcunque, sed in eodem ordine, in quo est commutatio temporalis pro spirituali. Cardenas *loc. cit. n.* 74.

3. Neque opponas: Non videri adhuc tali gratuitæ donationi convenire definitionem simoniæ, utpote quæ definitur, studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, ita ut juxta D. Thom. & DD passim hisce verbis comprehendatur omnis contractus non gratuitus, qualis non est dicta donatio. Nam respondet

spondet Cardenas *loc. cit. n.* 78. cum Suar. *loc. cit.* definitiones rerum moralium intelligendas esse in eo sensu, qui colligitur ex dispositionibus Ecclesiæ; adeóque, si Ecclesia intuitu Religionis prohibeat non solùm contractus oneroſos, sed etiam eas actiones, quæ habent speciem & suspicionem talium contractuum, quia talem suspicionem censet indecentem respectu rerum spiritualium, dicendum esse, quòd definitio illa simoniæ intelligi quoque debeat de contractu existimato, prohibito ut tali.

4. Neque præterea opponas cum Goneto *in dissertat. de probabilitate. n.* 147. (ubi assumpto hoc principio ex Durando, quem refert Suar. *to.* 1. *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 7. negat contra communem, dari simoniam ullam juris purè humani, illámque esse penitus chymericam) cùm Ecclesia nequeat mutare rerum naturas, prohibitione suâ efficere non posse, ut hæc gratuita donatio, quæ ex natura sua, nec etiam jure divino (intellige, positivo) est simoniacâ, evadat per illam prohibitionem simoniaca. Nam per hoc, quòd detur simonia juris humani, sive quòd actio, quæ ex se non erat simoniaca, reddatur vi talis prohibitionis simoniaca, non mutari rerum naturas, patet ex obviis exemplis. Sic minimè mutat rerum naturas, dum prohibendo vesci carnibus die veneris, reddit illud malum, quod ex se malum non erat. Sic dum Ecclesia, ad quam pertinet determinare cultum, quo veneranda est Eucharistia, prohibendo, ne ea sumatur à non jejuno, facit vi hujus sui præcepti, ut sit sacrilegium, quod ante hoc præceptum ne quidem malum erat, non mutat naturam sumptionis Eucharistiæ; quin potiùs ipsa natura rei postulat, quòd, dum Ecclesia id præcipit ob reverentiam Eucharistiæ, qui violat hoc præceptum, delinquat contra reverentiam debitam Eucharistiæ. Pari modo, dum præcipiendo ex motivo religionis, neminem privatâ auctoritate commutare suum beneficium cum alterius beneficio, quod priùs erat licitum, facit, ut id evadat illicitum irreligiositate simoniæ. Idem est, dùm Trid. *sess.* 24. *c.* 18. statuit, ne quiquam detur etiam gratis & liberaliter examinatori occasione examinis ad Parochiam, alioqui vitium simoniæ incurrat; minimè Ecclesia mutavit naturam simoniæ, aut etiam actionum istarum, ideo præcisè malarum & simoniacarum, quia ab ea ex tali motivo prohibitæ. Cardenas *loc. cit. n.* 10. *&* 11. remittens ad Suar. *cit. c.* 7.

5. Respondeo tertiò: Num verò de facto ab Ecclesia donationes purè gratuitæ factæ occasione accepti alicujus spiritualis prohibitæ sint tanquam simoniacæ, de hoc inquam non convenit inter AA. nam primò negativam tenent. Castrop. *loc. cit. n.* 6. hisce expressis: *non invenio ullibi gratuitam aliquam donationem prohibitam ab Ecclesia intuitu religionis, & tanquam simoniacam tam ex parte recipientis quàm conferentis; imò neque aliquam donationem onerosam, quæ venditio aut emptio non sit, extra materiam loquor beneficiorum* (per quæ verba parenthesi, inclusa censere videtur à contrario, in materia beneficiorum donationem oneroſam, absque eo, quòd venditio aut emptio sit, non verò aliam donationem merè gratuitam esse ab Ecclesia tanquam simoniacam prohibitam) *in & foro conscientiæ: nam in foro externo, quoties donatio fiat cum onere dandi spirituale, nisi jam sit ab Ecclesia approbata, semper præsumitur dari pro ipso spirituali in commutationem, ac proinde ut simoniaca punitur; in foro tamen conscientiæ simoniaca non erit, sed vel injusta, vel aliud vitium.* &c. Idem cum Castrop. docet Gibal. *loc. supra cit.* apud Cardenam. *cit. dissert.* 27. *n.* 80. Econtra affirmativam tenet Cardenas *ibid. n.* 81. & in eandem inclinare ait Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 49. nempe, in materia Ordinum de facto prohibitam tanquam simoniacam donationem purè liberalem. Et primò quidem, dum Trid. *sess.* 21. *c.* 1. ait: *nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, nec pro literis dimissoriis, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant* &c. prohiberi autem his verbis tam dationem illam merè gratuitam, quàm receptionem illius, ex eo probat Cardenas *nu.* 82. quòd in proœmio dicatur: *quoniam ab Ecclesiastico Ordine avaritia suspicio abesse debet* &c. & suspicio avaritiæ sit suspicio contractûs oneroſi, in quo datur temporale pro spirituali. Quodque non solùm indecens sit & irreverens contractus oneroſus, quo detur temporale pro ordine suscipiendo, sed etiam censeri à Concilio irreverentem & indecentem sacris Ordinibus suspicionem talis contractûs; motivum autem prohibendi actionem propter suspicionem contractûs talis oneroſi sit ejusdem rationis, ac motivum prohibendi actionem propter verum contractum oneroſum. Verùm subjungit Cardenas, scire se magni nominis AA. (inter quos est Castrop. & quem is citat, Lessius. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 61.) in hac prohibitione nullam agnoscere simoniam, sed vel injustitiam vel inobedientiam, vel avaritiam. Quin & Castrop. *loc. cit.* citans Less. *ubi antè. nu.* 72. Salzedo. *in pract. crimin. c.* 27. *n.* 123. Man. *to.* 2. *sum. c.* 56. addit, hoc decretum intelligendum non nisi de dantibus sponte ante Ordinum susceptionem, & de iis, qui post Ordinationem ex obligatione præcedente tribuunt; non de iis, qui post Ordinationem sponte dant aliquid. Secundò, dum Trid. *sess.* 24. *c.* 18. quò ad Examinatores pro Parochiali sic statuit: *caveant, ne quicquam prorsus occasione hujus examinis* (per quæ verba satis constare videtur, quòd loquatur Concilium de donatione purè gratuita & liberali; cùm non dicat *pro examine*) *accipiant, alioqui simoniæ vitium tam ipsi, quàm dantes incurrant.* Verùm, neque per hoc decretum liberalem donationem prohibitam esse, sed solummodò donum, quòd tanquam pretium daretur, tenet, & pluribus stabilit Castrop. *loc. cit. n.* 3. De cetero neque ipse Cardenas in hac materia omnino regidus, uliam de eo mentionem facit, num dare purè liberaliter aliquid occasione accepti vel resignati beneficii sit simoniacum, aut vetitum ab Ecclesia.

6. Porrò in dubio, num temporale datum sit merè gratuitò, an verò per modum pretii, vel etiam ex obligatione aliqua ultra antidoralem, consideranda sequentia ex Pirh. *ad tit. de simon. n.* 131. Primò qualitas personæ dantis, & recipientis, an dives, an pauper; cùm donum respectu divitis parvum possit esse magnum respectu pauperis. An amicus, consanguineus; cùm facilè inter conjunctos præsumatur liberalis donatio: sic etiam nobilitas personæ per se est indicium gratuitæ donationis: sic attendenda etiam integritas morúmque honestas in dante, ac recipiente, ob quam præsumitur quoque donum temporale ex mera liberalitate profectum. Pirh. *loc. cit.* citans Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 36. *n.* 12. Secundò consideranda quantitas dati, si enim ea sit nimis magna, non censetur libera-

beraliter data; quia nemo præsumitur suum prodigere: Si autem nimis parva, seu modici pretii, pro nihilo reputatur, quia verisimile non est, dari pro re tam præstante, ut est res spiritualis: Si est mediocris, consideranda hæc quantitas in ordine ad personam dantis & accipientis, & si data est pecunia numerata, etiam modica quantitas sufficit ad præsumendam simoniam, si non adsit causa honestans: Si autem res data sit pertinens ad cibum & potum, & in modica quantitate, pro nihilo reputatur, Pirh. *loc. cit.* juxta *c. etsi quæstiones. de simon.* Tertiò circumstantia temporis seu occasio donationis; urgente enim necessitate, quia hic & nunc quis indiget re illa temporali, dans censetur potiùs dare liberaliter ad subveniendum necessitati. Pirh. *loc. cit.* ex Abb. *in cit. c. etsi quæstiones. n.* 3. Sic considerandum, an munus temporale detur ante receptam rem spiritualem; tunc enim non ita facilè præsumitur datum ex liberalitate, sed potiùs ad permovendum animum daturi spirituale: An in ipsa receptione spiritualis, vel in continenti post eam; quia & tunc habet magis speciem recompensationis, quàm gratuitæ donationis: Secus, si post receptionem ex intervallo detur: tunc enim facilius præsumitur ex mera liberalitate & gratitudine dari: Concludit verò Pirh. citans pro hoc Suar. *ubi antè, nu.* 14 præsumptionem desumptam ex circumstantia temporis per se sufficientem non esse ad inducendam simoniam, nisi Ecclesiæ prohibitio interveniat; cùm in quolibet tempore possit habere locum pura intentio & gratuita donatio.

Quæstio 747. *An, & qualiter simoniacum sit resignare, vel conferre beneficium exigendo à Resignatario, vel Collatario juramentum fidelitatis?*

1. REspondeo primò: Exigere, utì & præstare hominium seu homagium (quod in eo differt à juramento fidelitatis, quòd homagium præstetur Imperatori vel Regi, ita ut fiat per hoc subditus illius, & non recognoscat alium Superiorem, & obligetur ad certa servitia. Fidelitatis verò juramentum sit, quando quis specialiter promittit ac jurat, se alteri fore fidelem, quòd juramentum potest pluribus præstari. Pirh. *ad tit. de simon. n.* 83. ex Abb. *ad c. ex diligenti. eod. tit. n.* 1.) pro beneficio obtinendo est simoniacum juxta textum expressum *cit. c. ex diligenti.* Pirh. *loc. cit.* homagium enim propriè acceptum continet temporale commodum ejus, cui præstatur; nam, ut dictum, præstans illud efficitur illius subditus & vasallus, & obligatur illi ad certa servitia, quæ pro spiritualibus obtinendis præstari non debent juxta quod dicitur *c. fin. de reb. jud. indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur* &c. Estque talis subjectio munus ab obsequio, quod simoniam inducit. Pirh. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Juramentum quoque fidelitatis resignanti, vel collatori inferiori Episcopo præstare pro beneficio consequendo, simoniacum est. argumento *cit. c. ex diligenti*, juramentum enim fidelitatis præstandum est Episcopo, vel alteri habenti quasi Episcopalem jurisdictionem, non autem Prælatis inferioribus, v. g. Archidiacono (de quo est expressè citatus textus) etiamsi ad eos spectet collatio certi beneficii ex speciali concessione, vel præscriptione. Pirh. *loc. cit.*

3. Respondeo tertiò: Non tamen erit simoniacum, recipientem beneficium præstare juramentum fidelitatis, etiam Prælato inferiori, vel Capitulo, dum hoc, vel ille beneficium confert; cùm id præstetur non tam pro consequendo, vel etiam obtento beneficio, sed occasione beneficii juxta statuta disponentia, ut, qui consequitur beneficium tale, promittat fidelitatem, non obstante *cit. tex. c. ex diligenti*; utpote in quo Archidiaconus ille exegit omnimodam subjectionem à Clerico obtinente à se beneficium, ac ideo tota obligatio, etiam fidelitatis, fuit cassata, ut nullum Archidiaconus inde reportaret commodum, Pirh. *loc. cit.* ex Abb. *in cit. c. n.* 4.

Quæstio 748. *An simoniacum sit, ab eo, qui de novo receptus est in Canonicum, pro vel in admissione in possessionem Canonicatûs vel præbendæ, seu beneficii, vel ad perceptionem distributionum ante, vel post exigi, vel solvi aliquid temporale, etiam modicum, v. g. pecuniæ aliquid, vel partem fructuum primi anni, prandium vel convivium, & similia pro Canonicis vel Beneficiatis illius Ecclesiæ?*

1. REspondeo: Esse id simoniacum, non obstante statuto, vel consuetudine, etiam immemoriali, argumento *c. Jacobus. de simon.* Trid. *sess. 24. c.* 14. ubi dicuntur ilitiusmodi ingressus simoniacæ labis suspicionem non habere. & Paris. *v. in Bulla declaratoria hujus decreti, edita Calend. Jun.* 1570. Pirh. *ad tit. de simon. n.* 91. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 35. *nu.* 111. (*ubi quòd nisi ex antiquâ consuetudine hæc solita sint converti in pios usus, censebitur simonia, & incurritur pœna simoniacorum juxta Trid. & Bullam Pii V.*) Garc. *de benef. p.* 8. *c.* 1. *n.* 83. citans Abb. Anan. Felin. *in cit. c. Jacobus.* Rebuff. *in concord. tit. reservat. §. fin.* Guttier. *qq. Canonic. l.* 1. *c.* 29. *à n.* 26. Tusch. *Concl.* 252. *lit. S. à n.* 12. Rodriq. *in sum. to.* 2. *c.* 58. *n.* 12. Sylv. Vegam. &c. Item recitans declarat. S. Congregat. in una Leodien. & *Extrav.* 1. *de simon. inter commun.* Et post hasce declarationes, & scriptores, eadem Trid. decreta & dispositionem Pii V. severissimè innovat Papa Innoc. XII. in Bulla sua, quæ incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*, quam vide. utì & dicta suprà, ubi, qualiter non vacet beneficium per adeptionem alterius incompatibilis, nisi post adeptam fructuosam illius possessionem. Quin & simoniam committere eum, qui pro repellenda contradictione pacisceretur cum ceteris Canonicis, & beneficiatis de servando eos indemnes ab omni damno, & interesse ob receptionem de se factam, ait Lott. *l.* 3. *q.* 29. *nu.* 131. sic decisum inquiens à Rota apud Seraph. *decis.* 767. *n.* 4. Et hoc ipsum procedere, ait Lott. *ibid. nu.* 132. respectu etiam omnium annexorum, pro quo citat Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 1. *q.* 9. *a.* 11. *n.* 2. id pluribus exemplificantem.

2. Unde jam, licèt Trid. *loc. cit.* approbet hujusmodi statutum, vel consuetudinem, dum id, quod dari consuevit, convertitur in usus pios, puta, in usus fabricæ Ecclesiæ, sacristiæ, vel pauperum: Quamvis etiam aliàs communis esset opinio, valere hujusmodi consuetudinem in usum pium, quando non præcessit exactio, non tamen

valent ſtatuta imponentia onus recepto, vel recipiendo ſolvendi quicquam etiam in uſum pium. Garc. *loc. cit. n. 86.* citans Abb. Anan. Felin. Gutt. Rodriq. *ubi antè.* Et ſic fieri non poteſt ſtatutum, ut aliquid ſolvatur in uſum pium, veluti pro fabrica, vel ſacriſtia Eccleſiæ, ut cenſuit. S. Cong. *ſuper cit. c. 14. Trid.* niſi fuerit per Papam ex certa ſcientia approbatum. Garc. *num. 87.* Unde jam, ſi poſt Trident. ne quidem pro rebus piis capi poteſt aliquid, quòd aliàs capi conſueverat (intellige, ex onere impoſito receptis, aut recipiendis) pro commodo proprio Canonicorum. Garc. *n. 89.* citans Gutt. *ubi antè. n. 28.* Nav. &c. multò minùs id capi poterit in dictum commodum proprium Canonicorum, ſeu aliorum beneficiatorum. Qualiter, quia adhuc cenſetur capi pro commodo proprio ſingulorum Canonicorũ, quod ſolvitur menſæ Capitulari, ſeu convertitur in reparationem bonorum, v. g. molendinorum menſæ Capitularis, Garc. *nu. 90.* conſuetudo in hunc finem ſolvendi quicquam à noviter receptis ex obligatione, ſublata eſt per Trid. juxta declarat. S. Congregat. ſuper *cit. c. 14.* quam recitat Garc. *cit. nu. 90.* in qua tamen ipſa declaratione habetur, conſuetudinem, ſi quæ exſtaret, ut fructus cujuslibet præſtimonii (idem videtur de beneficio) dimidii anni, poſtquam vacaverit, cederent in utilitatem menſæ capitularis, non eſſe ſublatam per Trid. cùm non ſit onus impoſitum beneficiato, ſed beneficio. Ex quibus jam infert Garc. *n. 91.* conſuetudinem, & conſtitutionem Eccleſiæ, quæ habet, ut noviter recepti ſolvant certam quantitatem menſæ Capitulari, & certam quantitatem fabricæ, ad quod ſe obligant in admiſſione ad poſſeſſionem, & inſuper certum quid Capellanis & pueris miniſtris chori, eſſe iniquam & ſimoniacam, nec poſſe tolerari, quò ad id, quod ſolvitur menſæ Capitulari, & Capellanis, & dictis pueris; cùm id non convertatur in uſum pium juxta decretum Trid. & Bullam Pii V. quamvis aliàs id, quod erogatur in ſumptus miniſtrorum Dei, pium reputetur, & Dei miniſtri inter pauperes computentur. *l. privilegia. c. de SS. Eccleſiis.*

3. Infertur etiam, quòd ſtante memoratâ Bullâ recentiſſimâ Papæ Innoc. XII. ſeveriſſimè innovantis omnia illa hac in parte ſtatuta à Trid. & Pio V. & contrarias conſuetudines omnino abolentis, non videantur poſſe ſubſiſtere, quæ aliàs habet Leſſius *loc. cit.* nempe videre ſe paſſim non ſervari, & omnino ignorari Bullam illam Pii V. Item quæ habet Pirh. *loc. cit.* nempe, quòd etſi in *cit. c. Jacobus.* reprobetur conſuetudo exigendi prandium, vel aliud quodvis temporale pro receptione Canonicorum, hoc paſſim tamen non obſervetur, præſertim in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis Germaniæ, in quibus receptum, ut novi Canonici dent convivium; imò & in quibuſdam locis certam ſummam pecuniæ ſolvere debeant: quam conſuetudinem dicit, ſe non audere damnare ſimoniæ juris Eccleſiaſtici; cùm toleretur ab Epiſcopis, imò etiam Papa, quem tam generalem conſuetudinem integræ nationis ignorare, non ſit veriſimile &c. nam quomodo id toleretur, oſtendit nuper Pontifex. Illud rectiùs ait *ibidem* Pirh. Si tamen aliquid temporale detur tempore receptionis ad Canonicatum aliúdve beneficium, non ex obligatione & citra exactionem, ſed ſponte ac liberaliter, nullóque pacto interveniente, non poſſe damnari talem conſuetudinem, & praxin, etiamſi datum ad uſus non pios, ſed proprios Canonicorum applicetur, cùm gratanter recipi poſſit, quod gratis oblatum, ut gl. *in c. dilectus. de ſimon.* Intelligenda tamen hæc ipſa juxta dicta ſuprà, ubi, an antidoralis donatio pro obtento beneficio ſit ſimoniaca. Notandum etiam, quod ait Garc. *loc. cit. n. 93.* æquum tamen videtur, & praxi conſentaneum, quod ait Rebuff. *in pr. tit. quot. mod. benef. acquirantur*; non videri ſimoniacos illos, qui coacti dant ſportulas pro collationibus, quia non poſſunt reſiſtere, dummodò voluntariè non dent: quod etiam dici poteſt de ſolventibus Capitulo in admiſſione ad poſſeſſionem, quod ſolvi conſuetum eſt; quia eſt quædam redemptio vexationis, ut Leſſ. *l. c. n. 59. 62. & 133.* cui favere dicit Suar. *de relig. tr. 3. l. 4. c. 48. n. 11.* idque maximè procedere in foro conſcientiæ, modò non detur pro pretio, nec pro cauſa principali, & immediata beneficii, ſeu poſſeſſione. Occaſione hujus

Quæſtio 749. An ſimoniacum ſit dare temporale quid ad redimendam vexam, ortam circa conſecutionem, vel poſſeſſionem beneficii reſignati, vel collati?

1. REſpondeo primò: Habens jus in re, ſeu, jus quæſitum in beneficio, puta, per reſignationem ſibi factam, à Superiore admiſſam, aut liberam collationem, confirmationem, inſtitutionem, abſque ſimonia poteſt pecuniâ, aliáve re temporali pretio æſtimabili vexationem injuſtè ſibi factam in jure illo adimendo redimere, argumento *c. dilectus. de ſimon.* & *c. quæſitum. 1. q. 3.* Laym. *in c. conſtitutus. de tranſactionib.* Pirh. *ad tit. de ſimon. n. 105.* citans D. *Tho. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.* Suar. *l. 4. de ſimon. c. 50. n. 2.* &c. Lott. *l. 3. q. 29. n. 127.* (ubi in generalibus terminis ait, non committi ſimoniam, ſi quid detur pro tuendo, non pro acquirendo ſpirituali) Azor. *p. 3. l. 12. c. 11. q. 4.* Caſtrop. *de ſimon. d. 3. p. 20. n. 1.* dum enim, ut ſupponitur, jus illud jam firmiter obtentum, non datur temporale pro ſpirituali, nempe pro jure beneficii acquirendo, ſed pro tollenda injuſta vexatione, ſeu ceſſatione injuriæ. AA. iidem. Porrò ut dicta redemptio non ſit ſimoniaca, debet jus illud eſſe liquidum, ut Laym. *loc. cit.* ſeu certum, ſaltem ſecundùm commune judicium peritorum; quia aliàs nondum ſimpliciter habitum ſeu acquiſitum dicetur, Pirh. *loc. cit. n. 108.* Et ſic, dum juſtè moveri poteſt lis circa electionem, præſentationem, collationem, reſignationem, aut aliud quodvis jus beneficii, non poteſt ſine ſimonia iſtiuſmodi lis, aut vexa jã non injuſta, ſed juſta redimi ſeu amoveri datâ pecunia, aut alio temporali. Caſtrop. *cit. n. 1.* Sic etiam, dum quis à parte rei jus verum haberet in beneficio, & vexatio eſſet de facto, & non de jure, ipſe tamen dubitaret de hoc ſuo jure, committeret ſimoniam redimendo pecuniâ hanc vexam. Conrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 39.* Pari modo debet eſſe firmum; dum enim jus quæſitum poteſt per exceptiones alicujus infirmari, irritari, aut auferri, v. g. dum Electores aliqui opponerent, ſe fuiſſe contemptos, adeóque in eorum poteſtate eſſet, factam electionem, & vi illius quæſitum interpoſita confirmatione jus infirmare ratihabendo, non licet intentatam illam infirmationem dato temporali redimere. Utriúſque par eſt ratio; nimirum quia ſic revera emitur ſpirituale, dum per pecuniam comparatur jus firmum, ſeu conſervatur jus quæſitum in beneficio. Caſtrop. *cit. n. 1.*

Pirh.

Pirh. *loc. cit. n.* 107. Unde patet disparitas inter redemptionem vexæ justæ & injustæ, nempe quòd per illam aliquid spirituale, per hanc verò nihil spirituale comparetur. Ad hæc, dum vexa revera est iniqua, res, quæ datur pro ejus redemptione, debet esse temporalis, quæ in pactum licitè deduci potest; si enim ea esset spiritualis, daretur spirituale pro temporali, quale est amotio illius vexæ iniquæ, & sic committeretur simonia, v. g. dum is, qui vexatur in pingui beneficio, cederet vexanti se iniquè beneficium aliud tenue, ut à vexatione desisteret. Pirh. *n.* 108. citans Suar. *ubi antè, n.* 14. *&* 15.

2. Respondeo secundò: Non habens adhuc jus quæsitum in beneficio, si injustè impediatur à consecutione illius (dum v. g. qui solus est dignus, vel inter dignos dignior, vel vi fundationis præsentandus &c.) ab aliquo, qui non tantùm obesse, sed & prodesse potest, quales sunt, qui positivè habent concurrere ad illius provisionem, ut Electores, Præsentatores, Confirmatores, Institutores, Collatores, Resignatores beneficii, nō potest sine simonia redimere vexam illam iniquam oblato temporali. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 35. *n.* 106. Pirh. *loc. cit. n.* 109. citans D. Tho. *ubi suprà.* Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Suar. *ubi antè. n.* 23. Sot. *l.* 9. *q.* 6. *a.* 1. *ad* 5. Ugol. *Tab.* 1. *c.* 9. §. 8. *n.* 3. Rodriq. *in sum. To.* 2. *c.* 61. *n.* 1. juxta *c. Matthæus. de simon.* Ratio est; quia dando tali pecuniam, ut moveatur ad non negandam injustè institutionem, resignationem, &c. datur ea formaliter & directè, ut is tibi concedat beneficium, & sic pecuniâ directè paratur via ad beneficium; siquidem removeri in hoc casu impedimentum, formaliter est conferre beneficium; dum enim vexatio illa consistit in negatione debitæ electionis, institutionis, &c. negatio autem non tollitur, nisi per actum contrarium, qui in proposito est ipsa electio, institutio, resignatio, &c. dare aliquid, ut cesletur à tali vexatione, est dare aliquid pro ipsa electione, institutione, resignatione, quod est simoniacum. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Nihilominus satis probabile esse, excusari in hoc casu aliquem à simonia, esto in foro externo præsumatur simoniacus, ait Castrop. sic teneri absolutè inquiens à Valent. *To.* 3. *d.* 6. *q.* 16. *p.* 3. Nav. Adrian. si quis det pecuniam, non ut pretium electionis, resignationis, &c. sed ut Electoris, Resignantis, &c. avaritiam satiet, pravúmque affectum tollat, majúsque illius peccatum, quod committere intendat in eligendo indignum, vel prætereundo dignum, impediat: confirmátque id ex eo, quòd ille dans in hoc casu jus quæsitum habeat, ne in tali concursu alius ei præferatur, adeóque pecuniâ non tam acquirat jus, quàm jus habitum defendat.

3. Respondeo tertiò: Econtra simoniam non committit, qui non habens jus adhuc quæsitum in beneficio, pecuniâ redimat vexam injustam, quâ impeditur in consecutione beneficii ab aliquo, qui non positivè ad illius consecutionem habet concurrere, sed solùm obesse potest, v. g. fraude, vel vi divertendo Electorem ab electione, infamando injustè eligendum; vel cui resignandum beneficium. Less. *loc. cit. n.* 107. Pirh. *loc. cit. n.* 110. Castrop *loc. cit.* aliíque ab iis paulò antè citati; hac enim redemptione nihil spirituale emitur, nec directè paratur aditus ad beneficium; quia non paratur via magis ad beneficium, quàm ea parata erat ante injustam impedimentorum positionem, sed tantùm removentur dicta impedimenta injustè facta, quæ remotio est quid temporale. Ad hæc, quisque jus quæsitum habet, ne injustè detineatur, quò minùs valeat consequi beneficium. Neque hanc ipsam redemptionem, quæ intrinsecè mala non est, jus ullum positivum prohibet, siquidem *c. Matthæus. de simon.* quod videri posset obstare, loquitur de casu, dum pecunia data est Electoribus, qui possunt prodesse, aut promovere ad beneficium obtinendum, vel post factam electionem impedire, vel promovere confirmationem contradicendo, vel cessando à contradictione. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

4. Respondeo quartò: Sed neque esse simoniacum, redimere pecuniâ vexam, quæ quidem injusta non est in hoc sensu, quòd sit contra Justitiam, est tamen iniqua, quia est contra charitatem, v. g. quæ fit precibus, muneribus factis Electori, ne te eligat, Resignatario, ne tibi resignet, tuentur Lessius *loc. cit. n.* 109. Castrop. *loc. cit. n.* 5. *&* 6. citans Arragon. 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. Suar. *ubi antè. c.* 50. *n.* 25. Rodriq. *To.* 2. *sum. c.* 61. *n.* 2. Valent. &c. contra Turrecrem. *in c. quæsitum.* 1. *q.* 3. *n.* 3. Archid. *ibidem,* & Sotum apud Less. eò quòd, licèt talis hac ratione non faciat tibi injuriam propriè dictam, ut teneatur ad restitutionem, infert tamen sine causa grave nocumentum contra charitatem, non relinquendo animum Electoris liberum, sed à te avertendo, & inclinando in corrivalem tuum, pro quo nocumento amoliendo licet aliquid dare; cùm nec detur pro spirituali, nec directè via sternatur ad spirituale; non enim magis paratur illa via, quàm si nunquam talis vexatio adfuisset. Less. Castrop. *ll. cit.* & sic cessatio illa à precibus, & muneribus illis est quidem æstimabilis pretio nonnisi ratione beneficii consequendi, non tamen per se, sed indirectè & remotè ordinatur ad beneficium consequendum: & consequenter sicut, quia esse in familia Episcopi est pretio æstimabile propter spem consequendi beneficium ab Episcopo, dari potest pecunia alicui, ne te impediat ab ingressu in familiam Episcopi, quin & ut admittaris in illam, ita & in præsenti casu Castop. *n.* 7. Quia autem directè & magis paratur via illa ad beneficium, dando aliquid, non tantùm ut desistat à dicto nocumento, sed etiam ut specialiter & positivè faveat tibi, & patrocinetur, erit hoc illicitum, & simoniacum. Castrop. *cit. n.* 6. citans Suar. *ubi antè. n.* 26. etsi addat existimare se, loquendo in rigore, licitum esse, dare aliquid Electoribus (idem est de Resignatario) jam per preces, aut munera alicujus inclinatis erga competitorem tuum, ut affectum illum suum mediis muneribus ab alio in odium tuum procuratum deponat, eò quod tunc non magis paretur via ad beneficium, quàm parata esset ante subornationem illam factam in odium tui. Quamvis, ut subjungit, vel sic maximum subeatur periculum incurrendi simoniam, & in foro externo sic præsumatur.

5. Respondeo quintò: Redimere pecuniâ vexam injustam, quâ quis quæsito jure certo & firmo in beneficio impeditur (etiam ab eo, cujus est mittere in possessionem, ut expressè Pirh. & Less.) ab acquirenda ejus possessione, non esse simoniacum, tradunt Less. *loc. cit. n.* 100. Pirh. *loc. cit. n.* 111. Castrop. *loc. cit. n.* 3. citans S. Tho. 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 5. Suar. *cit. c.* 50. *n.* 31. Rodriq. *To.* 2. *sum. c.* 59. *n.* 5. Vegam, Aragon. & Canonistas communiter, *in c. dilectus.* & *c. Matthæus. de simon.* contra

Lott.

Lott. *l. 3. q. 29. n. 129.* ubi hæc habet: *Si possessor, qui patitur molestias aliquid det pro illis redimendis, non incurrit simoniam: secus verò, si det petitor, qui propter illam temporalitatem* (hoc est, propter illud temporale datum) *possessionem assequitur; cùm enim possessio rei spiritualis sit quid spirituale, consequens sit, eum non excusari à simonia, quantumcunque habeat titulum, si pro obtinenda possessione aliquid rependat, &c.* & citat pro hoc Nav. *cons. 1. n. 3. de simon.* Disparitatis etiam hujus rationem præmittit *n. 127.* quòd pro tuendo jam acquisito spirituali, non verò pro acquirendo liceat aliquid dare. Item contra Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 59.* ubi: *qui caret possessione, seu est spoliatus, non potest redimere vexam, quantumcunque jus habeat in beneficio.* Quamvis idem Corrad. *ad initium cit. n. 59.* expressè dicat, non esse simoniam, dum quis jus plenum & possessionem consecutus in beneficio, & dein illâ possessione privatur à potentiore, qui occupat de facto beneficium, solvat isti occupatori pecuniam aliquam ad redimendam hanc vexam. Item contra Garciam *p. 1. c. 2. n. 53.* citantem pro se Abb. *in cit. c. dilectus. n. 4.* Sotum *de Just. l. 9. q. 6. a. 10.* Sylv. *in sum. v. simon. n. 5.* Armill. Lopez, & alios, hoc nixos fundamento; quòd possessio beneficii sit quid spirituale, aut spirituali annexum, quia per illam acquiritur exercitium spiritualium, & ratione spiritualis tituli confertur. Unde concludunt hi AA. cum Rebuff. *in pr. tit. de simon. resignat. n. 17.* quòd nunquam licitum sit redimere vexationem, nisi vexatio omnino sit de facto, & redimens habet plenum jus, adeo ut, si deficiat possessio, adhuc non liceret. Corrad. *loc. cit.* verùm hoc ipsum fundamentum negant fautores contrariæ sententiæ, & dicunt, possessionem secundùm se spectatam non esse quid, seu jus aliquod spirituale, sed corporalem quandam apprehensionem rei; ad summum juri seu titulo spirituali annexam, quatenus in hoc titulo dependet, & vi illius capitur; & sic, dum habito perfectè hoc titulo supervenit possessio, non accedit nova ratio spirituali, sed, ut Lessius, possessio ipsa per se adiaphora fit spiritualis ex conjunctione cum titulo spirituali. Unde jam non datur pretium pro spirituali, etsi ipsa remotio impedimenti possessionis facta ab eo, qui in possessionem debet mittere, sed ipsa datio possessionis. Less. *loc. cit.* nec redimitur jus, sed factum; adeóque non magis committitur simonia in hac redemptione, quàm dum post acquisitum plenè titulum datur aliquid pro denegatis injustè decimis, quia non emuntur ut aliquid spirituale; cùm non emantur titulus, ratione cujus sunt spirituales, sed emuntur secundùm se, hoc est, quatenus sunt quid temporale, & vendibile. Castrop. *cit. n. 3.* De cetero, dum jus ipsum, seu titulus vocaretur in dubium, ideóque denegaretur possessio, pecuniâ redimere possessionem, erit simoniacum; quia jam non redimeretur tantùm possessio, sed jus ipsum spirituale per se redimeretur, dum illud infirmum hac ratione per possessionem firmatur & conservatur. Pirh. Castrop. *ll. cit.* Sic quoque simoniam committi ab eo, qui pro redimenda contradictione pactus fuit cum Beneficiariis (intellige, aliis ejusdem Ecclesiæ) de habendo eos indemnes ab omni damno, & interesse ob receptionem de se faciendam, ait Lott. *l. 3. q. 29. n. 131.* videtur autem intelligere per illam receptionem distinctum aliquid à missione in possessionem.

6. Respondeo sextò: In casibus, in quibus liquidò constat, hujusmodi vexationis redemptionem licitè fieri posse, adhuc non esse ad illam deveniendum, nisi de consensu Episcopi, tradit Corrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 60.* Unde etiam ait, S. Carolum Borromæum, ne redimendæ vexationis specie in casibus beneficialibus pactiones simoniacæ intercedant, voluisse, id nemini licere, etiam in casibus aliàs à jure permissis, nisi consensus Episcopi accesserit, cujus sit diligenter dispicere, an subsit aliqua fraus, & ubi rem fraude carere, & jure permissam esse cognoverit, non denegare petenti licentiam se liberandi à tali vexatione; aliàs, qui contra fecerit, puniendum arbitrio Episcopi, & quod actum ab eo, id irritum, & nullum sit. Quin & subjungit idem Corrad. se vidisse in Curia inter quædam notabilia manuscripta, quòd Paulus IV. intenderit declarare, ne similes redemptiones, etiam in casibus licitis fieri possint sine Apostolica auctoritate, & causâ diligenter excussâ, ob maximum animarum periculum, quod aliàs inde oriri possit.

Quæstio 750. An simoniacum sit, redimere resignatione, vel collatione beneficii vexam factam, v. g. in bonis, fama, vitâ?

1. REspondeo primò: Si vexa est justa, sive dum quis Beneficiato jure nocere potest, ut quia Judex vel accusator est, & Beneficiatus criminis reus, redimere hanc vexam collatione, vel resignatione beneficii, utique simoniacum est; quia cessatio ab illo nocumento, quod justè intentari & infligi poterat, est pretio æstimabilis. Less. *de Just. l. 2. c. 35. n. 120.*

2. Respondeo secundò: Si vexa est iniqua, seu jure intentari non potest, & quis dat, vel resignat beneficium vexanti eâ lege non tantùm, ut abstineat à præsente vexa, seu nocumento intentato, sed etiam obligando illum hac ratione de novo ad non nocendum imposterum, sive det beneficium cum ea conditione, ut alter vicissim promittat, quòd futuro tempore nullum injustum damnum Collatori vel Resignatori sit illaturus, videtur adhuc committi simonia; quia imponitur vexanti nova obligatio in commodum exigentis ultra illam obligationem, qua is tenebatur ex lege naturali justitiæ, neminem lædere, quæ obligatio est pretio æstimabilis, per quam intenditur non tantùm vitatio mali præsentis, sed etiam quædam securitas in futurum. Less. *loc. cit.* citans Sot. *de just. l. 9. q. 7. a. 3.* Pirh. *ad tit. de simon. n. 140.* citans Suar. *de simon. l. 4. c. 37. n. 16.* Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 28.*

3. Respondeo tertiò: Si citra tale pactum, & citra talem novam obligationem ad redimendam vexam tantùm de præsenti, seu ad evitandum de præsenti malum, seu nocumentum intentatum detur, vel resignetur beneficium, non videtur committi simonia. Less. *loc. cit. n. 121.* citans Sot. *ubi antè*, ac dicens, id tenere multos recentiores, præsertim in metu amittendæ vitæ, & famæ. Pirh. *loc. cit.* citans Suar. *ubi antè. n. 10.* Laym. *loc. cit. n. 27.* Ratio est, quia talis nihil censetur accipere, quod antè non habebat; hoc ipso enim, quòd non occiditur, non infamatur, non spoliatur, nihil ei datur pretio æstimabile, ac proinde nihil accipit à vexante. Less. *loc. cit.* Item beneficium non confertur, aut resignatur tanquam pretium, cum quo cessatio ab injuria commutetur, sed gratis offertur, &usur-

& usurpatur tanquam medium ad evitandam injustam vexam. Less. Pirh. Laym. *ll. cit.* quin &, ut Pirh, ad inducendam simoniam non sufficit quævis datio, vel promissio, cui adjecta conditio, sed requiritur contractus reciprocus, seu ex utraque parte onerosus, sive ut conditio adjecta vicissim imponat onus, seu obligationem justitiæ alteri per modum cujusdam commutationis, quod in præsenti casu non fit. Addit tamen Less. vexationem seu malum debere intentari eo fine, ut extorqueatur beneficium. Nam si ob finem alium intentetur, &, ut evitetur, offeratur beneficium, ait, majorem videri speciem simoniæ; se tamen putare, revera nec tunc esse simoniam; eò quòd conferens, vel resignans nihil pretio æstimabile consequatur, adeóque ex parte illius sit contractus gratuitus; quamvis nonnulla videatur irreverentia, ita ut, re spirituali ad redimendam vexam, sicut utimur pecuniâ. De cetero nihil refert, an malum nunc, an paulò pòst sit inferendum; quia æquè est redemptio vexæ, nec quicquam novi acquiritur, ait Lessius.

Quæstio 751. *An, & qualiter simoniacum sit renunciare liti super beneficio pro pecunia?*

1. REspondeo primò: Resignare pro pecunia, aliove temporali lite injustè intentatæ super beneficio, sine dubio illicitum est, & simoniacum. Etsi enim dare pecuniam pro cessatione à tali iniqua vexatione, & lite, pro conservatione juris quæsiti in beneficio licitum sit; peccat tamen, & est simoniacus eam recipiens, tenetúrque ad eam restituendam etiam in foro contentioso. Conrad. *pr. benef. l. 4. c. 5. n. 59.* ex Felin. *in c. dilectus. de simon. ante. n. 1.*

2. Respondeo secundò: Renunciatio quoque litis justè intentatæ super beneficio pro pecunia, vel alio temporali, etiamsi illa, vel illud veniat nomine expensarum, est illicita, & simoniaca. *c. cùm pridem. de pactis.* Conrad. *loc. cit. n. 58. in fine.* Paris. *de resign. l. 14. q. 3. n. 6.* Hinc illicita & simoniaca censetur illa transactio sive pactio, si propriâ auctoritate fiat, ut una pars lite, & jure beneficiario cedat, altera verò temporale quid det, v. g. expensas factas restituat. Pirh. *ad tit. de renunc. n. 91.* Idem dicendum, si quis promitteret alteri pro cessione litis super beneficio aliud beneficium, aut receptionem illius in Coadjutorem. Castrop. *de simon. d. 3. p. 29. n. 2.* Sic etiam simoniacum est, dum ex duobus electis alter alterum corrumpit, ut cedat loco suo. Lott. *l. 3. q. 29. n. 138.* citans Majol. *de irregular. l. 3. c. 45. n. 3.* Ratio horum est, quam dat Castrop. *loc. cit. n. 1.* quòd in beneficialibus omnis pactio & conventio, quâ ex jure incerto redditur jus certum, prohibita sit (intellige, tanquam simoniaca) sed per hujusmodi pactum de dando temporali, vel etiam spirituali, nempe beneficio aliquo pro cessatione à lite, jus dubium in beneficio confirmatur, & certum redditur: ergo.

3. Respondeo tertiò: Sic etiam econtra cessio beneficii litigiosi propriâ auctoritate facta propter pecuniam, est simoniaca, ut patet; quia datur aliquid spirituale, scilicet jus aliquod in beneficium pro temporali. Idémque dicendum, si auctoritate propriâ cedas beneficio incerto & dubio propter pensionem aliquam, vel aliquod beneficium tibi à collitigante donatum ob rationem jam datam responsione præcedente. Castrop. *cit. n. 1.* citans Decium *cons. 436. n. 18.* Lambert. *de jurep. l. 3. q. 9. a. 6.* Suar. *l. 4. de simon. c. 51. n. 1.* Sic, dum unus litigantium promittit collitiganti, se in favorem illius resignaturum beneficium illud litigiosum, si consequeretur beneficium aliud æqualium redituum, simoniacum esse, ait Azor *p. 2. l. 7. c. 27. q. 13.*

4. Respondeo quartò: Intercedente tamen auctoritate Prælati licita est conventio & pactio onerosa, ad componendam litem super beneficio, ac consequenter datio temporalis, vel etiam spiritualis, nempe beneficii, aut alterius alicujus prò cessatione à lite. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Et in hoc sensu procedit, quod ait Paris. *l. 14. q. 4. n. 4.* compositionis gratiâ licita est renunciatio, ut renuncians aliud beneficium consequatur. Cujus autem Prælati auctoritas requiratur, & sufficiat, pendet ex modo conventionis; ut enim quis licitè cedat beneficio quietè possesso, vel promittat se eo cessurum in collitigantem super alio beneficio, ut ipse cedat omne jus, quod habet ad beneficium illud litigiosum, vel etiam liti, necessario requiritur auctoritas Papæ, siquidem permutatio beneficiorum ab Episcopo approbari non potest, nisi beneficia pacificè possideantur. Castrop. *loc. cit. n. 2.* Probabilis verò sententia est, posse auctoritate Episcopi fieri compositionem inter partes, ita ut uni applicetur, seu relinquatur beneficium, sub onere solvendi pensionem alteri collitiganti. Castrop. *loc. cit. n. 3.* citans *c. nisi. de præb.* & ibi Abb. Host. Suar. *l. 4. de simon. c. 51. n. 17.* Garc. *p. 1. c. 5. à n. 195.* Gonz. *gl. 5. §. 2. à n. 27. &c.* quia probabile est, Episcopum posse imponere pensionem (si non beneficio, saltem beneficiato) ex causa litis & concordiæ. Castrop. *ibid.* citans Granut. *ad Simonett. de reservat. q. 62. n. 6. & 7.* Vide dicta de hoc suprà, ubi, quinam possint imponere pensionem. Illud hic observandum ex Lott. *l. 3. q. 29. n. 183.* quodsi aliqua fierent pacta licita, quæ possent ab inferiore Papâ approbari, alia autem talia, quæ non possent, nisi à Papa approbari, & conciperentur omnia sub beneplacito Apostolico, pacisentes autem omissâ impetratione talis beneplaciti obtinerent confirmationem ab inferiore, utique totam conventionem judicandam simoniacam, neque sustinendam, saltem quoad illa, quæ aliàs per talem inferiorem confirmari possunt.

Quæstio 752. *An resignare exspectativæ, quam quis habet ad beneficium proximè vacaturum pro pecunia, vel cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis (intellige etiam Ecclesiasticæ, ut expressè Azor loc. paulò post citando) vel beneficii, sit simoniacum?*

1. REspondeo affirmativè. Azor *p. 2. l. 7. c. 27. q. 9.* Laym. *ad c. ad audientiam. de rescrip. n. 2.* dicens magis receptam apud Abb. *in cit. c. ad audientiam. n. 6.* & Felin. *n. 11.* contra Gl. *ibid. v. renunciantes.* Siquidem, ut jam dictum aliquoties *in c. ult. de pactis*, omnis pactio in spiritualibus tanquam simoniaca damnatur. Præterea (quod potissimùm concernit pactionem pecuniæ, aut pensionis, alterìusve commodi temporalis) licèt per tales literas Pontificias acquisitum non sit jus in beneficio, est tamen jus quæsitum ad beneficium, quod jus est spirituale, vel annexum spirituali, sicut jus; quod

quod quis acquirit non in beneficio, sed ad beneficium per præsentationem, adeóque non potest pro temporali dimitti, seu renunciari. Azor. *loc. cit.* Idque etiamsi non transferatur dictum jus, seu exspectativa in alium.

2. Unde jam à potiore infertur, idem esse de renunciatione juris ad beneficium acquisitum per electionem, vel præsentationem, eum simili modo fieri simoniacum; cùm jus illud magis propriè sit jus ad beneficium, quàm illud acquisitum vi exspectativæ ad beneficium necdum vacans. Subjungit tamen Azor, non esse simoniam, si quis renunciet istiusmodi literis seu exspectativæ eo pacto, ut sibi beneficium Ecclesiasticum (intellige distinctum ab eo, ad quod exspectativam habet) detur, eò quòd sit quædam permutatio rei spiritualis cum re spirituali; quamvis etiam addat Azor, id tamen locum habet, si fiat auctoritate Superioris.

3. Infertur quoque inde, non posse sine simonia duos permutare sua jura, quæ habent ad beneficia diversa, v. g. dum unus resignat præsentationem suam ea lege, ut alter cedat sibi præsentationem suam, aut exspectativam. Neque etiam posse fieri hujusmodi permutationem auctoritate Ordinarii, cùm hæc jura sint personalia, tradit Castrop. *de simon. d. 3. p. 15. n. 9.* ex Abb. *in c. cùm olim, de rer. permut. à n. 4.* quinimo etsi patronus consensisset, ut præsentatus ab ipso in alium præsentationem suam resignet, & similiter ille alius obtinuisset à Papa facultatem transferendi suam exspectativam, adhuc non posse fieri ex consensu Ordinarii hanc permutationem; eò quòd Ordinarius solùm habeat potestatem ad admittendas permutationes beneficiorum, non verò electionum, aut præsentationum ad beneficia, tanquam probabilius, & cum communi, ut ait, tuetur Castrop. *loc. cit.* citans pro hoc Garciam, *p. 11. c. 4. n. 17.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 22.* Paris. *l. 2. q. 23. n. 15.* Zerol. *p. 2. v. renunc.* §. 1. Delph. *de jurep. l. 2. q. 21. n. 165.* contra Suar. *l. 4. de simon. c. 31. n. 19.* Less. *de Just. l. 2. c. 34. n. 199.* Gamb. *in rubric. de rer. permut. in 6. n. 8.*

Quæstio 753. An, & qualiter committatur simonia confidentialis in resignatione, & provisione beneficiorum?

1. Respondeo: Præter ea, quæ dicta sunt suprà, ubi de privatione beneficiorum ob simoniam. Primò hanc speciem simoniæ ab aliis distinctam, seu dictam à spe & fiducia, quæ ei subest, jure humano inducta, & à summis Pontificibus Pio IV. & V. reservata, damnata & reprobata committitur, dum quis alicui procurat beneficium Ecclesiasticum, resignando illud in favorem illius, vel etiam præsentando, eligendo, postulando, instituendo, confirmando, conferendo, vel in Commendam dando cum certa confidentia, id est, cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur idem beneficium, post aliquod tempus elapsum ipsimet cedenti, instituenti, confirmanti, conferenti, &c. vel alteri resignet, vel pensionem ex eo, aut fructus præstet, ut constat ex Bulla Pii IV. incipiente: *Romanum Pontificem*: & Pii V. incipiente: *Intolerabilis*. Pirh. *ad tit. de simon. n. 112.*

2. Respondeo secundò: Committitur hæc simonia confidentialis in omnibus beneficiis cujuscunque qualitatis, seu ordinis. Sive materia hujus simoniæ est beneficium Ecclesiasticum. Castrop. *de simon. d. 3. p. 18. n. 1.* Less. *de Just. l. 2. c. 35. n. 96.* Pirh. *loc. cit.* citans Suar. *l. 4. de simon. c. 43. n. 4.* Laym. *Th. mor. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 8. n. 74.* Item in solis beneficiis AA. iidem. Adeóque pensio, & quidquid aliud sub nomine beneficii propriè non comprehensum, etiamsi resignetur, conferatur, provideatur cum accessu, regressu, vel alio quovis modo, aut pacto illicito & simoniaco, non est materia hujus simoniæ, nec prohibetur, aut punitur in dictis Constitutionibus. Castop. Pirh. Suar. &c. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò: Committitur hæc simonia per actiones resignationis, collationis, præsentationis, institutionis, electionis, postulationis, confirmationis, & cujuscunque provisionis, & acceptationis beneficiorum, cum pacto tacito vel expresso illam confidentiam accedendi, regrediendi, ingrediendi, ad idem beneficium, aut percipiendi ex eo fructus, aut pensionem includente. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

4. Non autem committitur in permutationibus beneficiorum à compermutantibus, etiamsi eadem pacta interveniant, sive etiamsi permutent aliqui inter se beneficia cum pacto dissolvendi permutationem, & regrediendi vel accedendi ad priora beneficia, vel resignandi illa aliis, aut solvendi ex iis fructus, aut pensionem; eò quòd, ubi dictæ Bullæ Pontificum loquuntur de resignationibus, loquantur de resignationibus, & cessionibus propriè talibus, seu factis simpliciter in favorem tertij; non verò de iis, quæ fiunt permutationis gratiâ, utpote quæ propriè non dicuntur cessiones & resignationes; etsi à parte rei duplex in permutatione interveniat resignatio; adeóque ad eas dicta prohibitio, & pœna non sit extendenda. Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Suar. *ubi antè n. 11.* Pirh. citans insuper *Nav. l. 5. conf. 77. de simon.* & Laym. *ubi ante n. 75.* Dixi tamen à permutantibus; nam Episcopum, & quemcunque alium admittentem permutationem talem, seu permutationis causâ conferentem illa beneficia sub iisdem confidentiis committere simoniam confidentialem, seu dictis Bullis prohibitam & punitam, eò quòd earum verba quò ad collatores sint valde universalia, tradunt Castrop. & Pirh. *ll. cit.* qui tamen posterior magis expressè sentire id videtur, si talis collator, seu admittens permutationem ipse paciscereturcum permutantibus de parte fructuum, aut pensione præstanda, vel etiam beneficio illo resignando sibi, aut consanguineo, vel amico suo.

5. Neque etiam ad hanc simoniam committendam sufficere, quòd fiat resignatio cum intentione manifesta obligandi resignatarium, ut in favorem resignantis vel ejus nepotis beneficium iterum resignet, aut pensionem solvat, sed insuper requiri expressum aut tacitum pactum hujus obligationis, probabilem sententiam esse dicit Castrop. *loc. cit. n. 3.* & ita sentire Nav. *c. 23. n. 100. §. 6.* Suar. *l. 4. de simon. c. 43. n. 12.* Less. *loc. cit. n. 95. & 96.* & Azor *p. 2. l. 7. c. 27. q. 6.* qui tamen duo posteriores id non dicunt; imò Lessius prorsus contrarium asserit his expressis: *dico, si resignes, vel alio modo procures alicui beneficium, confidens, ipsum aliquando illud nepoti, vel amico tuo resignaturum, si nullam ei obligationem imponere intendas, non erit simonia, quia nullum intervenit pactum &c.* Azor verò longè diversùm quid dicat: nempe, si resignem meum beneficium apud Ordinarium simpliciter quidem, eâ tamen intentione

tione sive voluntate, ut nepoti meo detur, communior opinio est, non esse simoniam, quia nulla est conditio expressa vel tacita, ut meo nepoti conferatur. Subjungit tamen & ipse Castrop. *loc. c. n. 4.* citans pro hoc Garc. *p. 11. c. 3. à n.* 184. Paris. *de confid. q. 26. n. 29. & 40.* Suar. *to. 5. de cens. d. 22. s. 6. n. 15. & 16.* esse probabilius resignantem eâ intentione (intellige, ut expresè addit, manifestatâ recipienti beneficium, cùm absque ea manifestatione solùm sit simonia mentalis, quæ pœnis ecclesiasticis non subjacet juxta *c. fin. de Simon.*) ut Resignatarius maneat obligatus resignare iterum in favorem suî, vel nepotis sui beneficium, vel pensionem solvere, committere hanc simoniam confidentialem, cum Pius V. expresè dicat: *si quis beneficium qualecunque ex resignatione cujuscunque simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam solâ dimittentis intentione* (intellige, non solùm intendentis & sperantis, sed & obligare intendentis Resignatarium) *receperit*, &c. hæc confidentia censeatur, & subdat: *in quovis horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta, licèt ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientiâ sit admissum.*

6. Respondeo quartò: quod in hac simonia rationem pretii habere, aut loco pretii intervenire potest, ut, ut idem beneficium resignatur, confertur, &c. renuncianti, conferenti, instituenti, &c. vel alteri reddendum sit, aut pensio, aut pars fructuum præstanda. Ita ut, si de aliis rebus, etiam merè temporalibus, aut spiritualibus reddendis, cedendis, etiam cum certa confidentia & facto conventio fiat, v. g. de resignando alio beneficio, de pensione ex alio beneficio, præstanda, sive dando alio temporali, aut spirituali, non committatur confidentialis simonia, sed simonia communis. Pirh. *loc. cit.* Ac proinde jam non nisi quinque modis committitur per dictas actiones hæc simonia, nempe paciscendo de reservatione fructuum, de præstanda pensione, de reservatione accessûs (dum v. g. resignans cupiens obvenire beneficium suum Titio; quia tamen is ob ætatem incapax illius est, resignat illud Cajo eâ lege, ut cessante impedimento illud obtineat, seu ad illud accedat Titius) regressûs, (dum beneficium à se possessum resignat quis Titio, eâ lege, ut hoc Resignatario præmoriente, vel eo cedente resignans jus pristinum in eo recipiat) ingressûs, dum quis beneficium sibi collatum, & à se acceptum, nondum autem possessum, resignat eâ lege, ut Resignatario præmoriente vel cedente, resignans illius possessionem ingredi valeat: dum nimirum hæc omnia fiunt sine expressa Papæ licentia. Pirh. *loc. cit. n.* 114. Porrò, cùm Pius V. in Bulla sua loquens de beneficio ipso, dicat, sufficere ad hanc simoniam incurrendam, ut tibi, vel alii jus recuperandi reserves: loquens verò de pensione, aut fructibus beneficii, dicat, esse simoniam confidentialem, si beneficii fructus, aut eorum partem alii, vel aliis reserves, hinc, inquam, simoniam confidentialem non esse, si resignans vel collator sibi reservet dictos fructus, aut pensionem, secus, si alteri, censent Nav. *cons. 33. n. 4.* & *cons. 76. n. 6. de simon.* Ugol. *Tab. 1. c. 22. §. 1. n. 8.* Menoch. *de arb. centur. 6. casu 566. n. 8.* citati à Castrop. *loc. cit. n. 5.* Item tenet Lessius *loc. cit. n. 97.* etsi dicat, oppositum esse valde quoque probabile. Hoc ipsum oppositum tanquam probabilius tuetur Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans pro se Suar. ubi suprà *n. 7.* Garciam *p. 11. c. 3. n. 194.* De pœnis, & probatione hujus simoniæ confidentialis, uti & simoniæ communis, fusè dictum suprà, ubi de vacatione seu privatione beneficii hinc orta.

Quæstio 754. *An, & qualiter simonia commissa in resignatione præjudicet resignanti: aut etiam commissa ab uno ex transigentibus noceat alteri eam ignoranti?*

1. Respondeo ad primum: resignatio simoniacè facta tenet in præjudicium resignantis, & consequenter etsi sit ipso jure nulla, abdicatur tamen per eam, vel potiùs amittitur jus à resignante, nec datur illi regressus, sed beneficium tanquam vacans à tertio impetrari potest. Tond. *qq. benef p. 2. c. 3. §. 7. n. 12. & 13.* citans Boërium *decis. 117. n 4. &c.* Contra Rebuff. *in pr. p. 3. c. 1. de mod. amitt. benefic. n. 35. & 36.*

2. Respondeo ad secundum: simonia commissa ab uno ex transigentibus, alteri, vel aliis, qui non deliquerunt, nocere nequit. Tond. *qq. benef p. 1. c. 39. n. 3.* juxta *c. sicut. de simon.*

Quæstio 755. *An, & qualiter, & cui restituendum pretium temporale, receptum pro resignatione beneficii.*

1. Respondeo primo: Temporale quid acceptum pro conferendo (idem est de resignando, præsentando, eligendo, confirmando &c.) beneficio, seu alio quovis spirituali, non secutâ collatione, resignatione, &c. beneficii, jure naturæ restituendum ait ei, à quo acceptum, quia deest titulus illud retinendi, dum id, pro quo datum, non præstatur; & nullo jure cavetur, id alteri reddi, aut in alios usus convertendum. Less. *de Just. l. 2. c. 35. n. 170.* citans Sot. *de Just. l. 9. q. 8. a. 1.* Cajetan. *in sum. v. simonia. c. 3.* Castrop. *de simon. d. 3. p. 26. n. 3.* citans insuper Suar. *l. 4. de simon. c. 59. n. 2.* contra Covar. apud Less. quatenus is vult restituendum in usus pios. Non potest tamen à dante repeti propter turpitudinem admissam. Castrop. *loc. cit.* citans Covar. *ad regulam, peccatum. p. 2. §. 2. n. 7.* quem Lessius ait, probare solùm, non posse illud repeti in foro externo.

2. Respondeo secundò: Qui recepit pretium temporale pro resignatione beneficii subsecutâ resignatione, & vi illius obtento beneficio, & sic completâ utrimque simoniâ, non tenetur jure naturali, aut divino ad restitutionem dicti pretii temporalis. Laym. *Th. mor. l 4. tr. 10. c ult.* Pirh. *ad tit de simon. n. 178.* Less. *loc. cit. n. 158.* citantes Suar. *l. 4. de simon. c. 59. n. 35. & 37.* & loquentes expresè de venditione, quâ quis venderet & extraderet beneficium Ecclesiasticum. Ratio est, quòd, qui pretium accipit pro re spirituali simoniacè quidem, sed non injustè, seu non peccando contra justitiam, non tenetur ad restitutionem jure naturali aut divino; cùm onus restituendi ex jure naturali non fundetur nisi in læsa justitia commutativa, seu læso jure stricto alterius. Sed qui vendit rem suam spiritualem habentem annexum commodum temporale, adeóque qui resignat pro pretio, seu vendit beneficium suum, seu in quo jus habebat, nullam committit injustitiam, siquidem dimissio commoditatis illius temporalis percipiendi fructus, quâ se talis vendens, seu resignans privat in gratiam alterius, pretio justo æstimabilis & compensabilis est; cùm nemo in Titium jus habeat, ut teneatur damna gratis subire, Titius resignans non facit Cajo resignatario injuriam exigendo compensationem, etsi

etsi peccet contra religionem simoniacè, AA. iidem *ll. cit.*

3. Neque obstat primò, quòd beneficiati beneficiorum suorum non sint Domini, sed usufructuarii vel administratores; satis enim est, ut injusta non censeatur resignatio, seu talis venditio beneficii, pertinere ad illos temporale illud emolumentum beneficii, illóque se privare sit secundùm se pretio æstimabile. Pirh. *cit. n.* 178. Neque secundò, quòd non transferatur dominium beneficii hoc modo resignati, seu venditi in resignatarium, seu emptorem, cùm talis resignatio seu venditio sit ipsò jure irrita; satis enim iterum est, quòd cessio seu resignatio proprii commodi temporalis in favorem alterius, quam solùm vendit, sit pretio æstimabilis. Pirh. *ibid.* etsi de cetero tueatur, quòd, quia in beneficio jus percipiendi fructus, utpote annexum spirituali, committatur simonia jure divino prohibita vendendo beneficium. Confirmantur hæc exemplo Monasterii simoniacè pecuniam recipientis pro admissione alicujus ad religionem; quod, quia hæc admissio in se actus spiritualis, annexum tamen habet onus sustentandi illam personam pretio æstimabile, retinere illam potest. Laym. Pirh. *ll. cit.* citantes Suar. *ubi antè n.* 41. *& c. ult. de simon.* Item patroni, qui directè vendens jus patronatûs (quod simpliciter spirituale est) vel etiam ratione juris patronatûs cariùs vendit castrum, cui annexum illud, qui potest retinere pretium acceptum ob temporale commodum inde percipibile, nempe honoris & alimentationis in necessitate &c. secundùm se pretio (etsi irreligiosè, utpote in jure illo spirituali fundatum, eíque annexum) æstimabile, quo se privat in gratiam alterius. Laym. *loc. cit. n.* 8 Pirh. *cit. n.* 178. citantes Suar. *ubi antè, n.* 42. Item exemplo vendentis rem quamcunque sacram, cujus possessio commoditatem temporalem, (sive commoditas illa consistat in lucro, ut solet esse in imagine aliqua miraculosa, sive in speciali honore, vel in voluptate peculiari ex usu talis rei percipibili) adjunctam habet. Suar. *loc. cit.* & ex eo Laym. & Pirh. *ll. cit.* Quodsi tamen in omnibus pretium simoniacè datum & acceptum excedat æstimationem temporalis talis commoditatis vel oneris, utique juxta hunc excessum ex jure naturali restituendum est. Less. *loc. cit. n.* 160. cetеríque AA. citati; quia loquuntur de pretio aliàs justo. Hinc jam

4. Infertur, contrariam esse, & teneri ad restitutionem talis pretii ex jure naturæ & divino Collatores, Præsentatores, Electores, Institutores, Confirmatores, alióq; Provisores beneficiorum, secutâ collatione, præsentatione, &c. si quid pro ea receperint pretii temporalis; non quidem præcisè ratione simoniæ, sed ratione injustitiæ, quam commiserunt, & quia injuriam intulerint provisis exigendo & recipiendo ab iis temporale, dum, quia, quæ ex officio gratis conferre debebant, adeóque pro quibus temporale recipiendi jus nullum habebant, contulerunt, exigendo pro iis pretium temporale; tum quia in iis beneficiis jus nullum habent, temporale emolumentum beneficiorum, quæ conferunt, ad illos non pertinet, adeóque, nec damnum patiuntur dando illa. Pirh. *cit. n.* 178. Laym. *cit. n.* 82 ubi: *monet* Suarez, *quòd non teneri ad restituendum pretium simoniacè acceptum, intelligendum sit de renunciante seu commodo temporali præbendæ aut officii se abdicante in gratiam alterius: non item de conferente, quippe qui ex proprii muneris obligatione officia & beneficia Ecclesiæ dignis dispensare debet, & quidem gratis, &c.* Castrop. *loc. cit. n.* 4. ubi, quòd etiam antè Judicis sententiam fieri debeat hæc restitutio. Contra Less. *loc. cit. n.* 160. ubi: quòd conferens aliquid spirituale, quod annexum habet commodum temporale, jure divino non tenetur ad restitutionem pretii pro eo accepti; eò quòd, licèt dispensator gratis dispensare debeat, ut non peccet; non tamen ideo statim tenentur ad restitutionem, si gratis non dispensavit seu contulit. Tum quia non exigit illud temporale pro illa functione collationis, veluti mercedem illius, sed veluti compensationem pro emolumento, quod tibi conferre non tenebatur. Addit tamen Less. hæc procedere in inferioribus Collatoribus, si eis per Superiorem non sit potestas alicujus emolumenti, vel compensationis exigendi adempta; si enim hæc iis sit adempta, teneri eos jure divino ad restituendum.

5. Respondeo tertiò: Jure tamen Ecclesiastico restituendum est pretium temporale acceptum pro resignatione beneficii, uti & pro collatione, præsentatione, electione, & quidem in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam. Pirh. *loc. cit. n.* 181, citans Nav. *in man. prælator. c.* 17. *n.* 32. Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 60. *n.* 3. Less. *loc. cit. n.* 169. ubi: *quòd ad pretium attinet acceptum pro beneficio, jure positivo restituendum est.* Laym. *cit. n.* 83. ubi tamen addit, quòd, etsi in hoc consentire videantur DD. (si tamen arbitrari, id (hoc est, hanc restituendi obligationem) non proficisci ex sola lege Ecclesiastica, sed hac suppositа, ex lege naturali, in quantum nimirum Ecclesia dat potestatem eligendi, assentiendi, præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum (adde & resignandi) cum conditione, ut hæc gratis fiant sine ullo recepto pretio. Similiter det alicui beneficium, ita ut nullum jus habeat, illud in pactum onerosum ac simoniacum deducendi; & ita quidem, ut omnes ejusmodi pactiones ac commutationes ex utraque parte sint irritæ, & consequenter incumbat obligatio restituendi, &c. Idem omnino his verbis indicat Pirh. Rationem hanc dans responsionis: Jus ipsum impedit, quò minùs recipiens dominium pretii sic accepti acquirere possit, idque in pœnam tam gravis delicti; ideóque saltem jure positivo, tutâ conscientiâ retineri non potest. De cetero responsio probatur ex *c. de hoc de simon.* ubi dicitur, temporalia sic recepta pro dando assensu Electioni simoniacæ restituenda esse, cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possint, quæ verba sic intelligenda, rectè ait Pirh. quòd retineri non possint in foro conscientiæ, etiamsi nulla Judicis sententia, vel condemnatio intervenerit; cùm Papa loquatur absolutè, non distinguendo inter delictum publicum vel occultum, probatum vel non probatum, sicut fecerat in priore parte hujus *cap.*

6. Respondeo quartò: pretium simoniacè & simul injustè receptū, puta, à Collatore, præsentatore, Electore, &c. per se, & ex vi præcisè legis naturalis & divinæ, ante Judicis sententiam restituendum est ei, qui dedit. Pirh. *loc. cit. n.* 179. Est enim restitutio actus Justitiæ, per quam reparatur injuria seu læsio alteri illata, qualis in præsenti nulla illata est Ecclesiæ, aut pauperibus, sed danti, ut suprà ostensum est; ergo nec Ecclesia, nec pauperes de se jus habent ad illud pretium, & tamen vi juris naturalis est restituendum; ergo danti. Pirh. *loc. cit.* Adde, quòd dans illud pretium non abdicavit se domi-

dominio illius, utpote non intendens alia ratione se eo abdicare, quàm quatenus in venditorem transiret, seu transferretur; sed in eum, utpote redditum incapacem illius dominii, translatum non est, adeóque manet penes dantem. Et, si dicatur (quin & si id gratis admitteretur) Ecclesiam privare emptorem seu dantem quoque dominio datæ pecuniæ; respondebitur, id non fieri nisi per legem pœnalem, quæ neminem ante sententiam re suâ privat. Castrop. *loc. cit. n. 5.* sed &, si daretur cum Nav. *l. 5. conf. 89. de simon.* turpiter acceptum restituendum non esse turpiter danti; cùm sit in pari turpitudinis causa; respondet Laym. *loc. cit. n. 84.* regulam illam locum habere in foro externo, in quo Judex in pœnam delicti dantem privabit commodo restitutionis, quæ alioqui spectato jure naturali ipsi deberetur; cùm titulus accipiendi injustus, & irritus fuerit; meretur siquidem talis emptor rei spiritualis in pœnam sui delicti per Judicis sententiam privari pretio dato, non tamen dans, spectato solo jure naturali obligatur ad exequendum in se hanc pœnam privationis, priusquam per Judicis sententiam ad hoc condemnetur. Neque etiam, qui pretium accepit, habet facultatem propriâ auctoritate privandi dantem pretium re suâ; cùm talis privatio sit punitio quædam, adeóque actus jurisdictionis, quam acceptor pretii non habet in dantem. Pirh. *loc. cit. n. 181.* Addit etiam Laym. rectè à Nav. *in fine citati consilii* dici, quòd si is, cui restitutio fieri deberet, eam liberaliter remitteret, cessaret omnis obligatio restituendi. Si etiam dicatur, quòd dans pretium pro re spirituali voluntariè dedit, adeóque cum animo verè dandi & transferendi dominium in alium; respondet Pirrh. *n. 180.* citans pro hoc Suar. *cit. c. 59. n. 26.* quòd dans noluerit donare, nec plus à se abdicare, quàm ex Justitia deberet, pretium autem illud nec fuisse ex Justitia debitum, nec justè potuisse exigi; adeóque voluntas illa non habuerit effectum, nec transtulerit dominium rei datæ in accipientem; cùm causâ dandi non subsistente, non subsistat datio. Si dicatur denique, quòd recipiens rem spiritualem pro pecunia non teneatur rem illam spiritualem danti restituere; ergo nec recipiens pecuniam teneatur illam danti restituere: negatur sequela; eò quòd recipiens rem spiritualem pro pecunia non peccet contra Justitiam, sicut is, qui accipit pretium pro re spirituali contra prohibitionem dandi illam gratis, ob quam acceptio pretii est in se invalida, non autem acceptio rei spiritualis. Pirrh. *loc. cit.* citato Suar. *ubi antè n. 28.*

7. Respondeo quintò: Pretium acceptum simoniacè, non tamen injustè, puta, pro resignatione beneficii, uti & pretium acceptum injustè, puta, pro collatione beneficii, electione, præsentatione ad illud, in quantum restituendum præcisè ex jure positivo Ecclesiastico juxta communiorem restitui debet, non danti, sed Ecclesiæ, in qua est beneficium, & in cujus proinde injuriam (intellige suo modo) commissa est simonia. argumento *c. de hoc. de simon.* ubi dicitur: *ut inducantur Rex & Principes ad restituendum Ecclesiæ, si quæ recipiunt pro dando assensu electioni simoniacè.* Castrop. *loc. cit. n. 5.* Pirh. *loc. cit. n. 182.* Laym. *loc. cit. n. 84.* citans D. Tho. 2. 2. *q. 32. a. 7.* & *q. 62. a. 5.* Suar. *de simon. l. 4. c. 60. n. 3.* Less. *loc. cit. n. 171.* Victoriam *p. 2. relect. de simon. n. 6.* Covar. *ad regul. peccatum. p. 2. §. 2. n. 7. &c.* Intendit enim Ecclesia punire utrumque, nimirum tam dantem pretium, quàm recipientem; hunc impediendo, ne dominium ejus acquirere valeat; istum etiam privando illius dominio, & applicando illud dictæ Ecclesiæ. Less. *loc. cit. n. 172.* Pirh. *cit. n. 182.* Et quidem facienda hæc restitutio Ecclesiæ, vi dicti juris positivi, non tantùm post Judicis sententiam, sed absolutè. AA. iidem, & expresè in terminis Less. *cit. n. 171.* citans Covar. Victor. *ll. cit.* Cajet. &c. ac dicens, sic sentire Canonistas omnes, qui fuerunt ante Sotum. *in c. de hoc.* & *in c. audivimus, de simon.* utpote qui textus loquuntur de restitutione facienda Ecclesiæ ante Judicis sententiam, & in foro conscientiæ. Quod si dicas, pœnam non deberi ante Judicis sententiam. Respondet Lessius *cit. n. 172.* quòd recipiens pretium teneatur illud, quod ipsius non est, dare Ecclesiæ, vel impendere in pios usus, non esse pœnam, sed simplex præceptum. Quodsi etiam dicas, nullam esse Constitutionem Ecclesiasticam, quòd dans hoc ipso, quòd det, amittat dominium pretii, respondet *ibidem* Lessius, id non esse necesse, séque fateri, dominium manere apud dantem, & ideo si ei restitueretur, posse retinere, quia non ipse, sed qui accipit, jubetur Ecclesiæ restituere, vel in pios usus impendere; Unde dans non privetur illo dominio vi legis immediatè, sed actu & restitutione factâ per accipientem ex præcepto legis; legem enim jubere posse, ut rem alienam, quæ penes te est, expendas in pauperes, quando justa causa subest, & tunc hoc ipso, quòd detur pauperibus, priorem Dominum amittere dominium, & hanc asserit esse mentem citatorum Canonum. *de hoc.* & *c. audivimus. de simon.*

8. Contrarium nihilominus, nempe ante sententiam Judicis pretium illud restitui posse, vel etiam restituendum esse, tenent Sot. *de just. l. 9. q. 8. a. 1.* Bannez. 2. 2. *q. 32. a. 7.* Aragon. 2. 2. *q. 100. a. 6.* Rodriq. *To. 2. sum. c. 66. n. 44.* apud Castrop. *loc. cit.* Sa. *v. simonia n. 10.* apud Laym. hoc nixi fundamento, quòd dans non amittat dominium pretii, utpote non transferens illud in venditorem rei spiritualis, redditum incapacem illius; nec intendens illud aliâ ratione abdicare, quàm transferendo illud in vendentem; quódque eo privari nequeat lege, nisi pœnali, quæ neminem privat ante sententiam condemnatoriam Judicis: quódque ex *cit. c. de hoc.* illud solùm inferatur, quòd ante dictam sententiam pretium in conscientia debeat restitui. Quorum AA. sententiam non improbabilem dicit Less. Laym. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

9. De cetero ex recepta quorundam locorum consuetudine pretium illud pauperibus dare licere, tradunt *ll. cit.* Laym. & Castrop. dicens, id posse fieri de arbitrio Superioris. Pirh. dicens, hanc consuetudinem magis probandam, si detur pauperibus illius Ecclesiæ, in quo beneficium. Et interdum etiam per Prælatum Ecclesiæ in pauperes distribui posse. Huic consuetudini favet S. Tho. 2. 2. *q. 32. a. 7.* ubi, quòd pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum. Sic Sylv. *v. simonia. q. 2.* apud Less. *cit. n. 171.* dicit, tunc dandum pauperibus, aut alteri Ecclesiæ, si ipse Episcopus, vel Capitulum Ecclesiæ, in quo beneficium illud, sit particeps simoniæ. Porrò pretium receptum pro qualibet alia simonia extra materiam beneficialem, jure Ecclesiastico restituendum non esse ante sententiam Judicis, tradunt Suar. *loc. cit. c. 60. n. 9.* Less. *loc. cit. n. 169.* Castrop. *loc. cit. n. 6.* quos vide.

Quæstio 756. An, & qualiter beneficium simoniacè receptum sit restituendum, aut dimittendum?

1. Respondeo primò: Si in simoniaca receptione beneficii (& in genere in receptione rei spiritualis) commissa non est quoque injustitia, jure divino aut naturali non est restituendum beneficium, vel res alia spiritualis permanens: eâdem ratione, quâ dictum de pretio; quia ad validam translationem rerum spiritualium in alium jure naturali, ac divino requiritur solùm in dante potestas, & voluntas, seu intentio transferendi, & in accipiente capacitas acquirendi; quod autem fuit datum pro pretio, vel sine illo, non obstat validitati actûs. Pirh. *loc. cit. n.* 185. Laym. *loc. cit. n.* 85. Sed neque in hoc casu, dum injustitia commissa non est (uti eam non committi in resignatione beneficii, dictum est *quæst. præced.*) jure Ecclesiastico ante Judicis sententiam restitui debere rem spiritualem receptam, adeóque dimitti non debere beneficium per simoniacam resignationem obtentum, docere videntur ijdem *ll. cit.*

2. Si verò commissa simul injustitia, puta per collationem, præsentationem, electionem, &c. simoniacam, restituendum, seu dimittendum beneficium, etiam ante sententiam Judicis, etsi res aliæ spirituales in hoc casu adhuc non sint restituendæ ante dictam sententiam, tradit Pirh. *loc. cit.* Verùm de hoc satis fusè suprà, ubi de privatione beneficiorum ob simoniam.

Quæstio 757. Quis sit Iudex competens in crimine simoniæ?

Respondeo: Judex sæcularis non potest de hoc crimine cognoscere, sed solus Ecclesiasticus, etiamsi reus sit Laicus. Pirh. *ad tit. de simon. n.* 142. citans Gl. communiter receptam *in c. cùm sit. de foro compet. v. malefactores.* Clarus *l.* 5. *Sent. receptar. §. simonia. n.* 7. Simonia enim versatur circa objectum, & res spirituales, & Laicus causas spirituales tractare nequit, juxta *c.* 2. *de judiciis.* Porrò qualiter probetur simonia commissa in beneficialibus, fusè satis dictum, ubi de privatione ob simoniam.

PARAGRAPHVS XII.

De publicanda Resignatione.

Quæstio 758. Qualiter, seu unde introducta publicatio resignationum?

Respondeo: Introducta est ea primitus vi Regularum Cancellariæ super hac publicatione necessariò facienda, edi cœptarum à tempore Sixti IV. (ante ejus enim tempora nulla desuper exstitit Cancellariæ Regula. Paris. *de resign. l.* 11. *in præfat. n.* 2. ex Sarnens.) ac deinceps renovatarum, adjectis, vel demptis, aut immutatis hinc inde aliquibus per subsequentes Pontifices, usque ad Pium V. inclusivè. Paris. *loc. cit. n.* 1. cujus Regulæ, prout edita ab Innoc. VIII. & Paulo V. tenorem vide apud Chok. *ad reg.* 36. *Cancell.* & Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 1. & Paris. *cit. n.* 2. Dein Pius V. non contentus hisce Regulis, hac super re editis tam à Prædecessoribus suis, quàm à seipso, edidit desuper Constitutionem, quæ incipit: *Sanctissimus*, & est in Bullario 182. hujus Pontificis, cujus tenorem vide quoque apud Azor. & Paris. *ll. cit.* quâ Constitutione suâ derogavit in totum, vel magna ex parte aliis Regulis suorum Prædecessorum, super publicatione hac emanatis. Paris. *loc. cit. n.* 4. Denique hac super re emanavit Constitutio Gregor. XIII. de Data 1583. nonis Jan. quæ incipit: *Humano vix*: & inter Constitutiones hujus Pontificis est 87. cujus tenorem vide apud Paris. *loc. cit. n.* 5. ubi etiam, quòd ea confecta maximâ cum deliberatione, & ex ordinatione ejusdem Gregorii examinata in plena Rota, per quam Constitutionem derogatum non solùm regulis Cancellariæ de publicatione, sed etiam ipsi Constitutioni Pii V. super eadem publicatione editæ. Paris. *loc. cit. n.* 6. Azor. *cit. q.* 1. facta etiam in ea expressa mentio tam Regulæ Cancellariæ, quàm Constitutionis Pianæ. *loc. cit. nu.* 9. Quin & in totum abrogata eadem Pii Constitutio. Paris. *n.* 17. (faciens *n.* 14. hanc inter derogare, & abrogare differentiam, quòd abrogare legem, sit in totum eam abolere; derogare verò, partem ejus tollere) Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 87. cum Mareschot. *variar. resol. l.* 1. *c.* 51. *per tot.* id latè probante. Ita ut propterea à tempore Gregorii XIII. Regula de publicandis inserta ampliùs non inveniatur Regulis Cancellariæ. Chok. *ad dictam Reg. nu.* 12. Quantùm verò intersit, seu quantum discrimen sit, & in quo inter hanc Gregorii, & Pii Constitutiones, uti & eam Cancellariæ Regulam, vide apud eundem Chok. *loc. cit. à n.* 14. Porrò dicta Constitutio Gregorii hodiedum observatur à Curia Romana, éstque in viridi observantia. Paris. *loc. cit. n.* 24. Chok. *n.* 13. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 273.

Quæstio 759. An ergo dicta Constitutio Gregorii ita sit in observantia, ut contra eam obtendi nequeat, quòd non fuerit publicata, & acceptata in partibus?

1. Respondeo affirmativè. Chok. *cit. n.* 13. Paris. *l.* 11. *q.* 9. *n.* 6. dicens, hanc esse veriorem, & communiter ab omnibus receptam sententiam, etiam de stylo, secundùm quam resolutum à Rota, 2. *Maij*, 1584. *in Ippogerien. Canonicat.* esse locum huic Bullæ, & ubique, ac omnes afficere, ubique eam esse usu receptam; etsi Garc. *loc. cit. n.* 289. dicat in Hispania, vel saltem in Episcopatu Abulensi, in quo nunquam fuit promulgata, non videri usu receptam, quoad resignantes & permutantes coram Ordinariis. Quod ipsum tamen Castrop. & ipse Hispanus *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 6. dicit, sibi durum videri, nec facilè se id credere. In aliis verò Provinciis adeo receptam esse, testatur Chok. *loc. cit.* ut non servatâ illius formâ, resignationes & permutationes sive coram Papa, sive coram Ordinario factæ nullius sint roboris, beneficiáque uti reservata possint à Papa impetrari; quamvis & Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 109. idem dicat de partibus nostris, hoc est, Germania, quod Garcias dicit de Episcopatu suo Abulensi.

2. Ratio responsionis est, quòd, ut lex liget extra Curiam, sufficiat esse Romæ publicatam. Paris. *cit. q.* 9. *n.* 8. & 10. citans Nav. *cons.* 1. *n.* 19. *de constit.* testantem hanc esse communiorem. Nattam *cons.* 295. *n.* 5. Bursatt. *cons.* 200. *n.* 104. *vol.* 2. *&c.* Idque ad minimum attento stylo & consuetudine Curiæ

Curiæ, de quo pariter testetur Nav. Paris. *cit. n.* 8. Sic constitutiones omnes aliæ perpetuæ ex hoc, quòd publicentur Romæ, ligant per totum orbem, & sunt in usu. Paris. *n.* 9. citans Paul. de Eleaz. *in proœm. Clementinar.* Sarn. *in proœm. regular. Cancell. q.* 3. *n.* 13. *&c.* Sic regulæ Cancell. quæ non publicantur nisi in Curia, ligant omnes. Paris. *n.* 11. citans Pavin. *in prælud. Extravag.* Felin. *in c.* 2. *de rescrip.* Barbat. *cons.* 57. *col.* 2. *l.* 1. & alios plures. Et certè nec Bulla cœnæ, nec aliæ plurimæ Constitutiones nonnisi Romæ promulgatæ obligarent: quin nec ipse liber Decretalium, & Clementinarum, quod dicere absurdum foret. Paris. *nu.* 16. *&* 17. Huc facit, quòd citatus à Paris. *nu.* 13. D. Tho. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. tradit: nimirum subditos absentes à legis promulgatione obligari ad illam eâ ratione, quòd illa devenit, vel devenire potest in eorum notitiam, nullâ factâ mentione de publicatione factâ in provincia, vel ejus capite. Jam verò dicta constitutio Gregorii paulò post publicationem impressa & posita in volumine Bullarum seu Bullario, ex hoc dicitur Extravagans satis nota. Paris. *n.* 15. Et hinc sententiam latam contra hanc Extravagantem esse nullam, tanquam latam contra legem scriptam, dicit Pavin. *proœm. Extravag.* apud Paris. *nu.* 19. Adde, quòd dicta constitutio contineat decretum irritans, quod etiam ignorantes ligare, communiter receptum est, juxta Butrio. Imol. Abb. Felin. Decium &c. *in c.* 2. *de constit.* Paris. *n.* 14. Nec obstat *Authen. ut novæ constitut.* quia loquitur de constitutione Cæsarea, quæ in hoc sensu differt à constitutione Pontificia, juxta Sarn. *in proœm. reg. Cancell. q.* 2. *n.* 13. & alios apud Paris. *n.* 22. Imperatore, ut Imol. *in proœm. Clementinar.* habente pedes plumeos, Papa habente pedes plumbeos, & existente immobili. Paris. *loc. cit.* vel etiam dici potest cum Sarn. procedere dictam Authenticam de novæ constitutione, quæ non potuit illico per famam innotuisse, vel, ut Paris. *n.* 23. locum illam non habere in præsente casu ob decretum irritans inclusũ in dicta constitutione Gregorii ligans etiam ignorantem. Vel denique cum Nav. *cons.* 1. *n.* 20. *de constit.* apud Paris. *n.* 24. procedere dictam Authen. quantum est attento jure scripto, non autem attentis consuetudine & stylo Curiæ, vi cujus obligat hæc constitutio, etiam ubi non est publicata. Neque etiam dici potest, quòd ejus publicatio non sit usu recepta, ac proinde de ea judicari, quod de aliis legibus usu non receptis, quæ non ligant; cùm plurimæ, & infinitæ passim causæ terminatæ fuerint, & terminentur per dictam constitutionem, pluriméque exinde resignationes annullatæ, impetrationésque factæ, & novæ provisiones expeditæ. Paris. *n.* 25. *&* 26.

Quæstio 760. *Quisnam finis hujus Regulæ, vel potius Constitutionis Gregorianæ de publicandis: seu ob quam causam introducta hæc resignationum publicatio?*

1. REspondeo primò in genere: statuta hæc publicatio ad obviandum fraudibus & malis, quæ oriuntur ex clandestinis resignationibus, prout expressè dicitur dictis constitutionibus Pii V. & Gregorii XIII. Paris. *l.* 11. *q.* 1. *nu.* 1. Rebuff. *in pr. ad hanc reg.* Chock. *ibid. n.* 3.

2. Respondeo secundò in specie; has fraudes & mala evitanda per dictam publicationem ad quatuor reduci capita à Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 6. *nu.* 2. nempe ne simulatæ ac fictæ fiant resignationes, ne resignantes ad resignata beneficia redeant, ne Ordinarii collatores priventur jure conferendi, ne Parochiani ignorent Pastores suos, à quibus Sacramenta recipiant, & quibus decimas solvant.

3. Quæ eadem ferè paulò explicatiùs quinque capitibus comprehendit Paris. *cit. q.* 1. *à nu.* 5. Ac primò quidem, ut Paris. *cit. n.* 5. ut tollantur simulatæ resignationes, & ne resignantes post admissam resignationẽ in beneficiis sic resignatis remaneant, seu se inrudant, percipiendo fructus, aliáque faciendo, ut veri eorum Rectores, in grave periculum animarũ, tam propriarum, utpote qui per resignationem amiserunt jus omne habitum in resignato beneficio, adeóque obligati ad restituendos fructus postmodum perceptos; quàm Resignatarii, utpote qui juxta Hieron. Paul. *in praxi Cancell.* apud Paris. *n.* 9. graviter peccant, permittendo resignantem uti beneficio, ut rectorem illius. Secundò, ut Paris. *à n.* 10. ne Resignantes manentes in beneficiis, & dignitatibus, quibus annexa administratio spiritualium, puta collatio Sacramentorum, beneficiorum, indulgentiarum, dispensationum &c. ea exerceant in magnum fidelium præjudicium; dum intrusus sine titulo ea administrare nequit, & error communis in hoc casu deficientis tituli non juvet recipientes, juxta Sarn. *ad hanc. reg. q.* 3. Abb. *in c. si verò. de sent. excom. in fine.* Card. Paris. *cons.* 136. *col.* 2. *vol.* 4. & alii apud Paris. *à n.* 14. pluribus id exemplificantem in excommunicato. Consideravítque hanc ipsam rationem expressè Pius V. in sua constit. Tertiò, ut Paris. *à nu.* 22. ne Parochiani, aliíque cum talibus resignantibus, permutantibus in possessione beneficiorum resignatorum, tanquam cum veris eorum Rectoribus contrahant, & ex hoc decipiantur, & ne iis solvant decimas, aliáque debita, & postmodùm cogantur ea denuo solvere veris Prælatis, & repetere ab intrusis, quibus ea solverunt. Quam quoque rationem expressit Pius V. Quartò, ut Paris. *à n.* 24. ne Ordinarii deludantur, dum nempe decedentibus talibus resignantibus remanentibus in possessione beneficiorum resignatorum, hi ordinarii collatores, existimantes ea beneficia vacare per obitum possessorum, ea conferant, atque ita detecta eorundem resignatione jam pridem facta eluderentur tam ipsi, quàm ab iis provisi, præbeatúrque inter hos provisos, & resignatarios longa litigandi materia. Vel etiam dum mortuo in hoc casu resignatario, verè vacaret beneficium, & tamen conferri nequiret, collatore existimante beneficium adhuc esse plenum, seu possessorem esse verum illius Dominum & titularem, ex quo daretur longa vacatio Ecclesiarum, magnopere prohibita à canonibus. *c. ne pro defectu. de elect.* Quin & deluderentur exspectantes perperam, existimantes moriente resignatario beneficium illud non vacare: vel econtra moriente resignante, detentore illius, illud vacare. Quintò, ut Paris. *à n.* 31. ne invehatur successio quasi hæreditaria in beneficia, dum nimirum resignans occultè remanens in beneficio resignato, vult vivens potiri beneficio, cùm interim per resignationem voluerit sibi providere de successore. Cujus quoque rationis, uti & præcedentis expressè meminit Pius V. in sua constit.

Quæstio 761. Num edictum illud de publicandis sit odiosum & pœnale, an favorabile?

REspondeo cum Parisio *cit. q. 1. n. 38. & q. 3. n. 48.* videri potiùs favorabile, cùm emanarit unicè ad obviandum fraudibus. Dicit Parisius hanc opinionem esse communem, & Rotæ, & sic ab ea resolutum *in Sabinens. benef. 1586.*

Quæstio 762. Quorum beneficiorum resignatorum fieri debeat publicatio, sive quæ beneficia comprehendantur dictâ constitutione Gregorii XIII.

REspondeo: Comprehendi beneficia omnia, cujuscunque sint qualitatis, uti id constat ex signo illo universali *quodcunque*, quo utitur dicta Constitut. præterquam quòd omnes ac singulas beneficiorum species exprimat his verbis: *de quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam virorum quàm mulierum, dignitatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam militarium regularibus, etiam electivis ac manualibus, & etiam de jurepatronatûs laicorum illustrium, & aliàs quomodocunque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio & possessorio litigiosis* &c. Neque hoc mirum, ut inquit Paris. *l. 11. q. 3. num. 2.* cùm eadem ratio fraudis veniat in quocunque beneficio; unde idem jus statuendum pro singulis. Porrò quæ objici possunt videntur, cur locum habere non possit publicatio in beneficiis regularibus, diluta vide apud Paris. *cit. q. 3. à n. 91.* Item quæ objici possunt contra beneficia juris patronatûs, diluta vide apud eundem *à n. 19.* Adhuc tamen circa aliqua, quæ in specie omissa videntur in Constitutione Gregorii, sit

Quæstio 763. An ergo etiam comprehendantur beneficia Consistorialia?

REspondeo comprehendi adhuc Consistorialia minora, ut sunt Abbatiæ aliquæ, & Prioratus, hisque similia, quæ etsi Consistorialia sint, solent tamen provideri extra Consistorium. Et de his procedit Constitutio Pii V. dum ait: *& præmissa omnia & singula, etiã in quibuslibet beneficiis Consistorialibus* &c. uti idipsum colligitur ex Constitut. Gregorii, §. *ceterum*, ubi: *& de quibus in Consistorio nostro disponi consuevit, seu debet, quæ posthac ex quacunque causa, & per nos, & per dictos Successores, extra tamen dictum Consistorium, admittentur &c.* Paris. *cit. q. 3. n. 26.* Chock. *ad hanc reg. n. 17.* Castrop. *loc. cit. n. 4.* Azor *p. 2. l. 7. c. 24. q. 5.* Pirh. *ad tit. de renunc. nu.* 104. Contrarium est, sive non comprehenduntur Consistorialia majora, ut sunt Episcopatus, Archiepiscopatus &c. quæ in Consistorio providentur, AA. iidem *ll. cit.* Paris. *nu. 25.* citans Rebuff. *in pr. reg. de public. gl. 1. in fine.* ac dicens, ita communiter de stylo tota die practicari. Quin & non comprehenduntur dicta alia illa minora Consistorialia, dum in Consistorio providentur. Paris. *loc. cit. nu. 27.* Castrop. *loc. cit.* Ratio communis est; quia in his cessat ratio fraudis, & dum dicta beneficia renuncientur in Consistorio, & sic resignatio, & provisio fiat in præsentia Principis, satis dicitur facta publicatio. Paris. *n. 25. juncto. n. 28.*

Quæstio 764. An comprehendantur Reservata, vel etiam ea, quæ jure devoluto conferuntur?

REspondeo ad primum affirmativè, cùm in iis eadem, quæ in aliis, fraus considerari possit. Paris. *cit. q. 3. n. 4.* Chok. *loc. cit.* Azor *loc. cit. q. 5.*

Respondeo ad secundum quoque affirmativè; eò quòd devolvantur beneficia cum omni onere, & qualitate. Chok. *loc. cit.* citans Seraphin. *decis. 1363. num. 2. & 4. in Parochial. Mediolanens. de Anno 1600. 19. Maii.*

Quæstio 765. An Comprehendatur etiam beneficia Commendata?

REspondeo affirmativè. Chok. *loc. cit.* Pirh. *loc. cit. n. 106.* Azor *loc. cit. q. 7. §. quæres.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* Paris. *q. 5. n. 32.* juxta quod exprimitur in Constitut. Gregorii: etiam ex causa permutationis, & Commendarum. Quod ipsum fuisse necessarium exprimi, eò quòd, licèt id semper tentum à Rota, Cancellaria tamen tenuerit contrarium, ait Paris. Ratio autem est, quia & in Commendis viget eadem ratio fraudis, cùm Commendæ nostri temporis seu perpetuæ æquiparentur titulis, adeo, ut sicut Titulares, ita & Comendatarii faciant fructus suos, locare possint possessiones sicut Intitulati, possint præsentare & conferre, dum jus illud annexum est tali beneficio, & libaram habeant administrationem. Paris. *loc. cit. à num. 34.* Azor. *loc. cit.*

Quæstio 766. An necessaria publicatio in beneficiis unitis, sive quæ post factam de iis resignationem uniuntur aliis, aut pro alicui loco?

REspondet absolutè Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. n. 85.* non esse opus publicatione, dum fit resignatio beneficii, quod fuit unitum; sic quoque resolvisse Rotam *in Mediolan. Parochial. 26. Octob. 1598.* Quòd non requiratur publicatio, quando beneficium resignatum unitur, etiam nulliter, & invalidè, testatur Garc. *p. 11. c. 3. n. 284.* quam eandem decisionem pro se citat Ventrigl. sic etiam *in Mediolanens. benef. 13. Jan. 1597.* dictum fuisse, in casu, quo Ordinarius resignatum in manibus suis beneficium non providit, sed univit, non intrare Constitutionem de publicandis; quæ locum non habeat in unionibus, ut Rota aliàs *dec. 133. p. 2. Diverf.* Verumtamen tradit Garc. *loc. cit. n. 285. juncto. n. 183.* veriorem esse decisionem ejusdem Rotæ *in eadem Mediolan. Paroch.* quâ Domini à resolutis aliàs *26. Octob. 1598.* postmodum *de 26. Martii 1599.* resolverunt necessariam esse publicationem, & intrare Constitutionem Gregorii, dum unio est invalida; eò quòd ratione unionis annullatæ non detur nova vacatio, sed remaneat antiqua, nimirum ex causa resignationis, adeóque ut vacans per resignationem impetretur. Quinimo etiam in unione valida beneficii resignati requiri adhuc publicationem, & habere locum Constitut. Gregorii, existimat Garc. *loc. cit. n. 286.* ut patere ait ex illis dictæ Constitut. verbis: *& quæcunque alia dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ* &c. cum, ut ait, verba illa *dispositiones perpetuæ*, intelligantur de unionibus; citatam verò paulò ante decisionem Rotæ *133.* loqui ait Garc. in terminis Constitutionis Pii V. quæ non procedit in unionibus, cùm de iis non loquatur.

Quæstio

Quæstio 767. An locum habeat publicatio, & dicta Constitut. Gregorii in Coadjutoria, impetrata cum futura successione de consensu Coadjuti?

1. REspondeo primò: Non habere locum in impetratione talis Coadjutoriæ. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 275. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 9. Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 72. Ventrigl. *loc. cit. n.* 83. citans Mandos. *de signat. grat. tit. de coadjut. v. si Papa.* Novar. *sum. Bullar. v. beneficium resign. public. n.* 18. Leiva, *in Exam. Episc. l.* 2. & 58. *n.* 6. qui licèt dicat, securiùs esse, eam impetrationem publicare, ait tamen Ventriglia, praxin parùm curare de hac securitate. Ratio responsionis est, quòd, licèt dicta impetratio videatur habere speciem quandam resignationis, eò quod egeat Coadjuti, & Coadjutoris consensu, non sit tamen verè resignatio; cùm per eam non dimittatur à Coadjutore beneficium, & sic non possint ei convenire verba, aut etiam rationes dictæ Constitutionis, non enim tenetur Coadjutor possessionem beneficii capere infra tempus in dicta Constitutione præscriptum. Garc. Castrop. *ll. cit.*

2. Respondeo secundò: An verò publicatio locum habeat in dimissione, seu cessione Coadjutoriæ, id pendere videtur ex resolutione *sequentis quæst.*

Quæstio 768. An quoque resignatio seu cessio juris, quod quis habet super beneficio, sit publicanda?

REspondeo: Quidquid fuerit de hoc olim, seu inspecto tempore Regularum Cancellariæ de publicandis, quo fuisse eam publicationem necessariam, tenet Rebuff. *in dictam reg. gl.* 3. *nu.* 11. negat econtra Sarn. *ad eandem reg. q.* 20. apud Paris. *cit. q.* 5. *n.* 51. quidquid, inquam, sit de hoc, hodiedum ea publicatio est omnino necessaria ob verba clara Constitut. Gregorii: *quæcunque dictorum beneficiorum resignationes, nec non litis & jurium quorumcunque cessiones*: Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 7. *in fine.* Chok. *ad hanc reg. nu.* 37. Paris. *loc. cit. nu.* 55. qui etiam *num.* 56. id probat à pari: quòd sicut in reali donatione excedente summam 500. ducatorum, requiritur insinuatio, quæ se habeat ad instar publicationis, ita quoque requiratur insinuatio in renunciatione juris quæsiti, ut Barbat. *cons.* 41. *n.* 16. & 17. *l.* 1. unde Decisionem Rotæ *in Pampelon.* 5. *Nov.* 1584. quâ resolutum, non requiri publicationem in cessione juris super beneficio, procedere, ait Paris. *loc. cit. n.* 59. ubi cessio facta ad favorem possessoris beneficii, vel ubi constat de validitate tituli antiqui aliter, quàm per cessionem, prout declaratum dicit *in Tudens. Paroch.* 10. *Jan.* 1587. Et prout absolutè quoque idem (nempe in simplici cessione facta ad favorem ejus) qui existebat in possessione beneficii, non esse necessariam publicationem, uti nec expeditionem literarum, sine quibus publicatio fieri nequit, tradit Ventrigl. *loc. cit. nu.* 83. Porrò, tametsi id certum sit de cessione juris, quod quis habet in beneficio, v. g. dum quis resignat beneficium obtentis nondum Bullis, & sic possessione non habitâ, ut Chok. *loc. cit.* Videntur tamen etiam hæc procedere de juribus, quæ habet ad beneficium, cùm Constitutio dicat: quorumcunque jurium, & AA. loquantur simpliciter de jure quæsito super beneficio (quale est etiam jus ad beneficium, quæsitum, v. g. per præsentationem, electionem, vel etiam per Coadjutoriam cum futura successione) & hoc velle videtur Paris. *loc. cit. num.* 58. ubi ait: *& hæc sententia procedit, non solùm quando facta fuit resignatio de beneficio, sed etiam de jure quæsito*: distinguit enim jus quæsitum à beneficio, qualiter distingui non videtur jus in beneficio ab ipso titulo beneficii.

Quæstio 769. An comprehendantur quoque Hospitalia?

1. REspondeo primò: Hospitalia, quæ dantur in titulum, absque dubio comprehenduntur, cum veniant nomine beneficiorum. Paris. *l.* 11. *q.* 3. *num.* 43. & 44. sic decisum testans *in Aquilanens. Prioratûs.* 1581. 14. *Apr.*

2. Respondeo secundò: Hospitalia quoque concedi solita in administrationem & regimen laicis (qui hospitalarii tutoribus, & curatoribus æquiparantur. Paris. *n.* 40. ex Gemin. *cons.* 89 *n.* 5. Socin. senior. *cons.* 181. *n.* 1. *l.* 2.) etsi appellatione beneficiorum non veniant. Paris. *nu.* 45. citans *Clem. quia contingit. de religios. domib.* §. *ut autem.* Felin. *in c. de quarta, de præscrip. n.* 14. Gig. *de pens. q* 28. *nu.* 33. &c. neque appellatione officiorum. Paris. *n.* 46. citans Vitalin. *in Clem dispendiosam n.* 30 & 31. *de Judic.* Cardin. *ibid. n.* 11. Secundùm probabiliorem & veriorem comprehenduntur, etsi non exprimantur in dicta Constitutione Gregorii. Paris. *num.* 47. testans, sic decidisse Rotam *in Regiens. Hospital.* 13. *Nov.* 1587. & 3. *Jun.* 1588. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 74. citans Novar. *Sum. Bullar. tit. de benef. resign. public. n.* 9. Lott. *l.* 3. *q.* 21. *num.* 28. Rationem dat Paris. *n.* 48. & 49. quòd dicta Constitutio sit favorabilis, & in materia favorabili nomine beneficiorum veniant etiam hospitalia talia, pro quo citat Felin. *in c. de quarta. de præscrip. nu.* 15. & 16. Selv. *de benef. p.* 1. *q.* 3. *n.* 9. Lamb. *de jurep. p.* 1. *l.* 2. *q.* 11. *a* 11. *n.* 4. Mandos. *in reg. de benef. vac. per promot. q.* 5. *nu.* 2. Item in his quoque hospitalibus militant eædem rationes dictarum Constitutionum, requirentium hanc publicationem; nempe ut Ordinarius certus sit, à quo petere debeat rationem administrationis juxta Decretum Trid. *sess.* 22. *c.* 9. & quem debeat visitare juxta Decretum ejusdem Concilii, *sess.* 22. *c.* 8. An dispensentur fructus pauperibus &c. & ut Coloni sciant, quis Rector hospitalis, ad hoc, ut possint ei solvere pensiones. Paris. *à n.* 53. Atque ita cùm eadem sit ratio, in his Hospitalibus, ac in beneficiis, & officiis, dicitur hic casus hospitalium comprehendi in verbis, & sic non extensione. Paris. *n.* 56. Et dum ratio posita in lege comprehendit plures casus, & de uno tantùm ibi fiat mentio expressa, id factum videtur exemplariter; & sic non restrictivè. Paris. *n.* 57. citans Tiraq. *in l. si unquam. v. liberis. n.* 37. Oldr. *cons.* 185. *in fine.* Adeóque pariformiter disponit quò ad alios casus non expressos, quibus pariter militat. Paris. *num.* 58. citans Bald. Gravet. &c.

Quæstio 770. Quinam teneantur beneficia resignata publicare?

REspondeo: Teneri omnes in universum Resignatarios, seu qui beneficia ex resignatione obtinuerunt. Sic enim probant verba omnino generalia, & prægnantia dictarum Constitutionum Pii V. & Gregorii XIII. Paris. *l.* 11. *q.* 4. *n.* 1. Azor *loc. cit. q.* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 5. Sic itaque faciendo in

do in specie mentionem de quibusdam personis, de quibus fortè suboriri poterat dubium ob singularia eorum privilegia, tenebuntur ad publicationem resignationum in sui favorem factarum. Primò Officiales Curiæ, puta, Auditores Rotæ, Referendarii, Scriptores Apostolici, Abbreviatores, Milites, aliíque familiares & commensales Papæ. Paris. *n.* 2. 3. 4. exprimente hoc ipsum Gregorio his verbis: *nostris familiaribus continuis commensalibus, nec non literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceteríque.* Secundò Ecclesiæ Romanæ Cardinales juxta expressa Constitut. Gregorianæ verba: *& quibuscunque, etiam S. R. E. Cardinalibus ac piis locis, quocunque privilegio suffultis, nec non indultis, privilegiis ac gratiis Apostolicis, etiam prædictis Cardinalibus* &c. Azor *loc. cit.* Paris. *à n.* 5. Tertiò exempti, propter jam recitatâ generalitatem verborum. Azor *loc. cit.* Paris. *n.* 13. & certè, si comprehenduntur Cardinales maximè exempti, & infinita habentes privilegia, multò magis alii exempti inferiores. Paris. *cit. n.* 13. Et si Papa generaliter aliquid statuendo ligat omnes subditos suos. *c.* 1. *de constit.* ligabit quoque qualitercunque exemptos dicta constitutio. Gregorii; cùm Papa sit proximus & unicus Exemptorum Superior. *c. nulla. dist.* 93. & vel hinc exempti magis illi subjiciantur; cùm alium Superiorem non habeant. Sarn. *de infirm. resign. q.* 4. Paris. *à n.* 14. Quartò Minores, cum quibus dispensatum est per Papam, ut obtinere possint in ea ætate beneficia, tenentur publicare resignata sibi beneficia. Paris. *l.* 11. *q.* 4. *n.* 33. idque propter verba constitut. Gregorianæ omnino generalia. vide de hoc plura infrà, ubi, qualiter currat iis tempus ad publicandum.

Quæstio 771. *An ergo etiam secundus Resignatarius, v. g. dum Titius resignavit beneficium suum in Cajum, & Cajus iterum in Sempronium, Sempronius teneatur publicare resignationem sibi factam?*

REspondeo affirmativè, idque hodiedum (quidquid fuerit aliàs, dum, si primus Resignatarius publicavit, non tenebatur secundus, cui intra tempus ad publicandum datum fuerat à primò resignatum beneficium, ut Paris. *cit. q.* 4. *n.* 19.) sive primus Resignatarius publicaverit, sive non: dum nimirum is, ut poterat, resignavit (secus tamen videtur, ubi Resignatarius vel alius, qui ad publicandum tenebatur, decessit, ita ut tunc successor non teneatur ad publicandum; quia tunc non obtinuit tanquam vacans per resignationem, sed tanquam vacans per mortem. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 4. §. 2. *nu.* 83. citans Novar. *Sum. Bullar. p.* 1. *tit. de benef. resign. public. nu.* 19. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 193.) in tempore dato ad publicandum, propter expressa verba constit. Gregor. quæ sic habent: *plurésque, & quotquot in alium, vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem vel cedentem retrocessiones, termino prædicto nondum elapso intercesserint, ita ut unicus duntaxat terminus omnibus his successivis cessionibus, ac retrocessionibus decurrat, ut, qui posteriùs gratiam habuerit, publicationem hujusmodi facere, ceteráque omnia hic præscripta intra eundem terminum præstare teneatur* &c. Azor *cit. c.* 24. *q.* 6. Paris. *loc. cit. num.* 20. Unde jam patet, unum eundémque terminum, v. g. 6. mensium datum ad publicandum currere pluribus, quibus intra eundem idem beneficium resignatur (quod tamen intelligendum videtur, si priores ex his Resignatariis non publicarunt) & nequaquam singulis illis Resignatariis concedi novum integrum terminum; idque ne aliàs fraus fieret legi, si singulis Resignatariis assignarentur singuli sex menses Paris. *n.* 20. *&* 21.

Quæstio 772. *An impetrantes beneficia vacantia ob non factam eorum intra tempus præscriptum resignationis publicationem, teneantur promulgare factam sibi gratiam?*

REspondeo: Teneri illos non secus, ac si per resignationem beneficium illud obtinuissent. Azor *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 4. *n.* 25. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 7. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 278. Ventrigl. *loc. cit. n.* 82. citans Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 22. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 192. *&c.* Sic statuente Gregorio his expressis: *Et quicunque sic impetrans, aut gratiam, etiam motu simili habens, præfinitum cuicunque casui tempus prædictum à Data concessionis gratiæ sibi factæ hujusmodi, ac omnia, quæ cadens à jure prædicto debebat, præstare teneatur &c.* Rationem etiam addit Paris. quòd, cùm iste per impetrationem factam succedat, & subrogetur in locum istius Resignatarii, & subrogatus sapiat naturam illius, in cujus locum subrogatur, debeat publicare. Et licèt, ut Castrop. talia beneficia non videantur obtineri ex resignatione, sed ex vacatione nova, orta ob non factam publicationem, quia tamen resignatio principium dedit, opùs adhuc sit publicatione. Jam verò, ut dicitur in eadem constitut. Gregor; si pluribus gratiam hujusmodi fieri contigerit (hoc est, si plures idem beneficium impetrârint ob non publicationem) is omnibus præferatur, seu præ omnibus obtineat, qui primus publicationem suæ impetrationis fecerit, & possessionem adeptus fuerit, aut petierit, omniáque requisita adimpleverit, quamvis in Data sit postremus, & possessio ab alio in publicando negligentiore priùs apprehensa fuerit, vel petita.

Quæstio 773. *Quæ cessiones seu resignationes sint publicandæ?*

REspondeo: Cùm quæstio hæc admodum generalis sit, nec fortassis uno eodémque responso expediri possit, melius eam resolvendam per quæstiones & responsa facta in particulari pro diversitate plurium casuum occurrentium. Unde sit

Quæstio 774. *An resignationes beneficiorum factæ extra Curiam coram locorum Ordinariis publicari debeant?*

REspondet affirmativè Azor. *loc. cit. q.* 5. Castrop. *loc. cit. n.* 6. Lott. *l.* 3. *q.* 21. *nu.* 9. Paris. *l.* 11. *q.* 5. *n.* 1. Ventrigl. *loc. cit. n.* 64. *&* 80. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 282. qui etiam *num.* 283. subjungit, id procedere, quando Ordinarius de beneficio resignato non providit, de quo *quæst. seq.* Neque hic nomine Ordinariorum veniunt soli Episcopi, sed & alii inferiores, ad quos spectat beneficia conferre; uti & Superiores, nempe Archiepiscopi, Patriarchæ, Legati de latere, Delegati, Cardinales, non solùm jure ordinario beneficiorum resignationes admittentes, sed & ratione indultorum ac facultatum à Sede Apostolica concessarum. Et sic is, cui beneficium coram illis resignatum confertur, intra tempus præscriptum, nempe

nempe intra tres menses, computandos, non à die admissæ resignationis, sed à die factæ sibi provisionis, eam publicare, & possessionem capere, modo & formâ in dicta Constitut. Gregor. ei præscriptis; uti hæc omnia jam dicta in eadem Constitut. expressit Gregorius.

Quæstio 775. *An ergo etiam, dum Ordinarius admisit resignationem, & Papa contulit, quia nimirum ad ipsum spectabat collatio talis beneficii, utpote aliàs reservati, vel quia Ordinarius non contulit debito tempore, vel quia contulit malè, v.g. contra formam Bullæ Pianæ, provisus teneatur publicare?*

REspondeo: Tametsi videri posset, dictam Constitut. Gregor. de hoc casu nihil disposuisse, utpote quæ restricta videtur ad provisionem Ordinarii, dum extra Curiam resignantur beneficia, probabilius esse, teneri etiam talem publicare; eò quòd dicta Constitutio sit admodum generalis, & in præsente casu omnes illius rationes concurrant; præsertim illa fraudis, ob quam Constitutio favorabilis censetur, & ampliandа. Paris. *cit. q. 5. n.* 10. qui etiam *à n.* 11. illud confirmat ex eo, quòd, dum Ordinarius recipiens resignationem, beneficium resignatum malè contulit contra Constitutionem Pii V. v.g. consanguineo suo vel resignantis, per illam malam provisionem non inducatur nova vacatio, uti nec in devolutis; sed remaneat antiqua, & consequenter, cùm vel sic provisio Papæ fiat ex causa resignationis, sit publicanda. Item *n.* 15. ex eo, quòd, cùm dicta Constitutio Gregorii XIII. mandet, publicari etiam resignationes factas coram Notario & testibus, à quibus, ut constat, non possunt fieri provisiones; multò magis ob identitatem, vel potiùs majoritatem rationis velit publicari resignationes factas coram Ordinariis, dum hi beneficia resignata conferre nequeunt, quia devoluta vel affecta Papæ.

Quæstio 776. *An resignatio facta ex causa permutationis sit publicanda?*

REspondeo affirmativè: Cùm, quidquid fuerit de hoc ante dictas Pii V. & Gregorii XIII. Constitutiones, modò id constet ex iisdem Constitutionibus id mandantibus hisce expressis: *& quæcunque resignationes, etiam ex permutationis causa:* Paris. *cit. q. 5. à n.* 16. Chok. *de permut. p. 3. c. 15. n.* 3. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 273. Azor *cit. c.* 24. *q.* 7. Rebuff. *in pr. ad reg. de publicandis. gl.* 3. militat si quidem eadem ratio fraudis in permutatione, quæ duplicem complectitur resignationem, & in qua datur vera vacatio. Paris. *n.* 20. *&* 21. qui etiam *n.* 23. expressè ait, id procedere, si permutatio facta causâ utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ. Sic itaque uterque permutantium permutationem publicare tenetur; & si unus tantùm publicet, alter non, permutatio irrita non est, sed is, qui non publicavit, beneficium amittit, seu facta ei collatio annullatur, altero, qui publicavit, retinente beneficium sibi de novo vi permutationis collatum. Paris. *à n.* 25. & ex eo Azor, Chok. *ll. cit.* Contrarium tamen tenet Ventrigl. *To. 2. annot. 4. §. 2. n.* 84. nimirum publicationem non esse necessariò faciendam ab utroque permutante, citat pro hoc Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n.* 193. Navar. *in Sum. Bullar. tit. de benef. resig. public. n.* 28.

Quæstio 777. *An publicari quoque debeat resignatio facta cum reservatione omnium fructuum, denominationis, tituli, administrationis, servitii, & stalli &c.*

REspondeo affirmativè: Sic enim exprimitur tam in Constitut. Pii V. quam Gregorii. Unde quoad hæc facienda non est distinctio, an beneficia resignata requirant residentiam, nec ne, an simplicia, an curata. Paris. *cit. q. 5. n.* 31. dicens, secundùm hanc opinionem hodie tenendum tam in judicando, quàm consulendo. Procedítque hæc responsio, sive fructus reservati percipiendi sint nomine & auctoritate Resignatarii, sive auctoritate propriâ resignantis, ut expressè in Constit. Pii V. Paris. *cit. n.* 31. & ex eo Azor *cit. q.* 7.

Quæstio 778. *An publicanda resignatio beneficii facta cum reservatione pensionis, regressûs, accessûs?*

REspondeo affirmativè: Paris. *cit. q. 5. n.* 46. dicens, esse communem omnium, & probari apertè in dictis Constition. eò quòd vigeat eadem ratio fraudis in tali resignatione conditionata.

Quæstio 779. *An, dum resignatio facta simpliciter, & in nullius favorem in manibus Papæ, & is beneficium resignatum contulit alteri, is, cui collatum, teneatur provisionem publicare?*

REspondeo affirmativè; eò quòd hic casus clarissimè comprehendatur in Constitutioe Gregor. dum ea universim decernit, ut beneficia per resignationem obtenta, seu ut occasione resignationis vacantia obtenta promulgentur. Et licèt esset in eo casu unum caput fraudis, vigeat tamen aliud. Paris. *cit. q. 5. n.* 48. *&* 49. dicens, secundùm hanc responsionem resolvisse Rotam *in Sabinens. benef. 5. Martii*, 1586. Azor *cit. q.* 7. Castrop. *de benef. d. 6. p. 2. §. 6. n. 6.* Contrarium tenentibus Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 336. Ventrigl. *loc. cit. n.* 83. testante sic resolutum à Rota *decis.* 296. *n.* 4. *p.* 2. *Recent. & in Feltrens. Paroch. 9. Nov.* 1600. Item Lotterio *l. 3. q.* 21. *n.* 7. eò quòd, ut ait, hæc videatur potiùs dimissio aliqua, quàm resignatio: idque, sive fuerit facta coactè in vim Decreti, sive sponte; item quia tunc cesset ratio, seu suspicio fraudis. Sic quoque eum, cui Papa contulit beneficium simpliciter resignatum coram Ordinario, negligente illud conferre intra tempus sibi à Jure concessum, teneri, provisionem illam sibi factam publicare, tradit Paris. *n.* 50. citatâ *eâdem Decisione Rotæ*, & cum ipso Azor *loc. cit.* & consentit Garc. *loc. cit. n.* 337.

Quæstio 780. *An ergo etiam locum habeat dicta Constitutio Gregorii de publicandis in beneficiis vacantibus per adeptionem aliorum cum iis incompatibilium, ita ut facienda sit publicatio de impetratione talis beneficii liberè dimissi ob assecutionem alterius?*

REspond. negativam absolutè tenent Ventrigl. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 334. Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15.*

l. 3. c. 15. n. 193. quæ sententia vera videtur, ubi non intercessit resignatio, sed solùm simplex dimissio, seu derelictio ipsius beneficii.

Quæstio 781. An publicanda resignatio facta in Curia in favorem N. dum hic Resignatarius obtinuit gratiam in forma dignum?

REspondeo: Etsi videri posset non faciendam in hoc casu publicationem; eò quòd in hoc casu examen faciendum per Ordinarium centeri possit esse loco publicationis; quia ex tali actu examinis satis constat, talem esse verum Rectorem beneficii, ut Card. Paris. *cons. 39. col. ult. vol. 4.* veruntamen & in hoc casu faciendam adhuc esse publicationem propter generalitatem verborum, quibus utitur Gregorius, tanquam verius tenet Paris. *cit. q. 5. nu. 47.* citans pro hoc decis. Rotæ *in Calaguritan. 10. April. 158.* & cum illo Azor *loc. cit.*

Quæstio 782. An obtinentes beneficia ex resignatione adhuc teneantur publicare, etsi resignatio sit nulla?

REspondeo affirmativè. Castrop. *loc. cit. n. 7.* Garc. *loc. cit. n. 176.* Ventrigl. *loc. cit. n. 81.* (qui etiam illud extendit ad permutationes invalidas & nullas) juxta quod dicitur in Constitut. Gregor. *Beneficia ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi illæ aliàs nullæ, aut invalidæ essent, vacavisse censeantur, &c.* intelligendúmque hoc ipsum non solùm de nullitate contingente ob non factam publicationem resignationis; cùm, ut constat ex præmissis verbis, Constitutio dicta loquatur de gratiis, quæ statim à prima resignatione nullæ sunt; nullitas autem orta ob omissam publicationem longè post primò factam resignationem subsequatur, nempe tempore ad publicandum dato elapso; sed de nullitate orta ex occulta aliqua Resignatarii inhabilitate, ita ut dum resignans putavit, illum capacem esse, qui revera capax non erat, & is etiam (sive inscius suæ inhabilitatis, sive conscius, dum nempe ea inhabilitas est talis, quæ tolli potest, Resignatario retinente beneficium illud sibi resignatum) illud acceptavit, tenetur Resignatarius publicare resignationem, sive provisionem ex causa resignationis sibi factam publicare, etsi ea invalida fuerit. Castrop. *loc. cit.* Dum autem ex incapacitate ipsius resignantis, eò quòd hic incapax sit resignare, oritur hæc nullitas resignationis, se non videre, ait Castrop. quâ ratione in eo casu Resignatarius obligatus sit publicare; quia is tunc clarè intelligit, non esse resignationem, nec ullum sibi jus communicatum, sed se omninò obligatum dimittere illud beneficium. Hinc quoque tradit Garc *loc. cit. nu. 277.* non intrare publicationis necessitatem, aut etiam vacationem ob omissam publicationem, quando resignatio aliàs est invalida ex defectu consensûs; eò quòd, licèt tempus publicandi currat à Data gratiæ, id tamen intelligatur, modò sit præstitus & extensus consensus talis resignationis; cùm sine eo non dicatur esse resignatio.

* * *

Quæstio 783. An, quando aliunde notoria est resignatio, vel permutatio, nihilominus adhuc facienda sit publicatio?

REspondeo affirmativè. Paris. *l. 11. q. 6. n. 81.* dicens, sic expressè colligi ex Constitut. Gregorii, & stylum vulgarem docere. Lott. *l. 3. q. 21. n. 2. & 3.* dicens, publicationem hanc non posse præteriri, seu ejus necessitatem nullatenus posse remitti ex eo, quòd resignatio, vel permutatio sit toti populo notoria, sententiam esse certissimam. Ventrigl. *loc. cit. n. 78.* citantes Gratian. *discep. for. c. 596. n. 8. & 9.* contra C. Parisium *cons. 39. n. 54. l. 4.* Cassador. &c. quos tamen loqui in terminis antiquæ regulæ Cancellariæ de publicandis, cujus longè alia erat verborum structura, quàm Constitutionis Gregor. & ideo non malè loqui, asserunt Lott. & Ventrigl. Ratio responsionis est, quòd dicta publicatio non solùm sit inducta, & fieri debeat simpliciter pro forma, seu tanquam forma resignationis, uti etiam erat priùs vi regulæ Cancellariæ de publicand. & Constitutionis Pii V. & cui proinde satisfactum videbatur per præexistentiam notitiæ de resignatione facta (seu quæ, ut Paris. *n. 85.* impleri poterat per hoc æquipollens; cùm forma respiciens effectum aliquem possit per æquipollens adimpleri, juxta *l. ult. §. ult. ff. de condit. & demonst.*) sed quia insuper ipsi publicationi adjecta est certa forma (quòd non erat aliàs ante dictam Bullam Gregorii, vi regulæ Cancellariæ, vel Constitutionis Pii V.) quæ nec latum unguem potest præteriri citra vitium nullitatis, ut patet ex illis dictæ Constitut. verbis: *quodsi quicquam prædictorum omnium omissum fuerit, &c.* quò fit, ut dicta publicatio nec præteriri, nec per æquipollens impleri possit, quia jam, licèt præexistentia notitiæ in populo possit videri causa justa prætermittendi tot solemnia; cùm tamen illa sint de forma, non possit sustineri actus in notitia talis causæ; non enim id esset per æquipollens adimplere formam, sed recedere à forma prætextu præexistentis causæ, quod fieri nequit, argumento *l. cùm ij. §. si prater. ff. de transact.* ita ferè Lotterius *loc. cit. n. 4. & 5.* & ex eo Ventrigl. *loc. cit.* quod ipsum quoque exprimit ipsa Constit. Gregor. apud Paris. *loc. cit. q. 6. n. 87.* hisce verbis: *Cæterùm modus de forma hic tradita semper, & ubique debet observari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujusmodi resignationibus, cessionibus, &c.*

Quæstio 784. An publicatio hæc facienda, etiamsi Papa, in cujus manibus facta resignatio, sit mortuus, intra tempus datum ad publicandum?

REspondeo affirmativè; quia renunciatio hujusmodi jam suum habuit effectum tunc, quando Papa vivebat, per cujus obitum tolli non potest, Azor *p. 2. l. 7. c. 24. q. 4.* Barbos. *juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 189.* Paris. *l. 11. q. 2. n. 32. & 33.* quod tamen ex Prospero de S. Augustin. limitat Barbos. ut intelligatur, nisi propter impedimentum Sedis vacantis, quia tunc jus non redditur, Bullas expedire non possit; etsi expressè dicant Azor & Paris. *ll. cit.* debere illum adhuc publicare Sede vacante, vel novo Pontifice creato infra ipsummet tempus ad publicandum præscriptum, utpote quod ei propter incidentem illam Pontificis mortem non extenditur.

Qua-

Quæstio 785. Intra quantum tempus faciendæ publicatio?

REspondeo: Olim vi Regulæ Cancellariæ, & Constitutionis Pii V. resignationis factæ extra Curiam apud Ordinarios publicatio fieri debebat infra unum mensem; factæ verò in Curia infra sex menses, ut nimirum Resignatarius sat temporis haberet, quo se recipere posset ad locum ab Urbe distantem, ubi facienda publicatio. Paris. *l.* 11. *q.* 2. *n.* 2. Azor *loc. cit. q.* 3. Hodie verò per Constitut. Gregor. de resignationibus factis in Curia, eorúmque provisionibus cum literis Apostolicis desuper confectis facienda publicatio intra sex menses, si beneficium existat intra seu citra montes; si verò existat extra montes, facienda publicatio intra novem menses; de resignationibus verò factis extra Curiam apud Ordinarios, (quas, ut præcipitur in eadem Constitutione Gregor. debet Episcopus recipere, vel admittere, beneficiáque conferre intra unum mensem) facienda publicatio intra tres menses (quod tamen intellige juxta limitationem paulò pòst subjiciendam, dum nimirum Ordinarius quoque providit, seu contulit illud beneficium, secus si Papa) prout hæc omnia clarè exprimuntur in dicta Constitut. Extenditúrque hoc ipsum ad publicandas permutationes factas extra Curiam. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 12. Et procedit idem, etiamsi plures cessiones intra hoc tempus datum ad publicandum fuissent factæ, ita ut ultimus Resignatarius teneatur publicare intra tempus incipiens currere primo Resignatario. Azor *loc. cit. q.* 4. & ex eo Castrop *cit.* §. 6. *n.* 10. juxta dicta superiùs; ubi, an secundus Resignatarius publicare teneatur, & expressa Constitutionis verba *ibidem* recitata. Quodsi tamen beneficium resignatum coram Ordinario quis impetret à Papa, eò quòd Ordinarius non providit infra mensem; vel etiam, quia Resignatarius sibi collatum non publicavit intra dictos tres menses, conceduntur tali impetranti ad publicandum sex aut novem menses; quia, etsi beneficium resignatum coram Ordinario, obtentum tamen est à Papa. Castrop. *loc. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 287.

Quæstio 786. Quo die incipiat currere illud tempus datum ad publicandum?

1. REspondeo primò: Tres illi menses concessi ad publicandum factam coram Ordinario resignationem, & ab eodem provisionem, computantur à die, quo ipse Ordinarius contulit beneficium; non verò à die admissæ resignationis, utpote quæ admissio fieri potest pluribus diebus intra eundem mensem ante collationem ejusdem beneficii. Azor *loc. cit. q.* 3. Castrop. *cit. n.* 10. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 9. contra Rossiniac. *de benef. c.* 27. *n.* 7.

2. Respondeo secundò: Sex aut novem illi menses hodie computantur, non à die resignationis, seu porrectæ supplicæ. Castrop. *l. c.* neque à die præstiti seu extensi consensûs. Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 59. Paris. *cit. q.* 2. *n.* 17. sed à die provisionis Pontificiæ, seu concessionis gratiæ, hoc est, à die datæ, seu quo supplicatio signata à Papa, & à Datario recognita, etsi literæ non sint expeditæ. Castrop. Paris. Ventrigl. *ll. cit.* Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 13. *n.* 15. juxta expressa verba Constit. Gregor. *à Data concessionis gratia, non à die præstiti super ea consensus numerandos, &c.* Quodsi plures reperiantur Datæ supplicationum, eò quòd prima postmodum fuerit recognita, & in meliorem formam mutata, menses numerandi sunt à die primæ Datæ, Paris. *n.* 19. & ex eo Azor *loc. cit. q.* 4. juxta expressa verba Constitut. Gregorii: *Etsi postea concessio gratiæ hujusmodi ex quavis causa, diversisque Datis, ac quotiescunque, & quovis modo reformata, & valida reddita fuerit, menses computentur à die datæ concessionis gratiæ, &c.*

Quæstio 787. An tempus assignatum ad publicandum currat minori quatuordecim annis, dum is ignorat beneficium resignatum sibi collatum?

1. REspondeo affirmativè. Paris. *l.* 11. *q.* 4. *n.* 43. citans plures pro hoc Rotæ decisiones. Azor *loc. cit. q.* 6. §. *postremò quæres.* Ventrigl. *loc. cit. n.* 72. Barbos. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 158. contra Navar. *cons.* 3. *de renunc.* tenentem in genere, quòd prædictum tempus non currat impedito: quas tamen sententias ita conciliat Ventrigl., ut illa Parisii procedat in foro fori, utpote in quibus terminis loquitur; illa verò Navarri in foro conscientiæ, prout ipse Parisius *l.* 11. *q.* 13. *n.* 111. affirmat hisce expressis: *Modificarem tamen hanc conclusionem, ut quoad forum conscientiæ procedat opinio Navarri, ut iste filius seu minor ex hoc excusetur, &c.* quod tamen ipsum Paris. intelligere videtur de eo, quòd non peccet transgrediendo (intellige materialiter) illam legem de publicando, non verò de eo, quòd non amittat beneficium. Rationem responsionis dat hanc *n.* 44. quòd in Constitut. Gregor. adsit Decretum irritans, quod ligat etiam ignorantes. pro quo citat *c.* 1. *de conces. præb. c. quondam. de præb. in* 6. Gl. *in c. tibi. de rescrip.* §. *quinimo.* Gemin. *in c. si eo tempore. de elect. in* 6. Barbat. Butrio. Cardin. &c. Proinde contrarius non sit Baldus, dum *in l. annus. ff. de calum.* tradit tempus inductum à statuto ad faciendam insinuationem donationis non currere ignoranti; quia non loquitur de statuto habente Decretum irritans. Paris. *n.* 48. *juncto n.* 35. Utì nec obstet, quòd tempus statutum à lege non currat ignoranti, v.g. tempus adeundæ hæreditatis, ut habet communis; fallit enim, ubi est appositum Decretum irritans. Paris. *n.* 49. *juncto n.* 38. Item *n.* 45. hanc dat rationem, quòd, dum agitur de favore animarum (quarum favore introductam publicationem dictum est suprà) tempus currat etiam ignoranti, juxta Gl. communiter receptam *in c. statutum. de præb. in* 6. *v. numerandum.* Probatur etiam idem à Paris. ab Azor *loc. cit.* quòd, sicut patre procurante beneficium parochiale filio, filius per ignorantiam hujus sibi factæ collationis (patre nimirum retinente literas collationis) non promotus intra annum, nihilominùs incidit in pœnam, & beneficium amittit; ita etiam, dum patre retinente penes se literas Pontificias, quibus beneficium resignatum providetur filio minori, hic exinde inscius sibi factæ gratiæ resignationem & provisionem hanc intra tempus statutum non publicat, amittat nihilominus gratiam hanc, & beneficium vacet.

2. Sed &, licèt aliàs non obstante, quòd currat adversus minorem tempus, hìc tamen, quoties tractatur de amissione juris, sit restituendus in integrum, ut fusè probat, & pluribus exemplificat

Paris.

Pariſ. *cit. q.* 4. *à nu.* 51. in præſente tamen caſu non eſſe reſtituendum, tenet Pariſ. *à n.* 61. & ex eo Azor *loc. cit.* Idque propterea, ut Pariſ. *nu.* 62. quia ob non factam publicationem amiſit omne jus, quod habebat in beneficio reſignato. Unde petendo reſtitutionem, tractat de lucro. Pariſ. *nu.* 63. citans Gigas. *conſ.* 135. *nu.* 11. & 12. Et licèt detur minori reſtitutio propter lucrum ab eò perperam & inconſultò amiſſum, juxta *l. ait prætor. §. ult. ff. de minoribus.* & ibi Bartol. & Abb. *in c. Conſtitutus. n.* 5. & Cardin. *n.* 3. *de reſtitut. in integ.* &c. apud Pariſ. *n.* 64. id tamen non procedit, ut *ibid.* Pariſ. citatis pluribus, dum tempus currit odio non facientis actum (qualiter odio non publicantis annullatur actus proviſionis per Conſtitut. Gregorii, ut conſtat) quia tunc, ſi non fiat à minore, non datur ei reſtitutio. Oſtendit etiâ pluribus Pariſ. *à n.* 65. quòd in hoc caſu minor non ſit læſus; cùm nihil ei acquiratur ob non factam publicationem; minor autem non reſtituitur, ubi non eſt læſus, ut citatis pluribus legibus, Auctoribus, & adductis exemplis probat *à n.* 65. Adeóque jam cadunt omnia, quæ in contrarium objiciuntur, utpote fundata in læſione, & amiſſione juris. Pariſ. *n.* 72. qui etiam *n.* 73. ſubjungit reſponſionem hanc de non reſtituendo in integrum minore eò magis procedere, ſi beneficium jam fuit impetratum ab alio, ob non factam publicationem; eò quòd tunc res non ſit ampliùs integra; dum autem res non eſt ampliùs integra, minor non reſtituitur, prout habet Abb. *in c. ex parte. n.* 14. *de reſtitut. ſpoliat.* Boër. *deciſ.* 350. *n.* 4. Thom. de Tanis *deciſ.* 54. qui teſtentur, hanc eſſe communem. Ac denique concludit hoc ipſum de non reſtitutione in integrum, etiam dum non eſt res ampliùs integra, hanc recipere limitationem, niſi facto alterius fuerit impeditus publicare, de quo agit *l.* 11. *q.* 12. *per totam.*

Quæſtio 788. *An & qualiter à Papa derogetur huic publicationi, vel etiam hoc tempus prorogetur, & an, & qualiter poſt lapſum hujus temporis non factâ publicatione, concedatur reſtitutio ad publicandum?*

Reſpondeo ad primum: Derogari quandoque à Papa publicationi, ſive concedi, ut quis non teneatur publicare beneficium ſibi reſignatum. Debet autem hoc privilegium eſſe ſpecialiter conceſſum. Pariſ. *cit. q.* 7. *n.* 64. & 67. qui tamen ſubjungit *n.* 68. ſe audiviſſe, hodie non dari hujuſmodi privilegia, & ſic ſervari.

2. Reſpondeo ad ſecundum: Poteſt, & ſolet quandoque tempus illud ſex, vel novem menſium datum ad publicandum à Papa prorogari ad duos, tres, vel quatuor menſes Reſignatario, dum adhuc exiſtit intra præfixos 6. vel 9. menſes, viditque ſe intra illos facere non poſſe publicationem, pro eo, ut nimirum dicti 6. vel 9. menſes ad alios 4. vel 3. vel duos prorogentur, ſupplicante. Baboſ. *juris Eccleſ. l.* 3. *c* 15 *n.* 194. ubi etiam formam hujuſmodi ſupplicationis ponit. Pariſ. *l.* 11. *q.* 7. *n.* 69. Notandum etiam eſt, quod habet idem Pariſ. *l.* 11. *q.* 13. *in fine* ubi: de ſtylo non ſolùm ob hanc cauſam (nimirum ob vacantiam Sedis Papalis, quo tempore non potuerunt expediri literæ, & hinc non publicari) & aliam ſimilem datur prorogatio: ſed etiam abſque cauſa legitima, & ita vidi obſervari pluries, modò non ſit in alterius præjudicium.

3. Reſpondeo ad tertium: Pari modo poteſt, & ſolet quandoque concedi à Papa prorogatio, ſeu potiùs reſtitutio poſt elapſum præfixum terminum ſex vel novem menſium. Barboſ. *loc. cit.* (qui etiam in fine *n.* 194. addit, ſæpe etiam per Signaturam Juſtitiæ ſolere concedi reſtitutionem in integrum adversùs publicationem non factam) Pariſ. *loc. cit.* Ventrigl. *loc. cit. n.* 75. Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 35. Reſignatario pro hac reſtitutione porrigente ſupplicationem, in qua narretur, non eſſe factam publicationem, & eſſe elapſum tempus datum ad publicandū, & petatur reſtitutio adverſus lapſum iſtorum menſium, & repoſitio ac plenaria rei integratio in ſtatu, in quo eſſet, ſi infra 6. vel 9. illos menſes aliàs ad publicandum præfixos, adhuc exiſteret; ac ita reſtitutus adversùs lapſum temporis publicationis recuperat omne jus ſuum. Pariſ. *cit. n.* 69. & 70. Neutiquam autem dicta prorogatio, aut reſtitutio operaretur, ſi medio tempore jus alteri in illo beneficio quæſitum fuiſſet per collationem ei factam ab eodem Pontifice. Unde & apponi ſolet in conceſſione Pontificis clauſula præſervativa juris Tertii hoc modo: *Dummodò tempore Datæ præſentium non ſit alicui ob lapſum temporis hujuſmodi in dicto beneficio ſpecialiter jus quæſitum*: Pariſ. *cit. q.* 7. *nu.* 79. & ex eo Ventrigl. (qui etiam addit, hanc clauſulam, etſi non ſit expreſſa, ſemper ſubintelligi) vel certè, ut Pariſ. *cit. q.* 7. *n.* 72. in hujuſmodi gratia reſtitutoria adverſus lapſum temporis publicationis requireretur derogatio Regulæ de jure quæſito non tollendo. Solet etiam in eadem conceſſione exprimi, quòd Orator ex dicto beneficio nullos interea fructus perceperit. Barb. *loc. cit.* utì &, ut publicatio intra tempus illud in prorogatione conceſſum fiat, quod etſi non exprimeretur, faciendum tamen foret. Barboſ. *loc. cit.* Non tamen ipſam hanc reſtitutionem ad publicandum obtentam publicandam eſſe, tradit Pariſ. *n.* 71. juxta deciſ. Rotæ *in una Oximenſ.* 2. *Decemb.* 1583. Debere quoque, ut valida ſit, & ſuffragetur dicta reſtitutio, ab obtinente illam fieri mentionem de pendentia litis, ſi quæ ſit, tradit Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 304. & ex eò Ventrigl. *loc. cit.* juxta reſolutionem Rotæ *in Pacenſ. Capellan.* 16. *Feb.* 1598. quam citant. Quòdſi autem narraſſet in dicta ſua ſupplicatione Reſignatarius, quòd ex certis cauſis præpeditus non potuerit publicare, non teneri eum ad verificandum illa impedimenta, tanquam verius tenet Pariſ. *cit. q.* 7. *n.* 74. eò quòd gratia reſtitutionis non ſit ſuper hoc fundata, quam dicit rationem, quæ moverit Rotam ad ſic decidendum *in Oximenſ. benef.* 2. *Decemb.* 1585. Et quòd hujuſmodi verba appoſita fuerint ſolùm pro colore reſtitutionis, ſicut fit in ſupplicationibus Reſignationum, in quibus dicitur: *ex certis cauſis animum ſuum moventibus reſigner.* Econtra utì exprimi debet, quòd reſignans adhuc vivat, ita & idipſum juſtificari debet; cùm ſuper eo fundetur gratia reſtitutionis. Pariſ. *n.* 74. *juncto nu.* 78. De cetero Ordinarium in reſignationibus coram eo factis non poſſe elapſo tempore ad publicandum præfixo reſtituere adverſus publicationē non factam, eò quòd, eâ non factâ, eo ipſo vacet beneficium diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ, tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 76.

Quæstio 789. An fieri possit hæc publicatio ante expeditionem literarum Apostolicarum?

REspondeo negativè: Siquidem ex dispositione Constitut. Gregor, ut constat ex ejus proœmio, publicatio facienda cum illis ipsis literis, sive in publicatione resignationis exhibendæ sunt dictæ literæ Apostolicæ ipsius resignationis, aut ejus transumptum authenticum. Ventrigl. *loc. cit. n.* 77. Paris. *l.* 11. *q.* 6. *nu.* 28. *&* 32. Neque fieri potest publicatio cum suppliatione solùm registrata, cùm ea contineat tantùm commissionem resignationis, non autem semper consensum resignantis, sine quo resignatio est imperfecta; Constitutio autem mandans publicare resignationes de perfectis intelligenda, ne aliàs aperiatur via fraudibus. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 30. *&* 31. Porrò qualiter in publicatione producendæ hæ literæ, dicetur postea.

Quæstio 790. An fieri possit publicatio hæc post captam in vim dictarum literarum possessionem?

REspondeo negativè: Dicente dictâ Constitutione, quòd intra dictum tempus gratiam habens, possessionem beneficii etiam litigiosi, & à cedente non possessi vigore literarum Apostolicarum desuper confectarum, nec aliàs apprehendere debeat. Ventrigl. *loc cit. n.* 71. qui etiam *n.* 61. sic habet: notandum tertiò, quòd intra dictum tempus Resignatarius possessionem apprehendere possit (nota bene, videtur hic error, & omissum *non*, seu legendum esse: *apprehendere non possit*: propter sequentia) vigore literarum Apostolicarum; sed factâ publicatione petere debet ab Executore earum literarum, præsentatis illi iisdem literis, cum testimonio seu instrumento publicationis factæ, se in possessionem immitti; nihilominus *cit. n.* 71. Idem Ventrigl. addit, hoc in praxi non servari; cùm videamus quotidie post possessiones fieri hujusmodi publicationes, & aliter inter suos non reperiri servatum. Dicit etiam Paris. *l.* 11. *q.* 6. *n.* 125. posse constitui Procuratorem ad publicandum, qui post apprehensam possessionem id exequatur.

Quæstio 791. Quandonam, seu quo tempore fieri possit, aut debeat publicatio?

1. REspondeo primò: Fieri debere hanc publicationem diebus non nisi festivis & solennibus, sententiam esse communem, & receptam de stylo, dicit Paris. *cit. q.* 6. *n.* 26. probabilem dicit Ventrigl. *loc. cit. n.* 68. Pro hac sententia hæ sunt rationes; quòd, cùm Constitut. Gregor. id expresè non dicat, credendum sit, eam remittere se ad id, quod aliàs de hoc dispositum, quòd autem ante hanc Bullam hæc publicatio fieri debuerit die festo, aut Dominico, testatur Rebuff. *in pr. ad reg. de public. gl.* 10. *n.* 6. ut Ventrigl. *loc. cit.* Item quòd Constitut. Gregor. dicat, faciendam inter missarum solennia, solennitas autem propriè verificetur in festo. Ventrigl. *ibid.* ac denique, ut idem, quòd communiter sic intelligatur, ac servetur.

2. Verumtamen posse hanc publicationem fieri quolibet die, sive festo, sive non festo, ubi frequens populus ad missarum solennia convenit, docet absolutè Barbos. *Juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *nu.* 195. tenet quoque Ventrigl. *loc. cit.* quin & ipse Paris. *n.* 26. ubi postquam contrariam sententiam stabilivisset tanquam communem, subjungit: *Si autem constabit, multitudinem populi ad divina audienda convenisse, etiam diebus non festivis, publicatio facta tunc. Valebit; quia satisfit verbis Constitut. & rationi.*

3. Respondeo secundò: Tametsi de cetero actio nocturna non careat suspicione fraudis juxtaillud: *qui malè agit, odit lucem*: & vel hinc damnetur à Rebuff. *in pr. loc. cit. n.* 9. Publicatio hæc facta de nocte; posse tamen eam fieri de nocte, ubi abest dicta suspicio, & adest quod requirit Constitutio Gregor. nempe frequentia populi, tradit Ventrigl. *loc. cit. n.* 70. Idque eò magis procederet, si fieret inter missarum solennia in nocte Nativitatis Domini.

4. Respondeo tertiò: Posse quoque eam fieri post prandium, si tunc celebrentur officia divina solenniter cum frequentia populi, vel cum tali frequentia prædicetur; eò quòd tunc satisfiat rationibus Constitutionis, etsi non omnino verbis, quibus dicitur facienda inter missarum solennia, tradit Paris. *cit. q.* 6. *n.* 24. quamvis addat, ad vitandas lites tutius esse, ut fiat inter missarum solennia.

Quæstio 792. In quo loco facienda publicatio?

1. REspondeo primò in genere: Publicatio hæc facienda est in loco beneficii resignati, idque, sive resignans sit in Curia, sive extra; sive resignatio facta coram Papa, sive coram Ordinario. Paris. *l.* 11. *q.* 6. *n.* 2. citans Rebuff. *in pr. loc. cit. gl.* 9. Card. Paris. *cons.* 39. *vol.* 4. ac dicens, esse communem omnium sententiam, quæ constet tam ex Regula Cancellariæ *de publ.* quàm Constitutione Pii V. & Gregor. XIII.

3. Respondeo secundò magis in specie: Non in quocunque loco beneficii facienda publicatio hæc, sed in Ecclesia ipsius beneficii, & quidem, si beneficium situm est in ipsa Cathedrali, sufficit ibi fieri publicationem; si verò situm est extra Cathedralem, publicatio ejus adhuc facienda est in Cathedrali, & simul in Ecclesia ipsius beneficii, vel in pluribus Ecclesiis illius, si in pluribus situm, seu plures Ecclesias principales habet. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 8. Paris. *loc. cit. num.* 7. *&* 9. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 2. §. 6. *num.* 11. Ventrigl. *loc. cit. n.* 60. juxta expressa verba Constitutionis Gregorii. Idque intelligendum, dum beneficium curam animarum habet, vel perpetuam Beneficiarii residentiam seu præsentiam postulat. Paris. Azor *ll. cit.* si enim, ut inquit Constitut. Gregor. Rurale est, & populo Conventúque caret, publicatio fieri debet in Parochiali, intra cujus limites beneficium consistit, & in Cathedrali. Ad illud verò, an, si Ecclesia beneficii Conventum habet, v. g. sit Regularis, & non habeat curam animarum, sufficiat ibi, & in Cathedrali, non verò etiam in Parochiali viciniore fieri publicationem, respondet Paris. *cit. q.* 6. *n.* 11. affirmativè, sive sufficere alterutrum, nempe, si Ecclesia vel populum habeat, seu sit Parochialis, vel Conventum habeat, v. g. sit Abbatialis, quamvis addat, seipsum ad tollendos scrupulos, majorémque securitatem, datum sibi in commendam Monasterium quoddam curasse fieri publicationem, & in Ecclesia Abbatiæ illius Monasterii habente Conventum, sine Cura tamen animarum, & in Cathedrali, & in viciniore Parochia, etsi ex sententia doctissimorum obli-

obligatus fuerit publicare solùm in Ecclesia illa Abbatiali. Quodsi etiam Ecclesia, in qua aliàs facienda publicatio, tutum non habet accessum, ob pestem, bella, aliáve manifesta pericula, facienda est in proxima Parochiali ab istis periculis immuni. Castrop. Ventrigl. *ll. cit.* Ac denique, si beneficium ad nullam diœcesim spectat, sufficit fieri publicationem duntaxat in Ecclesia, in qua situm. Castrop. Azor. *ll. cit.* aut, ut Paris. *loc. cit. num.* 10. in Ecclesia aliqua, si sit, cui immediatè subjacet. Quæ tamen intelligenda, ut rectè *ibidem* Paris. ut Ecclesia illa habeat Curam animarum & populum, sive ut soleat, possitque ibi convenire multitudo ad missarum solennia, ut ratio Constitutionis locum habeat, & Resignatio innotescere possit.

3. Respondeo tertiò: Quamvis non videatur satisfieri Constitutioni quò ad hoc punctum, si in porta, vel in porticu Ecclesiæ, dum in ea celebrantur missarum solennia, fieret hæc publicatio; eò quòd Constitutio dicat: in beneficii Ecclesia, & Cathedrali, dictio autem *in* importet & exigat intrinsecitatem, ut Bartol. Bald. & alii *in l. Gallus*, §. *ille casus ff. de posthum.* & Felin. *in c. tertio loco. de præsump.* Card. Paris. *cons.* 166. *à num.* 22. *vol.* 4. ubi: *quod factum in porticu, seu ostio extra clausuram, vel scalis, non dicitur factum in domo*: & alii apud Paris. *cit. q.* 6. *n.* 19. ubi etiam in hanc sententiam negativam inclinat, subjungit tamen *nu.* 21. Rotam *in Hippogerien.* 16. *Maii.* 1588. resolvisse contrarium. Rationem quoque addit; quòd per talem publicationem resignatio adhuc satis innotescat, & sic satis obvietur fraudibus, adeóque satisfiat Constitutioni. ac *nu.* 23. concludit dicendo, tutius fore, publicationem facere intus Ecclesiam in aliquo loco apto, & sic se vidisse servari in praxi, ut fiat in corpore ipsius Ecclesiæ. Sic faciendam ex Cathedra Ecclesiæ, vel loco aliquo publico, ex quo omnes audire possint, ait Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 793. *Coram quibus facienda publicatio?*

REspondeo: Coram frequente populo ad missarum solennia, aliáve divina, & prædicationem conveniente. Paris. *loc. cit. n.* 13. Hinc facta publicatio in Choro coram Capitulo seu Canonicis, & presbyteris duntaxat est nulla. Paris. *nu.* 18. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 4. §. 2. *nu.* 67. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *nu.* 294. prout resolutum *in Tarentina Canonicat.* 12. *Maii* 1589. Ratio est; quia videtur velle Papa, ut facta resignatio innotescat non solùm Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus. Ventrigl. *loc. cit.*

Quæstio 794. *Qualiter in hac publicatione opus sit literis Apostolicis, super resignatione, & provisione Resignatarii confectis, & earum exhibitione?*

1. REspondeo primò: Quantumvis aliàs circa Constitutionem Pii V. utpote in qua hoc non exprimebatur, resolverit Rota *in una Calagurit.* 10. *Octob.* 1580. fieri posse hanc publicationem sine dictis literis. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 33. hodie tamen, ob expressa verba Constitut. Gregorianæ id fieri non posse, est manifestum. Paris. *ibid.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 290. juxta dicta à nobis suprà.

2. Respondeo secundò: Opus est etiam dictarum literarum Originalium, aut earum transumpti authentici (quale dicitur, quoties de verbo ad verbum est facta exemplificatio legitimè. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 36. & idem est, quod copia. Paris. *n.* 37. juxta gl. *in l.* 2. *ff. de fide instrum.* Mascard. *de prob. concl.* 711. *in principio*, & tunc probat sicut originale. Paris. *n.* 38. juxta eundem Mascard. *loc. cit. n.* 17. &c.) exhibitione publicâ in ipsa publicatione. Paris. *loc. cit. n.* 32. Ventrigl. *loc. cit. n.* 60. Castrop. *loc. cit. n.* 12. Et sic necessarium est, publicantem publicationem facere cum dictis literis, earúmve transumpto authentico in manibus. Castrop. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 6. *nu.* 43. Neque sufficit, ut in publicatione narretur resignatio cum expeditione literarum, & data illarum, opùs tamen non est, earundem literarum, seu Bullarum, seu transumpti lectione. Castrop. *loc. cit.* Paris. *nu.* 42. sic resolutum dicens *in Cumens. Præpositura.* 23. *Maii.* 1584. cùm satis authenticum sit, authenticam scripturam exhiberi, absque eo quòd legatur. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 42. citans Rebuff. *in pr. ad reg. de public. gl.* 10. Vitalin. *in Clem. causam. n.* 22. *de Elect.* sic Ventrigl. *loc. cit. n.* 66. ait, opùs non esse, literas provisionis sive Papæ, sive Ordinarii legere de verbo ad verbum, & per extensum, sed sufficere publicare summam dictarum literarum, & illarum transumptum authenticum exhibere: imò ait Castrop. nec opùs esse legere datam dictarum literarum.

3. Nequaquam autem sufficit, publicationem fieri cum Scriptura authentica, in qua fit mentio de literarum expeditione; cum Constitutio requirat præcisè literas, vel earum transumptum. Paris. *num.* 44. nisi tamen Scriptura illa authentica emanasset à Papa. Paris. *cit. nu.* 44. & 45. juxta decis. Rotæ *in Monopolit.* 26. *Nov.* 1587. in qua dictum, publicationem fuisse validam, quam fecerat quis sine literis Apostolicis, cum Brevi tamen Apostolico, quod obtinuerat, & quo restituebatur adversùs non publicationem. Porrò Notario asserenti, se fecisse publicationem cum literis resignationis in manibus, est credendum, etiamsi probetur per præsumptiones, literas non potuisse tunc temporis esse in illo loco. Paris. *nu.* 46. juxta decis. Rotæ *in Burgensi Canonicat.* 31. *Jan.* 1586. Secus tamen erit, ubi contrarium concludenter probaretur; eò quòd tunc Notarius reddatur suspectus, & satis hoc casu constet de non publicatione. Paris. *n.* 47. juxta decis. Rotæ *in Oxomens. Scholastiria.* 9. *Feb.* 1590.

Quæstio 795. *Qualiter, & quid exprimendum in hac publicatione?*

REspondeo primò: Clarè ac intelligibili voce exprimenda est resignatio, & facta gratia, qualitas beneficii, nomina & cognomina Resignantis & Resignatarii, ita ut hæc omnia possint ad notitiam omnium ibi præsentium pervenire, v. g. dicat Notarius: *Notum omnibus facio, quemadmodum Titius resignavit beneficium suum simplex constitutum in tali Ecclesia, vel curatum talis Ecclesiæ in manibus Papæ, & de eo facta est gratia Cajo, ut apparet ex literis, seu earum transumpto, quas, vel quòd habeo in manibus.* Castrop. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. n.* 49. qui etiam *n.* 50. ait, optimum fore, hæc omnia exprimi in instrumento publicationis. Quòdsi error factus est in nomine, vel cognomine Resignantis, dum ex aliis circumstantiis constat satis de persona, adhuc validam fore publicationem, ait Paris. *n.* 53. juxta quod resolutum à Rota *in Hippogerien.* 1. *Feb.* 1588. eò quòd error in pronomine non vitiat, dum constat

stat de certitudine personæ ut AA. *in l. ult. c. de hæred. instituend.* Paris. *nu.* 55. utì nec error in officio & dignitate; cùm ex circumstantiis constat de identitate personæ, nocere debet. Paris. *n.* 54. ex Sarn. *ad reg. de Annali, q.* 31.

Quæstio 796. *An, & qualiter insuper necesse, affigi exemplar omnium eorum, quæ in publicatione dicta, ad valvas Ecclesiæ?*

1. Respondeo primò: Necesse est, tale exemplar affigi valvis, seu portæ majoris Ecclesiæ, & hoc, ut innotescat facta resignatio, & provisio non solùm iis, qui interfuerunt publicationi, sed & aliis ad Ecclesiam venturis. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *nu.* 295. Paris. *cit. q.* 6. *nu.* 56. juxta quod expressè dicitur in Constit. Gregor.

2. Respondeo secundò: De stylo exemplar illud ibidem relinquitur per diem, vel etiam aliquot dies; necesse tamen non est, relinquere ibi per plures dies, sed sufficit affigere, & ibi relinquere. Paris. *cit. n.* 56. Habétque praxis, ut fiat in uno folio copia literarum collationata; nec requiritur, ut hoc exemplar sit authenticum; cùm id in dicta Constitutione non exprimatur. Paris. *ibid.* Super quo exemplari valvis Ecclesiæ affixo testatur Paris. se vidisse, quandoque appositam parvam chartam, in qua materno sermone exprimebatur nomen Resignantis, Resignatarii, & beneficii resignati, quod sibi admodùm placuisse ait.

Quæstio 797. *An, & qualiter super his omnibus conficiendum à Notario instrumentum?*

1. Respondeo primò: Necesse esse conficiendum super his omnibus à Notario ad hoc rogato instrumentum. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 60. *&* 61.

2. Respondeo secundò: Ut satisfactum dictæ Constitut. Gregorianæ censeatur, debere in hoc publicationis instrumento testari Notarium de facta affixione; nec sufficere, Notarium in eo dicere, legi & publicavi, absque eo, quòd mentionem faciat de affixione, tanquam verius tuetur Paris. *nu.* 58. sic tentum à Rota dicens, *in Jacensi Vicaria.* 15. *Jun.* 1590. eò quòd pro forma tradatur, ut constet de hac affixione, nec colligi ea possit ex illius verbis: *legi & publicavi.* subdit tamen Paris. *n.* 59. Satisfactum videri Constitut. Gregor. quo ad hoc, si Notarius dixisset: *Legi & publicavi juxta formam Constitutionis Gregorii XIII.* eò quòd tunc præsumatur pro affixione. Debet insuper hoc instrumentum continere qualitates ceteras omnes in dicta Constitutione requisitas. Paris. *cit. n.* 61. juxta mox subjicienda.

3. Respondeo tertiò: Debet instrumentum hoc confici cum interventu duorũ testium; quando enim instrumentum, quod producitur ad probandam publicationem, non est in forma probante, v. g. quia caret testibus, non probat, & ex eo non constat de publicatione. Paris. *n.* 60. *juncto n.* 66. Proinde non sufficit, ut in eo dicatur, factam fuisse publicationem in præsentia multorum testium in testium fide dignorum; sed requiritur, ut nomina testium in instrumento exprimantur. Paris. *n.* 67. qui etiam *n.* 68. addit, hoc procedere, etiamsi duo Notarii fuerint rogati; cùm ex hoc non suppleatur numerus testium.

4. Respondeo quartò: dictum instrumentum Notarius à tergo literarum Apostolicarum extendere consuevit hac ferè forma, ut Paris. *n.* 62. *fidem facio, retroscriptas literas Apostolicas expeditas in favorem N. juxta earum seriem, & tenorem, cum nominibus & cognominibus Resignantis & Resignatarii, ac denominatione, & qualitate beneficii clara & intelligibili voce sub data* 28. *Nov.* 1699. *in ipsa Ecclesia, ac in Cathedrali, dum frequens populus ad missarum solennia convenerat, publicasse, eásque manibus tenuisse, ostendisse, & legisse, earúmque exemplar collationatum affixum ibi fuisse relictum, & stetisse per aliquod tempus, aliáque & similia facta fuisse juxta formam traditam per Gregorium* 13. *in Constitut. sua de publicandis. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem. Ego &c. præsentibus. N. N.* Quamvis Paris. *n.* 63. dicat, Rotam sustinuisse quandoque instrumenta, in quibus non ita exactè referebantur dictæ qualitates, sed solùm dicebatur: *juxta Constitut. Gregor.* eò quòd semper relatio intelligatur facta cum omnibus suis qualitatibus; & circa publicationem Notario sit credendum, ut Achill. *decis.* 10. *de citatione.*

Quæstio 798. *An, si literæ resignationis sint nulliter expeditæ ob subreptionem vel obreptionem, & Resignatarius obtineat gratiam* perinde valere, *& postea publicet prædictas literas juxta formam aliàs præscriptam, absque eo, quòd publicentur dictæ literæ revalidatoriæ, publicatio sit nulla, & consequenter etiam Resignatio?*

Respondeo: Tametsi videri posset, esse invalidam; eò quòd Constitutio statuens publicationem faciendam cum literis, intelligenda sit de literis validis; cùm invalidæ in nulla sint consideratione, nec ullum effectum producere possint. Item, quòd per publicationem cum literis invalidis non occurratur fraudibus, ad quas avertendas instituta publicatio, dum occurrente morte Resignatarii, Resignans posset ostendere nullitatem resignationis, & docere de interesse Resignatarii, & sic decipi Ordinarius, dum literæ istæ revalidatoriæ non sunt publicatæ. Nihilominus non obstantibus hisce & similibus valere publicationem, tenet Paris. *l.* 11. *q.* 7. *n.* 88. sic resolutum dicens à Rota *in Mediolanens. Præpositura.* 30. *Octob.* 1589. eò quòd publicatio talis fuit facta cum literis eo tempore, quo erant convalidatæ per gratiam *perinde valere*, quæ, ut Rebuff. *in pr. tit. de perinde valere*, habet oculos retro, & revalidat omnia ab initio cum omnibus inde secutis. Quinimò tenet Paris. *n.* 89. si quis post publicationem jam factam obtinuisset gratiam *perinde valere*, sufficere adhuc illam publicationem, & non esse opùs aliâ, quemadmodum, si Papa concessisset alicui privilegium testandi, hæc gratia facit, ut testamentum sustineatur jam factum, licèt nulliter, ita ut valeat ipso jure absque nova declaratione, ut Jason. *in l. quò minus. ff. de flumin. nu.* 129. Castrens. *in l. si quis filio. §. irritum. num.* 4. *de injust. rupto irrito facto testam.* &c. Ad opposita etiam breviter respondet Paris. *n.* 91. literas stante tali gratiâ *perinde valere*, esse validas, & vi illius gratiæ validari ab initio.

Quæstio 799. *An publicatio hæc facienda à Resignatario fieri possit per Procuratorem ab eo constitutum?*

Respondeo affirmativè. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 122. *&* 123. qui enim per alium facit, per seipsum facere

cere videtur, ut vulgaria jura disponunt; quod in tantum verum esse, ait Paris. *n.* 124. juxta Card. Paris. *cons.* 43. *n.* 8. *vol.* 4. & Gl. *in Clem.* 1. *v. collatio. ut lite pendente.* ut tempore, quo publicavit Procurator, videatur Dominus exercuisse illum actum. Et sic communiter, ait Paris. *n.* 125. practicari, ut habens beneficium, per resignationem ipse capiat possessionem, & publicet, vel constituat Procuratorem ad utrumque. Ut autem id possit legitimè Procurator, requiritur, ut habeat mandatum ad hoc speciale. Paris. *cit. n.* 125.

Quæstio 800. *An hæc publicatio fieri possit per Resignantem, & id sufficiat?*

REspondet affirmativè Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 21. juxta *Decis. Rotæ.*

Quæstio 801. *An sufficiat, publicationem fieri aliquo modo, qui promulgationi æquivalet; & in specie per petitionem, adeptionem, continuationem possessionis, aut etiam per novam impetrationem illius beneficii vacantis ob non factam publicationem?*

1. REspondeo ad primum negativè. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 79. & 87. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 8. juxta expressa verba Constitut. Gregor. *Cæterùm modus & forma hìc tradita semper, & ubique debent observari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti* Hinc

2. Respondeo secundò: Neutiquam sufficere petitionem possessionis factam coram Ordinario. Paris. *loc. cit. n.* 74. & 79. sic resolutum dicens *in Calagurit. thesaurar.* 5. *Maij*, 1587. eò quòd Papa in dicta Constitutione sua tanquam duos actus diversos consideret, publicationem, & petitionem possessionis. Neque etiam ulla diligentia capiendi possessionem sufficit. Paris. *cit. n.* 79.

3. Respondeo tertiò: Neque sufficit cæpisse actu possessionem coram Notario, & testibus, eò quòd talis publicatio non esset populosa. Paris. *n.* 72. & 73. adeóque non sufficit instrumentum captæ possessionis. Paris. *n.* 73. Tradit tamen Tond. *qq. benef. p.* 1. *c.* 14. *nu.* 20. in Gallia loco publicationis satis esse, si possessio publicè capta fuerit, & ad majoris partis populi notitiam devenerit, utpote quæ in Gallia habetur pro publicatione.

4. Respondeo quartò: Neque etiam sufficit adeptio possessionis cum continuatione ejusdem ad tempus aliquod, prout dicitur in Constitutione Gregor. Paris. *n.* 76. & 89. Sic itaque, ut excusetur à publicatione Resignatarius, vitétque pœnam statutam non publicantibus, aut etiam, ut juvetur regulâ *de annali*, non suffragatur adeptæ possessionis continuatio per annum, vel etiam per triennium, etsi aliàs ad multa profit annalis, & triennalis possessio. Paris. *cit. n.* 76. Castrop. *de benef. tr.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 13. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 8. *in fine.* dicente in sua Constitutione Gregorio: *nec resignantibus, si postea in sua possessione remaneant, Constitutiones de annali, & triennali possessione, &c.* Neque etiam juvabitur, etsi possessionem quietè continuarit per decennium. Paris. *n.* 115. ac proinde locus non erit allegationi Lapi 89. disponentis, ut, si quis resignavit, & post resignationem remansit in possessione, illámque continuarit per decem annos (quod tempus Palatium reduxisse ad triennium testatur *nu.* 97.) præsumatur retrocessio, & novus titulus acquisitus, ita ut eo mortuo beneficium censeatur vacare per obitum, & sic impetrari possit; quam allegationem, ut Paris. *n.* 95. semper tenuit, & secundùm quam resolvit Rota usque ad dictam Constitut. Gregor. obstat liquidem hodiedum dicta Constitutio hisce expressis: *nec præsumptæ, aut tacitæ retrocessiones etiam propter diuturnam continuatæ possessionis hujusmodi tolerantiam &c.* Paris. *n.* 94. & 110. Et quomodo juvabitur talis possessione annali, triennali, aut etiam decennali? cùm vi dictæ Constitutionis ob non factam publicationem eo ipso vacet beneficium, amittátque Resignatarius omne jus in illo, non remanente illi ullo titulo, ne colorato quidem. Paris. *n.* 76. & 111.

5. Respondeo quintò: Dum Resignatarius, qui non publicavit intra statutum tempus, impetravit denuo idem beneficium à Sede Apostolica per dictam novam provisionem, non suppletur publicatio, seu ea non habet vim publicationis; sed hæc ipsa nova provisio publicari debet, prout dicitur expressè in Constitut. Gregor. & ratio est etiam, quia pro forma publicationis requiritur, ut ea fiat certo modo ac tempore. Sed neque per talem novam provisionem obtentam in Urbe obviatur fraudibus; cùm non possit devenire ad notitiam eorum, quorum interest, maximè existentium in loco beneficii. Ita Paris. *n.* 113. & 114. & *seq.*

Quæstio 802. *An, & qualiter impedimentum excuset non factam intra præscriptum tempus publicationem, & ab incurrendis propterea pœnis?*

1. REspondeo primò: Impedimentum legitimum excusare à publicatione facienda. Paris. *l.* 11. *q.* 13. *n.* 1. citatis pluribus cum communi. Impedito enim non currit tempus. Paris. *ibid. n.* 2. citans *l. ut perfectius. c. de annal. excep.* Menoch. *cons.* 38. *n.* 35. *l.* 1. Bald. *de temp. utili & contin. c.* 7. Jo. de Lignano *de cens. Eccles.* §. 14. *n.* 17. *&c.* Et propter impedimentum receditur à forma. Paris. *n.* 3. citans Card. Paris. *cons.* 32. *n.* 11. *vol.* 2. Burlat. *cons.* 74. *n.* 153. *vol.* 1. *&c.* Et impeditus non dicitur negligens. Paris. *n.* 4. citans Staph. *de grat. expect. tit. de var. mod. vacat. n.* 53.

2. Respondeo secundò: Procedunt hæc, ubi impedimentum hujusmodi probatum fuerit. Paris. *cit. q.* 13. *n.* 21. citans Abb. *in c. plerumque. de rescrip. n.* 6. Card. Paris. *cons.* 108. *n.* 11. *vol.* 4. Decium *cons.* 554. *n.* 6. *&c.* Et quoniam impedimenti probatio difficilis censetur. Paris. *n.* 22. ad illud probandum sufficiunt conjecturæ. Paris. *n.* 23. ex Bald. *cons.* 152. *nu.* 2. *l.* 1. Item testes, vel instrumenta. Paris. *n.* 24. citans Jo-And. *in c.* 1. *de dolo. in* 6. Card. Paris. *cons.* 67. *n.* 90. *vol.* 1. *&c.* Item juramentum Impediti. Paris. *n.* 25. citans Oldr. *cons.* 60. *col.* 2. *n.* 4. *&c.* Quod tamen ait citatis pluribus, procedere, quoties probari nequit per testes. Item arbitrium Judicis. Paris. *n.* 26. citans Jo-And. Host. Geminian. &c. *in c.* 1. *de dolo & contumac.* Probandum quoque, quòd impedimentum illud fuerit tale, ut removeri non potuerit. Paris. *n.* 27. impedimentum enim non excusat, cùm removeri potest. Paris. *n.* 28. ex Bartol & aliis. *in l. quibus diebus. ff. de condit. & demonst.* Et impedimentum non est propriè, cùm evitari potest. Paris. *n.* 24. citans Card. Paris. *cons.* 67. *n.* 64. *vol.* 3. Probandum item est, impedimentum fuisse causam immediatam, cur fieri non potuerit publicatio. Paris. *n.* 30. citans

tans Menoch. *de arbit. jud. casu*, 118. *ad finem*. Cravett. *cons.* 151. *n* 22. Felin. *in c. ex transmissa. de præscrip. n.* 7. Probandum item est, adhibitam fuisse diligentiam ad impedimentum illud removendum. Paris. *à n.* 31. citatis plurimis. Ac denique probandum est ab allegante illud. Paris. *n.* 34. citans Cravet. *ubi antè. n.* 8. Bursat. *cons.* 45. *n.* 6. *l.* 4. Card. Paris. *cons.* 33. *n.* 57. *vol.* 1. Menoch. *cons.* 1. *n.* 364. *l.* 1.

3. Respondeo tertiò: Impeditus tamen facere publicationem in loco, ubi tenebatur eam facere, ob impedimentum non liberatur absolutè à publicatione facienda, aut non excusabitur à non facta simpliciter; quia adhuc tenebatur eam facere in loco alio æquipollente non impedito, v. g. in Cathedrali, & in viciniore Parochia, prout dicitur in Constitut. Gregor. Paris. *n.* 35. Sed neque in hoc contradicitur dictæ Constitut. nec illa sibi, dum mandat ea à se constituta implenda præcisè ad unguem, & non posse ullo modo impleri per æquipollens; nam illud solùm vult Papa, ut non sufficiat hodie, sicut illud sufficiebat olim, publicare resignationem in acie campi Floræ, vel in valvis Cancellariæ, aut in audientia Contradictarum, aut coram testibus, dum locus, in quo aliàs publicanda, impeditus est. sed hoc tanquam æquipollens, quod ipse Papa specificat, nempe, ut sufficiat, & requiratur, eam tunc fieri in Parochia viciniore, & Cathedrali. Paris. *à n.* 41.

Quæstio 803. *In particulari, quodnam in hac materia publicationis sit impedimentum justum & sufficiens?*

1. Respondeo primò: Ad tres classes revocari posse impedimenta, quæ hic in considerationem venire possunt; nempe alia provenientia à casu fortuito, alia à seipso, alia à persona tertii, puta, adversarii, Judicis, &c. Paris. *cit. q.* 13. *n.* 50. hoc supposito,

2. Respondeo secundò: Justum impedimentum excusans à publicatione, proveniens à casu fortuito, est primò bellum existens in loco, ubi facienda publicatio. Paris. *n.* 52. juxta expressa verba Constitut. Gregor. qui etiam *n.* 59. id intelligendum ait: si, ubi facienda publicatio, non redditur jus, & non potest illuc accedi, vel eò mitti, ut Felin. *in c. transmissa. de præscrip.* Menoch. *cons.* 21. *n.* 22. *vol.* 1. Cravet. *cons.* 38. *n.* 1. & alii, quos citat. Secundò pestis existens in loco, ubi facienda est publicatio, juxta ejusdem Constitut. clara verba. Paris. *n.* 60. qui *n.* 71. addit, id intelligendum, quoties pestis in illo loco duravit per totum tempus præscriptum ad publicandum, aliàs secus, pro quo citat Card. Paris. *cons.* 34. *n.* 19. *vol.* 4. *&c.* Econtra alii casus fortuiti non excusant. Paris. *n.* 75. hanc addens rationem, tum quia DD. nihil de hoc scripserunt, tum quia in Constitut. Gregor. non exprimuntur, & quia in illis cessat ratio impedimenti considerati in bello & peste. Atque ita non excusabit paupertas, quæ etiam inter casus fortuitos numeratur. Paris. *n.* 83.

3. Respondeo tertiò: Quòd attinet impedimenta provenientia à seipso non excusabit infirmitas, neque furor Paris. *n.* 79. citans Covar. *l.* 3. *var. resol. c.* 13. *n.* 18. *&c.* neque excusabit allegata oblivio. Paris. *n.* 81. multóque minùs multitudo negotiorum. Paris. *n.* 82. Neque excusabit error, aut ignorantia, cùm adsit in Constitut. Gregor. Decretum irritans, ligans etiam ignorantes. Paris. *à n.* 85. Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 33. juxta *Decis. Rotæ* 669. *n.* 1. *l.* 3. *p.* 3. *Diversar.* quam citat.

4. Respondeo quartò: Quod attinet ad impedimenta provenientia à persona tertii, impeditus publicare in loco præfixo ex facto tertii alicujus excusatur à non facta publicatione. Paris. *n.* 95. qui dicit id manifestè colligi ex illis verbis Constitutionis: *vel si locus bello, peste, aliisque manifestis periculis subjacet, &c* utpote quæ ultima verba possunt commodè huic casui applicari; id tamen se intelligere ait *ibidem* Paris. si impediatur vi armatâ, ut non possit neque per se, neque per alium publicare; si enim impediretur dolo adversarii, aut tertii, nequaquam probare hoc excusationem in hac materia, etsi aliàs impedimentum tale proveniens ex dolo præberet causam restitutionis in integrum, asserit Paris. *n.* 100. & 10. sic quoque non esse impedimentum præbens excusationem, dum pater jussit filio Resignatario, ne capiat possessionem, & ne publicet ad evitandas discordias inter cognatos suos, & resignantis, & interim tempus ad publicandum elapsum est, censet Paris. *n* 105. tanquam verius; eò quòd id non reperiatur cautum Jure, nec ab ullo DD. consideratum; tum etiam, quia cessat ratio impedimentorum positorum in Constitut. Gregor. & quia filius id, quod ei à Constitutionibus Papalibus mandatur ad evitandas fraudes, non debet omittere ob reverentiam patris. Contrarium nihilominus tenente Navarro, cujus sententiam procedere quoad forum conscientiæ, censet Parisius *nu.* 111. juxta dicta à nobis suprà. Quinimò idem, nimirum non excusandum filium Resignatarium à non facta publicatione ad casum strictiorem extendit Paris. *n.* 108 dum nimirum pater detinet literas, easque extradere non vult filio, ut publicare possit; sed ait, debere filium in hoc casu vel literas resignationis extorquere à patre operâ, & mediatione consanguineorum, vel Confessarii, vel Episcopi, vel debere mittere ad registrum Bullarum pro extrahenda copia authentica, & cum illa publicare, & interim protestari, & sic omnes diligentias adhibere, ut impedimentum hoc allegatum excuset.

5. Respondeo quintò: Dum impedimentum provenit ex facto tertii, qui Judex, vel Superior est, v. g. quia supplicatio (uti frequenter fit) in Dataria retenta fuit, eique ad impediendam registrationem appositum ad instantiam alicujus *nihil transeat*, elapso interea tempore ad publicandum, adhuc non excusandum Resignatarium, censet Paris. *cit. q.* 13. *n.* 112. eò quòd impedimentum illud non sit considerabile & justum, quod tolli possit à Resignatario, citando nimirum partem adversam, quæ obtinuit *nihil transeat* ad comparendum coram Datario, ut is dicat causam, quare impediatur registratio supplicationis, & per consequens expeditio literarum, sine quibus publicatio fieri nequit; cùm Datarius auditis rationibus regulariter soleat mandare relaxationem supplicationis, & quidem spatio duorum, vel trium dierum. Quodsi tamen Datarius ex causa sibi visa retinuit supplicationem, & impedivit expeditionem literarum, excusandum Resignatarium, tradit Paris. *n.* 116. sic pronunciatum dicens à Rota *in Lauretana beneficii. 9. Decemb.* 1589 quod ipsum tamen declarat Paris. *n.* 118. ut procedat, si Resignatarius ipse, vel per Procuratorem fecit diligentiam apud Datarium pro relaxatione supplicationis;

nis; quâ diligentiâ non obstante is nihilominus eam detnuit. Item ut procedat, si is eam, non obstante hac diligentâ detinuit per totum tempus datum ad publicandum; secus, si eam detinuit, per menses duos vel quatuor, & postea eam relaxavit, ut interea adhuc potuerit Resignatarius expedire literas, & publicare in termino. Quamvis addat *n.* 120. hanc esse justam causam prorogandi hoc tempus, ac concludat, impedimenta provenientia ex persona Judicis regulariter esse justam causam restitutionis in integrum, juxta *l.* 1. §. 1. *ff. ex quibus causis major.* Quòdsi Resignatarius fuerit incarceratus, & ex hoc non potuerit expedire literas, aut eas expeditas non publicare, quia detinebantur à Judice, & interea tempus præfixum ad publicandum transierit, excusabitur, modò diligentiam fecerit, & coram testibus protestetur, suâ culpâ non labi tempus, & non posse per alium expedire literas, vel expeditas mittere ad faciendam publicationem. Paris. *n.* 121. cum Sarn. *de public. q.* 13. *n.* 3. eò quòd carcer præbeat causam restituendi in integrum, ut AA. communiter *in l.* 2. *c. ex quibus causis major,* nisi incarceratus fuisset ob delictum. Paris. *n.* 123. & sic sit causa justa prorogandi tempus ad publicandum Datum. Paris. *num.* 122.

Quæstio 804. *An, qui propter Sedem Papalem vacantem non potuit expedire literas (mox enim à morte Papæ fit Congregatio Cardinalium in Vrbe præsentium in Camera Consistorii, in qua rumpitur Annulus Piscatorius, & plumbum, & mandatur, ut sigillentur omnes supplicationes existentes penes Datarium tam datatæ, quàm non datatæ,* Paris. cit. q. 13. n. 125.) *& per consequens publicare, excusetur, quò minùs incurrat pœnas ob non publicationem statutas?*

REspondeo affirmativè; dicitur enim hoc justum impedimentum, quia non potuit removeri, Paris. *loc. cit. n.* 126. qui etiam *n.* 127. id probat *ex Constitut. Julii* III. quæ incipit: *Mentis & intentionis:* in qua sic loquitur Papa: *Nos cupientes litium dispendiis, & litigatorum sumptibus consulere, motu proprio, & de certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, instantias ac fatalia quarumcunque causarum in, quocunque foro, tam Ecclesiastico, quàm sæculari, ac coram quibuscunque Judicibus tam ordinariis, quàm extraordinariis Urbis nostræ indecisis, quovis modo pendentibus à die obitûs præfati Prædecessoris nostri usque ad præsentis nostri motûs proprii datam nullo modo currisse; sed tempora prædicta fuisse, & esse de medio tollenda, minimèque in instantiis seu fatalibus causarum, tam civilium, quàm criminalium, tam profanarum, quàm Ecclesiasticarum, ac etiam feudalium fore & esse computanda, liceréque propterea earundem causarum persecutionem fieri, acsi tempus prædictum intermedium minimè fuisset decursum, &c.* Et hoc nullâ aliâ ratione, quàm quia, cùm jus tunc non reddatur, fuerunt justo impedimento impediti, quæ ratio in præsenti casu quoque militat; cùm tunc non expediantur literæ.

***

Quæstio 805. *Quæ pœnæ sint statutæ ob non factam intra præscriptum tempus publicationem, vel ob non servatam in hac publicatione formam præscriptam in Constitut. Gregor.?*

REspondeo: Ob omissam, vel non legitimè factam publicationem, in pœnam annullatur ipso facto resignatio, omnésque gratiæ & dispositiones talium beneficiorum, seu jurium, cum omnibus inde secutis, sunt nullæ & irritæ. Paris. *l.* 11. *q.* 7. *n.* 1. *junctis nn.* 7. Castrop. *de benef. n.* 13. *d.* 6. *p.* 2. §. 6. *n.* 13. Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 62. Quæ pœna non evitatur per publicationem extra tempus præscriptum factam. Castrop. *loc. cit.* Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 304. prout hæc omnia exprimuntur in Constitut. Gregor. hisce verbis: *Quòd si quicquam prædictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt, elapsis, omnes dispositiones & gratiæ resignatorum, & cessorum beneficiorum, aut jurium hujusmodi cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis sint irritæ, & inanes, &c.* Ac proinde resignatione jus nullum acquiritur Resignatario; etsi enim per provisionem factam à Papa, vel Ordinario ex causa resignationis jus plenè acquiratur in beneficio, pendet tamen jus illud (intellige, quoad perdurare, & conservari) à conditione; si fuerit facta publicatio, & interim est velut in pendente. Paris. *cit. q.* 7. *à n.* 2. citans Pavin. *de pot. Capitul. Sed. vac. prælud.* 1. *v.* 9. Sarn. *de public. q.* 7. *col.* 2. *in fine.* Oldr. *cons.* 283. *col. penult. &c.* Sed neque solùm (quod hinc sequitur) retinere non potest Resignatarius tale beneficium; verùm etiam nec per novam provisionem obtinere; sed est ad illud, aliáque jura inde secuta omnino inhabilis. Castrop. Ventrigl. *ll. cit.* Paris. *n.* 18. dicente Papâ in dicta Constitutione sua: *nullâ alia gratia super hujusmodi beneficio, seu jure cesso iis, quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles, & incapaces sint, hujusmodi beneficia sic resignata, & cessa quomodocunque obtinendi, &c.* Unde jam Resignatarius, qui ob non factam publicationem perdidit jus, non poterit capere beneficium illud vigore clausulæ generalis, de stylo apponi solitæ in supplicatione ac literis: *vel alio quocunque modo vacet;* annullatâ enim resignatione, annullatur quælibet vacatio ex ea resultans. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 13. *&* 14. hoc ipsum etiam hac ratione confirmans *n.* 16. quòd dicta clausula: *quovis modo,* juxta communem sensum & stylum, de quo testetur Sarn. *de public. q.* 16. capiat tantùm vacationem, tempore datæ provisionis contingentem, & sic beneficii, quod jam vacat de præsenti; non tamen capiat vacationem, quæ extrinsecus, & in futurum contingere potest; eò quòd, sicut non extendit se ad vacationem ex persona alterius, ita neque ad vacationem contingentem alio tempore; adeóque in præsente casu dicta clausula se non extendat ad vacationem ortam ob non factam publicationem, quæ diversa est ab ea, quâ vacabat ex resignatione. Quod tamen non caret difficultate; cùm ob non factam publicationem non tam inducatur nova vacatio, quàm jus illud quæsitum Resignatario, resolvatur tantummodo juxta dicenda *qu. seq.* Sed neque, ut dictum, juvabitur talis Resignatarius possessione pacificâ etiam triennali. Ventrigl. Castrop. *loc. cit.* quamvis ex triennali pacificâ possessione præsumatur facta publicatio. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 313. de quo paulò post.

Qua-

Quæstio 806. *An hæc pœna extendat se quoque ad Resignantem, ita ut is annullata ob non factam à Resignatario publicationem amittat, seu abdicet jus omne, quod habebat in tali beneficio, & (dum resignavit in favorem) abdicare non intendebat, nisi Resignatario acquireretur?*

REspondeo: Jus illud amissum à Resignatario in pœnam non factæ publicationis non quidem permanere apud resignantem, nec illum posse in eo casu repetere beneficium resignatum, aut agere spolio, ut rectè Paris. *cit. q.* 7. *n.* 35. non tamen id in pœnam; cùm is potuerit in hoc casu non deliquisse; sed quia is jam perfectè jus illud à se abdicavit. Siquidem ob non factam publicationem resolvitur solummodò jus quæsitum Resignatario, annullatúrque resignatio respectu illius in hoc sensu, quòd nullum vi illius jus ampliùs in beneficio habere censeatur, permanente eâ in vigore respectu resignantis, in quantum is vi illius seipsum spoliavit omni jure suo. Vide hæc pluribus explicata suprà, ubi, qualiter resignatio nulla ob non factam publicationem inducat vacationem beneficii ex Lott. *l.* 3. *q.* 21. & Card. de Luc.

Quæstio 807. *An igitur ob non factam publicationem resignatione existente nullâ, reservationes tamen pensionum, vel fructuum, aliorúmve jurium remaneant validæ?*

REspondeo affirmativè: Modò resignans, in cujus favorem factæ, possessionem dimiserit. Ventrigl. To. 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 63. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 57. dicente Constitut. Gregorianâ: *Reservationibus omnibus, nominis, administrationis, fructuum, etiam omnium, ac pensionum, & aliarum rerum quarumcunque, nec non facultatibus, indultis, & aliis concessionibus tam ipsis resignantibus, seu cedentibus, quàm possessionem ab initio reipsâ dimiserint, quàm aliis in hujusmodi resignationibus, seu cessionibus à Sede Apostolicâ factis nihilominus validis, plenúmque effectum sortituris. &c*

Quæstio 808 *An igitur talia beneficia ob non factam publicationem vacantia sint reservata Papæ?*

REspondeo: Beneficia illa intelliguntur à die resignationis factæ vacare in Curia. Ventrigl. *loc. cit. n.* 62. & sic vacantia ob non factam publicationem sunt reservata Papæ; adeóque Inferior nemo in eorum collatione, seu provisione se intromittere debet. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 37. juxta expressa verba Constitut. Gregor. *ipsa beneficia, sive jura sic à principio vacantia à Sede Apostolica duntaxat impetrari valeant.* Proceditque idipsum, etiam dum beneficium resignatum coram Ordinario ab eodem collatum Titio, dum is factam hanc sibi provisionem non publicavit, ita ut illud quoque reservatum sit Papæ, & Ordinarius denuo de illo disponere nequeat, cùm prædicta verba Papæ sint omnino generalia. Paris. *n.* 40. & 41.

****

Quæstio 809. *An, & qualiter beneficia vacantia ex dicta causa à quocunque impetrari possint?*

1. REspondeo primò: Quemlibet posse hæc beneficia tanquam omnino vacantia impetrare. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 62. & *q.* 10. *n.* 3. Castrop. *loc. cit. n.* 14. juxta dicta Constitut. Gregor.

2. Respondeo secundò: Impetrari tamen nullatenus, seu nullo modo etiam à Papa poterunt, nisi specialiter expresso hoc vacationis modo, nec non Resignantis & Resignatarii nominibus, ita ut concessio motu proprio facta nullatenus suffragetur, minùs impetratio cum quibusvis derogationibus, ac clausulis generalibus vacationum. Ventrigl. *l. c. n.* 63. Paris. *cit. q.* 7. *n.* 42. & 43. Papa idipsum in Constitutione illa sua exprimente, & formam impetrationi horum beneficiorum omninò servandam præscribente hisce clarissimis verbis: *Illorum verò impetrationes, vel etiam motu proprio concessiones, quibuscunque derogationibus suffultæ, nunquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, & expressè ob non servatam præsentis Constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, & cognominum resignantis, seu cedentis, & gratiam habentis dispositivè, & non conditionaliter fieri omnino debeant, &c.* Porrò impetratio facta sub hac ipsa forma ante elapsum tempus datum ad publicandum est nulla, etiamsi postea Resignatarius non publicet. Paris. *n.* 44. citans Sarn. & Rebuff. ac Rotam, hanc sententiam ut veram, & justam sæpe approbantem, & juxta eam judicantem; quia jus in re plenum (quale in tali beneficio habet Resignatarius ante publicationem) etsi possit resolvi, non est tamen alteri conferibile ante resolutionem, & beneficium vacans confertur, & non, quod potest vacare. Paris *n.* 45. & 46.

Quæstio 810 *An illa igitur etiam beneficia impetrari nequeant, nisi impetrans concludenter probet, non esse factam publicationem?*

1. REspondeo affirmativè. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 108. Ventrigl. *loc. cit. n.* 86. (qui etiam expressè ait, hanc probationem concludenter faciendam esse, nec sufficere præsumptiones ad illam. Et hinc, si impetrans doceret de publicatione facta extra tempus, non dicendum, per hoc fundasse intentionem suam; quia, cùm hic sit actus iterabilis, potuit facta fuisse alia publicatio debito tempore) Lott. *l.* 3. *q.* 21. *n.* 13. & 14. Castrop. *loc. cit.* Paris. *l.* 11. *q.* 6. *nu.* 71. Item *q.* 10. *nu.* 3. ubi: *fundamentum impetrationis est non publicatio, & ideo pluries tentum à Rota, quòd dicenti de non publicatione incumbit onus probandi.* Item *q.* 14. *nu.* 5. Siquidem publicatio præsumitur facta in tempore. Paris. *cit. q.* 14. *nu.* 6. citans Gamb. *de pot. Leg. de lat. l.* 3. *nu.* 453. Etsi enim aliàs facta non præsumantur, factum tamen præsumitur, quod jure faciendum erat. Paris. *ibid. nu.* 7. citans Mascard. *de prob. concl.* 734. & ob id factum præsumitur, cùm est consuetum fieri. Paris. *ibid. n.* 8. citans Mascard. *ubi antè, concl.* 732. *num.* 5. Cravet. *de antiq. temp. p.* 4. *num.* 230. *&c.* Et hoc præcipuè, ut actus sustineatur, eóque magis, cùm id, quod consuetum est fieri, est accessorium ad principale (qualiter publicatio est

consueta fieri, & est accessoria ad expeditionem literarum ipsius resignationis) Paris. *ibid. n.* 21. citans Felin. *in c. cùm M. Ferrariensis. n.* 7. *de Constit.* Curtium Jun. *in l. si emancipati. n.* 9. *c. de collat.* Item actus præsumitur factus omni meliori modo, ut prosit facienti. Paris. *ibid. n.* 14. citans *l.* 1. *&* 2. *ff. de solut.* Barth. *in l. gerit. n.* 21. *ff. de acquirenda hæredit.* Menoch. *de arb. cas.* 126. *n.* 8. *&c.* Præsumptio etiam juris est probatio liquidissima. Paris. *n.* 15. citans *l.* 1. *ff. de legib.* C. Paris. *cons.* 32. *n.* 45. *vol.* 1. *&c.* & relevat ab onere probandi, & adversarium graviore onere probandi inquietat. Paris. *n.* 16. citans *l.* 1. *c. de probat.* Abb. *in c. nihil. n.* 14. *de elect.* Card. Paris. *cons.* 42. *vol.* 3. *&c.* Hinc negativa probanda est per illum, qui in ea se fundat, sive agendo, sive excipiendo; sive sit negativa juris, sive facti, sive qualitatis. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 9. citans Gl. *in l.* 2. *ff. de prob.* Bartol. *in l. in illa, de verb. oblig.* Innoc. *in c. super his. de accus.* Mascard. *de prob. concl.* 1087. *nu.* 1. C. Paris. *cons.* 123. *vol.* 1. & plures alios. Quodipsum fundatur in illa communi Regula Juris: quòd unusquisque tenetur probare ea, quæ sunt fundamentum suæ intentionis. *l. qui accusare,* & ibi communiter AA. Paris. *nu.* 10.

2. Procedúntque hæc (nimirum quòd publicatio præsumatur facta legitimè per Resignatarium, & quòd impetrans ob non factam id probare teneatur) dum Resignatarius per triennium quietè possedit illud beneficium; ex tali enim possessione juxta dicta suprà sine dubio præsumitur publicatio. Lott. *loc. cit.* Paris. *cit. q.* 14. *nu.* 26. si enim ex ea præsumitur rectè dispensatio, quæ est quid pendens à facto Superioris, multò magis facta à Resignatario, qui habet titulum, & possessionem, publicatio, quæ non requirit factum Superioris, sed proprium Resignatarii. Paris. *n.* 28. Accedit, quod verosimiliter Ordinarius non permisisset per triennium sine publicatione beneficium resignatum possideri.

Quæstio 811. *Quâ ratione possit, ac debeat impetrans probare non factam legitimè publicationem?*

1. Respondeo: Probari posse primò ex confessione partis. Castrop. *loc. cit. n.* 15. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 70. negativa enim per confessionem partis probatur. Paris. *ibid.* citans Bald. *in l.* 2. *c. de non num. pecun.* Herculan. *tr. de negativa. nu.* 196. & apud illum DD. communiter; nulla enim major & excellentior est probatio confessione partis. Paris. *nu.* 71. citans Abb. Felin. &c. communiter *in rubric. de probat.* Et hinc, licèt contra præsumptionem juris, & de jure non admittatur probatio, admittitur tamen confessio partis. Paris. *nu.* 74. citans Alex. *cons.* 46. *l.* 6. Card. Paris. *cons.* 75. *col.* 5. *l.* 2.

2. Secundò per illas personas, per quas actus affirmativus, nempe publicatio fieri debebat, & tamen per eas factus non est, ut sunt Notarii, vel qui de eo facto scire debebant, & non sciunt, ut sunt Canonici, Beneficiati, & alii Clerici, qui solent in Ecclesia Cathedrali diebus festivis interesse divinis. Paris. *loc. cit. n.* 60. qui hoc modo probari negativam ait, *n.* 61. citatis quamplurimis, præcipuè Abb. & Felin. *in c. tertio loco. de probat.* & Herculan. *de negativ. n.* 162. Item Paris. *nu.* 63. communem esse ait, opinionem, negativam posse probari per testes, per quos ex consuetudine, seu communiter contingentibus affirmativa sciri consuevit, & nunc non scitur; citátque pro hoc Barbat *in cit. c. tertio loco. col.* 2. Alex. *cons.* 214. *l.* 2. Bartol. *cons.* 81. *&c.* qui testes, si concordent, concludant. Paris. *cit. n.* 63. citans Felin. *in c. cùm Joannes. de fide instrum.* Cravet. *cons.* 56. Esse tamen probationem tantùm præsumptivam, ait *n.* 65. ex Herculan. *loc. cit. n.* 249. sicut depositio testis, quia sum vicinus. Qualiter autem testes debeant deponere super probatione hujus negativæ, latè explicari ab Herculan. *loc. cit. n.* 318. Mascard. *de probat. concl.* 1087. & aliis à se citatis *ibid.* ait Paris. *n.* 69.

3. Tertiò per coarctationem loci & temporis, v. g. ex literis non expeditis in tempore apto, ut intra terminum Constitutionis Gregorii deferri potuerint ad locum publicationis. Garc. *p.* 11. *c.* 3. *num.* 317. Castrop. *loc. cit.* Paris. *cit. qu.* 14. *n.* 56. citans Rotam *in Salmant. pensionis.* 2. *Junii,* 1584. & *in Oximens. Scholast.* 9. *Febr.* 1590.

4. Quartò ex non expeditis literis, utpote sine quibus fieri nequit publicatio, quæ carentia expeditionis literarum optimè probari potest ex libris Cancellariæ, Cameræ, & Registro secreto parte citatâ; quia, cùm ibidem remaneat omnium literarum testimonium, eo non apparente, convincitur, literas expeditas non esse. Castrop. *loc. cit.*

5. Quintò per actus incompatibiles cum ipsâ affirmativa, nempe cum facta publicatione. Paris. *n.* 58 Nihilominus Lott. *loc. cit. n.* 15. Ventrigl. *cit. n.* 86. & Garc. *loc. cit. n.* 316. juxta Decis. Rotæ *in Ripana benefic.* 17. *April.* 1600. concludunt, cùm præsumptio & verisimilitudo non probent in hac materia, hanc negativam publicationis non probari per confessionem partis, vel quòd literæ non fuerint expeditæ intra tempus ad publicandum. Quin & addit Ventrigl. & Lott. posteriorem hunc modum tutiorem esse & irrefragabilem, ac priorem, nempe per confessionem partis de non facta publicatione, esse minùs tutum, ut Lott. *n.* 21. & hinc observandam qualitatem hujus confessionis, ne sit de simplice facto ipsius confitentis, qui fassus fuerit, se non publicasse; eò quòd inde non concluderetur negativa absoluta non publicationis; cùm ea potuerit fieri per resignantem, cui non minùs, quàm Resignatario ea permissa est in ipsa Constitut. Gregor. ut respondisse ait Rotam apud Gregor. *Decis.* 288. *n.* 2. Proinde etiam illud notandum, quod tradit Castrop. *loc. cit.* ex eo, quòd Resignatarius possessionem beneficii non obtinuit intra tempus, non convinci, literas non fuisse publicatas; cùm ad publicandum non sit necessaria possessio: adeóque provisionem in forma *dignum,* si per ipsum non stet, quò minùs collationem habeat, & beneficii possessionem accipiat, satisfacere Constitutioni Gregorianæ, si collationem petat, & pro possessione instet (quod tamen intellige, non quòd per hanc petitionem satisfaciat illi quoad publicationem faciendam; cùm hæc per æquipollens, ut dictum, impleri nequeat, sed quoad capiendam possessionem)

& sic ex collatione non facta non inferri literas publicatas non esse.

* * *

Qua-

Quæstio 812. *An in literis provisionis, quæ conceduntur impetranti ob non factam publicationem, apponi necesse sit hanc clausulam*: vocato possessore.

REspondeo affirmativè. Paris. *l.* 11. *q.* 10. *n.* 9. dicens, hanc esse veriorem & crebriorem; eò quòd, licet, dum quis privatur ipso jure beneficiis, illáque possint à quolibet impetrari, is non sit vocandus in eorum collatione, nihilominus possessione dejici non potest inauditus; sed debet vocari per Executorem, argumento *c. licet Episcop. de præb. in* 6. Paris. *loc. cit. n.* 10. citatis plurib. Cujus ulterior ratio est, quòd, licèt ipso jure dominium sit amissum, ex quo ad titulum non requiritur, ut vocetur, non tamen amissa sit possessio. Paris. *à n.* 11. Adeoque necesse est, possessorem ratione non amissæ possessionis vocari, & consequenter Executor, eo non vocato, in possessionem mittere non potest illum, cui facta collatio ob non publicationem. Paris. *n.* 14. Unde ait idem *n.* 15. concludere DD. omnes, quòt, quando in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo est ipso jure privatus, possessionem facti tradi non posse per conferentem vel Executorem, eo non vocato, & sic sine causæ cognitione. Accedit, quòd forsan tali possessori jus competere posset, & docere talis resignatarius in continente de publicatione facta, vel derogatum publicationi, vel tempus sibi prorogatum. Paris. *n.* 18. quem etiam vide objecta in contrarium pluribus diluentem.

Quæstio 813. *Qualiter elidi possit intentio Actoris in hac materia*?

RESpond. Si Actor actionem suam dirigat contra resignatarium, licèt non admittatur hujus excusatio ex juris vel ignorantia, vel dubietate, juxta dicta à nobis suprà; tamen facilè submovebitur actor, si resignatarius doceat, sibi factum indultum à Papa, ne teneatur publicare, modò illud producat; vel si ostendat, sibi prorogatum tempus ad publicandum, & illud nondum elapsum, cùm fuit facta impetratio. Vel etiam sibi concessam restitutionem adversus lapsum temporis; cùm, licèt provisio nova, ut dictum suprà, in hac parte nihil operetur, aliud tamen dicendum sit de ipsa restitutione, dum impetrans non docet, sibi ante hanc restitutionem jus quæsitum; si enim is, qui nititur restitutioni, doceat, se post obtentam restitutionem publicasse, remanet elisa impetratio. Ita ferè Lott. *l.* 3. *q.* 12. *à n.* 32. Attendendum verò ait idem Lott. *à n.* 36. ne reus volens elidere intentionem actoris, se proprio ligone feriat, producendo publicationem nullam ex defectu formæ, vel extra tempus factam; eò quod licèt publicatio sit actus iterabilis, ideóque ostensâ unâ publicatione minùs validâ non concludatur ad objectum; cùm possit dari instantia alterius factæ legitimè; si tamè ipse reus illam produceret, censeretur hinc fateri, se aliam non habere, pro quo citat Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 329. Quod si verò actor dirigat actionem suam contra ipsum resignantem, & adhuc possessioni incumbentem, vel etiam tertium adhuc impetrantem, duriorem provinciam subire, ait Lott. *loc. cit. n.* 39. si ostendatur nullitas ipsius resignationis, veluti si proponatur in ea non expressus verus valor, vel quia fuit invalida ex defectu consensûs, vel aliàs non potuit sortiri effectum.

Quæstio 814. *An, quando, & qualiter ipse Resignatarius factam à se publicationem teneatur exhibere, & probare*?

1. REspondeo primò: Teneri illum eam exhibere, quoties Superior vellet eam videre, astruit Paris. *cit. q.* 14. *n.* 33. dicens, sic communiter teneri ab omnibus, & in praxi receptum, probátque idipsum ex eo, quòd, quamvis possessor beneficii probare non teneatur, teneatur tamen ostendere titulum, quoties Superior ex officio inquirit, juxta *c. Ordinarii, de officio Ordinarii in* 6. & *ibi* Gemin. *n.* 7. Franc. *n.* 5. & juxta *c. licet Heli. & ibi* Abb. & Anan. *n.* 27. Butr. *n.* 12. Felin. *n.* 8. de quo vide dicta aliàs, ubi & illius extensiones & limitationes.

2. Respondeo secundò: Tenetur quoque probare utì titulum, ita & factam à se publicationem Resignatarius, quoties ipse peteret suam gratiam canonizari ad effectum aliquem Paris. *loc. cit. n.* 39. citans Innoc. *in c. ex insinuatione. de Procurat. col.* 2. *n.* 3. Rebuff. *in pr. tit. de rescrip. ad benef. vac. n.* 17. Cosmam Guimier. *in pragm. sanct. tit. de pacif. poss. v. inquirant.*

3. Respondeo tertiò: In casibus verò, in quibus ad id tenetur, debebit docere de facta publicatione per instrumentum factum à Notario publico super actu publicationis, ut requirit Constitut. Gregoriana. Paris. *loc. cit. n.* 40. Idque vel scriptum, ut fieri solet à tergo literarum, vel per instrumentum separatum. Paris. *n.* 41. Quòd si instrumentum illud deperditum, sufficere, si probet per testes actum publicationis fuisse celebratum, instrumentum desuper confectum, & hoc ipsum deperditum esse, tradit Paris. *n.* 45. citatis pluribus, qui etiam *n.* 47. ait, id procedere, si literæ ipsæ resignationis, à quarum tergo scriptum instrumentum, essent deperditæ.

PARAGRAPHVS XIII.

De Resignatione permutationis gratiâ, seu de permutatione beneficiorum.

Cùm ea, quæ permutationem Beneficiorum concernunt, jam in antecedentibus pleraque examinata sint, non nisi breviter ea perstringemus, & si quæ omissa, addemus.

Quæstio 815. *Quid sit permutatio beneficialis*?

RESpondeo definiri illam à Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 8. *n.* 1. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 1. *n.* 4. quòd sit unius juris beneficii cum alio ex causa, & de consensu Superioris reciproca præstatio: breviùs Castrop. *de benef. d* 6. *p.* 3 §. 1. *n.* 1. Murga. *de benef. q.* 3. *n.* 943. quòd sit reciproca beneficiorum resignatio facta ad invicem inter permutantes. Dicitur primò *Resignatio* quod est loco generis, continet enim permutatio in se resignationem Paris. *l.* 11. *q.* 5. *n.* 19. Dicitur secundò *Reciproca*; quia permutatio complectitur in se duplicem resignationem conditionalem duorum, quorum unus suum beneficium cedit alteri eâ lege, ut is vicissim cedat sibi suum. Unde etiam non comprehenditur hac definitione permu-

permutatio, quam vocant triangularem, vel quadrangularem, ut dum Titius cedit beneficium suum Cajo, ut is cedat beneficium suum nepoti Titii, quia non sunt veræ permutationes (utpote in quibus beneficium Resignatarii non obvenit Resignanti) sed resignationes conditionales omnino prohibitæ. Castrop. *loc. cit* citans Gonz. *gl.* 14. *n.* 58. Garc. *p. 11. c. 4. n. 22.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 30. q. 6.* quin & simoniacæ. Paris. *l. 14. q. 7. n. 63.* juxta dicta à nobis suprà. Dicitur tertiò, *Beneficiorum*; quia beneficium cum non beneficio non permutatur, intellige, propriorum, sive in quibus permutantes jus habent. Unde & in priore definitione dicebatur: juris beneficii præstatio; siquidem jus beneficiorum neque cum jure alio ad aliud beneficium, neque cum jure alio in beneficio permutatur, de quo utroque paulò pòst.

Quæstio 816. *An permutatio includat novam beneficiorum illorum collationem?*

1. Respondeo: Admissionem resignationis hujusmodi reciprocæ esse tacitam illorum beneficiorum collationem; nec aliam eorum collationem de juris rigore necessariam esse; fieri tamen eam de facto ad securiorem permutationis expeditionem, tradit Gonz *gl. 14. n. 44.* & *gl. 15. § 2. n. 57.* sìc quoque Lott. *l. 3. q. 19. n. 10.* ait: permutatio secum trahit executionem, consumatúrque in simplici Superioris admissione, adeò ut non sit necessarius actus collationis. citat pro hoc Innoc. *in c. inter cetera. de præb. n. 3.* Archid. *in c. unic. de rer. permut. in 6. n. 2.* ac præcipuè Federic. de Senis *cons. 73. n. 5. ad finem.*

2. Contrarium tamen, nempe intercedere hìc necessariò distinctam ab admissione collationem illorum beneficiorum, tenent probabiliùs Garc. *p. 11. c. 4. à n. 85.* citans Less. *l. 2. de Justit. c. 34. n. 197. &c.* Castrop. *loc. cit.* eò quòd compermutantibus concedi nequeant beneficia priusquam vacent; illa autem non vacent, nisi per admissam eorum resignationem, adeóque hæc admissio necessariò præcedere debeat collationem, & non possit fungi simul vice collationis. Atque ita etiam, si præsentibus permutare volentibus, & petentibus renunciationem suam admitti, & collationem hinc inde fieri, Episcopus diceret; *placet nobis, & permittitur*: etsi de subtilitate juris videri posset, & sustineri (ut ait Federic. apud Garc. *loc. cit. n. 86.*) illâ brevi locutione illos resignasse, & Episcopus acceptasse, & contulisse; adhuc tamen non apparet, quomodo hic intercesserit vacatio, quæ essentialiter supponitur ad collationem novam, ut rectè Garc. *n.* 87. intellige, si Episcopus uno eodemque indivisibili actu censeatur & admisisse resignationem, & contulisse (secus, si id fecisset duplici actu, quorum unus, nempe admissionis prior esset suo modo naturâ altero actu collationis) adeóque idipsum etiam, quantum est de subtilitate juris, adhuc non subsisteret; & consequenter non tantùm tutius est, ut fiat expressa resignatio, resignationis admissio, & collatio, utì id servat consuetudo; sed & id fieri necesse est, saltem ut fiat collatio distincta ab admissione.

3. De cetero, etsi admitti non possit resignatio ex causa permutationis, quin simul admittatur conditio collationis faciendæ illis compermutantibus, adhuc tamen illam admissionem non esse tacitam collationem ex eo patet, quòd taliter admitti possit resignatio, quin beneficia resignata collata hoc ipso censeantur, vel etiam mox conferantur; dum etiam longo tempore post admissam resignationem ex causa permutationis fieri possit collatio; imò sæpè priùs uni ex permutantibus, & postmodùm alteri. Et Papa frequenter admittit talem resignationem, & uni ex permutantibus, quia Romæ est, beneficium confert, alteri autem mandatum concedit in forma *dignum*. Ex quo manifestè constat, admissionem resignationis non esse collationem beneficiorum. Castrop. *loc. cit. n. 3.*

Quæstio 817. *An nomine resignationis prolato in dispositione aliqua veniat etiam resignatio hæc reciproca, seu resignatio permutationis gratiâ?*

Respondeo negativè; præscindendo enim à materia subjecta aliud forsan postulante, venit sola resignatio simplex, & non in favorem, qualis est hæc resignatio permutationis gratiâ Gonz. *ad reg. 8. gl. 14. n. 5.* Chok. *de permut. benef. c. 4.* contra Paris *de consident. q. 25. n. 8.* ubi; esto, quòd Constitutiones loquantur tantùm de resignatione, nihilominus comprehendunt resignantes permutationis gratiâ; quia permutatio vera, pura, & simplex resignatio dicitur. citat pro hoc Rotam *decis. 16. de rer. permut. in antiq.* Sarn. *de public. q. 3. n. 2.* Sic gratia exspectativæ: cùm primùm per cessum vel decessum vacarit, non capit beneficium resignatum ex causa permutationis. Gonz. *loc. cit. n. 20.* citans Paris. *de resig. l. 1. q. 4. n. 29.* Vide dicta à nobis suprà, ubi, quænam resignatio veniat nomine resignationis.

Quæstio 818. *An permutatio sit favorabilis, an odiosa?*

Respondeo: esse favorabilem. Paris. *de resign. l. 1. q. 18. n. 6.* Gonz. *gl. 14. n. 54.* citans Mandos. *ad Reg. de infirm. resign. q. 12. n. 3. & seq.* dumè contra resignatio non reciproca in favorem certæ personæ est odiosa; quia per eam non providetur beneficiis, ut fit in permutatione, sed personis. Paris. *loc. cit.* Gonz. *loc. cit.* ex Mandos. *ubi antè q. 13.* majorésque dantur occasiones fraudis in resignantibus in favorem, quàm in permutantibus. Gonz. *loc. cit. n. 53.* citans. Mandos. *ubi antè n. 1.* & Gomes. *ad reg. de public. q. 3. ad finem.* Unde etiam permittitur permutatio fieri coram Ordinario, non autem alia resignatio in favorem. Gonz. *n. 57.* de quo infrà.

Quæstio 819. *An permutatio inducat vacationem?*

Respondet Gonz. *gl. 14. n. 50.* beneficia, præcipuè ad effectum vacationis non dici verè vacare ex causa permutationis; è contra ex permutatione dari novam vacationem, tradit Lott. *p. 2. q. 14. n. 8.* & sicut per resignationem (intellige puram, simplicem & non reciprocam) vacat beneficium, ita & vacare illud per permutationem, ait Paris. *de consid. q. 25. n. 9.* & *de resign. l. 11. q. 5. n. 20.* sic etiam Castrop. *loc. cit. n. 2.* ait, beneficia permutata prius per resignationem vacant, quàm conferantur. Verùm vide hac de re dicta sup. à, ubi, qualiter resignatio conditionata inducat vacationem.

Quæstio 820. *An ius ad beneficium permutari possit cum jure ad beneficium aliud, vel etiam cum beneficio?*

Respon-

REspondeo : Quamvis habens jus solùm ad beneficium, illud beneficium permutare nequeat cum alio beneficio, vel etiam cum jure alterius ad aliud beneficium. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 8. n. 2.* ubi: *ad validitatem permutationis* (intellige beneficiorum) *requiritur, quòd permutantes habeant jus in re super beneficiis permutatis, nec sufficit, quòd habeant jus ad rem.* & *n. 9.* Chok. *de permut. p. 1. c. 1. n. 5.* ubi: *beneficium virtute exspectativæ cum beneficio alterius permutari non potest, etiam cum auctoritate Superioris.* Garc. *p. 2. c. 4. n. 16.* ubi: *permutatio solùm fieri potest de beneficiis propriis.* & *n. 19.* ubi: *si unus ex permutantibus non habet jus in beneficio, non valet permutatio.* pro quo citat Less. *l. 2. c. 34. n. 195.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. &c.* Et sic nominatus, præsentatus, electus ad beneficium, admissus ad Parochiam per concursum ante institutionem, vel confirmationem, ut Tond. *loc. cit. n. 5.* Chok. *loc. cit.* (idem est de habente exspectativam, vel etiam collationem) ante ejusdem collationis acceptationem permutare nequeunt hæc beneficia, ad quæ solum jus habent; eò quòd resignari ab aliquo nequeat, multóque minùs in favorem, aut permutari, quod non, seu necdum habet, seu quod illius non est. juxta *c. 1. de rer. permut.* ubi dicitur sua, beneficia, & beneficiorum quæsitorum, non quærendorum permutatio permittitur. & *l. 1. ff. de rer. permut.* ubi: *rei certæ & propriæ, non alienæ permutatio valet.* unde etiam infert Chok. *loc. cit. n.* 10. non valere permutationem factam per Procuratorem constitutum tempore, quo constituens non erat Dominus beneficii, etsi tempore, quo Procurator permutavit, constituens jam factus sit Dominus beneficii. Jus tamen tale ad beneficium v.g. quod quis habet vi præsentationis, electionis, vel exspectativæ cum alio jure ad beneficium permutari posse, dum adest legitima Superioris auctoritas; eò quòd, si beneficia per reciprocam resignationem transferantur de persona in personam, non adsit ratio, cur non etiam jura ad beneficia similiter transferri possint, si legitimus Superior consenserit, tradit Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 2. n. 15.* Contra Garc. *loc. cit. n. 17.* ubi ex sententia à se citatorum. *n. 16.* infert, non posse fieri permutationem de jure ad rem, pro quo citat Zerol. *in pr Ep. p. 2. v. renunciatio. §. 1.* Azor. *ubi antè. q. 22.* Cuchum. Delphin. &c. Item contra Paris. *l. 2. q. 23. n. 4. & 15* Corrad *pr. benef. l. 5. c. 1. n. 42.* Chok. *loc. cit. n. 4. & 5. & seq.* & alios censentes, non posse hoc jus cedi seu resignari in favorem certæ personæ; cùm transferri nequeat in alium: & hinc in specie exspectativam unam cum alterius exspectativa permutari non posse: quorum sententiam secutus fui suprà, ubi, an resignari possit beneficium, super quo resignans habet solùm jus ad rem. Qui tamen AA. ut expresè Chok *loc. cit. n. 9.* uti & Tond. *loc. cit. n. 9.* ex Paris. *l. 2. q. 10. n. 5.* limitant hoc ipsum, quòd ejusmodi jura resignari nequeant (intellige in favorem) nisi tamen facta esset resignatio coram Papa, qui admitteret resignationem habitâ scientiâ exspectativæ cum derogatione. Sic quoque Lessius, postquam *loc. cit. n. 199.* dixisset communiorem sententiam, nempe quòd jus ad beneficium, præsertim gratiæ exspectativæ, cum alio jure simili ad beneficium, vel in beneficio permutari nequeant, addit: *puto tamen, has permutationes non esse irritas, si Ordinarius illas admittat; quia nusquam hoc jure expressum; & interveniente auctoritate Superioris in hujusmodi non committitur simonia; cùm sint res spirituales. Unde si objustam causam, v.g. ad litem componendam fieret, non putarem damnandum.* Suarez etiam *de relig. l. 4. c. 31. n. 19.* apud Garc. *cit. n. 17.* tradit, talium jurium permutationes fieri posse in manibus Prælati, si aliàs habentes talia jura haberent facultatem transferendi eadem in alios.

Quæstio 821. *An beneficium cum non beneficto, puta cùm pensione Ecclesiastica, decimis, cum præstimonio, cum hospitali, commenda, titulo patrimonii, fungente vice beneficii, permutari possit?*

1. REspondeo primò: fieri non potest permutatio beneficii cum alia re, etiam spirituali non beneficio. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 4. §. 8. n. 25.* cum communi Doctorum *in c. fin. de rer. permutatione.*

2. Respondeo secundò: In specie permutari potest beneficium cum pensione, si ea assignata est Clerico in titulum beneficii. Chok. *de permut. p. 2. c. 18. n. 1.* citans Gig. *de pens. q. 33.* Paris. &c. Secus est de pensione non titulata, seu simplice; hæc enim, etsi Ecclesiastica sit, seu assignata Clerico de fructibus beneficii, cùm tamen non sit quid perpetuum, sed temporale, cum beneficio permutari nequit. Paris. *l. 2. q. 15. n. 10.* Barbos. *juris. Eccles. l. 3. c. 15. n. 179.* Chok *loc. cit. n. 2. & 8.* quin etiam, cùm temporale quid sit, habens annexum duntaxat aliquid spiritualitatis dependenter, & consequenter non solùm irritam esse talem permutationem, sed & simoniacam; eò quòd temporale cum spirituali permutetur, asserit Chok *ibid. n. 4. & 8.* imò committi in hoc simoniam juris divini, asserit Barbos. *loc. cit.* unde etiam ne quidem à Papa expediri posse talem contractum per modum permutationis, licèt alio modo possit, ut puta, in subsidium sustentationis resignantis beneficium; cùm tunc non tanquam pretium beneficii sit pensio, sed tanquam alimentum, quod Papa suâ potestate confert, tradit Chok. *cit. n. 4. & 5.* ex Redoan. *de simon. p. 3. c. 11. n. 12.* atque ita concludit Chok. *cit. n. 8.* talem permutationem non subsistere nisi in præjudicium resignantis, qui proinde redire non possit ad suum beneficium, utpote quod ex delicto hoc suo amisit, præterquam quod beneficia simoniacorum vacent.

3. Respondeo tertiò: Neque permutari potest beneficium cum decimis. Tond. *loc. cit.* citans Rebuff. *in pr. p. 3. de permut. n. 24.*

4. Respondeo quartò: Neque cum Capella non erecta in titulum, seu cum legato aut fundatione simplice. Tond. *loc. cit. n. 26.* citans Papon. *l. 1. tit. 7. arresto* 1. Mantic. *de tacit convent. l. 25. tit. 9. n. 43.* Sanch. *cons. moral. l. 2. c. 3. dubitat. 37. n. 18.*

5. Respondeo quintò: Neque cum hospitali, dum illud tantùm datur Clerico in administrationem, adeóque beneficium non est. Tond. *cit. n. 26.* ex Sanch. *loc. cit.* etsi de cetero hospitalia sic data in administrationem clerico, resignari possint in favorem, juxta dicta aliàs, ubi, an resignari possint hospitalia; secus est de hospitali, quod confertur in titulum beneficialem. Chok. *loc. cit.* qui etiam, quòd tale sit, colligi dicit ex eo, quando habet campanile cum campana ad congregandos homines pro divino Officio, prout scribit Mandos. *ad reg. de annal. q. 10.* Milis *v. beneficium n. 4.*

6. Respondeo sextò: Neque cum præstimonio, seu portione præstimoniali (quod vel quæ est annuus quidam reditus ex beneficiorum reditibus detractus, destinatúsque ad sustentandos juvenes studentes. Chok. *de permut. p. 2. c. 6. n. 1.*) dum juxta

hanc

hanc primam sui institutionem non est beneficium, seu non datur in titulum perpetuum, habentem annexum obsequium aliquod spirituale, Paris. *l.2.q.1.n.25.* secus est, dum præstimonium est beneficium, uti hodiedum ferè sunt pluraque, præsertim in Hispania. Chok. *loc.cit.n.2.& 3.*

7. Respondeo septimò: neque permutari potest beneficium cum Commenda temporali, seu beneficio ad tempus commendato; quia Commendatarius nullum jus seu titulum habet in tali beneficio, sed solam administrationem. Paris. *l.2.q.17.n.2.& 3.* Chok. *loc.cit.c.7.n.2.& 3.* qui tamen hanc addit limitationem: nisi Pontificis auctoritate expediatur permutatio, citans pro hoc Gammar. *ad c. licet, de rer.permut. in 6.n.88.* asserit tamen Castrop. *loc.mox citando.* Probabilius & has Commendas permutari posse auctoritate illius, qui eas commendavit; eo quòd hâc auctoritate transferri possit jus illud temporale, quod talis Commendatarius habet. Quod ipsum tamen Castrop. intelligere videtur non de permutatione talis commendæ cum beneficio, sed de permutatione talium commendarum inter se. De commenda autem perpetua, quòd permutari possit cum beneficio, vix dubium est, utpote per quam consequitur Commendatarius jus in illo beneficio & titulum (succedit enim commenda perpetua loco tituli. Castrop. *loc.cit.* cum communi) facitque fructus suos; quales ferè hodiedum sunt commendæ, cùm parum, aut nihil distent ab aliis provisionibus beneficiorum. Chok. *cit.c.7.n.4. 5.6.* dicens se non videre, quid intercedat, quò minùs indistinctè permutentur. Castrop. *de benef. d.6. p.3.§.2.n.2.* citans Azor. *p.2.c.29.q.11.* Garc. *p.11.c. 4.n.12.* id quidem asserens indistinctè de beneficiis datis non in titulum, sed in commendam, ac citans pro hoc plures, intelligendus tamen non nisi de datis in commendam perpetuam; loquitur enim, ut constat ex iis, quæ addit *n.13.* de beneficiis, quæ quia commendata sunt, reservata sunt Papæ, qualia non sunt, nisi quæ in perpetuum commendantur, nempe à Papa, quorum permutationem, ait *ibidem*, fieri non posse nisi coram Papa.

8. Respondeo octavo: Neque denique permutari potest cum beneficio Ecclesiastico titulus patrimonii, quo quis promotus est ad Ordines, adeóque fungens vice beneficii; eò quòd titulus ille non sit beneficium; cùm beneficium debeat esse perpetuum, nimirum absolutè & per se, hoc est, fundatione respectu singulorum possessorum duratione quadam stabili ad cujusque possessoris vitam, quod tali titulo non comperit. Chok. *loc.cit. c.13.* ex Boëtio Epo. *in Clem.unic. de rer. permut. v. si quæ beneficia*, imò addit Chok, cùm dictus titulus sit quid merè temporale, commutare cum illo beneficium fore simoniacum.

Quæstio 822. *An, & qualiter beneficium reale cum beneficio fictitio, quod de pertica nominatur, permutari possit?*

Respondeo, talem permutationem (dum v. g. habens beneficium, quod optat in alium carentem beneficio transferre, ut faciliùs hanc translationem perficiat, cum resignatio in favorem coram Ordinario fieri nequeat, fingit, alium habere beneficium, & cum illo ficto beneficio suum reale permutat) fieri non posse, & esse nullam. Chok. *de permut.p.1.c.1.n.20.* (qui etiam *n.21.* addit talem permutationem uti simoniacam & fraudulentam reprobari à Pio IV. in Constit. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater.* Ubi etiam locorum Ordinariis interdixerit, ne resignationes ex causa ejusmodi permutationis cum beneficio de pertica, seu quovis alio quocunque nomine sic dolosè, & in fraudem nominato, factæ vel faciendæ tanquam fraudulentas admittere præsumant) Less. *l.2.c.34.n. 200.* Azor *p.2.l.7.c.29.q.16.* citans quoque eandem Pii IV. Constitutionem. Castrop. *de benef.d.6.p.3.§.2. n.16.* citans Suar. *To.1.de relig.l.4.de simon.c.30.n.19.* contra Rebuff. *in pr.p.3.tit.de permut. n.14* putantem, talem permutationem fieri posse, & esse validam; eò quòd nullius interfit hæc permutatio quàm compartis seu compermutantis, dum scit alium carere beneficio, nulla per hoc fit injuria; cùm, qui dedit rem suam alteri permutationis gratiâ, possit dein suo jure cedere, & nolle vicissim rem alterius recipere, sed eam gratis alteri condonare, absque eo, quòd per hoc irritetur permutatio. Quin etiam si bona fide id fecit, nesciens alterum carere vero beneficio, possit redire ad suum beneficium, & alterum cogere, ut acceptum restituat, vel ut impleat contractum. Item contra Lott, *l.1.q.31.n.25.* dicentem: defectus dotis, quam beneficium priùs habuit, & dein amisit, non operatur, ut non sit ampliùs beneficium, sed ut dicatur beneficium de pertica & impermutabile ob præsumptam fraudem, quâ ideo cessante adhuc posset fieri permutatio, & sustineretur; pro quo citat Decium *cons.* 210. *n.* 5. & Gomes. *l.* 1. *decis.28.* Idem tenet Ventrig. *To.2.annot.4.§.2.n.40.* Verùm manifesta est in contrarium responsionis nostræ ratio, nempe quòd permutatio generatim sumpta est certæ rei ad alteram mutua præstatio. *l.1. ff. de rer. permut.* Adeóque res, quæ nusquam est, nec dari, nec permutari potest. Ac ita, si de facto nulla est res, quæ transferatur, seu vicissim præstetur, non tam celebratur permutatio, quam donatio, adeóque in præsente non fit resignatio permutationis gratiâ, sed purè resignatio & translatio in favorem, cui Superior non consentit (nec consentire potest, si est Ordinarius) quia non consentit nisi resignationi factæ ex causa permutationis, quam credit celebrari. Castrop. Azor. *ll.cit.* & vel sic collatio, per fraudem & errorem, qui huic dispositioni seu collationi causam dedit, extorta est nulla. Less. *loc.cit. in fine.*

Quæstio 823. *An beneficium per simoniam, aut alias sine vero titulo obtentum permutari possit cum alio beneficio, ita ut interveniente auctoritate Superioris recipientis resignationem in eo jus acquirat?*

Respondeo negativè. Cùm enim quis non nisi rem suam, seu in qua jus habet, permutare valeat, compermutans recipiens tale beneficium, quod alter simoniacè, seu aliàs sine vero titulo habebat, in eo jus acquirere nequit. Idque non solùm non vi permutationis, sed nec quòd illud nova Superioris auctoritate consequi videatur; Superior siquidem causâ permutationis conferens beneficium, non simpliciter & liberè beneficium confert, sed ob permutationem: ergo, cùm permutatio sit irrita, Superior non habet voluntatem beneficium illud conferendi. Ita ferè Azor. *p.2.l.7.c. 29.q.19* citans Gamb. *de permut.benef. p.2.c.58.* qui sic sentire testetur Abb. Imol. Jo. And. Federicum, &c.

Qua-

Quæstio 824. *Quænam beneficia inter se permutari possint.*

1. Respondeo primò generaliter: Beneficia omnia permutari posse. Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 1. dicens, hanc esse generalem regulam. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 11. citans Suar. *de relig. tr.* 3. *l.* 4. *c.* 34. *n.* 1. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 1. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 3. patet ex *tit. de rer. permut.* patitur tamen generalis responsio hanc limitationem: nisi contrarium sit expressum. Paris. *loc. cit.* unde dari aliqua, quæ permutari nequeant, patebit ex responsione seq.

2. Respondeo secundò: De beneficiis aliquibus, de quibus fortè magis dubium videri poterat, num permutari possent, in specie. Primò permutari posse beneficia necdum, vel non possessa tam inter se, quàm cum aliis beneficiis jam possessis. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 8. *n.* 3. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 1. *n.* 4. & *p.* 3. *c.* 44. Garc *p.* 11. *c.* 4. *n.* 15. citans Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 1. Mantic. *de tacit. & ambig. convention. l.* 25. *tit.* 9 *n.* 2. & 9. Gambar. &c. Sic quoque beneficia solùm verbo à Papa collata ante expeditionem Bullarum permutari posse, tradit Chok. *loc. cit. p.* 2. *c.* 33. citans Peckium *tr. de amortizat. c.* 26. Mascard. *de prob. concl.* 846. *n.* 18. Rebuff. &c.

3. Secundò: Exempta in hoc solùm sensu, quòd sint in Ecclesia exempta à jurisdictione Episcopi, cujus tamen populus exemptus ab ea non sit, permutari possunt, etiam coram Ordinario, seu Episcopo. Pirh. *ad tit. de renunc. n.* 13. Chok. *loc. c. p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Exempta autem in hoc sensu quòd ipsa quidem etiam beneficia exempta sint ab Episcopo, subjecta tamen sint proprio Prælato, permutari possunt coram dicto Prælato, si hic habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, vel etiam aliàs privilegium recipiendi resignationes. Chok. Pith. *ll. cit.* juxta dicta à nobis alibi.

4. Tertiò: Manualia, eò quòd, licèt possessor hujusmodi beneficiorum sit revocabilis, potest tamen volente Prælato esse perpetuus. Chok. *loc. cit. c.* 9. *n.* 2. Vide circa hoc plura suprà, ubi, an manualia resignari queant.

5. Quartò, Elective, accedente tamen ad hoc, aut saltem subsequente consensu Electorum. Chok *loc. cit. c.* 10. *n.* 1. qui etiam *n.* 3. ait, dum permutatio, vel etiam resignatio horum beneficiorum fit in favorem & utilitatem personarum, sufficere consensum hunc esse majoris partis eorum, quorum interest: dum verò fit in favorem vel utilitatem Ecclesiarum, requiri consensum omnium. citat pro hoc Gemin. *in c. unic. de rer. permut. in* 6. *n.* 15. plura etiam de hoc suprà, ubi de resignatione Electivorum.

6. Quintò: Beneficia consueta, vel præbendæ consuetæ optari. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *q.* 7. citatus à Chok. *loc. cit. c.* 20. *n.* 5. cum plurimis aliis citatis suprà, ubi de resignatione horum beneficiorum. Limitat tamen hoc ipsum Chok. *ibid. n.* 7. ut non sustineatur permutatio, sed optio adhuc locum habeat, si ipsa consuetudo optandi jam ab antiquo obtinuisset, in omni vacatione, nedum simplici, sed etiam in vacatione ex resignatione permutationis gratiâ; si tamen Papa, vel Legatus clausulam derogatoriam statutorum & consuetudinum Ecclesiæ de optando expressè non inseruisset in provisione. Item limitat id. *n.* 8. ut non procedat responsio de permutatione facta ob utilitatem permutantium; eò quòd hæc ambitiosa sit & restringenda, sed de permutatione facta ob utilitatem Ecclesiarum. citat pro hac distinctione Gig. *de pens. q.* 63. *n.* 14. addit tamen, hoc posterius, nempe quòd permutatio fiat ob utilitatem Ecclesiæ, hisce temporibus rarò fieri.

7. Sexto: Beneficia Parochialia & Curata tam inter se, quàm cum simplicibus, seu non curatis permutari possunt, etiam dum possessor beneficii curati necdum factus sacerdos, seu intra annum, etiam in fine ejusdem, intra quem recipiens beneficium curatum promoveri debet ad sacerdotium, (modò, ut addit Chok. apertè non constet, permutationem fieri in fraudem, qualem aliàs sapere videtur talis permutatio intra dictum annum. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 25. fusè Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 53. Chok. *loc. cit. c* 11. *n.* 2. citans Archid. *in c. cum ex eo, de elect.* Gammar. *ad c. licet. de rer. permut. in* 6. *n.* 98. Milis *in repertor. v. permutari potest*, eò quòd licèt, intra annum promoveri debeat Curatus, jus tamen in beneficio retineat usque ad finem anni, ac ita nemini injuriam faciat, dum utitur jure suo, permutando illud cum alio beneficium simplex habente, qui tamen arctabitur quoque intra annum alium ab adepta quieta possessione dicti beneficii curati promoveri. ut Chok. *loc. cit. n.* 4. debet quoque, qui simplex permutavit cum Parochiali, subjicere se novo examini, non tamen concursui. Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 46. advertendum etiam juxta dicta aliàs de resignatione beneficii Parochialis, hodie in Curia non admitti indistinctè, & absolutè talium beneficiorum curatorum permutationes, aut resignationes, nisi exprimatur, à quo tempore resignans, vel permutans illud possederit.

8. Septimò: Pari modo permutari possunt Vicariæ perpetuæ Paris. *l.* 2. *q.* 1 *n.* 113. citatis plurimis.

9. Octavo: Episcopatus inter se permutari possunt, sed non nisi interveniente auctoritate Papæ; cùm sine hac resignare nequeant. Paris. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 59. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 26. *n.* 1.

10. Nono: Abbatiæ inter se permutari possunt. Chok. *cit. c.* 26. *n.* 2. citans Dynum *cons.* 22. *n.* 5. posséque id fieri etiam coram Legato de latere juxta *c. si Abbatem. de Elect. in* 6. ait Idem Chok. *ibid. n.* 3.

11. Decimò: Prælaturæ duarum Ecclesiarum Collegiatarum. Chok *loc. cit. c.* 27. *n.* 1. Proceditque idipsum, etiamsi Prælaturæ ambæ sint in eadem Ecclesia, & censeantur jure diverso. v. g. Præpositura, & Archidiaconatus. Chok. *p.* 3. *c.* 35. ubi etiam, quòd dignitas seu Prælatura cum simplici permutari possit, citans Mantic. *de tacitis & ambig. contract. l.* 25. *tit.* 9. *n.* 57. Non tamen invitis collegis, dum jus eligendi spectat ad Capitulum, coram Episcopo vel Legato fieri potest hæc permutatio. Chok. *ibid. n.* 2. secus est, si Episcopus ex indulto Papæ, vel ex consuetudine haberet collationem illarum dignitatum; sicut enim tunc invitis collegis conferre potest illa, ita multò magis præstare auctoritatem permutationi. Chok. *n.* 3.

12. Undecimo: Beneficia Patrimonialia (qualia dicuntur, non quod à paterna hæreditate proveniant, utpote instituta à parentibus, vel avis, ut conferantur filiis, nepotibus aliisque, eorum descendentibus, sed quæ ex concessione Apostolica, aut statuto Apostolicâ auctoritate confirmato, vel ex immemoriali consuetudine necessariò conferenda non sunt, nisi incolis seu originariis alicujus patriæ, Urbis, oppidi, Parochiæ. Chok. *loc. cit. n.* 12.) etsi enim eorum permutationes, vel etiam aliæ resignationes (intellige in favorem) venentur recipi per Bullam Alex. VI. ut referunt Gonz. *gl.* 9. §. 1. *n.* 2. Chok. *loc. cit. n.* 1. Idque usque adeò ut juxta re-

sponsionem S. Congregat. *ad c. 15. sess 25. Trid.* quam refert Chok. *loc. cit.* Decretum illud Tridentini, quo cavetur, ut, si pater & filius in eadem Ecclesia beneficia habere comperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare vel permutare, locum non habeat in filio, etiam illegitimo, habente beneficium patrimoniale, quod permutari non potest in Ecclesia, in qua idem Pater habet, ei tamen non inservit ob Paralysim, si concessum sit tali filio, ut retineat, quia permutare non potest. Id tamen sic intelligendum, ut non resignentur, vel etiam permutentur iis, vel cum iis, qui quoque filii patrimoniales, seu incolæ ejusdem loci sunt, juxta expressam Rotæ *decis. in Jacensi Rectoriæ. 19. Octob.* 1598. quam citat Chok. *loc. cit.* ubi dicitur: *beneficia, quæ debentur ex indulto Apostolico filiis Patrimonialibus, non possunt permutari ad favorem filiorum non patrimonialium.*

13. Duodecimò: Beneficia juris patronatûs, qualiter autem ad eorum permutationem requiratur consensus patroni, vide fusè explicatum suprà, ubi qualiter resignari possint ea beneficia.

Quæstio 825. *Quænam beneficia inter se permutari non possint?*

1. Respondeo primo: Beneficia reservata Papæ, sive generali sive speciali reservatione, vel etiam quorum unum reservatum, & alterum non reservatum, permutari non possunt coram Ordinariis, vel etiam Legatis de latere, sine speciali Sedis Apostolicæ mandato. Chok. *de permut. p. 2, c. 2. num. 2. 3. 7.* Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 1. nu. 26.* Vide hoc ipsum fusè tractatum suprà, ubi, num reservata resignari valeant. Atque ita jam etiam permutari nequeunt, super quibus à Sede Apostolica concessa est exspectativa, ne illudantur exspectantes. Paris. *l. 2. q. 10. nu. 2. & 3.* Illud hic observandum, quòd etsi permutatio reservatorum facta auctoritate Papæ valeat, etiam nullâ factâ mentione reservationis, dum reservatio generalis est, & nota in Curia; eò quòd verisimile sit, Papam sciviſſe ejusmodi reservationem; non tamen subsistat in hoc casu, si reservatum est beneficium reservatione speciali, seu particulari, & secretâ, factâ in favorem certæ personæ, eò quòd Papa potuit esse nescius istius reservationis, eò quòd in dubio nemini præjudicare velle præsumatur. Chok. *loc. cit. c. 3. num. 1. & 2.* citans Gamb. *ad c. licet. de rer. permut in 6. n. 45.* Federic. de Senis *tr. de permut. q. 4.* Mandos. *ad reg. 1. Cancell. q. 13. n. 4.* Milis *in repertor. v. permutatio facta per Papam.* Posse tamen istis permutationibus succurri per gratiam; quam vocant *perinde valere*, quæ solet impetrari, cùm quis dubitat, primam Papæ gratiam seu provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut perinde valeat, ac si valida fuisset tempore impetrationis, tradit Chok. *ibid. n. 3.*

2. Secundò: Beneficia exempta in hoc sensu, quòd soli Papæ subjecta, non nisi coram Papa permutari possunt. Paris. *l. 2. q. 8. num. 4.* juxta dicta aliàs de resignatione exemptorum.

3. Tertiò: Beneficia unita permutari nequeunt: cujus plures extensiones, & limitationes vide suprà, ubi, an, beneficia unita resignari possint. Quibus hæc addenda limitatio, quòd si unio non præcesserit totam permutationem, sed præcesserit quidem collationem beneficiorum resignatorum permutationis gratiâ, secuta autem sit post resignationes illorum beneficiorum, non impediatur permutatio; cùm gratiâ permutationis factæ sint illæ resignationes. Chok. *de permut. p. 2. c. 8. nu. 8.* citans Pet. *de perusio. tr. de Permut. p. 1. q. 6.* Caccialup. *de unionib. a. 8. q. 13.*

4. Quartò: Beneficium, cujus titulo quis promotus est ad Ordines. Ventrigl. *loc. cit. nu. 45.* qui hanc adjicit limitationem, nisi factâ mentione hujus tituli, citátque Gratian. *discept. for. c. 159. n. 3. &* Barbos. *de pot. Ep. p. 2. alleg. 19. n. 43.* Vide de hoc dicta pluribus suprà, ubi, an resignari queat tale beneficium.

5. Quintò: Permutari nequeunt litigiosa; quia durante lite conferri nequeunt, Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 2. n. 6.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 20.* contra Rebuff. *in pr. p. 2. tit. de permut. n. 33.* contrarium inuuentem; eò quòd ex permutatione litigiosi beneficii nullum Ecclesiæ detrimentum proveniat, modò, in quem translatum est, non sit potentior. Ratio responsionis patet; quia tale beneficium nec in favorem tertii resignari potest (de quo vide dicta fusè suprà, ubi an beneficia litigiosa possint resignari) neque beneficia durante lite conferri possunt, ut Castrop. *loc. cit.* & beneficia compermutanda debent esse compermutantium pacificè, ut Garc. *loc. cit.* De cetero videtur nihil obstare, quò minùs tale beneficium litigiosum permutetur cum alio beneficio quietè possesso à collitigante; cùm in ejus favorem cedi possit beneficium litigiosum, & sic purgetur vitium litigiosi & lis extinguatur, ut eidem jam conferri valeat, etiam ab Ordinario.

Quæstio 826. *An unum beneficium pro pluribus permutari possit?*

Respondeo affirmativè; quia unum pluribus æquivalere potest. Ckok. *de permut. p. 2. c. 17. n. 1.* Castrop. *loc. cit. n. 8.* citans Rebuff. *in pr. loc. cit. nu. 40.* Nav. *cons. 43. de simon. n. 3.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 12.* Garc. *loc. cit. num. 14.* citans plures alios; modò tamen nihil obstet, à compermutante illo ea plura beneficia possideri. Castrop. Garc. *ll. cit.* fieri enim posset, ut voleus illa plura permutare pro uno illa plura, utpote incompatibilia possideret cum dispensatione Papæ, in quo casu non succederet illa permutatio, dum alter compermutantium simili dispensatione instructus non esset; dispensatio enim est personalis, & personam dispensati non egreditur. Chok. *loc. cit.*

Quæstio 827. *An, & qualiter beneficia inæqualia (puta, quia unum est dignitas, vel conjunctum cum jurisdictione, administratione rerum Ecclesiasticarum, cum Cura animarum &c. Alterum sine talibus seu simplex: Item quia unum amplos habet reditus, alterum tenues) permutari inter se valeant?*

1. Respondeo ad primum: Prælaturas, dignitates, similáque beneficia duplicia: Item curata cum simplicibus permutari posse, etiam coram Ordinariis, dum aliud nihil, v. g. ratione reservationis, incompatibilitatis &c. obstet, dictum est paulò antè. Possunt quoque ea, quæ uberes reditus habent, permutari cum tenuibus, modò fiat coram legitimo Superiore modo debito, aliúdve speciale nihil, præcipuè fraus obstet. Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. n. 40.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 15.* ubi

ubi loquens generaliter tam de inæqualibus ratione redituum, quàm ratione jurisdictionis, administrationis, Curæ &c. ait: *utcunque inæqualia sunt, nihil eorum inæqualitas impedit, quò minùs permutari possint, modò legitima Superioris auctoritate commutentur.* citat pro hoc Federic. de Senis. *tr. de permut. benef. q.* 40. Ubald. *tr. eod. n.* 27. Ægid. *eod. tr. p.* 2. *q.* 2. Quin & posse, etiam coram Ordinario permutari pingue cum tenui, etiamsi recipiens tenue se decenter inde sustentare nequeat, dum non est in Ordinibus sacris; cùm tunc ratio decoris, statûs Ecclesiastici cesset; secus si est in Ordinibus sacris, ne per ejusmodi permutationem cogatur egestatem sustinere in opprobrium Ordinis sacri, tradit Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 6. citans Card. Paris. *cons.* 40. *n.* 3. *vol.* 3. Verumtamen non solùm, si fiat permutatio beneficii alicujus reditûs cum beneficio de pertica, fraudem præsumi, ait Lott. *l.* 1. *q.* 31. *n.* 27. cum Gomes. *ad reg. de infirm. q.* 19. & Tholosan. *de benef. c.* 31. *n.* 15. verùm etiam, si fiat de beneficio tenui, seu pinguis cum tenui, pro quo citat Abb. *in c. verisimile. de præsump. n.* 1. Lofred. *cons.* 17. *n.* 36. Tiraq. *ad l. si unquam. c. de revocat. donat. v. donatione largitus. n.* 122. & Rotam *in Gerund. benef.* 9. *Martii* 1622. Idem cum Lott. tenet Ventrigl. *loc. cit. n.* 40. Card. de Luca. *de benef. d.* 4. *nu.* 3. & 5. addens ex Paris. *l.* 13. *q.* 4. *nu.* 8. hanc præsumptionem reddi fortiorem, concurrentibus aliis circumstantiis, ut sunt inæqualitas ætatis ac valetudinis, conjunctio sanguinis, quæ etiam singulæ pro fraudis conjectura & præsumptione considerari soleant, adeóque multò magis considerando eas unitas seu simul. Item accedere ait, alteram notabilem conjecturam fraudis, quòd beneficium exigui valoris de recente erectum fuerat, & sic affectatè ad hoc præordinatum. quod ipsum tamen distinguit, seu limitat Azor. *cit. q.* 15. *vers. verùm id.* cum Feder. de Senis. Ubald. Ægid. Jo. And. Jo. Monacho, quos citat, ita ut non ex eo ipso, quòd quis pingue cum tenui permutet, censeatur fraudulenta permutatio, nisi aliæ conjecturæ accedant, puta, si Avunculus permutet cũ tenui sui nepotis, vel si Senex, aut morti vicinus, gravitérque infirmus permutet, utpote in quo casu non tantùm exspectantes, sed etiam collatores suâ collatione de fraudarentur, & differretur ad eorum successores. Jam verò fraudulenta permutatio nulla est. Ventrigl. *loc. cit. n.* 38. citans Card. Paris. *cons.* 130. *vol.* 4. Rebuff. *in pr. tit. de permut. n.* 42. *& seq.* Paris. *de resign. l.* 13. *q.* 4. *num.* 5. dicens, sic affirmare DD. omnes *in c.* 2. *de renunc. in* 6. Unde jam ad id maximè advertere debere Ordinarios, num in permutationibus coram se factis fraus intervenerit, ait Ventrigl. *cit. n.* 38. Sic considerandum esse, an talis suspicio fraudis fuerit purgata ex facto & auctoritate Superioris, statum scilicet scientis, & tamen permutationem admittentis citra fraudem cujusquam, ait Lott. *loc. cit. n.* 29. Quod ideo dicit, vix posse practicari in inferiore à Papa; Garc. tamen *p.* 11. *c.* 4. *n.* 100. absolutè ait: quia Superioris auctoritas, & præsentia præsumptionem tollit, nec delictum præsumendum est; permutationem non in fraudem, sed ex honesta affectione processisse, credendum est. Citat pro hoc Menoch. *de præsump. l.* 6. *præsump.* 78. *num.* 4. Decium. *cons.* 210. *n.* 5. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 10. *&c.* Adjicit tamen etiam Garc. *n.* 101. hanc sui dicti limitationem: nisi in contrarium urgeant conjecturæ; quas tamen conjecturas, dum ait *n.* 102. militare respectu exspectantium solummodò, adeoque cùm exspectativæ hodiedum sint sublatæ per Trid. conjecturas fraudis permutationum videri cessare. in hoc inquam, ut Ventrigl. *loc. cit. n.* 39. & 40. falli dicitur, cùm ut insinuatum, in talibus permutationibus considerari possit fraus etiam in præjudicium collatorum. Ad quod tamen dicere posset, quòdsi, juxta dicta à nobis suprà, requiratur consensus etiam collatorum quò ad permutanda beneficia, non posse in hoc iis præjudicari. De cetero excludi hanc præsumptionem fraudis aliâ præsumptione in contrarium, ut si habens pingue permutet ob aëris intemperiem, ob non tutum accessum &c. ait Ventrigl. *loc. cit. n.* 40. ex Riccio *in pr. p.* 3. *resolut.* 334. *n.* 3.

2. Respondeo ad secundum primò: In permutatione beneficiorum inæqualium, dum facienda fortè aliqua compensatio, per assignationem aliquam pensionis æstimari & compensari non debet nec potest citra crimen simoniæ (utpote dum sic jus spirituale cum temporali commodo commutaretur) conditio dignitatis, potestatis, jurisdictionis, vel alterius similis juris conjuncti beneficio, sed sola quantitas fructuum vel aliorum emolumentorum temporalium ex beneficio provenientium. Azor. *cit. q.* 15. Idem tradit Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 100. ubi inquit: *Si alterum beneficium sit altero dignius, & paritas sit redituum, est simonia juris divini, si pecunia, vel pensione excessus ille dignitatis compensetur; cùm illa dignitas omnino sit spiritualis.*

3. Respondeo ad secundum secundò: Pactum initum inter permutantes, quo alter propriâ auctoritate reservat sibi fructus excedentes sui pinguioris beneficii permutati, aut pensionem pro adæquatione fructuum, est simoniacum. Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 7. *n.* 1. & *c.* 2. *nu.* 4. & 15. cum Nav. *cons.* 50. *n.* 3. *l.* 5. *de simon.* & Suar. *l.* 4. *de virtut. & statu. religion. c.* 34. *num.* 9. quos citat contra Lessium *loc. cit. n.* 101. & 102. & citatos ab eo Sylv. *v. permutatio. q.* 2. Sot. *l.* 9. *a.* 2. Cajetan. Angel. &c. censentes, posse beneficia habentia inæquales proventus inter se permutare excessu alterius pensione, vel pecuniâ compensato; non quidem, si excessus ille, seu jus recipiendi copiosiores fructus maneat annexum titulo beneficii; sed si separetur. Posse enim jura proventuum separari à titulis utriusque beneficii, & primò ipsi tituli nudè simpliciter permutari, ac dein alio contractu permutari jura proventuum, compensato excessu opulentioris; cùm jura proventuum sic separata à suis titulis non sint spiritualia, sed quid temporale, posse sub tali pacto, nempe ut incrementum alterius pretio compensetur, commutari, asserit Less. *loc. cit.* addendo: cavendum, ne hi contractus permisceantur, uti fieri asserit, si in permutatione titulorum apponeretur pactum de permutatione proventuum, & compensatione. vel etiam, ut habet idem Lessius, & approbat Chok. *loc. cit. nu.* 6. si compensatio non exigatur pro excessu illo manente annexo titulo beneficiali; sed pro incommodo temporali, quod subit possessor pinguioris, spoliando se illis proventibus; cùm tunc constituta pensio non sit pretium beneficii, aut proventuum annexorum, sed conditio quædam necessaria, ut possessor pinguioris servetur indemnis, sine qua indemnitate non vult permutare suum beneficium. Quodsi petas à Lessio, quomodo, qui permutant sic nudè titulos, retinere possint jura proventuum; cùm hæc jura tantummodò ratione titulorum illis

competant, respondet *n.* 103. id fieri dispositione juris, & ea tantisper retineri, donec & illa inter se permutent, ut sic rursus coalescant cum suis primis, seu beneficialibus titulis; siquidem id solùm ad hunc finem, & cum hoc onere concedi, ut sine specie simoniæ permutatio fiat. Quodsi etiam opponas illi, hinc sequi, posse beneficium nullos fructus habens permutari cum alio beneficio fructus habente, compensatis fructibus pecuniâ: Admittit, id fieri posse auctoritate Papæ, non Inferioris; hinc tamen non sequi, quòd propriè præbenda vendatur pecuniâ; eò quòd supponatur, jam jus proventuum esse à titulo legitimâ auctoritate separatum, factúmque temporale, & desiisse propriè esse præbendam, quod per Papam fieri posse, sit indubitatum. Verùm, ut vides, hìc etiam ex mente Leffii necesse est intervenire auctoritatem & potestatem Papæ, utpote cujus est, separare hac ratione jus fructuum à titulo beneficii. Atque sic adhuc partes sine hac auctoritate, inter se privatâ auctoritate de tali compensatione pacisci, etsi intentione separent jus proventuum à titulo ipso beneficii, sine simonia non posse. Et hinc, ut rectè Chok. *loc. cit. n.* 4. illum permutandi modum, quo priùs nudi tituli permutarentur, dein etiam jura proventuum, periculosum esse, & sapere simoniam palliatam. De cetero tamen, dum beneficia prædia quædam vel possessiones annexas habent, & hæ inæquales sunt, posse priùs ipsa beneficia simpliciter & liberè commutari absque ullo pacto compensandi id, in quo unum ab altero superatur, dein dictas pensiones seorsim per se posse permutari; eò quòd, cùm sint res temporales, tutò detur quid, ac recipiatur, quo compensetur id, quod abundat in altero, tradit Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 17. juxta *c. ad quæstiones. de rer. permut.*

4. Respondeo ad secundum tertiò: Cùm dubium non sit, posse Papam separare dictum jus proventuum à titulo, adeóque posse illum inæqualitatem illam pecuniâ, vel aliâ re temporali, vel maximè autè constitutâ pensione supplere. Chok. *loc. cit. nu.* 5. Argumento *cap. ad quæstiones. de rer. permut.* ubi Clemens III. approbat permutationem duarum Ecclesiarum Parochialium, compensato excessu opulentioris pecuniâ; fieri poterit talis permutatio cum dicta compensatione, etiam partibus de hoc inter se pacisentibus, non secus, ac alia resignatio in favorem reservatâ pensione, si super hoc dein rogetur consensus & Auctoritas Papæ. Verùm utrùm hoc fieri quoque possit coram Ordinario, & is in hac causa coæquandi fructus beneficiorum permutatorum imponere possit pensionem duraturam ad vitam ejus, cui reservatur, aut aliud temporale quicquam, non convenit inter AA. de pensione ex hac causa imposita. Affirmant Ventrigl. *to.* 2 *annot.* 4. §. 2. *n.* 31. citans Gonz. *gl.* 14. *n.* 38. Gig. *de pens. q.* 6. *nu.* 2. Valent. *to.* 3. 2. *secundæ. d.* 6. *q.* 16. *p.* 3. Cajet. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. Delphin. *de jurep. l.* 3. *q.* 18. *num.* 161. citati à Garc. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 344. Chok. *loc. cit. n.* 14. citato Wamel. *to.* 1. *cons.* 264. *n.* 1. & alii cum Nav. *cons.* 3. *de simon. nu.* 4. Negant Ugolin. *de simon. Tab.* 1. *c.* 27. §. 1. *n.* 3. Corrad. *in respons. casuum. q.* 42. *in addit. pag.* 8. Cechus. Philiarch. citati à Garcia, *n.* 345. cum quibus ipse sentire videtur, & ita tenet Azor *loc. cit. q.* 16. & nos tenuimus suprà, ubi, an & qualiter Episcopus reservare possit pensionem ex hac causa, quæ vide. De ceterò hanc inæqualitatem beneficiorum permutandorum compensari potiùs posse per constitutionem pensionis, quàm per numerationem pecuniæ præsentis semel interventis; vel etiam, quod idem est, per præstationem alterius rei spiritualis, censet Chok. *cit. q.* 2. *n.* 16. ex Boëtio Epon. *in c. cùm olim. de rer. permut. num.* 102. eò quòd compensatio talis de fructibus & obventionibus ipsius beneficii depromenda, naturam beneficii spiritualem quadantenus retineat, dum vel sic non tam temporale quid pro beneficio pinguiore, quàm spirituale, aut spirituali annexum, saltem dependenter aut consequenter (quale quid est talis pensio) vicissim rependatur. Verùm quid de spiritualitate pensionis sentiendum, fusè examinatum est suprà.

Quæstio 828. *An, dum in gratia, qua contulit Papa alicui beneficium, appositum est decretum de dimittendo beneficio præhabito, possit illud permutare, vel etiam in favorem resignare?*

REspondeo negativè. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *nu.* 58. & ex eo Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 18. citans pro hoc plures decis. Rotæ. Unde is, cui decretum hujusmodi positum est, neque post, neque ante possessionem secundi poterit resignare conditionaliter, seu ex causa permutationis, non factâ mentione dicti decreti, aliàs resignatio erit subreptitia, & nulla à principio. Garc. *n.* 61. Chok. *loc. cit.* non tamen simoniaca, ut idem ex Farinac. *cons.* 75. *nu.* 1. & 17. Multòque igitur minùs poterit resignare permutationis gratiâ coram Ordinario. Quodsi fecerit, lapso termino concesso ad dimittendum, vacabit utrumque, seu secundum hoc beneficium, & præhabitum ad dispositionem solius Papæ vi dicti decreti. Garc. *n.* 62. Chok. *loc. cit.* Et quamvis interim ad dictum terminum usque valuisset resignatio, seu permutatio facta coram Ordinario, habitâ tamen possessione, & adveniente illo termino dimittendi, irrita censebitur. Garc. Chok. *ll. cit.* qui tamen addunt, moriente illo, vel matrimonium contrahente ante adventum dicti termini, non intraturum decretum illud in beneficiis sic vacantibus, nec fore illa reservata, ex quo vacarunt ante adventum illius termini & conditionis, nec irritam censendam resignationem, seu permutationem. Vide de his plura suprà, ubi, an obtento secundo incompatibili priùs habitum resignari possit ad favorem.

Quæstio 829. *An, & qualiter beneficia existentia in diversis diœcesibus permutari possint?*

1. REspondeo ad primum: Permutari ea posse, ut supponunt AA. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 8. Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 8. *n.* 11. Ventrigl. *loc. cit. n.* 22. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 14. Garc. *loc. cit. num.* 65.

2. Respondeo ad secundum: Requiri ad hanc permutationem utriusque Episcopi, ad quos aliàs beneficia, seu receptio resignationis eorundem spectat, consensus & auctoritas. Tond. Azor. Ventrigl. *ll. cit.* Putat autem Chok. *loc. cit.* ex Gamb. *ad c. unic. de rer. permut. in* 6. *num.* 134 rutius esse, Episcopum unius permutare cupientium vices suas alteri committere, ut in instante per ipsum tota expediatur permutatio; quàm ut ex intervallo perficiatur; dum nimirum quisque permutantium resignat in manus sui Episcopi beneficium suum, quod

quod intendit permutare, ut postea collationes utrobique subsequantur; eò quòd hoc posteriore modo minùs legitimè videatur fieri permutatio; dum simul, ac collatum est beneficium Cajo, & Titius illud recepit & possessionem ejus accepit, vacet illius beneficiū, ac sic non possit illud resignare conferendum Cajo, utpote quod jam perdiderit. Verùm meritò ait, hoc ipsum displicere Federic. de Senis. *de permut. q.* 11. *num.* 19. eò quòd, cùm hujusmodi resignationes sint ex causa permutationis, ex alia expediri nequeant. Neque etiam statim per adeptionem beneficii, quod habuit Cajus, vacet beneficium, quod habet Titius, maximè si aliàs cum eo non sit incompatibile, possitque collatio ex permutatione fieri diversis temporibus, ut DD. communiter *in c. unic. de permut. rer. in* 6. Idem expressiùs dicit Ventrigl. *loc. cit. n.* 44. his verbis: *Quòdsi fuerit adimpleta permutatio ab una parte, & capta possessio beneficii, si ex altera parte sit adimplenda permutatio in alienâ, & distante diœcesi, poterit primus interim retinere utrumque beneficium, etiam quod sit incompatibile, nec potest per alium impetrari sub prætextu, quòd vacaverit, ex quo adeptus est secundum incompatibile.* citat pro hoc Rebuff. *in pr. tit. reg. de infirm. resign. gl.* 4. *n.* 37. Idem omnino, & paulò fusiùs tradit Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 28. Illud tamen hìc notandum ex eodem Chok. *loc. cit. n.* 6. & Tond. *loc. cit. n.* 12. & 13. pro quo citatur Abb. *in c. bonæ.* 2. *de postulat.* Rebuff. *in pr. tit. de rescrip. mistis. n.* 7. Quòdsi alter compermutantium, sit alienigena, exstétque consuetudo in Provincia seu ditione alterutrius permutantium, vi cujus exteris beneficia conferri nequeant, permutationem cum alienigena non subsistere, nisi Principis interveniat indulgentia.

Quæstio 830. *An accusatus, vel inquisitus de crimine, ratione cujus venit privandus, ante sententiam privationis possit permutare?*

REspondet negativè Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 32. *nu.* 3. hisce verbis: *Censuerim, non subsistere ejusmodi permutationem, & si facta sit, posse de eo beneficio provideri illi, qui in eventum privationis beneficium impetravit.* citat pro hac sententia Boërium. *decis.* 205. *num.* 6. Staphil. *de lit. grat. rubric. de var. mod. vac.* Rebuff. *in pr. tit. de infirm. resign. gl.* 12. *nu.* 10. Zerol. *in pr. Ep. p.* 2. *v. renunciatio.* Quinimò ait *n.* 4. per viam attentatorum revocandam ejusmodi permutationem. pro quo citat Lancellot. *de attent. p.* 1. *c.* 3. *n.* 19. malè autem citat pro hoc postremo decisionem Rotæ, in qua dicitur: *Si lite pendente super beneficio reus & possessor transferat beneficium in alium, permutando, vel alio modo, hujusmodi permutatio revocabitur per modum attentati &c.* quia valde diversa sunt: permutatio facta lite pendente super beneficio ipso: in quo casu utique attentat permutans litigiosum: & permutatio facta pendente accusatione, vel inquisitionis judicio super crimine commisso: in quo casu non attentat, sed utitur jure suo talis criminosus permutans. Unde oppositam sententiam secuti sumus, & fusè firmavimus suprà, ubi, qualiter talis resignare valeat. *respons.* 2. quæ vide.

Quæstio 831. *An privatus ipso jure ob crimen, vel etiam ob assecutionem & possessionem quæsitam secundi incompatibilis ante sententiam declaratoriam permutari possit?*

REspondet negativè contra Castrop. suprà, ubi, an talis resignare possit. Idem *ibid. quæst. seq. in fine* negatum de eo, qui privatus est beneficio per sententiam hominis, nempè quòd, etsi ea executioni data non sit, permutare tamen nequeat, etsi fortè in certo casu resignare adhuc possit in favorem.

Quæstio 832. *An prohibitus de novo acquirere prohibeatur permutare, & sic in vim permutationis acquirere aliud?*

REspondet negativè Gonz. *gl.* 14. *nu.* 55. citans Franc. *in c.* 1. *de excess. Prælator. in* 6. *n.* 2. Tiraquell. *de utroque retractu. §.* 31. *gl.* 1. *n.* 28. Molin. *de primogen. Hispan. l.* 4. *c.* 5. *n.* 47.

Quæstio 833. *An permutare possit beneficium, qui illud accepit animo dimittendi?*

REspondet negativè Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 39. fundans hanc responsionem in Constitutione Pauli 4. quæ sit ejus 33. & incipit: *Inter cetera*, quæ expressè sub pœna excommunicationis latæ, & Papæ reservatæ, nec non privationis omnium ac singulorum beneficiorum, & inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinenda, eo ipso fine ulla alia declaratione incurrendæ prohibet, ne quis accepter beneficium Ecclesiasticum, sine intentione determinata illa retinendi. Ex qua Constitutione ait, apparere, permutationem in præsenti esse illicitam; tunc quia collatio beneficii facta excommunicato, etiam occulto, non tenet; tum quia dicta Constitutio declaret, taliter acceptantes beneficia incapaces esse ad alia obtinenda, adeóque tutum non videri consilium Nav. 16. *de Cleric. non resid.* quo scribit, licere acceptare beneficium, donec illi renunciarit cum legitima auctoritate Superioris ad permutandum illud cum alio, vel ad relinquendum, reservatâ sibi aliquâ pensione. Addit tamen Chok. *in fine cit. cap.* eum, qui, ut permutaret beneficium cum alio, eo fine erigit de novo auctoritate Episcopi beneficium, & facit sibi illud conferri animo illud postmodum permutandi, non comprehendi in dicta Constitutione; eò quòd in ea agatur solùm de acquisitione beneficiorum jam erectorum; quia hæc, cùm jam sint sub potestate Papæ, non vult conferre iis, qui animum non habent ea retinendi, citat pro hoc Filliuc. *tr.* 41. *c.* 5. *n.* 46. & 47. quam tamen permutationem beneficiatus noviter erecti, si tenuius sit quàm illud, cum quo permutandum, laborare præsumptione fraudis, diximus paulò suprà ex Card. de Luca *de benef. d.* 40. *nu.* 5. Verumtamen, quid in hoc puncto recipiendi beneficium cum animo dimittendi, vel etiam permutandi, & qualiter dicta Constitutio Pauli 4. intelligenda, dictum est fusè suprà, ubi, an possessor exigui temporis resignare possit.

Quæstio 834. *An dispensatus ad unum beneficium, possit illud cum alio simili permutare?*

REspondeo negativè: Cùm enim dispensatio sit odiosa, & hinc non trahenda ad alia præter

concessa, argumento *c. non potest. de præb. in 6. c. Ordinarii. de offic. Ordinar. in 6.* dispensatus ad beneficiū, quod quis dimittit, non potest vi illius dispensationis aliud ei subrogare. Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n 10.* Gonz. *gl. 14. n. 56.* ubi, postquam dixisset, quemadmodum prohibitus acquirere de novo, non prohibeatur permutare, ita etiam in puncto juris dispensatus ad unum beneficium tantùm, potest illud permutare pro alio, ut asserunt Jo. And. & Franc. *in c. non potest. de præb. in 6.* Gamb. *in c. 1. de rer. permut. in 6. n. 79.* Crescent. *decis. 2. n. 6. de reb. Eccl. non alien.* subdit: *Contraria tamen doctrina de stylo Curiæ in praxi servanda juxta decis. Rotæ decis. 1. de filiis presb. in novis.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 14.* ubi id sic exemplificat. Titius à Papa dispensatus ad habendum simul duo curata, non potest unum ex illis permutare cum alio simili beneficio curato; quia indulgentia seu dispensatio Papæ, utpote odiosa non extenditur ad alia, sed in duobus primis finitur; citat pro hoc Federic. de Senis *de permut. q. 12.* Ægid. *eod. tr. p. 3. q. 9.* Ubald. *eod. tr. n. 5. & 6.* Unde jam deducit Azor cum Federic. & Ubald. Quodsi talis de facto permutet illorum unum coram Ordinario, ratam quidem esse adeptionem illius beneficii, quod de novo recipit (cujus contrarium, nempe non valere adeptionem hanc secundi beneficii, vel tertii in habentibus duo ex dispensatione Papæ, nisi duo prima dimittat, tenet Lapus apud eundem Azor) eo ipso tamen amittere & illud, quod permutat cum alio; quia illud dimittit, & alterum, quod priùs cum eo simul habebat, quoque perdere; eò quòd illud per adeptionem tertii illius beneficii curati vacet. Proinde, ut idem Azor, teste Miles *in repertor. v. permutatio.* solet à Papa impetrari plena facultas, ut nempe possit aliquis ea duo beneficia simul habere, vel alterutrum, aut utrumque dimittere, & alia similia obtinere.

Quæstio 835. *An mente captus, senex, infirmus permutare possint?*

1. Respondeo ad primum negativè: Cùm enim talis usu rationis, & sic consensu careat, donare, alienare, similéve quid facere nequeunt. Chok. *de permut. p. 1. c. 29. n. 1. & 2* Card. de Luca *de benef. d. 41. n. 3.* Valebit tamen facta à tali permutatio extra tempus amentiæ, nimirum tempore lucidi intervalli. Chok. *loc. cit. n. 4.* plura de his, utì &, num permutatio facta præsumatur tempore amentiæ, vide apud eund. & Cardin. de Luca *loc. cit.* ubi etiam, ex Menoch. *l. 1. præsump. 181.* quòd, cùm amentia non præsumatur, sed perfectè & concludenter sit probanda, utì & dicta à nobis suprà, ubi, an tales resignare possint.

2. Respondeo ad secundum, & tertium: Permutationem factam à sene præsumi fraudulentam, utì & factam ab infirmo. Paris. *l. 13. q. 4. n. 6. & 7.* permutationem autem factam fraude esse nullam. Paris. *ibid. n. 5.* Porrò qualiter in infirmis resignantibus permutationis gratiâ locum habeat regula de infirmis resignantibus, vide dicta suprà, ubi, in quibus resignationibus hæc regula locum habeat.

Quæstio 836. *An casu, quo illegitimus obtinuit beneficium in Ecclesia, in qua pater ejus habet, aut habuit beneficium, possit illud permutare cum alio extra illam Ecclesiam?*

Respondeo affirmativè: Sic enim Trid. *sess. 25. c. 15.* disponit, talem id posse; quin & talem cogendum, ut resignet, vel extra illam Ecclesiam permutet intra tres menses, aliàs ipso jure privatus existat, & super iis quæcunque dispensatio subreptitia censeatur. Chok. *de permut. p. 1. c. 30. n. 1.* De cetero filius legitimus Presbyteri non solùm non cogitur tale beneficium, quod habet in Ecclesia, ubi Pater ejus habet, aut habuit, dimittere; sed etiam per viam permutationis obtinere beneficium in Ecclesia, ubi Pater illius habet, vel etiam præsidet, non tamen illud, quod Pater ejus proximè habuit. Chok. *ibid. n. 3.*

Quæstio 837. *An valeat permutatio pro tertio?*

Respondeo negativè: Permutatio enim debet esse inter duos, & damnatur permutatio triangularis, aut quadrangularis; veluti si resignè meum beneficium in favorem Petri, ut is resignet suum, non in favorem meî, sed in favorem Joannis. Gonz. *gl. 14. n. 58.* Ventrigl. *to. 2. annot. 4. § 2. num. 33.* Garc. *p. 11. c. 14. nu. 21. & 22.* citans Suar. *l. 4. de simon. c. 35. nu. 18.* Azor *p. 2. l. 7. c. 30. q. 6.* Lessius *l. 2. c. 35. n. 87.* Federic. *de* Senis *de permut. q. 40. in fine.* Nav. *cons. 43. de simon. n. 3.* & plures alios. Et talem permutationem triangularem factam coram Ordinario simoniacam dicunt Gonz. Azor. Less. & alii passim. Porrò licèt coram Ordinario expediri nequeat. Gonz. Ventrigl. Azor. Less. *ll. cit.* expediri tamen potèrit coram Papa. Less. *loc. cit. num. 88.* testatur tamen Gonz. *loc. cit. n. 60.* Papam tales triangulares permutationes hodiedum non admittere. Posse nihilominus etiam coram Ordinario eundem finem obtineri duplici permutatione coram eo facta; dum nimirum ego resigno Petro meum, & ipse mihi suum, & dein habito beneficio Petri illud permutem cum beneficio Pauli, quod primitus intendebam habere; tradit Less. *loc. cit. n. 88.*

Quæstio 838. *Num permutare quis possit cum minus digno?*

1. Respondeo: Præter ea, quæ dicta sunt super hoc in puncto de resignante in favorem minùs idonei, quàm est resignans; hæc enim eadem locum habent in permutatione, ut Azor *p. 2. l. 6. c. 15. q. 10.* Illicitam omnino esse permutationem, non secus ac resignationem cum notabiliter minùs digno, peccátque (graviter aut leviter, prout per hoc notabile, vel minus notabile damnum infertur Ecclesiæ) tam permutans, quàm permutationem admittens. Hic quidem, quia tenetur ex fidelitate ad minimum, & Justitia legali Ecclesiæ bonum promovere, & damnum ejus impedire: quin & ex Justitia distributiva ejus bona non distribuere in ejus damnum. Iste verò quia est causa iniquæ collationis, & damni Ecclesiæ; etsi enim resignans & permutans non sit distributor, non potest tamen iniquam distributionem petere & procurare, & sic adhuc esse causa damni Ecclesiæ. Ita Passerin *de Elect. c. 30. q. 9. num. 133.* qui etiam hinc infert, contingere posse, ut neque sufficiat ad vitandum peccatum resignare vel permutare cum æquè digno, v. g. si Rector beneficii sit senex, & is, cui resignat, vel cum quo permutet, sit Juvenis, & non desint digniores, quibus committi poterit cura illius Ecclesiæ in brevi vacaturæ; eò quòd tunc non fiat permutatio sine notabili damno Ecclesiæ, ac ideo per se loquendo licitè fieri nequeat.

2. Nec obstare ait Passerin. Primò, quòd jura tantùm loquantur de eligentibus, præsentantibus minùs

minùs dignos, & conferentibus minùs dignis; eò quòd jus naturale divinum satis clamet in corde cujusque, ut non sit causa damni Ecclesiæ, præterquam, quòd, ut ait Idem, jura humana communiùs loquentia de Electione, loquantur de ea, ut idem est, quod provisio ad beneficia, qualitercunque ea fiat. Argumento *c. 1. sess. 24. Trid.* Unde & promovens indignum, quiscunque ille sit, puniatur ab Ecclesia. Neque obstare secundò, quòd ita servetur in praxi, dum sine inquisitione dignioris & concursu conferantur beneficia resignata (idem est de permutatis) absque eo, quòd quisquam conqueratur, renunciata dari minùs dignis. Nam, ut ait, id debili nititur consequentiæ, dum ex eo, quòd non sit necessaria inquisitio facta per concursum meritorum promovendi (intellige vi resignationis, vel permutationis) infertur, praxin esse, ut beneficia resignata dentur sine sufficiente inquisitione, & informatione, ad hoc, ut Ecclesia ex resignatione non patiatur damnum notabile: imò ait, si hoc non fiat, conqueri populos, & scandalizari quotquot id vident, flentes Ecclesiæ ruinam. Neque obstare tertiò, ut habet *num.* 135. Quòd ex parte acceptantis resignationem, vel permutationem adducitur, quòd scilicèt sufficiat ad hoc, ut is ritè accepter, quòd proponatur dignus, ut patet in electo vel præsentato, quem confirmator vel institutor tenetur acceptare, eò quòd, licèt id verum sit in confirmatore vel institutore, quia Electus & Præsentatus vi electionis & præsentationis habeat jus ad confirmationem & institutionem, ubi dignus est; non tamen teneat, ubi Superior est in plena libertate admittendi & non admittendi, qualiter dicit, admissionem resignationis, & permutationis esse in plena libertate Superioris, qui non possit, nec debeat eam admittere in notabile damnum Ecclesiæ. Vide de his pluribus Dian. *p. 2. tr. 15. & 1. Miscellan. resolut. 41.*

Quæstio 839. *An fieri possit permutatio cum Excommunicato, vel Irregulari?*

1. REspondeo ad primum negativè: Seu permutationem factam cum Excommunicato esse nullam; eò quòd collatio ei fieri nequeat; eáque ei facta sit ipso jure nulla; in permutatione autem necesse sit acquiri jus novum per collationem, cujus Excommunicatus est incapax. Garc. *p. 7. c. 13. n. 15.* citans plures. Paris. *l. 4 q. 3. n. 45.* Chok. *de permut. c. 33. n. 1. & 7.* citans Selv. *de benef.* Abb. *in c. cum in nostris. de conces. præb.* Rebuff. *de pacif. possess. n. 280.* Suar. *to. 5. de censur. d. 4. S. 7. nu. 11.* ubi dicat, resignationem beneficii in favorem Excommunicati, sive simplex sit, sive permutationis causâ, invalidam esse. Plura de hoc vide suprà, ubi, an Excommunicato resignari possit beneficium. Quamvis autem non valeat quò ad Excommunicatum permutatio, tenet tamen quò ad non Excommunicatum compermutantem. Garc. *loc. cit. n. 17.* citans Rebuff. Cosm. &c. Chok. *loc. cit. nu. 8.* Advertit etiam Garc. *ibid. num. 18. & 19.* & ex illo Chok. *n. 11. & 12.* Quòd non valeat collatio facta Excommunicato ex causa permutationis, etsi tempore resignationis & admissionis non esset excommunicatus: & è converso valeat collatio & permutatio, si tempore collationis non erat excommunicatus, etsi tempore resignationis ex causa permutationis factæ, & admissionis esset excommunicatus, eò quòd, licèt ex resignatione causâ permutationis factæ, ejúsque admissione acquiratur jus Compermutanti, ut ei fiat collatio beneficii, id jus tamen non impediatur per excommunicationem; cùm non proveniat ex dispositione beneficii facta circa excommunicatum, sed ex facto ipsius Resignantis causâ permutationis cum admissione Ordinarii, & quasi ex conventione ipsorum permutantium; etsi dicat videri contrarium velle Suar. *cit. paulò supra, n. 11.* Addit tamen ipse Garc. *n. 20.* & hoc ipsum ex eo exscribens Chok. *cit. nu. 12.* Quodsi fieret talis resignatio permutationis gratiâ in favorem Excommunicati coram Papa, ejúsve Legato sine absolutione, quæ aliàs ad hunc effectum dari solèt, non valituram etiam admissionem in favorem illius; eò quòd non valeat gratia seu rescriptum impetratum ab excommunicato, juxta *c. 1. de rescrip. in 6.* quod non habet locum in gratiis concessis ab Ordinario, citat pro hoc Nav. *cons. 48. de sent. Excomm.* Henriq. *in sum. l. 13. c. 13. §. 1.* Suar. *ubi antè, d. 17. S. 1. n. 2.*

2. Respondeo ad secundum: Idem esse de permutatione facta cum suspenso vel irregulari, ex eadem ratione, quòd iis fieri nequeat collatio. Chok. *loc. cit. n. 1.* citans Less. *l. 2. c. 34. n. 120.* ubi is solùm, quòd irregulari non possit fieri collatio. & Paris. *l. 4. q. 3. num. 32.* ubi is, quòd irregulari non possit fieri resignatio, quia non potest fieri ei collatio. De quo vide dicta suprà, ubi, an irregularis, vel suspensi favorem resignari possit beneficium.

Quæstio 840. *An permutare quis possit cum Illegitimo, Bigamo, similive ex dispensatione obtinente beneficium?*

REspondeo: Indubitatum est permutari cum eo non posse, dum beneficium de novo illi quærendum vi permutationis est alterius qualitatis, quàm illud, quod habet ex dispensatione; cùm ad illud obtinendum vi prioris dispensationis non sit dispensatus. Dum verò beneficium illud est simile illi, quod habet, adhuc non potest cum illo permutari; quia nec ad illud se extendit prior ejus dispensatio, juxta dicta paulò antè.

Quæstio 841. *An cum criminoso & infami quis possit permutare?*

REspondeo: In generalibus principiis juxta ea ferè, quæ dicta sunt suprà, ubi, an talibus resignari possit beneficium: Si crimen vel infamia talis est, ut, etsi non privet illum beneficio jam habito, reddat tamen indignum, cui de novo provideatur de beneficio, non posse cum eo permutatari; quia jam beneficium permutatum illi conferri nequit.

Quæstio 842. *An cum illiterato permutare quis possit?*

1. REspondeo primò: Cùm penitus illiterato facta permutatio, non secus ac resignatio ac collatio ei facta est ipso jure nulla. Chok. *de permut. p. 1. c. 31. num. 1.* cum communi. Intelligenda hæc, dum fortè ei primò collatum beneficium, quia sperabatur, scientiam debitam assecuturus, quam tamen dein acquirere neglexit. De cetero namque, si collatum illud beneficium fuerat penitus illiterato, de quo, quòd sufficientem scientiam assecuturus esset, prudenter sperari non poterat ob ejus stupiditatem, jam ex alio quoque capite

cum eo permutari non poterit; quia dicta collatio ei facta fuit nulla, adeóque jus nullum in illo beneficio habuit.

2. Respondeo secundò: Sed neque cum illiterato, hoc est, carente illâ scientiâ, quæ ad beneficium illi vi permutationis obventurum requiritur. Chok. *loc. cit. n. 6.* qui tamen idipsum limitat cum aliis passim; nisi tamen putaretur, brevi acquisiturus illam scientiam. Videntúrque hæc procedere, etiamsi ille, cum quo permutandum, majorem scientiam respectivam ad tale beneficium habeat, quàm is, qui dimittit illud; adeóque hic non permutet cum minùs digno, vel potiùs cum magis indigno; eò quòd adhuc tali, utpote destituto debitâ & requisitâ ad tale beneficium scientiâ, beneficium illud conferri non possit; cùm per hoc adhuc non occurratur gravi damno Ecclesiæ per eum, qui potest & debet ei occurrere, qualis est is, cujus est præstare auctoritatem permutationi, & conferre beneficia compermutata. Non dicas proinde, minus malum damnúmque est, admittere in hoc casu permutationem, & beneficium conferre magis literato, quàm permutationem non admittere, & sic relinquere illud beneficium minùs adhuc literato. Nam etsi detur, hoc esse minus malum, minus tamen malum non est eligendum, ubi & hoc, & illud evitari potest, uti in præsente casu fieri potest ac debet; Siquidem minùs ille literatus privandus erit beneficio, eíque facta collatio irritanda, juxta ea, quæ tradit Less. *l. 2. c. 34. n. 129.*

Quæstio 843. *An permutatio facta cum eo, qui non habet ætatem requisitam ad beneficium, ei vi permutationis obventurum, subsistat?*

Respondeo negativè: eò quòd collatio facta non habenti ætatem requisitam ad tale beneficium est nulla. Chok. *de permut. p. 1. c. 28. n. 1.* Paris. *l. 4. q. 9. n. 25.* Unde Trid. *sess. 23. c. 6.* requirens ætatem in collatione, locum etiam habet in resignatione facta in favorem. Chok. *loc. cit. n. 2.* juxta Rotam apud Puteum *decis. 331. l. 1.* atque ita in permutatione ex paritate rationis. Chok. *loc. cit.* Similiter statutum vetans, ne tale beneficium detur non habenti certam ætatem, extenditur quoque ad resignationes permutationis gratiâ. Chok. *ibid. n. 3.* juxta Rotam apud Mohed. *decis. 7. de conces. præb.* Vide de his plura suprà, ubi, an Minori resignari possit beneficium. In summa itaque cum iis permutare quis nequit, qui vel beneficia, quæ habent, dimittere seu resignare, vel beneficia compermutanda acquirere nequeunt.

Quæstio 844. *An licitum sit Beneficiatos inter se prius tractare de permutando beneficio, deque modo, formâ, & conditionibus ineundæ permutationis?*

Respondeo, id illos posse liberè & licitè. Pirh. *ad tit. de rer. permut. n. 21.* citans Suar. *l. 4. de simon c. 23. n. 7.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 56.* Chok. *de permut. p. 3. c. 41.* quin & concludere, quantum est ex parte ipsorum præstando mutuum consensum, sed in ordine ad consensum Superioris. Chok. *ibid.* citans Filiuc. *qq. moral. tr. 45. c. 7. n. 17.* cùm tractare de permutatione dicat solùm præparationem ad actum consummatum permutandi, qui solùm prohibetur, uti & actus paciscendi de eo absque ordine ad Superiorem; adeóque, dum non paciscuntur absolutè, sed in ordine ad consensum Superioris, non apparet ulla species mali Chok. *ibid.* quin & tractatio hæc prævia, est medium necessarium moraliter ad finem permutationis obtinendum; concessâ autem re aliqua, etiam censentur concessa omnia, sine quibus illa commodè obtineri nequit. Pirh. *loc. cit.* Unde etiam, non tantùm posse compermutantes inter se convenire, séque obligare sub conditione, si Superior consenserit, sed etiam obligare se, quòd nolint eam revocare, sed stare conventione initâ, nisi Superior eam non admittat, seu consensum suum neget. ait Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 845. *An, & cur permutatio fieri nequeat auctoritate propriâ compermutantium?*

1. Respondeo ad primum: Non posse eam fieri auctoritate propriâ, sed necessariò faciendam interveniente auctoritate Superioris. Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n. 1.* Pirh. *ad tit. de rer. permut. n. 19. & 20.* Chok. *de permut. p. 1. c. 2. n. 1.* & *p. 3. c. 41. n. 1.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 56.* citans Less. *l. 2. c. 34. nu. 196.* & *c. 35. n. 10.* Suar. *de Relig. tr. 3. l. 4. c. 32.* & plures alios, juxta *c. quæsitum.* & *c. ult. de rer permut.* Extenditúrque hoc ipsum non tantùm ad permutationem ipsorum titulorum beneficialium, quos certum est, non posse propriâ auctoritate permutari, vel ex eo, quòd nemo possit abdicare se beneficio, seu titulo suo sine scitu & consensu Superioris, etiam simpliciter, juxta dicta à nobis aliàs; sed etiam ad permutationem præbendarum dictis titulis annexarum, quia nequeunt à dictis titulis separari propriâ auctoritate permutantium; adeóque nemo retento suo titulo, potest præbendam ei annexam cum alterius præbenda permutare; quia non habet jus percipiendi fructus suæ præbendæ, nisi propter officium, ad quod tenetur ratione sui tituli. Pirh. *loc. cit. n. 23.* Unde jam etiam non extenditur tantùm ad permutationem præbendarum diversarum Ecclesiarum, vel quæ intra eandem Ecclesiam diverso jure censentur, seu diversa onera ac munia habent; sed etiã ad permutationes præbendarum ejusdem Ecclesiæ, ejusdémque; rationis; cùm jus vetans sine auctoritate Superioris fieri permutationẽ beneficiorum sit generale, nullámq; faciat exceptionem, & præbendæ sine titulo, cui annexæ permutari non possunt. Pirh. *loc. cit.* Garc. *loc. cit.* citans Mantic. *de tacit. & ambig. contract. l. 25. tit. 9. n. 55.* Chok. *loc. cit. c. 18. n. 1.* citans Suar. *de relig. l. 4. c. 32. n. 16.* Castrop. *de simon. d. 3 p. 15. n. 3.* contra Innoc. & Cardin. *in cit. c. quæsitum.* Idque, etiamsi utriusque beneficii, vel præbendæ ejusdem Ecclesiæ, & rationis collatio, & investitura spectet ad eundem. Chok. *loc. cit. p. 3. c. 41.* contra Filliuc. *tr. 45. c. 7. n. 23.* Quin etiam extenditur ad permutationem bonorum, seu prædiorum annexorum titulo beneficiali, ut & hæc prohibita sit fieri propriâ auctoritate. Chok. *cit. n. 41.* quamvis idem *p. 1. c. 18. n. 3.* dicat, se admittere permutationem propriâ auctoritate factã, dum proprietas rei spirituali annexa est permutata, non res ipsa, vel titulus, quod ex Redoano *tr. de simon.* exemplificat in duobus Episcopis litigantibus super aliqua Ecclesia, uno prætendente subjectam suæ jurisdictioni, alio je-

negante

negante, qui possunt sine Superioris auctoritate inter se ita transigere & permutare, ut unus habeat hanc, alter aliam Ecclesiam sibi subjectam, absque eo, quòd dicantur hac ratione permutare beneficia.

2. Respondeo ad secundum: Ratio, cur Canones id prohibeant, est, ne Clericis detur occasio avaritiæ, & ambitionis; ne de beneficiis tanquam de rebus suis patrimonialibus disponere posse videantur, néve designando ministros ineptos Ecclesiæ damnum inferant. Castrop. *loc. cit.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 2.* vel etiam, ne beneficia hac ratione sine Canonica Institutione obtineantur, contra quod dicitur *c. 1. de reg. juris in 6.* Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 846. *An permutatio hæc facta propriâ auctoritate sit simoniaca?*

Respondeo: Simoniacam esse, tenent Garc. *p. 11. c. 4. n. 57.* citans Abb. *in c. quæsitum. n. 3.* Tolet. *in sum. l. 5. c. 91.* Nav. *in Man. c. 23. vers. 3.* Suar. *cit. c. 32.* Azor *ubi antè.* qui tamen *ibi* solùm dicit, Sotum, & Majorem tenere, nonnisi jure Canonico id prohibitum, alios verò arbitrari, esse simoniacum jure Divino. Item esse simoniacum, dicit Chok. *de permut. p. 1. c. 2. n. 2.* quamvis *nu. 3.* subjungat: sentiendum est cum Lessio, qui *l. 2. de Just. c. 35. n. 26.* dicit, esse simoniam juris humani, permutare beneficia sine auctoritate Superioris; & *n. 30.* rationem dat: nempe quòd Ecclesia ob sanctitatem sacri ministerii poterat ea facere impermutabilia; quemadmodum & habet idem *n. 25.* Ecclesia solâ lege suâ potuit facere, ut id, quòd naturâ suâ non erat invendibile ob partem temporalem, fiat inhabile ad venditionem, seu invendibile ob partem spiritualem, seu in reverentiam rei spiritualis, cui annexum, & sic introducere simoniam, quæ erit solius juris Ecclesiastici. Idem cum Lessio, esse nimirum solùm simoniam contra prohibitionem Ecclesiæ, tenet Castrop. *de simon. p. 15. n. 3.* citans Suar. *de simon. l. 4. c. 31. n. 8.* Valent. *d. 6. q. 26. p. 3.* Redoan. Ugolin. &c. Verùm addit Less. *cit. n. 3.* ejusmodi tamen permutationem non esse propriè simoniacam, sed tantùm generali ratione & imitatione quadam; cùm propriè simonia sit, ut docet Sotus *l. 9. q. 5. a. 1. & q. 7. a. 2.* cùm datur temporale pro spirituali, quod utique aliud, majúsque genus est irreverentiæ, quàm cùm datur spirituale pro spirituali, uti fit in permutatione beneficiorum.

Quæstio 847. *Quæ sit pœna permutantium beneficia propriâ auctoritate?*

Respondeo: Esse privationem, seu amissionem beneficii. Chok. *de permut. p. 1. c. 2. n. 3.* Laym. *in c. cùm olim. de rer. permut.* Less. *cit. n. 30.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 58.* juxta *cit. c. cum olim.* non incurrere tamen illos hanc pœnam privationis ipso jure, seu facto, uti nec censuras; sed solùm posse illos in pœnam commissi hujus criminis privari per sententiam, juxta *cit. c. cùm olim.* ubi jubentur privari illis, tenent Chok. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. n. 3.* Less. *cit. c. 35. n. 100.* (qui eitam *n. 141.* hanc addit rationem: Quia hic non est propriè simonia, cum non detur temporale pro spirituali, sed generaliore modo simonia vocatur; adeóque quando jura dicunt, simoniacos esse ipso facto excommunicatos, non debet hoc extendi ad hanc simoniam; sed solùm ad eam, quæ propriè ac strictè simonia dicitur; cùm pœnæ sint restringendæ. Ad hæc jura, quæ loquuntur de hac permutatione, non habeant ullam pœnam ipso facto incurrendam, sed solùm ferendam, ut constat ex *c. cùm olim. de rer. permut. c. cùm pridem de pactis*) Pirh. *ad tit. de rer. permut. n. 24.* Laym. *loc. cit.* citans Pet. Nav. *de restitut. l. 2. c. 2. ad finem.* qui proinde etiam omnes expressè tenent quòd tales permutantes, etsi fecerint actum irritum, possint tamen, sicut propriâ auctoritate alienarunt, & commutarunt, ita etiam suâ auctoritate ad sua quisque beneficia redire, saltem in foro conscientiæ, & quamdiu per sententiam Judicis iis non privantur, ut limitat Pirh. *loc. cit.* pro quo expressè quoque citat seipsum *loc. cit.* Laym. *Th. mor. l. 1. tr. ult. c. ult. §. 5. q. 2.* Contrarium tamen, nempe hodie vi *Extravag. cum detestabile. de simon.* tales esse privatos ipso jure, & incurrere sententiam excommunicationis, tenentibus Garc. *loc. cit. n. 59.* Suar. *de relig. l. 4. de simon. c. 55. n. 18.* quam sententiam communem fatetur Pet. Navar. etsi ipse contrarium teneat.

Quæstio 848. *Coram quo Superiore facienda permutatio, sive quis hic veniat nomine Ordinarii, coram quo facienda permutatio?*

1. Respondeo primò in genere: Omnem & solum illum, qui potestatem habet non solùm instituendi, sed & destituendi in beneficiis permutandis. Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n. 2.* Chok. *de permut. p. 1. c. 2. n. 6.* Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q. 4.* vide, & huc applica dicta suprà, ubi, quis possit auctorizare resignationes.

Respondeo secundò in specie: Talis igitur Superior & Ordinarius, potens præbere auctoritatem permutationi, non est solus Pontifex, sed & Episcopus loci, in quo beneficia permutanda sunt. Azor *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n. 4.* Pirh. *loc. cit. n. 26.* Gonz. *gl. 14. n. 33.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 60.* citans Tusch. *concl. 304. lit. P.* contra Paris. *l. 5. q. 6. n. 231.* dubitantem, an hodiedum id possint Episcopi; eò quòd Pius V. *in Constitut. sua 42. incipiente: Officium creditæ.* suspenderit facultatem Ordinariorum recipiendi resignationes, & permutationes, quoadusque data & præscripta à se fuerit forma & modus istiusmodi resignationibus, quæ forma, cùm data fuerit *in Constitutione illius 58. incipiente: Quanta Ecclesiæ:* quoad resignationes, & non quoad permutationes, dicta suspensio potestatis recipiendi permutationes perdurare videatur; quam tamen Parisii dubitationem rectè mirantur Garc. & Gonz. dum, ut hic *n. 35.* ille *n. 63.* ipse Pius V. in citata posteriore sua Constitutione 58. (cujus tenorem ipse Parisius ponit *in initio citatæ q. 6.*) dictam suspensionem sustulerit, & expressè concesserit Ordinariis admittere permutationes, quæ Canonicis Sanctionibus & Apostolicis Constitutionibus permittuntur, non obstante, ut rectè Chok. *loc. cit. n. 5.* quòd in dicta Constitutione nullam præscripserit permutationibus formam; cùm id reliquerit juris communis dispositioni.

3. Secundò est etiam talis Superior auctorizare potens permutationes beneficiorum suæ Provinciæ Legatus de latere. Paris. *l. 7. q. 13. n. 16.* Garc. *loc. cit. n. 61.* Chok. *loc. cit. p. 1. c. 9. n. 2.* Azor *cit. q. 4. §. hinc efficitur.* qui tamen rectè id limitat, ut non possit auctorizare permutationes suæ Provinciæ, nisi quas possunt auctorizare Episcopi ejusdem Provinciæ. Siquidem reservatorum specialiter

liter Papæ permutationibus auctoritatem præbere non potest, uti nec Episcopus, de quo paulò pòst; nisi fortè specialis super his ei concessa esset à Papa facultas. Chok. *cit. n. 2. & 3.* Secus autem est in Legatis, qui non sunt Legati de latere, nec potestate Legatorum de latere pollent; hi enim, nisi fortè specialiter id iis concessum, permutationes beneficiorum auctorizare nequeunt; cùm non habeant potestatem instituendi & destituendi in beneficiis suæ Provinciæ. Garc. *loc. cit. n. 61.* citans Gamb. *de potest. Legat. l. 5. tit de permut.* Bellamer. &c. Vide dicta de utroque hoc genere Legatorum suprà, ubi, an recipere possint resignationes alias.

4. Tertiò, Prælati alii Episcopo inferiores, habentes ex consuetudine, vel privilegio jurisdictionem quasi Episcopalem, & Episcopis subjecti non sunt. Pirh. *ad tit. de rer. permut. n. 26.* Azor. *cit. q. 4. ad initium.* Castrop. *de simon. d. 3. p. 15. n. 5.* Chok. *loc. cit. c. 15. à n. 3.* (qui etiam *n. 6.* addit, id posse Abbates etiam non exemptos, ubi fortè jus illud auctorizandi permutationes præscriptione acquisierint) Garc. *loc. cit. n. 70.* citans Suar. *l. 4. de simon. c. 32. n. 11.* Gamb. & plures alios. Potestas enim interponendi auctoritatem in permutationibus beneficiorum competit Superiori ratione jurisdictionis Episcopalis, non ratione dignitatis. Pirh. *loc. cit.*

5. Quartò, etiam alii Episcopo inferiores, ad quos spectat collatio, & institutio talium beneficiorum, etsi careant de cetero jurisdictione quasi Episcopali, auctoritatem præstare possunt eorum permutationi, dum ex consuetudine legitimè præscripta hanc potestatem approbandi permutationes (quæ de cetero spectato jure communi spectat solùm jurisdictionem Episcopalem, aut quasi talem habentes) acquisierint. Pirh. *loc. cit. n. 26.* Castrop. *de simon. d. 3. p. 15. n. 6.* ubi: *Si Prælatus inferior habeat præscriptam consuetudinem, nemini dubium est, sufficere; cùm ratione consuetudinis jus acquirat*; citat pro hoc Suar. *l. 4. de simon. c. 32. n. 11.* Less. *l. 2. c. 34. n. 196.* Rebuff. &c. Idem tradit Chok. *loc. cit. p. 1. c. 6. n. 2.* ubi: *Si agamus de consuetudine tanto tempore observata, quæ sufficiat ad præscriptionem, dubium non est, quin inferior jus illud acquirere possit, quale jus habent Inferiores ab Episcopo Leodii, qui quotidie permutationibus beneficiorum, quorum ipsi sunt Collatores, auctoritatem præstant.* Et sanè posse tales inferiores jus dictum auctorizandi permutationes præscribere, vel ex eo patet, quòd actus ille recipiendi permutationes non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem Episcopalem spectet; ea autem, quæ sunt jurisdictionis, præscribi possint. Chok. *loc. cit.* citans Rebuff. *ad reg. de infirm. resign. tit. de permut. n. 20.* Videntúrque hæc procedere, etiamsi tales inferiores destituti sint potestate destituendi in illis beneficiis. De quo vide dicta suprà, ubi, an inferiores Episcopo recipere possint resignationes.

Quæstio 849. *Specialiter, quid quoad auctorizandas permutationes possit Vicarius Generalis, & Coadjutor Episcopi, & Capitulum Sede vacante, quorum tam hoc, quàm illi videntur habere jurisdictionem Episcopalem?*

1. REspondeo primò: Vicarium id non posse, nisi ex speciali mandato Episcopi; quia in permutatione interveniunt resignationis receptio & collatio, quorum neutrum potest Vicarius ille sine speciali commissione. Chok. *de permut. p. 1. c. 7. n. 1.* Pirh. *cit. n. 26.* Azor *cit. q. 4. §. dubitatur.* Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 3. n. 3.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 74.* cum communi. Neque sufficit, quòd habeat speciale mandatum conferendi beneficia spectantia ad collationem Episcopi. Pirh. Garc. *ll. cit.* uti nec sufficeret, si haberet speciale mandatum recipiendi resignationes; quia ex hoc non posset conferre, quin & etiamsi haberet potestatem destituendi. Vide hæc pluribus dicta suprà, ubi, an resignationes recipere possit. Videtur tamen econtra sufficere, si haberet & potestatem recipiendi resignationes, & beneficia vacantia per resignationem simplicem conferendi. Quodsi etiam haberet potestatem recipiendi resignationes ex causa permutationis factas, posse eum compermutantibus conferre beneficia, tradit Castrop. *loc. cit. n. 4.* contra Rebuff. & Barbos. eò quòd, licèt ista duo distincta sint, sint tamen omninò connexa; dum enim beneficium resignatur ex causa permutationis, eâ conditione resignatur, ut permutanti concedatur, adeóque admittens resignationem admittat eo ipso conditionem: quomodo autem hanc conditionem potest admittere, si non possit illa beneficia conferre, nec collatorem ad ea conferenda obligare? Qualiter autem, ubi haberet facultatem auctorizandi permutationes, adhuc valeret permutatio ab eo auctorizata post mortem Episcopi, vel etiam post revocationem ejus factam ab Episcopo, vide apud Chok. *loc. cit. à num. 8.* & dicta à nobis suprà *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: Quid possit hac in parte Coadjutor Episcopi cum futura successione datus, facilè deduces ex iis, quæ de hoc dicta sunt à nobis suprà, ubi, an is recipere possit resignationes alias. Posse illum conferre beneficia, & recipere resignationes & permutationes, ubi coadjutus est demens; secus verò dum datus solùm ob infirmitatem, vel senium, seu non posse eas expedire, nisi saltem cum consensu coadjuti, cum communi tradit Chok. *loc. cit. p. 1. c. 13. n. 5. & 6.* citans Paris. *l. 7. q. 20. n. 23.* Selv. *de benef. p. 2. q. 1. n. 8.* & plures alios; qui tamen plerique, etsi loquantur de receptione resignationum, ex paritate tamen rationis idem sentire videntur de resignatione permutationis gratiâ.

3. Respondeo tertiò: Capitulum Sede vacante posse auctorizare permutationes, negant aliqui, affirmant alii. Vide hoc fusè à nobis decisum suprà, ubi, an recipere possit resignationes. Vide etiam Garc. *loc. cit. n. 75.* Ventrigl. *To. 2. annot. 4. §. 2. n. 23. & 24.* Chok. *de permut. p. 1. c. 8.*

Quæstio 850. *Quid possit in hoc puncto Visitator, seu Administrator Ecclesiæ vacantis, datus ei à Papa?*

REspondeo: Potest is recipere & expedire resignationes & permutationes. Chok. *cit. c. 13. n. 7.* citans *c. 15. cui de elect. in 6.* & *c. fin. §. fin. de suppl. neglig. Prælator.*

* * *

Que-

Quæstio 851. *An igitur præscindendo à præscriptione & consuetudine, Prælati & Collatores inferiores, carentes jurisdictione quasi Episcopali (quin & potestate destituendi) permutationibus eorum beneficiorum, quorum ipsi ordinarii Collatores sunt, non requisito consensu Episcopi, auctoritatem nullatenus præstare valeant?*

1. REspondeo primò: Communem, & in praxi servandam sententiam habere, quòd id nullatenus possint. Pirh. Castrop. Suar. *ll. paulò suprà cit.* Chok. *de permut. p. 1. c. 6. n. 1.* citans Navar. *cons. 97. n. 2. de simon.* Rebuff. *in pr. tit. de permut. n. 20. &c.* Verumtamen oppositum, nempe quòd id possint hi inferiores, tenent Angel. *v. permut. n. 5.* Sylv. *v. permutatio. q. 2.* Sotus *l. 9. q. 5. a. 2. & q. 7. a. 2.* apud Castrop. *cit. n. 6.* quam sententiam non omni probabilitate carere ait Pirh. *cit. n. 26.* quanquam dicat, oppositam in praxi communiorem & tutiorem esse, & tenendam. Eandem sententiam ut verè probabilem defendit Castrop. citatúsque ab eo Suar. *de simon. l. 4. c. 32. n. 14.* idque argumento *c. unici. de rer. permut. in 6.* ubi approbatio & consensus Episcopi requiri videtur tantùm in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, secus in aliis, dum dicitur: *Qui secundùm formam juris sua beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè, & sine fraude in manibus tuis resignent. &c.* Confirmat idipsum Castrop. hâc ratione, quòd consensus & auctoritas Episcopi in permutationibus ideo spectetur; quia sine illo nec resignatio beneficii, nec alterius obtentio fieri possit; adeóque, cùm possit absolutè beneficium resignari & conferri sine consensu Episcopi; dum nimirum ejus collatio & institutio non spectat ad illum, non sit, cur dicamus, ejus consensum esse necessarium ad dictorum beneficiorum permutationem. Verùm hocipsum probandum esset à Castrop. quòd simpliciter resignari possit beneficium sine consensu Episcopi coram alio Collatore, destituto jurisdictione quasi Episcopali, & potestate destituendi, præscindendo à legitima præscripta consuetudine; quod suprà negavimus. Ad illud etiam, quod addit Castrop. confirmationis alicujus loco, quòd Pralatus ille, ad quem spectet collatio beneficiorum illorum, vel ex hoc ipso, seu in hac parte habeat jurisdictionem Episcopalem; eò quòd collatio beneficiorum propria sit Episcopo, juxta *c. omnes Basilicæ. 19. q. 7.* & vel sic nomine Episcopi comprehendi possit, ad illud inquam dici potest, quòd neque collatio beneficiorum sit actus, neque potestas conferendi sit pars propria jurisdictionis, sed facultatis alicujus distinctæ, ut vidimus suprà, ubi, quid sit collatio. Inhærendo itaque sententiæ communiori,

2. Respondeo secundò in specie: Secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, non posse permutationibus præbere auctoritatem Præpositos, Decanos, Archidiaconos, Archipresbyteros. De quo vide dicta suprà, ubi, an tales recipere valeant resignationes. Porrò tametsi tales inferiores Collatores ordinarii regulariter præbere nequeant auctoritatem permutationibus, consensus tamen eorum requiritur, nec aliàs expediri potest ab Episcopo permutatio. Less. *l. 2. c. 34. n. 197.* Chok. *de permut. p. 1. c. 6. n. 5.* citans Felin. *in c. cùm Bertholdus. col. 5. de rer. judic.* juxta dicta à nobis suprà. Quodsi tamen talis inferior Collator requisitus consentire noluerit, posse eum cogi, modò permutatio utilis sit Ecclesiæ, ait Chok. *ibid. n. 6.* citans Less. *ubi antè. n. 198.* ubi tamen is solùm loquitur de Patrono. De quo, uti & de Collatoribus vide plura suprà.

Quæstio 852. *An Episcopus alteri delegare possit potestatem suam auctorizandi permutationes beneficiorum?*

REspondeo affirmativè. Chok. *de permut. p. 1. c. 11. n. 1.* Neque obstat textus *c. deliberatione. §. prohibemus. de off. Leg. in 6.* ubi dicitur, inferiores à Papa non posse committere alicui, ut recipiat resignationem beneficii, & postea illud conferat, ne aperiatur via contra Concil. Lateran. ad beneficia vacatura; nam in receptione resignationum permutationis gratiâ, & collatione beneficiorum affectorum compermutantibus cessat ratio *citati* §. & Concil. Lateran. nempe votum captandæ mortis. Chok. *loc. cit.* qui etiam *n. 4.* ex Paris. *l. 7. q. 29. n. 3.* subjungit, posse quidem Episcopum Vicario, aut Officiali Generali delegare in genere potestatem conferendi beneficia vacatura, & recipiendi resignationes, non tamen id committere singulari personæ de singulari aliquo beneficio vacaturo, ne aperiatur via ad vacatura contra *cit. §. prohibemus.*

Quæstio 853. *An Episcopus auctorizare, & expedire possit permutationes existens in Curia?*

REspondeo negativè: Tametsi enim beneficiorum resignationes recipere possit existens in Curia; quia id est voluntariæ jurisdictionis; beneficia tamen resignata, quia hoc ipso, quòd resignentur coram Ordinario existente in Curia, vacant in Curia, & vel hinc reservata sunt Papæ, conferre non potest, adeóque non expedire permutationem, quæ resignationem & collationem includit. Paris. *l. 7. q. 13. n. 23. juncto n. 25.* & ex eo Chok. *loc. cit. p. 1. c. 10. n. 2.* Poterit tamen, ubi resignatio facta est coram eo existente extra Curiam, in sua, vel aliena Diœcesi, existens dein etiam in Curia beneficia resignata conferre, & per consequens expedire permutationem. Chok. *loc. cit. n. 3.* Paris. *loc. cit. n. 26.*

Quæstio 854. *Quorum beneficiorum permutationes auctorizare non possit Episcopus?*

1. REspondeo sequentium: Primò reservatorum Papæ, utpote quæ conferre non possunt Ordinarii. Chok *de permut. p. 2. c. 3. n. 1.* Castrop. *de benef. cit. §. 3. n. 6.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29 q. 16.* Garc. *p. 11. c. 4. n. 82.* citans Tusch. *conclus. 307. lit. p.* Mantic. *de tacit. & ambig. contract. l. 25. tit. 9. à n. 12.* quamvis Garc. *ibid. n 84.* dicat, Gamb. *in c. 1. de rer. permut. in 6. n. 33.* docere contra omnes cum Azone de Ramengis, quòd vi specialis reservationis non impediatur permutatio beneficiorum sic specialiter reservatorum. De quo vide dicta suprà, ubi, an reservata permutari possint. Poterunt tamen in quolibet mense beneficia permutari coram Episcopis, & hi admittere resignationes factas in favorem causâ permu-

permutationis, & beneficia illa compermutantibus conferre; cùm vacantia per resignationem non reserventur Papæ vi regulæ *octavæ Cancellariæ*, seu mensium, utpote in qua dicitur: *aliàs, quàm per resignationem*: Gonz. *gl.* 14. *n.* 33. *juncto n.* 29. Chok *de permut p.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Atque ita etiam in specie poterunt Episcopi Germaniæ non obstantibus concordatis permutationes auctorizare, & beneficia compermutantibus conferre in mensibus reservatis Papæ; Siquidem per concordata non censetur Papa voluisse conditionem Episcoporum Germaniæ facere deteriorem, illisque plus detrahere, quàm aliàs concessum aliarum provinciarum Episcopis vi regulæ octavæ. Chok. *loc. cit. n.* 3. Poterunt quoque expedire permutationes beneficiorum reservatorum collationi aliorum, seu quorum collatio spectat ad inferiores, de consensu tamen eorum; cum hi inferiores permutationem auctorizare nequeant, & facultas expediendi permutationes soli habenti jurisdictionem Episcopalem, aut quasi talem regulariter sit reservata. Chok *loc. cit. p.* 1. *c.* 12. *n.* 1.

2. Secundò exemptorum. Chok. *loc. cit n.* 4. Azor. *loc. cit.* de quo vide dicta suprà, ubi, an ea permutari queant.

3. Tertiò beneficiorum Episcopo propriorum, sive quæ ipse possidet; Siquidem, si Episcopus beneficium, quod retineret & possideret in sua diœcesi ex dispensatione Papæ, permutare velit cum alio etiam ejusdem diœcesis beneficiato, permutationem instituere debet coram Metropolitano; quia permutatio, ut dictum, fieri nequit nisi coram Superiore, qualis quò ad hoc est Metropolitanus respectu Episcopi. Pirh. *ad tit. de rer. permut. n.* 27. citans Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 32. *n.* 9. Barbos. *juris. Eccles. l.* 3. *c.* 15 §. 5. *n.* 177.

4. Quartò: Permutationes unius cum pluribus, quæ simul haberi non possunt citra dispensationem Papalem, seu quæ simul habenda concedi nequeunt ab Ordinario. Azor. *loc. cit.*

Quæstio 855. *An permutatio requirat necessariò causam legitimam?*

Respondeo: Permutatio coram Ordinario fieri non potest, nisi justa subsistente causa. *c. quæsitum. de rer. permut.* Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 4. §. 8. *n.* 27. Ventrigl. *To* 2 *annot.* 4. §. 2. *n.* 17. Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 5. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 44. citans quamplures. Cùm enim de jure prohibita sit beneficiorum permutatio. *cit. c. quæsitum.* & veluti odiosa & contra Concilia. *c. majoribus de præb.* ut ait Calderin. *cons.* 2. *de rer. permut.* apud Garc. *loc. cit.* hæc prohibitio relaxari, & in ea dispensari non potest per Episcopum, nisi intercedente justâ causâ. Castrop. *cit. n.* 4. & 5. Garc. *cit. n.* 44. *in fine.* citans Tusch. *concl.* 303. *n.* 1. *lit. P.* Hinc permutantes coram Ordinario obligati sunt allegare causam legitimam permutationis, & Ordinarius illam examinare, aliàs ejus dispensatio, seu facta ab eo permutationis auctorizatio erit nulla, utpote facta in & contra legem Superioris, absque causæ cognitione. Castrop. *loc. cit.* qui etiam illud à fortiore procedere ait, stante Constitutione Pii V. 58. concedentis Ordinariis admittere permutationes, quæ Canonicis Sanctionibus & Apostolicis Institutionibus permittuntur, & si secus factum fuerit, irritum esse decernitur; nullæ autem aliæ permutationes Canonicis Sanctionibus sint permissæ, quàm quæ fiunt ex causa utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ; adeóque ceteræ sint omnino irritæ & inanes. Idem ait Garc. *n.* 50. & 51. quin & addit, beneficia sic permutata coram Ordinariis absque justa causa manere tanquam vacantia reservata Papæ, aut Superioribus Ordinarii, qui talem permutationem admisit; & insuper admittentem talem permutationem incurrere pœnam suspensionis, de qua in dicta Constitut. Pii V. 58. Quamvis, ut ait Garc. *n.* 49. Bellam. *de rer. permut. p.* 6. *q.* 1. *n.* 12. teneat, permutationem sine ulla causa ab Episcopo factam, etsi is in hoc malè fecerit, posse irritari, non verò esse ipso jure irritam. Sed neque præsumitur in dubio permutatio facta ex justa causa, juxta Garc. *loc. cit. n.* 54. nec etiam Ordinario attestanti adesse causam permutationis credendum est, si non præmiserit causæ cognitionem & examen. Tond. *loc. cit.* ex Barbos *juris Eccles. l.* 3. *c.* 15. *n.* 172. Castrop. *cit. n.* 5. Garc. *cit. n.* 52. citans quamplures; eò quòd, cùm regula sit, permutationes de jure fieri non posse, qui dicit factam ex causa legitima (quo casu limitatur ea regula) probare debeat hanc causam limitationis & specialitatis. Contrarium sentiente Bellam. *loc. cit.* nempè in dubio præsumi, permutationem factam ab Episcopo esse factam bene, & ex justa causa. Item Ancharano. *cons.* 279. cujus sententiam procedere ait Garc. *n.* 53. & præsumi posse pro Ordinario, dum is in ipsa permutatione enunciaret, adhibitam à se causæ cognitionem.

Quæstio 856. *Quænam censeatur esse causa legitima permutationis?*

1. Respondeo primò: Causa sufficiens ad permutandum est necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, seu melior majórve cultus Dei. In hoc conveniunt omnes, ut patebit ex mox dicendis.

2. Respondeo secundò: Est quoque causa ad permutandum sufficiens utilitas & commoditas permutantium, dum ea reducitur & redundat in bonum Ecclesiarum, & augmentum cultûs divini, ut nimirum sic permutatis beneficiis, melius & promptius Deo serviatur. Uti contingit, dum v. g. beneficiatus ob assiduas inimicitias, vel æris intemperiem contemplexioni & valetudini suæ noxiam non potest tutò in loco beneficii sui commorari; vel ob idiomatis imperitiam Chok. *de permut. p* 2. *c.* 21. *n.* 2. Castrop. *cit.* §. 1. *n.* 4. Ventrigl. *loc. cit. n.* 19. Barbos. *loc. cit. n.* 127. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 4. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 47. citans Gamb. *in c.* 1. *de rer. permut. in* 6. *n.* 9. Cald. *cons.* 1. *cod. tit. &c.*

3. Respondeo tertiò: Nequaquam causa sufficiens ad permutandum est solus favor, vel sola commoditas, & utilitas compermutantium, nullam habens admixtam utilitatem Ecclesiæ, seu nullâ habitâ ratione utilitatis Ecclesiæ, aut melioris servitii divini. Garc. *loc. cit. n.* 49. ubi expresè inquit: *patet ergo, permutationem factam absque ulla causa justâ, qua saltem redundet in utilitatem Ecclesiæ, & ad eam saltem reductivè pertineat, nullam esse, si coram Inferiore Papâ fiat.* contra Bellam. qui sentit non esse irritam ipso jure, sed posse irritari. Ita pariter sentiunt AA. alii immediatè ante citati, dum inquiunt, posse fieri permutationem ob utilitatem permutantium, debere tamen semper adesse utilitatem saltem consecutivam, seu redundare saltem consecutivè in utilitatem Ecclesiæ, ut Bellam. Ventrigl. Barbos. posse fieri ob utilitatem personarum, modò non resultet inde damnum Ecclesiæ, sed utilitas, ut

Gamb.

Gamb. *loc. cit.* apud Garc. Præter quos ità expressè sentit Sylv. *v. permutatio. n.* 12. apud Garc. *n.* 47. inquiens requiri, ut permutatio fiat ex causâ spirituali, qualis est, ut Deo meliùs serviatur. Item D. Th. *in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *a* 3. dicens, quòd permutatio fieri debet pro causâ spirituali, puta, ut meliùs Deo serviatur; aliàs, si pro terreno commodo aliquo utriusque, vel alterius fiat permutatio, est simoniaca. Idemque cum D. Tho. dicentes Corrad. *in resp. casuum conscient. q.* 42. & Ugol. *tab.* 1. *de simon. c.* 27. §. 1. *n.* 6. apud eund. Garc. *n.* 45. quorum posterior inquit, simoniam committi, aut saltem peccari, ubi ob non necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, & ut Deo meliùs serviatur, permutatio fit, ut debet; sed ob rerum terrenarum commodum, nullo habito respectu ad cultum divinum. Et hinc, qui beneficium permutat cum alio ob id, quòd ubi aliud illud beneficium est, venationi & piscationi operam dare possit, planè peccare, ex quo ob has causas permutatio permissa non est. Nullam verò intervenire aut spectari utilitatem Ecclesiæ, difficile esse definire, bene ait Chok. *loc. cit. n.* 3. propter palliationes & technas, quas Ordinariis obtendunt permutare cupientes.

4. Respondeo quartò: Pro justa causa admittendæ per Ordinarium permutationis sufficit utilitas unius Ecclesiæ compermutantium, modò ex parte Ecclesiæ alterius compermutantium non sit in damnum considerabile; eò quòd id conformius videatur textui *c. quæsitum*, ut pote qui dicendo: *quæ uno loco minùs sunt utiles*: considerat utilitatem unius loci. Garc. *cit. n.* 49. & ex eo Ventrigl. *loc. cit. n.* 18. (qui etiam ait, quòd ad necessitatem Ecclesiæ sufficere secundùm omnes, ut ea sit ex parte unius) contra Tusch. *lit. P. concl.* 305. *n.* 5. & Gemin. *cons.* 105. *n.* 5. requirentes utilitatem utriusque Ecclesiæ compermutatæ.

5. Respondeo denique: Ut superior teneatur admittere permutationem, requiritur causa necessitatis, vel magnæ & evidentis utilitatis Ecclesiæ. Garc. *loc. cit. n.* 48.

Quæstio 857. *An ad permutationem necesse sit, ut, dum beneficium resignatur animo permutandi, exprimatur, resignationem fieri hoc animo?*

Respondet negativè. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 180. *à n.* 1. ubi ait: multæ resignationes sunt species quædam permutationum; mutua autem talis resignatio juxta gl. *in Clem.* 1. *de rer. permut.* vel ex causa fieri potest, exprimendo, vel non exprimendo illam fieri ex causa permutationis: quia si illud non exprimatur, sufficit illud colligi ex conjecturis, v. g. ex præcedentibus gestis vel dictis, ut Imol. *in cit. Clem. unic. n.* 7. Anchar. *n.* 3. aut etiam probari per testes vel instrumenta, ut Cardin. *in cit. Clem. n.* 6. *in fine*. Veri simile enim non est, quòd quis beneficio suo renunciet sine causa. Similia habet Tond. *p.* 1. *c.* 75. *n.* 7. & 8. ubi ait: DD. omnes in *cit. Clem.* Asserunt, permutationem per se fieri, imò & de rigore faciendam esse per liberam & puram resignationem compermutantium, illósque posse mutuò resignare beneficia, etiam præcedente tractatu de permutando, & quòd non sit opùs exprimere titulum permutationis, modò resignationes hinc inde purè & liberè fiant; cùm per eas non sint ligatæ manus collatorum, & resignantes non teneantur exprimere causam resignationis, sed ea præsumatur de jure.

Quæstio 858. *An necesse sit in permutatione facere mentionem tractatûs jam antecedenter habiti inter compermutantes de compermutando?*

Respondeo negativè: Idque sive permutatio fiat coram Papa, sive coram Ordinario. Paris. *de consid. q.* 40. *n* 39. & 40. dicens ita obtinuisse usum & praxin quotidianam.

Quæstio 859. *An in permutatione necesse sit, fieri mentiouem beneficiorum aliorum à compermutantibus jam habitorum?*

1. Respondeo primò: Id neque de jure, neque de stylo necessarium est, dum permutatio fit coram Ordinario, non secus ac in alia ab eo facta provisione Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c* 29. *q.* 27. §. *sciendum est*. Chok *p.* 2. *c.* 5. *n.* 6. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 99. citans Menoch. *de arb. l.* 2. *casu.* 201. *n.* 150. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 9. *n.* 8. *&c.* Idem videtur, dum permutatio fit coram Legato de latere. Azor. *loc. c.*

2. Respondeo secundò: Permutationem factam coram Papa, etiam ad preces permutantium (dum enim fieret motu proprio, seu adjectâ clausulâ *motus proprii*, vel etiam *pro expressis habentes*, videtur certum esse, id non requiri. Chok. *loc. cit. n.* 1. ex Rebuff. *in pr. tit. de permut. n.* 35. dicente tutius esse, fieri mentionem omnium obtentorum, nisi adessent dictæ clausulæ) nullâ factâ à permutantibus mentione beneficiorum ab iis jam obtentorum, quantùm est de jure communi, subsistere, astruunt cum Federic. de Senis. *tr. de permut. q.* 13. (vel ut eum citat Chok, *n.* 27.) Gamb. *de permut. p.* 2. *n.* 188. Pet. de Ubald. *de permut. à n.* 21. *ad* 27. Ægid. *cod. tr. p.* 3. *q.* 1. *à n.* 10. apud Azor *loc. cit.* Item Gimon. *in Enchirid. benef. l.* 2. *q.* 17. *n.* 159. & alii apud Garc. *loc. cit. n.* 93. eò quòd canones solùm statuant, debere fieri mentionem obtentorum in impetrationibus & dispensationibus ad occludendam viam ambitioni; in permutatione autem non sit impetratio & collatio simpliciter facta, sed tantùm permutationis gratiâ, cesset etiam omnis ambitio; cùm beneficium beneficio non addatur, sed unum in locum alterius subrogetur. quâ ratione etiam motus Chok. *loc. cit. n.* 4. ait: non temerè recederem à sententia Federici, quam etiam sequitur Lott. *l.* 1. *q.* 37. *n.* 26. Contrarium tamen esse de stylo, & servari in Curia Romana, testantur ipsi hi AA. plerique, & in specie Ægid. & Federic. & Rotam *decis.* 5. *de rescrip. &* 12. *de præb. in antiq.* apud Garc. *n.* 89. quin & Federic. opinionem suam veram existimat salvo tamen hoc stylo, & sequendum esse hunc usum & stylum Curiæ, asserit Azor *loc. cit.* §. *cæterum*, & Chok *loc. cit. n.* 5. E contra non solùm ex stylo, sed & de rigore juris faciendam esse hanc mentionem præhabitorum, expressè tenet Castrop. *de benef. d.* 6. *p.* 3. §. 4. *n.* 3. & tenere videtur Garc. *n.* 89. *junctò n.* 94. *&* 95. utpote utens iisdem, quibus Castrop. rationibus, & dissolutionibus argumentorum sententiæ oppositæ: nempe quòd in permutatione verè detur impetratio & collatio novi tituli, & si ex causa permutationis, & quòd, licèt in permutatione admissa ex ejus causa resignatione collatio sit necessaria ac debita compermutantibus, non secus ac facta electione & præsentatione legitima, debita est confirmatio & institutio (ob quam causam opùs non est confirmandum vel instituendum per Papam facere mentionem à se jam obtentorum, ut Castrop.

ſtrop.)admiſſio tamen reſignationis non ſit neceſſaria, & ad eam requiratur conſenſus Superioris, cujus eſt compermutata conferre; ſecus ac accidit in præſentatione, ad quam non requiritur conſenſus Superioris, ſeu Inſtitutoris. Ad quod tamen dici facilè poſſet, æque neceſſariò præſtandum eſſe conſenſum dictæ reſignationi, quæ fit permutationis gratiâ, dum adeſt cauſa legitima, evidens nempe Eccleſiæ utilitas, quàm admiſſio præſentationi.

Quæſtio 860. *An exprimenda qualitas beneficiorum permutandorum ?*

1. Reſpondeo primò pari modo: Dum permutatio expeditur per Ordinarium, opùs non eſt exprimere dictas qualitates. Azor *loc. cit.* Chok. *p.2.c.4.n.1.* citans Gamb. *in c.licèt. n 25. de rer. permut. in 6.* Quod ipſum tamen rectè limitat Chok. *loc.cit.c.5.n.7.* niſi eſſet beneficium, ad cujus titulum permutans fuit ordinatus; dictâ enim qualitate non expreſsâ, permutationem fore nullam; eò quod à Trid. *ſeſſ. 21. c.2.* cum decreto irritante exprimenda diſponatur, quæ diſpoſitio per æquipollens adimpleri nequit. Eadem habet Chok. *de permut.p.3.c.28.* ubi poſtquam *n.1.* præmiſiſſet, pleroſque tenere, quòd decretum illud Trident. de facienda mentione in reſignatione, quod ad illius beneficii titulum quis ſit promotus, non extendat ſe ad permutationem ob diverſitatem rationis, quia nimirum ſecus, ac contingit in reſignatione (ubi reſignans per conſenſum ſemel præſtitum abdicat à ſe plenè jus & titulum beneficii, transferendo illum in Reſignatarium) in permutatione beneficia non dicantur vacare (cujus tamen contrarium diximus ſuprà) dum uterque habet jus in re, & quamdiu permutatio non eſt ſortita effectum, jus & poſſeſſio remaneat penes permutantem, ſoleátque permutatio expediri cum conditione ſuſpenſiva, ut alter alterius beneficium aſſequatur; adeóque nec titulus, nec poſſeſsio auferatur à permutante, priuſquam jus & titulus beneficii alterius ſit ei quæſitus, & ſic quoque ceſſet ratio finalis Concilii Trid. quæ erat, ne Clericus amiſſo beneficio cogatur mendicare: & quia idipſum quoque reſolvit S. Congreg. *in una Camerinenſ. 1. Julii.1593.* nimirum tutum eſſe in conſcientia, qui beneficium, ad cujus titulum promotus, reſignavit ſine facta de eo mentione, dum aliud ex cauſa permutationis obtinuit, modò illud ſit æquivalens primo. Uti hoc ipſum expreſsè tenet Garc. *p.2.c.5.n.218.* ubi ait, faciendam illam mentionem, niſi permutatio ſit æquivalens, ubi inquam poſt hæc omnia ſubjicit. Chok. *n. 6.* His tamen non obſtantibus eadem S. Congreg. anno 1600.25. Julii cenſuit, perinde faciendam eſſe mentionem tituli in permutatione, ac in reſignatione; cùm talis ſit forma à Trid. præſcripta, à qua non recedendum, conſideratâ præſertim clauſulâ irritante. citátque pro hoc Mantic. *de tacit. & ambig.contract.l.25.tit.7.n.44.* Barboſ. *de off. & pot.Ep.alleg.19.n.43.* & ſeipſum *ad reg.Cancell. 42. de conſenſu in reſign. à n. 27.* Eandem limitationem habet Card. de Luc. *de benef.d.41.n.4. & 5.* ubi, quòd etſi dictum Conciliare decretum in verbis loquatur tantùm de reſignatione, attamen ex declarationibus S. Cong. receptum ſit, locum etiam habere in permutationibus.

2. Reſpondeo ſecundò: Dum verò permutatio fit coram Papa, vel ejus legato de latere, neceſſariò faciendam mentionem de qualitatibus beneficiorum compermutandorum, aliàs de jure vel ſtylo exprimendis, expreſsè aſſerit Garc. *loc.cit. n. 91. & 92.* Contrarium hic iterum ſentientibus Federico, ejúſque ſequacibus, *q.præced.* citatis, quantum eſt de jure, pro ut videre eſt apud Garc *n. 93.* ſalvo tamen, etiam ſecundùm hos AA. Stylo curiæ, & in hoc ſervantes contrarium. Quem etiam ſtylum hac in parte non levibus rationibus inniti aſſerit Azor; nempe quòd clericus idoneus ad unum beneficium, eo ipſo non ſit idoneus ad aliud; quique dignus eſt uno beneficio, non ideo ſit dignus duobus, cum quibus ſæpe unum permutatur, & qui meretur tenue, non hoc ipſo meretur pingue. Sic etiam in ſpecie exprimendum eſſe, quòd beneficium permutandum ſit reſervatum, ſi reſervatum reſervatione ſpeciali ſecretâ; eò quod talis reſervatio cenſeatur facta in favorem certæ perſonæ, & Papa in dubio non præſumatur ulli velle præjudicare. Secus autem ſit, dum reſervatum reſervatione generali. Sic, inquam, tradit Chok. *de permut.p.2.c.3. n.1.* ex Gamb. *ad c.licet. de rer.permut. in 6. n.45.* & Federic. *q.4.*

3. Verùm limitanda principalis reſponſio, ita ut neceſſaria non ſit dicta qualitatum expreſsio primò: Si permutatio facta motu proprio; eò quod per expreſsionem hujus clauſulæ præſumatur Papa uti voluiſſe in ſua conceſsione plenitudine poteſtatis, omnéſque defectus excludere, vel ſupplere, & quòd, ubi de manifeſta voluntate Papæ conſtat, uti id conſtat per adjectam clauſulam, ceſſare debeat omnis ulterior diſputatio. Chok. *de permut. p. 2.c.4.n.4. & 5.* ubi etiam addit, quòd manifeſta hæc voluntas hoc etiam operetur, etiamſi apparere poſſet, gratiam vel permutationem eſſe aliquo modo obtentam ad inſtantiam partis, modò hæc clauſula *motûs proprii* ſit adjecta, quæ & tunc ſuum operatura ſit effectum, ita ut perinde valeat, ac ſi facta fuiſſet purè motu proprio nemine ſollicitante, niſi fortè, ut id ipſum limitat Chok *n. 6.* Papa ipſe declaraſſet, ſe conceſsiſſe ad inſtantiam partis; tum enim dicta clauſula *motûs proprii*, etiam ſcripta manu Papæ non operabitur.

4. Secundò: Si (etſi non adſit expreſsè dicta clauſula *motûs proprii*) ex literis permutationis colligi poſsit, Papam non fuiſſe neſcium cauſæ permutationis, & qualitatis beneficiorum; eò quòd tunc ceſſet diſpoſitio Canonum, ſtatuentium in impetrationibus beneficiorum per Papam conferendorum, declarandam eſſe qualitatem eorundem. Chok *cit.c.4.n.2.* citans *gl. in Clem. 1. de præb.* argumento *c. non poteſt. tit. eod. in 6.*

5. Tertiò: Si (licèt ex literis permutationis dicta ſcientia Papæ non appareat; quin etſi appareret, Papam auctoritatem ſuam præſtitiſſe permutationi ad ſupplicationem permutantium) qualitates beneficiorum eſſent exigui momenti, ut valor & ſimilia, Chok. *loc.cit.n.3.* citans Gamb. *ubi antè n. 139. in fine.* ſecus autem ſit, ſeu permutatio non ſubſiſtat ſubticita qualitate beneficii valde ſignanda, ut quòd beneficium compermutandum ſit juriſpatronatûs laicalis; ſit Eccleſia Cathedralis vel Collegiata, ſit beneficium habens curam animarum, vel ad cujus titulum quis ordinatus, aliáve ſimilis (quas Pariſ. *de reſig.l.10.q.2.n.20 & ſeq.* recenſet) eò quòd Papam veriſimilitèr movere potuiſſet ad non expediendam permutationem. Chok. *cit. c.40 n.2* & Gamb. *loc.cit.* apud Azor *cit.q.27. §. ceterum. in fine.*

6. Limitanda denique, ut omiſsâ mentione conſanguinitatis inter compermutantes juxta ſtylum non

non causetur in permutatione subreptio; cùm ea non ponderetur, nisi in provisionibus coram Ordinariis faciendis. Cardin. de Luca *de benef. d.* 40. *n.* 16. Item ut exprimi non soleat gravis ætas, vel mala valetudo unius ex compermutantibus, cùm satis in hoc provisum sit per regulam Cancellariæ *de viginti*, seu *de infirm. resign.* Card. de Luca *ibid. n.* 17.

Quæstio 861. *An igitur hæc Regula de infirm. resign. locum habeat in permutationibus tam factis coram Papa, quàm factis coram Ordinario?*

1. REspondeo ad primum: Habere illam locum in permutatione facta coram Papa, ita ut si resignans permutationis gratiâ moriatur intra viginti dies præfiti consensûs, beneficium illius permutatum alteri liberè conferri possit, sive permutatio fuerit æqualis, sive inæqualis. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. *&* 2. citans Rebuff. *in pr. in hanc reg. gl.* 4. *in princip.* Paris. *de resig. l.* 12. *q.* 5. *n.* 15. Gonz. *ad reg.* 8. *gl* 14. *n.* 54. Wamesi. *To.* 1. *cons.* 257. *n.* 12. *&c.* juxta fusiùs à nobis dicta suprà, ubi, an infirmi resignare possint in favorem.

2. Respondeo ad secundum: Etiam locum habere illam, si fiat permutatio coram Ordinario, propter clara illius regulæ verba: *quavis auctoritate*, Chok. *loc. cit. n.* 7. Et licèt ibi quoque dicat, sententiam oppositam videri satis plausibilem, & à multis viris doctis receptam, citans pro ea Boëtium Epo. *in c. cum universorum. de rer. permut. n.* 157. & auctorem Analyt. comment. *ad hanc reg. n.* 30. *& seq.* Addit tamen, se illam putare minùs tutam, nisi Rotæ præjudiciis confirmetur.

Quæstio 862. *An subsistat permutatio facta sub conditione, ut alter compermutantium debita compermutantis solvat, vel expensas ab eo factas?*

REspondeo: Dum debita hæc cõtracta sunt à beneficiario nomine Ecclesiæ, cui præest, sive contemplatione beneficii in ejusdem melioration-em aut conservationem, subsistere permutationem citra ullam simoniæ labem; cùm jam sit conditio, quæ tacitè inest, seu onus, quod incumbit ipsi beneficio, adeóque cujuscunque ejus possessori, etiam sine illius expressione ab eo solvendum. Illicitam verò esse, & simoniacam permutationem, cum dicta conditione seu pactatione, si debita contracta à beneficiato suo nomine, aut in ejus rem & utilitatem conversæ, sic inquam tradunt Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q* 31. Chok. *p.* 2. *c.* 19. *n.* 3. & taliter intelligendi Gamb. *ad c. licet. de rer. permut. in* 6. *n.* 151. Federic. *de perm. q.* 39. dum simpliciter sive dicta distinctione tradunt, permutationem sub tali conditione licitè fieri posse; eò quòd conditiones, quæ tacitè insunt, in pactum deduci queant; etsi addant, conditionem illam non esse exprimendam. Cùm resignatio beneficii fieri debeat absque ullo pacto. Idem tenent Azor & Chok. de impensis, quas de suo Beneficiatus fecit in bonum beneficii, quòd fieri possit permutatio cum pacto illas refundendi. Verùm vide dicta de hoc suprà, ubi de resignatione facta sub conditione, & simoniacè.

Quæstio 863. *An qualitas requisita in beneficiis aliàs vacantibus, vel etiam onus afficiens beneficia aliter, quàm ex resignatione facta permutationis gratia, requiratur quoque, & afficiat beneficia vacantia ex causa permutationis?*

REspondet affirmativè Garc. *p.* 11. *c.* 3. *n.* 6. citans Puteum *decis.* 331. *&* 338. Mohed. *decis.* 7. *de concess. præb.* constat ex dictis suprà. Sic namque beneficia patrimonialia in compermutante requirunt hanc qualitatem, ut sit de tali urbe, loco &c. Garc. *ibid. n.* 7. Sic requirentia certam ætatem, compermutari nequeunt, nisi cum habente illam ætatem. Paris. *l.* 4. *q.* 9. *n.* 25. sic (quod concernit alteram partem *quæst.* nempe onera, quibus obnoxium beneficium) privilegium de fructibus primi anni beneficiorum vacantium, de quo *in c. si propter. de resicrip. in* 6. comprehendit quoque beneficia vacantia causâ permutationis. Garc. *cit. c.* 3. *n.* 8. citans Federic. sic Annatam deberi quoque ex beneficiis permutatis, eò quòd & hæc verè resignentur, vacent, & conferantur, tradit Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *n.* 10. citans Joan. And. & Archid. *in cit. c. si propter.*

Quæstio 864. *An permutatio fieri possit per temporis intervalla?*

REspondeo affirmativè. v. g. dum Titius coram Episcopo suo permutationis gratiâ dimittit beneficium suum, & dein priùs post menses aliquot recipit beneficium Caii sibi collatum, quod is habebat in alia diœcesi, & dimiserat coram suo Episcopo. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 28. citans Feder. *de permut. q.* 11. Ubald. *eod. tr. n.* 70. Rebuff. *in pr. p.* 3. *tit. de permut. n.* 36. Alium casum, in quo etiam resignatio per temporis intervalla separatur à collatione, vide suprà, ubi, an in permutatione detur vera vacatio, & nova collatio. Unde jam etiam fit, ut dum beneficium à Titio dimissum, & Cajo collatum, Cajus ad dies, vel menses aliquot unà cum suo quietè possideat; eò quòd suum priùs dimittere, & Titio relinquere non poterat, v. g. propter absentiam sui Episcopi, tertius aliquis primum illud Caji beneficium in Curia Romana impetrare nequeat, tanquam vacans per adeptionem secundi cum illo primo incompatibilis. Quia tametsi beneficium, quod causâ permutationis dimittitur, vacare videatur, non tamen vacet vacatione, de qua in *c. de multa, de præb.* & secundum illud beneficium non datur Cajo, ut illud cum primo suo retineat, sed ut suum gratiâ Titii dimittat, ubi nactus ad hoc occasionem. Ita ferè Azor *loc. cit.* ex Rebuff. *ubi antè n.* 37.

Quæstio 865. *Intra quod tempus expedienda permutatio, hoc est, facienda receptio resignationis talis mutuæ, & collatio beneficiorum compermutatorum?*

1. REspondeo primò: Certum tempus, intra quod beneficia compermutata conferri debeant à jure statutum non est. Azor *loc. cit. n.* 30. *q.* 2. Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 17. Garc. *p.* 10. *c.* 4. *n.* 2. citans Federic. *de permut. q.* 29. Pet. de Ubaldis seu de Perusio *eod. tr. p.* 2. *q. ult. n.* 31. Selv. *de benef. p.* 3. *q.* 64. *n.* 2. *&* 3 Coras. *de benef. p.* 4. *c.* 1. *n.* 6. *&c.* contra Delphin. *de jurep. l.* 2. *q.* 11. tenentem, in beneficiis resignatis permutationis causâ habere quoque locum textum *c.* 2. *de concess. præb.* ubi ad conferendum con-

conceduntur collatoribus ordinariis sex menses; quod falsum esse, ait Garc. *loc. cit. n.* 4. & ex eo Chok. *loc. cit.* cùm textus ille non habeat locum in collatione necessaria, qualis est illa, quâ conferuntur beneficia permutata; sed in habente liberam potestatem conferendi, ut Selva *loc. cit.* ait quoque Azor, posse Ordinarium superiorem inferiori Ordinario, apud quem beneficia permutantur, præcipere, ut intra certum tempus totam permutationem expediat, sin minùs, ipse eam perficiet. Verum tamen

2. Respondeo secundò: Hodiedum tempus illud determinatum à Gregorio XIII. in Constitutione ejus 87. *de publicatione resignat.* quæ hodie viget, ubi statuit Papa, quòd resignationes beneficiorum etiam ex causâ permutationis factæ in manibus Ordinariorum, & aliorum inferiorum Papâ infra mensem debeant admitti vel rejici, & provisio, si per eos facienda, fieri, & provisus intra tres menses à die factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat, alioqui nulla sit provisio, & beneficium vacare censeatur eo ipso, ejúsque dispositio ad Sedem Apostolicam devoluta existat. Garc. *p.* 11 *c.* 3. *n.* 275. de quo vide dicta suprà, ubi de publicatione resignationis. Quòd si tamen habens conferre beneficia ex causâ permutationis resignata, sit in hoc negligens, & differat, vel etiam recusèt id facere, recurrendum esse ad Superiorem, nempe Metropolitanum, vel Legatum Apostolicum, qui ei ad hoc tempus præfigat, quo elapso ipse supplebit, vel compellendo, vel conferendo seu instituendo. Garc. *cit. p.* 10. *c.* 4. *n.* 5. & ex eo Chok. *loc. cit.* quamvis, ut *ibidem n.* 6. Garcias, teneat Bellamera. *de permut. p.* 5. *q.* 1. elapso illo tempore præfixo à Superiore ad conferenda beneficia permutata, non devolvi ad illum Superiorem potestatem conferendi, quia hoc jure cautum non reperiatur, sed permutantes ad sua beneficia redire posse.

Quæstio 866. *An, & qualiter permutatio fieri possit per Procuratorem?*

1. REspondeo, præter dicta suprà integros §. de resignatione per Procuratorem, quæ revidenda, & huc applicanda. Primò posse permutationem fieri per Procuratorem non secus ac resignationem puram, vel in favorem. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 24. cum communi.

2. Secundò: Posse constitui unum eundemque Procuratorem ab utroque compermutantium. Chok. *de permut. p.* 3 *c.* 22. Azor. *loc. cit.* citans Ægid. Bellam. *de permut. p.* 8. *q.* 1. Gamb. *p.* 2. *n.* 142. & Federic. de Senis. *q.* 3. quorum sententiam dicit communi consensu receptam. Quodsi tamen postea de permutatione lis inter permutantes oriretur, unus idemque Procurator ad litem utrique deservire non possit, juxta *l. licèt.* §. *si plures. ff. de Procur.* qui textus loquitur de Procuratoribus in Judiciis contentiosis, in quibus, cùm ab una tantùm parte stare possit æquitas, unus idémque Procurator utrique parti deservire nequit. Chok. *loc. cit.*

3. Tertiò: Non sufficit Procurator constitutus generatim ad omnia negoria & causas agendas, sed requiritur speciale mandatum ad beneficium causâ permutationis resignandum. Chok. *p.* 3. *c.* 23. *n.* 1. & 2. Azor *loc. cit.* quamvis Chok *loc. cit. n.* 3. addat, videri subsistere constitutionem Procuratoris ad recipiendum, & acceptandum, ac permutandum beneficia imposterum obtinenda, quod negat Azor *loc. cit.* §. *quæres.* ubi: *minimè constitui potest Procurator ad permutandum beneficium nondum obtentum, sed obtinendum; quia nemo potest permutare nisi rem suam: & eâdem ratione non posse constitui Procuratorem ad beneficium recipiendum, & permutandum.*

4. Quartò: Procurator constitutus ad permutandum, si priùs anno elapso à constitutione sui permuter, videtur non valere permutatio, eò quòd intra tantum tempus voluntas Principalis præsumatur mutata, argumento *l. peregrè. ff. de acquirenda possess.* Chok. *p.* 3. *c.* 25. *n.* 1. qui etiam addit, quòd, etsi Camera Apostolica ejusmodi Procuratorem post annum ad resignandum admittat, secùs ac facere consuevit Cancellaria, provisio tamen obtenta à Papa, hoc suppresso, quòd mandatum erat superannale, subreptitia sit, & ipso jure nulla; eò quòd hoc non suppresso, Papa non tam facilè admisisset, & hoc sufficiat ad subreptionem, ut Auctor Analyt. comment. *n.* 401. *ad reg. de public.*

5. Quintò: Procurator constitutus ad permutandum coram Papa non potest permutare coram Ordinario. Chok. *cit. q.* 25. *n.* 2.

6. Sextò: Procurator ad permutandum potest esse laicus. Chok. *p.* 3. *c.* 27. *n.* 3.

7. Denique beneficium vacat in loco, ubi Procurator permutat; non verò, in quo Principalis constituit, aut commoratur. Azor. *cit. q.* 24. & ex eo Chok. *p.* 3. *c.* 26. citans insuper Rebuff. *in pr. tit. de Procur. ad resign. n.* 28. Gamb. *ad c. licet. de rer. permut. in* 6. *n.* 146. Gemin. *ad c. licet Ecclesiarum. de prab. in* 6. *n.* 7. *&c.*

Quæstio 867. *An, & qualiter compelli quis possit ad permutandum independenter ab eo, quòd ipse de hoc antecedenter tractarit, seque obstrinxerit fide data ad permutandum?*

REspondeo: Potest quis etiam invitus ac contradicens auctoritate Episcopi compelli ad permutandum suum beneficium, ubi id Ecclesiæ necessitas postulat, puta, quia in suâ Ecclesiâ non proficit ob scandalum, persecutionem simile ve causam, aut aliter inutilis est. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *q.* 5. qui tamen id ipsum limitat, ita ut non sufficiat ad hanc compulsionem, quòd unus eorum sit magis utilis Ecclesiæ quàm alter, sed requiratur, ut unus sit inutilis, alter utilis. Distinguit verò Ventrigl. *To.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 47. ut procedat, si necessitati Ecclesiæ subveniri nequeat, dando tali inutili beneficiato Coadjutorem; tunc enim ait, compelli eum posse ad permutandum, etiamsi dicta necessitas Ecclesiæ proveniat absque ejus culpa, eò quòd prævaleat tunc utilitas publica. citátque pro hoc Abb. *in c. quæsitum. de rer. permut.* Federic. *de permut. q.* 26. *n.* 41. *&* 42. Mantic. *de tacit. & ambig. contract. To.* 2. *l.* 25. *tit.* 7. *n.* 16. 17 *&* 29. Secus verò sit, si subveniri possit dictæ necessitati, dando illi Coadjutorem; cùm etiam ægrotus, qui deservire non potest, non sit cogendus ad resignandum. Quod tamen intellige, dum citra suam culpam est inutilis Ecclesiæ beneficiatus ille, ut contingit in infirmo. Dum enim ob commissum crimen, aut scandalosam vitam nil proficit, aut dilapidator est bonorum Ecclesiæ, opùs non est datione Coadjutoris, etsi per eum subveniri posset Ecclesiæ; sed potest compelli ad permutandum.

Qua-

Quæstio 868. *An is, qui fide data promisit, vel etiam cum juramento se obstrinxit ad permutandum, & dein pœnitet, & permutare non vult, compelli ad id possit: An verò cum effectu pœnitere possit & resilire, non obstante instantia alterius, & compulsione Superioris?*

1. REspondeo: Dum permutaturi datâ sibi fide convenerunt de expedienda coram Ordinario permutatione, & dein eorum alterum pœnitet, & intendit à permutatione recedere, posse eum, etiam invitum, compelli ad eam exequendam, altero instante; quin &, si omnino nollet, posse illum invitum transferri, tenent Pet. de Ubald. *de permut. n.* 40. Federic. *q.* 38. apud Garc. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 236. in quorum sententiam inclinat Ventrigl. *loc. cit. n.* 49. *& seq.* hanc sententiam expresse tuetur Chok. *p.* 3. *c.* 33. hisce formalibus: *Compermutans cogi potest, ut fidem promissis impleat, nimirum ut ad effectum perduci curet permutationem; non quidem jure actionis, sed officio Judicis juxta c. quæsitum. de rer. permut.* & citat pro hoc Mantic. *de tacitis & ambig. contract. l.* 25. *tit.* 7. *num.* 32. Idem expressius adhuc habet Chok. *p.* 2. *c.* 27. *nu.* 2. *juncto n.* 4. ubi ait: *Dicendum cum Aufrerio, subsistere talem tractationem & obligationem, quia non fuit inter partes facta conclusio permutationis, sed promiserunt operam dare, ut per Superiorem expediatur, quod non est prohibitum: imò nec alteruter hujusce promissioni contravenire poterit; cùm juramentum, quod non vergit in detrimentum animæ, servandum sit. & licèt revocaret, non valeret revocatio; cùm in spiritualibus non possit agi ad interesse; ideóque ex officio cogi poterit à Superiore, ut de nolente fiat volens, etiamsi fides solùm data fuerit; quia fidei datio, & juramentum æquipollent.* Et ratio hujus sententiæ est, quòd similes pactiones super permutatione perficienda auctoritate Superioris non sunt illicitæ, ut idem Ventrigl. & Chok. & ut addit posterior, non est in hoc ulla simoniæ labes; cùm ejusmodi pactio per se mala non sit; quia tantùm in ea exprimitur propria voluntas, & libertas se ita obligandi non est prohibita; cùm non sit de permutatione beneficii, nisi juxta juris concessionem, & ostendat tantùm mutuam stabilitatem in concordia facta, quantum est ex parte illorum, citátque pro hoc Filiuc *tr. mor.* 47. *c.* 7. *nu.* 18. & remittit ad Wamesi. *to.* 2. *cons.* 344. *nu.* 7. & *cons.* 339. *nu.* 2. Quamvis idem Chok. *p.* 3. *c.* 24. *à nu.* 3. videatur potiùs sequi sententiam illam, quæ dicit, Procuratorem constitutum ad permutandum cum juramento de non revocando, revocari adhuc posse. Unde dum dicitur *in una Toletan. de anno* 1553. (quod ab adversariis in contrarium affertur) concordiam in beneficialibus non valere, etiam cum juramento, juxta *c. Constitutus.* & *c. super eo. de transact.* id intelligendum de conventione, & pactione illicita, ut Ventrigl. *loc. cit. nu.* 50. qualis v. g. est de resignando beneficio, cujus titulo quis promotus est ad ordines, quæ conventio etiam juramento firmata non valet, quia est contra Trid. te juramentum non est vinculum iniquitatis. Garc. *loc. cit. n.* 231. Pro hac quoque sententia facit decisio Rotæ 8. *de Procurator. in antiq.* apud Garc. *n.* 233. quæ habet, quòd constituens Procuratorem ad resignandum permutationis gratiâ cum juramento de non revocando, non potest valide revocare, utì idem sentit Felin. *in c. ex parte Decani. de rescrip. n.* 12. & Aufrerius. *ad Capell. Tholos. decis.* 261. Quam etiam decisionem admittendo, Paris. *de resig. l.* 9. *q.* 31. *nu.* 9. huic sententiæ favere videtur, etsi aliàs teneat juxta dicta à nobis suprà, Procuratorem constitutum ad resignandum simpliciter, etiam cum juramento de non revocando, posse revocari, dum *loc. cit.* ait: huic argumento respondetur, dictam decisionem loqui in Procuratore constituto ad permutandum, secus in Procuratore constituto ad resignandum simpliciter; quia aliud est, constituere Procuratorem ad resignandum simpliciter, aliud ad permutandum &c.

2. Nihilominus contrarium sentit expresse Garc. *loc. cit. nu.* 235. ubi ait: prædicta Rotæ *decisio* 8. *de Procurator. non est in usu, sed indifferenter practicatur, quòd in quibuscunque resignationibus, sive ex causa permutationis, sive aliàs quacunque ratione correspectivis locus sit pœnitentiæ, donec resignatio per Superiorem fuerit recepta & admissa, nec darentur per Cancellariam literæ ad cogendum viâ juris partem renitentem, ut servaret contenta;* citátque pro hoc Hieronym. Paul. *in pract. Cancell. vers. duo tractarunt.* Massam Gallesium. *de obligat. in forma Cameræ. p.* 2. *ad* 6. *particulam. q.* 1. *n.* 3. qui etiam dicat, sic suo tempore in pluribus causis judicasse Rotam. pro quo etiam, ut ait Garc. *n.* 238. facit resolut. Rotæ *in Tolet. pension. de anno* 1553. ubi tentum, à concordia in beneficialibus licitum esse recedere ante beneplacitum Sedis Apostolicæ; quia in contractibus innominatis re integrâ locus est pœnitentiæ. *l. si pecuniam, & ibi gl. de conditione ob causam.* nec clausula *salvo beneplacito* quicquam operetur, ante confirmationem Papæ quò ad validitatem concordiæ, licèt operetur, ne partes incurrant pœnam contrahendo super re spirituali, adeò, quòdsi, antequam superveniat beneplacitum, pœnitentia intervenerit, irritabitur concordia. Addit tamen Garc. *nu.* 237. videri necessariam absolutionem à dicto juramento, ut non incurratur perjurium, cum juramentum in hoc casu servari possit sine interitu salutis æternæ. Item addit *n.* 239. ex Gonz. *gl.* 12. *nu.* 83. & Gutt. *qq. Can. p.* 1. *c.* 22. *nu.* 19. quòd in hoc casu pars, quæ recedit & pœnitet, teneatur subministrare alteri parti omnes expensas jam factas ratione dictæ concordiæ vel resignationis, vel aliàs. Quod tamen, ait Garcias, sibi non placere; eò quòd, cùm recedens utatur jure suo, non teneatur ad expensas alterius partis &c.

Quæstio 869. *An, & qualiter, dum jam res non est amplius integra, sed unus permutantium resignavit suum beneficium permutationis gratia, alter renitens compelli possit?*

REspondeo: Posse illum compelli. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 30. *q.* 12. citans Bellam. *de permut. p.* 10. *q.* 3. & Ubald. *q.* 8. contra gl. & Cynum *in l. cum precibus. c. de rer. permut.* quos citat Azor, qui id fieri posse negant in contractibus innominatis, qualis est permutatio, & solùm volunt cogi posse, ut quod alter compermutantium in hoc passus est damnum, resarciat.

* * *

Quæstio 870. *An, si Procurator unius ad permutandum consenserit, resignaveritque ex causa permutationis beneficium sui principalis, mortuo dein principali ante expeditionem literarum, cogi possit ad consentiendum, seu extendendum consensum, ut expediantur literæ?*

REspondeo affirmativè juxta dicta aliàs de Procuratore ad resignandum. Chok. *de permut. p. 3. c. 25. n. 3.* dicens, sic resolvisse Rotam apud Cassiador. *decis. 1. de renunc.* eò quòd, licèt voluntas & mandatum morte finiatur, actus tamen permutationis jam tum erat perfectus, & consensus subsequens Procuratoris pro expeditione literarum non sit nisi executio ad actum perfectum.

Quæstio 871. *Si permutatio declaretur invalida, vel aliàs non sortiatur effectum, an, & qualiter permutantes redire possint ad beneficia sua?*

1. REspondeo primò: Dum permutatio non habuit effectum, posse permutantes redire ad sua beneficia sine nova collatione, absolutè pronunciant Jo-And. & Franc. *in c. unic. de rer. permut. in 6.* Federic. de Senis. *de permut. q. 8.* Rossiniac. *de benef. c. 38.* Duaren. *l. 8. c. 3.* Paris. *de resig. l. 1. q. 14. n. 12. juncto. n. 6.* Less. *l. 2. c. 34. n. 195.* aliisque apud Garc. *p. 11. c. 4. n. 6.* qui etiam *n. 8.* recitat pro hac sententia claram decisionem Rotæ *in Barcinon. Paroch. 10. Decemb. 1601.* ipse tamen *n. 7.* ait, eorum opinionem procedere tantùm in permutatione facta coram Papa, & nisi culpâ permutantis permutatio non habuerit effectum. Sic dum permutatio est nulla citra permutantium culpam, & hinc non sortitur effectum, posse permutantes redire ad sua beneficia, pronunciat simpliciter. Chok. *de permut. p. 3. c. 28. n. 7.* citans Gemin. *cons. 45. in fine.* Tusch. *to. 6. Pract. Conclus. juris. Conclus. 306. n. 6.* Sic expressè tenet Azor. *p. 2. l. 7. c. 19. q 21. §. altera.* & quidem licitum esse permutanti propriâ auctoritate redire ad beneficium, quandocunque permutationis effectus sine ipsius culpa non est subsecutus. Qui tamen addit, necesse esse, ut Superior declaret, talem, qui resignavit permutationis gratiâ, permutatione non sortitâ effectum citra ejus culpam, posse ad suum beneficium redire, adeóque non requiri auctoritatem Superioris de novo conferentis, sed declarantis, posse eum redire. Quod idem posterius, nempe saltem opùs esse hac declaratione Superioris, qui det utrique licentiam ad suum beneficium regrediendi, absque alia collatione, seu concessione Executoris super reductione in pristinam possessionem, & talis licentia seu declaratio habeatur pro nova collatione, volunt Staphil. *de lit. grat. tit. de var. mod. vac. §. 1. nu. 14.* Lampagnia. *in repetit. cap. unic. de rer. permut. in 6. q. 7.* & Aufrer. *ad decis. Capell. Tholos. 260.* Redoan. *de simon. p. 2. c. 10. n. 28.* apud Chok. *p. 3. c. 9. n. 2.* & sic practicari in Gallia scribit Paponz. *l. 2. arresto. tit. 7. arrest. 2.* Hanc sententiam, nimirum posse in hoc casu non effectuatæ permutationis, aut etiam declaratæ nullæ citra permutantium culpam redire ad beneficia permutata, sine nova collatione, solâ dictâ declaratione, summam habere æquitatem pronunciat *loc. cit.* Chok. etsi præmisisset, illam, quæ dicit, opùs esse in hoc casu novâ collatione; eò quòd resignatio ex causa permutationis veram vacationem, & consequenter primi tituli veram, & totalem extinctionem inducat, esse veriorem & tutiorem. Tenent eandè præter jam citatos expresè Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. n. 36.* Lott. *l. 2. q. 14. nu. 90.* ubi etiam ipsam sententiam declaratoriam super nullitate permutationis implicare licentiam illam Superioris, quòd liceat permutantibus regredi ad beneficia permutata, & hic titulus resultans ex ipsa hac sententia declaratoria nullitatis sit sufficiens absque alio titulo collativo. Loquitur autem de permutatione non ipso jure nulla, sed quæ venit annullanda; eò quòd permutantes, quia ignorarunt, beneficia permutanda esse jurispatronatûs, consensum Patroni non requisiverunt citra omnem injuriam Patrono irrogatam.

2. Fundatur hæc sententia æquior in eo, quòd permutatio, seu resignatio permutationis gratiâ non aliter intelligatur facta, quàm sub conditione, si alteri permutantium beneficium acquiratur, seu, si permutatio utrimque habuerit suum effectum, adeóque ea conditione non impletâ, seu non secuto hoc effectu, jus non abdicat, sed retinere velit resignans, non secus ac in alia resignatione in favorem. Chok. Azor *ll. cit.* Garc. *loc. cit. nu. 9.* id admittens de permutatione facta coram Papa; addénsque, id in resignationibus hujusmodi ex favorem magis de stylo & æquitate obtinere, quàm de rigore juris; eò quòd hujusmodi conditio magis resolutiva, quàm suspensiva videatur. Sic etiam, licèt ex permutatione detur nova vacatio, ea tamen vacatione declaratâ nullâ (uti contingit, dum permutatio declaratur nulla) consequitur, etiam per eam jus nullum fuisse abdicatum. Lott. *loc. cit. n. 88. & 89.* Unde jam, si postquam unus permutationis causâ resignavit, alter permutantium permutationem implere nequeat, quia v. g. diem suum obiisset, vel permutationem perficere recusaret, aut nequiret, puta, quia ejus beneficium evictum, reservatum, unitum alteri esset, possit primus (cui nulla adscribi potest culpa, vel impedimenti scientia) dicto modo ad beneficium suum redire. Azor *loc. cit.* Sic, si illegitimus dispensatus ad curatum beneficium, eo obtento in vim dispensationis permutet illud cum alio curato alterius legitimi, credens, sibi licere in vim semel habitæ dispensationis, adeóque non valeat collatio secundi curati ei facta ex causa permutationis, uterque ad renunciata poterit redire: Legitimus quidem ob probabilem ignorantiam facti, illegitimus ob probabilem ignorantiam juris. Chok. *de permut. p. 3. c. 9. n. 10.* Sic, si quis permutavit beneficium cum duobus compatibilibus, & unum eorum tanquam reservatum, aut aliàs obnoxium tertio alicui evincatur, poterit habere regressum ad suum primum beneficium, interveniente dicto modo auctoritate Superioris. Chok. *cit. c. 9. num. 6.* Idque, etiamsi beneficium illius alteri compermutanti jam collatum esset. Argumento *c. si beneficium, de præb. in 6.* (dico, argumento hujus *capitis*; hoc enim de cetero non loquitur de resignatione expressa, cujusmodi est illa, quæ fit permutationis gratiâ, ut Chok. *loc. cit. n. 7.*) ubi statuit Papa, ut, qui beneficium reservatum, vel collatum à Sede Apostolica obtinuit ab Ordinario, & illud simul, ac de reservatione vel collatione illa Apostolica cognoverit, dimisit, possit, non obstante acceptatione illâ illius reservari facta ex ignorantia, pœnitere cum effectu; cùm sic pœnam

non

non mereatur; quò fit, ut Papa ei facultatem concedat (vi nempe *cit. c. beneficium*) prius beneficium alteri collatum recuperandi, modò pœnitentia illa in tempore, & è vestigio succedat; cùm possessionem civilem amisisse non videatur, qui statim redit. Chok. *loc. cit. n.* 20.

3. Hinc illud quod astruit Castrop. *de benef. d. 6. p. 3. §. 5. n. 3.* Si sine tua culpa permutatio non habuit effectum in alio compermutante, eò quòd is, antequam ei conferretur beneficiū à te dimissum, mortuus sit, aut redditus incapax illius, non possete redire ad beneficium à te dimissum, sic intelligendum: Si alter jam resignaverat, & dimissum ab eo beneficium tibi jam collatum, quia tunc priùs ex parte tua fuit perfecta permutatio, & per accidens censebitur, quòd tuum beneficium alteri compermutanti non fuerit collatum, cùm per te id non steterit. Et sic tradit Garc. *loc. cit. n.* 10. citans pro hoc Gonz. *gl.* 15. §. 2. *à n.* 40. Quodsi duo resignant ex causâ permutationis, & facta collatione uni alter decedat (intellige vel physicè per mortem naturalem, vel moraliter seu civiliter incurrendo incapacitatem) ante factam sibi collationem, superstes non habeat regressum ad beneficium à se dimissum, sed illud tunc tanquam vacans alteri conferri poterit.

4. Econtra, si beneficium compermutantis jam recepisti, antequam tuum dimitteres, & tempore, quo dimittere debebas, compermutans jam decessisset, vel redditus fuisset incapax illud recipiendi, posse te utrumque, & tuum & compermutantis beneficium retinere, nisi essent incompatibilia (in quo casu, ait Garc. vacaret beneficium superstitis priùs ab eo habitum, vel saltem dabitur optio dimittendi, quod voluerit) tenent Castrop. *loc. cit.* Garc. *cit. n.* 10. Azor *loc. cit. q.* 29. Less. *loc. cit, n.* 197. Ventrigl. *to.* 2. *annot.* 4. §. 2. *n.* 42. (qui tamen id limitat *n.* 43. ut non procedat, ubi ex parte superviventis intercessit fraus, ut quia permutavit cum infirmo, in quo casu habet locum regula *de infirm. resig.* ita ut, si is moriatur intra 20. dies, superstes maneat sine omni beneficio, si suum jam resignavit; quia tunc illius vacet per illam resignationem, & alterius per obitum illius) Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 139. *num.* 9. ubi etiam cum Lovet. tradit, resignatione mutuâ factâ, acceptatâ, & provisione utrimque factâ, si unus compermutantium possessionem accepit beneficii sibi de novo vi permutationis collati, alter verò eorum negligens in capienda possessione, ante eam mortuus fuerit, sit locus bonæ fortunæ pro superstite, & is utroque beneficio gaudere debeat; eò quòd verum sit dicere, eum possessionem novi illius beneficii accepisse, & necdum privatum fuisse possessione sui primi beneficii, quamdiu alter ejus possessionem non ceperat. Cujus ulteriorem rationem dat hanc ex Gonz. *loc. cit.* quòd, cùm collatio una facta ex causâ permutationis sit separabilis ab alia, licèt altera non habeat effectum, non ideo desinat valere permutatio quò ad aliam; quia utile per inutile vitiari non debet. Quemadmodùm, si alter publicantium omiserit publicare, non ideo permutatio est nulla, sed tantùm corruit collatio illius, qui omisit publicare, pro quo citat Gonz. *ubi antè. n.* 50. Paris. *l.* 11. *q.* 5. *nu.* 28. *& seq.* Si autem compermutans, qui resignavit, decederet ante factam collationem superstiti, qui nondum resignarat, cùm jam permutatio non possit habere effectum, non debebitur illud beneficium superstiti, sed liberè providendum, tanquam vacans per dictam resignationem, asserit Garc. *cit. n.* 10. *in fine.*

5. Respondeo secundò: Si permutatio non habuit effectum, & fuit nulla ex culpa compermutantium, non posse illos, vel illum, ex cujus parte culpa commissa est, redire ad beneficia permutata, saltem sine nova collatione, tenent expresè Chok. *loc. cit. nu.* 11. citans Pet. Gregor. *de benef. c.* 28. *n.* 11. & Rotam *in Roman. Canonic.* 17. *Novemb.* 1567. & *in Claramontens. Monasterii* 20. *Octob.* 1574. Item Castrop. *loc. cit. n.* 3. & à fortiore illi omnes, qui simpliciter astruunt, renunciantem ex causâ permutationis, eâ non effectuatâ, non posse sine nova collatione illius, ad quem collatio talis beneficii spectat, redire ad beneficium dimissum, ut sunt Felin. *in c. cum venerabilis. n.* 11. *de excep.* Selva. *de benef. p.* 3. *q.* 24. Bellam. *de permut. p.* 11. *q.* 3. Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *nu.* 9. Rebuff. *in pr. tit. de procur. n.* 11. *& 16.* Mascard. *de prob. Conclus.* 1401. *n.* 3. &c. apud. Garc. *loc. cit. nu.* 5. Sic, si resignasti, & permutatio non est sortita effectum (intellige quò ad te) tuâ culpâ, quia incapax es beneficii recipiendi (intellige, dum incapacem te reddidisti tuâ culpâ, vel etiam citra culpam incapax jam antecedenter eras, & de hoc sciebas) non poteris redire ad beneficium à te dimissum; quia conditio, sub qua illud dimisisti, executioni mandata est, utpote, quæ alia non erat, quàm ut alter suum tibi beneficium dimitteret, quod fecit, adeóque tibi imputandum, quòd illud ab altero dimissum non obtineas. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam, quòd in hoc casu ob culpam talis permutantis alter compermutans non sit privandus jure, quod habet, ut illius sibi beneficium conferatur, si suum jam dimisit. Sic etiam, si permutatio fuit nulla, seu effectum non habuit, quia carebas legitimo titulo beneficii, quod resignasti, & hinc ab altero compermutante evictum est, non poteris beneficium illius tibi collatum retinere, sed debebis illud dimittere, & compermutans, dum tuæ culpæ antecedenter conscius non fuit, poterit ad illud auctoritate propriâ reverti juxta responsionem præced. quia nulla fuit ejus dimissio; eò quòd fuerit facta sub conditione, quòd tu beneficium firmum illi conferendum dimitteres, quod non feceris. Castrop. *loc. cit.* Sic in specie, si permutatio fuit ipso jure nulla ob contemptum Patronorum, permutans non poterit reverti ad suum beneficium resignatum, non requisito consensu Patroni permutationis gratiâ; sed in pœnam ingratitudinis taliter permutantis poterit Patronus tanquam ad vacans liberè præsentare alium diversum à compermutante, qui instituendus erit. Lott. *loc. cit. n.* 84. Chok. *de permut. p.* 1. *c.* 19. *n.* 13.

Quæstio 872. *An, dum completa utrimque permutatione, facta nimirum hinc inde resignatione permutationis gratia, factáque beneficiorum resignatorum collatione, non adimpletur tamen conditio aliqua permutationi adjecta, v. g. procurandi uni permutantium pensionem aliquam ob inæqualitatem fructuum beneficii permutati, v. g. quia alter negligit dictam pensionem, ut in se receperat, procurare, vel illam à Papa impetrare non potest; regredi quis possit ad beneficium suum?*

REspondet cum Boëtio Ep. *in Clem. unic. de rer. permut.* Chok. *p. 3. c. 9. n. 4.* negativè. Rationem dat hanc; quòd, licèt vel non impletâ per alterum permutatione beneficiali; vel aliàs evicto post impletionem permutationis beneficio, alter redire possit ad suum beneficium, ut dictum *q. præced.* Si tamen hoc, quod in beneficiis permutatis est principale, semel fuerit ac maneat impletum (beneficiis nempe hinc inde resignatis, & collatis, & pacificè possessis, nec evictis) ob solas quasdam leges extrinsecas non impletas ad restituendum beneficium nequeat agi; sed ad hujusmodi leges implendas duntaxat, præsertim, si beneficium acceptum non restituatur nec offeratur; cùm generaliter in permutationibus verum sit, pœnitentiæ locum non esse, quando ex una parte totum impletum est, & ex altera parte saltem aliquid est impletum circa partem permutationis intrinsecam, si pœnitentia talis alteri parti damnum esset illatura. De cetero, quid sit hac in parte regressûs, ubi pensio jam constituta non solvitur, vide ex dictis fusè suprà.

Quæstio 873. *An permutantes ad sua redeuntes beneficia, fructus interim perceptos & consumptos teneantur restituere, ubi alter permutantium plus altero percepit?*

REspondet Chok. *p. 3. c.* 10. ex eodem Boëtio, *decision. Burdigalens. decis. 98. p. 1.* & Abb. *in c. dilecto. de præb.* Quòd si possidenti jus astitit, & non restitit, non teneri illum ad restituendum: Si verò ei jus restitit, teneri illum, etiamsi alioqui fuerit possessor bonæ fidei.

Quæstio 874. *An permutatio expedita per Ordinarium, per eundem Ordinarium rescindi possit, instante uno ex permutantibus, prætextu læsionis, & inæqualitatis fructuum?*

1. REspondeo negativè. Chok. *de permut. l. 3. c. 5. n. 1.* Ventrigl. *to. 2. annot. 4. §. 2. num. 55.* remittens ad seipsum *to. 1. annot. ult. in c. cum dilecti, de empt. & vendit.* ac dicens, indubitatè dicendum, quòd hujusmodi permutatio ratione inæqualitatis, seu redituum, seu onerum, non vitiatur: & quamvis in eo dubitari posset de fraude aliqua, cùm nemo præsumatur jactare suum, juxta *c. super hoc. de renunc.* nihilominus hæc præsumptio non sufficiat ad rescindendam permutationem. citátque pro hoc Decium, *cons. 210. n. 6. & seq.* Rationem dat, quòd, cùm permutatio principaliter fiat pro utilitate & necessitate Ecclesiæ, id solùm debeat attendi, quod principaliter agitur, juxta *l. si quis nec causam. ff. si certum petat.* & non utilitas & commoditas permutantium. Ampliatur idipsum, ut permutatio jam facta rescindi non debeat ob prædictam rationem, etiamsi ultra dimidiam partem læsio interceserit. Chok. *loc. cit.* citans Covar. *l. var. resol. c. 5. n. 3* Ventrigl *loc. cit. nu. 56.* citans Anchar. *in Clem. unic. de rer. permut. col. 2.* Abb. *in c. quæsitum. eod. tit. n. 6.* Decium, *cit. cons. n. 8.* Neque obstare inquit, quòd in beneficiorum permutatione servanda sit æqualitas, juxta *c. 1.* & *c. ad quæstiones. de rer. permut.* eò quòd id procedat in permutatione facienda, non factâ, quæ rescindi non debeat. Quòdsi tamen decepta est Ecclesia & beneficium, permutatio rescindi debet. Ventrigl. *loc. cit. n. 57.* citans Cald. *cons. 4. de rer. permut.* Cagnol. *in l. 2. c. de rescind. vendit. n. 57.*

2. Limitatur tamen etiam responsio, ut rescindi possit permutatio, ubi pars partem decepisset dolo, asserendo majorem valorem beneficii, juxta *c. cùm universorum. de rer. permut.* Chok. *loc. cit. n. 2.* Limitatur quoque ulteriùs ab eodem *ibid. nu. 3. & seq.* ut non procedat in minore permutante, Idque non obstante, quòd minor in beneficialibus pro majore habeatur, id enim non impedit, quo minùs restitui debeat, ut apparet in Ecclesia, quæ, licèt possit agere, & hoc respectu reputetur major, si tamen decipitur, restitui potest.

Quæstio 875. *An, & qualiter permutatio utrimque completa sit publicanda?*

REspondeo de hoc satis dictum suprà, ubi, quænam resignationes publicandæ, & quod dictum ibi de resignationibus aliis factis coram Ordinario, eas publicandas, idem dicendum de permutationibus coram Ordinario factis ob paritatem rationis, & quod circa modum servandum in aliis resignationibus dictum, id quoque huc applicandum.

Quæstio 876. *An consumatur turnus ex collatione facta permutationis gratia?*

REspondeo: Nisi aliud sit consuetum vel concordatum, non minus ex collatione facta ex causâ permutationis consumitur turnus & vicissitudo, quàm per collationem ex qualibet alia vacatione. Gonz. *ad reg. 8. Cancell. gl. 45. §. 3. nu. 5.* citans Philip. Probum *in c. cùm ex illis. nu. 62. de præb. in 6.* Steph. Bertrand. *cons. 264. & 323. vol. 1.* & cum his Chok. *p. 2. c. 31.* Porrò de turno, ac præcipuè de ejus consumptione vide plura lectu digna apud eund. Gonz. *cit. §. 3.*

*****
***

SEC-